TRACTATUS DOGMATICUS

DE EXTREMA UNCTIONE

TOM. II. DE CAUSIS EXTRINSECIS

EMMANUEL DORONZO, O.M.I.
S.T.D., Ph.D.

Professor of Theology
The Catholic University of America

EX TYPOGRAPHIA BRUCE
Milwaukee, Wisconsin, U. S. A.

Imprimi potest; Stanislaus Larochelle, Superior Provincialis
Nihil obstat: Joseph C. Fenton, Censor Deputatus
Imprimatur ✠ Patrick A. O'Boyle, D.D., Archiepiscopus Washingtonicnsis
die 23 januarii, 1953

5"7 - QÙ In-

Library oj Congress Catalog Card Number: 54-7738

Copyright, 1955
The Bruce Publishing Company
Made in the United States of America

ORDO PARTIUM

DE EXTREMA UNCTIONE

Tom. II. Dc Causis Extrinsecis

CAPUT /U. *DE EFFECTIBUS*

Art. 10. Utrum effectus huius sacramenti sit gratia tum spiritualiter tum corporaliter sanativa, qua nempe iuxta Cone. Trid. remittuntur peccata, absterguntur reliquiae peccati, alleviatur et confirmatur anima aegroti, restauratur interdum sanitas corporis. 4–45

Art. 11. Utrum principalis seu specificus effectus huius sacramenti sit gratia abstergens reliquias peccati, seu gratia interius sanans spiritualem animae debilitatem ex peccato relictam. 46-110

Art. 12. Utrum sanatio debilitatis animae consistat in interiori ac physico effectu. 110 111

Art. 13. Utrum remissio peccatorum mortalium per hoc sacramentum fiat tantummodo per accidens et suppositis quidem conditionibus attritionis et bonae fidei. 111-136

Art. 14. Utrum remissio peccatorum venialium per hoc sacramentum fiat mediate tantum, nec ad eam requiratur attritio. 136-147

Art. 15. Utrum remissio poenae temporalis per hoc sacramentum fiat tantummodo indeterminate ac mediate. 147-176

Art. 16. Utrum alleviatio et confirmatio animae per hoc sacramentum fiat mediate, seu mediante ipsa curatione spiritualis debilitatis et dependenter ab ea. 176-177

Art. 17. Utrum immediata praeparatio ad gloriam non aliter quam indirecte et indeterminate dicenda sit huius sacramenti effectus. 177-192

Art. 18. Utrum hoc sacramentum conferat ipsam sanitatem corporis, et quidem infallibiliter, etsi conditionate tantum ac mediate. 192-231

Art. 19. Utrum effectus huius sacramenti simul ac totus conferatur in ipso momento quo absolvuntur omnes unctiones ex quibus de facto resultet essentia sacramenti. 231-250

Art. 20. Utrum hoc sacramentum possit esse validum et informe, ac consequenter reviviscere. 250-261

Art. 21. Utrum etiam in Extrema Unctione detur res-et-sacramentum, consistens in quadam interiori animi unctione seu alleviatione. 261-275

Art. 22. Utrum Extrema Unctio metaphysice definiatur: Sacramentum spiritualis curationis; physice vero: Unctio infirmi, sub forma deprecativae orationis, significans spiritualem animi curationem. 275-279

CAPUT E. *DE PROPRIETATIBUS*

Art. 23. Utrum Extrema Unctio sit unum sacramentum, unitate tum integritatis tum indivisibilitatis. 281-286

Art. 24. Utrum hoc sacramentum sit initcrabile in eodem mortis periculo. 286-365

Art. 25. Utrum hoc sacramentum sit tantum moraliter necessarium. 365-440

Art. 26. Utrum Extremae Unctioni competat peculiaris indoles sacramentalis. 441-445

CAPUT VI. DE SUBIECTO

Art. 27. Utrum subiectum capax huius sacramenti sit solus homo viator. 447-463

Art. 28. Utrum subiectum capax huius sacramenti sit solus et omnis adultus. 463-500

Art. 29. Utrum subiectum capax huius sacramenti sit solus peccator. 501-532

Art. 30. Utrum subiectum capax huius sacramenti sit solus infirmus. 532-578

Art. 31. Utrum ad validitatem sacramenti requiratur proprie dicta, gravis et mortalis infirmitas. 578-674

Art. 32. Utrum ad validitatem huius sacramenti requiratur ac sufficiat, praeter ipsam subiecti capacitatem, duplex proprie dicta conditio, scilicet intentio suscipiendi et character baptismalis. 674-694

Art. 33. Utrum Extrema Unctio (necnon Poenitentia) possit licite administrari acatholicis, aut impoenitentibus peccatoribus, saltem si sint sensibus destituti. 695-732

CAPUT VII. DE MINISTRO

Art. 34. Utrum hoc sacramentum valide administret omnis et solus sacerdos, a subiecto tamen distinctus. 734-761

Art. 35. Utrum hoc sacramentum possit sive ab uno sive a pluribus sacerdotibus valide ministrari. 761-799

Art. 36. Quomodo hoc sacramentum licite ac rite administretur. 799-812

CAPUT VIII. DE CAEREMONIIS

Introductio 813-820

Art. 37. Utrum convenienter assignentur caeremoniae et sacramentalia huius sacramenti. 820-841

INDICES

INDEX BIBLICUS [1]

INDEX EXEGETICUS [2]

INDEX THOMISTICUS L3]-[4]

INDEX ONOMASTICUS [5]-|14]

INDEX ANALYTICUS [15]-[29J

DE EXTREMA UNCTIONE

TOM. II. DE CAUSIS EXTRINSECIS

CAPUT IV

DE EFFECTIBUS[1]

1. *Objectum.*

In duobus praecedentibus capitibus actum est de causis intrinsecis, seu de materia et forma, ex quibus ipsa sacramenti essentia resultat. Incipit jam sermo *DE CAUSIS EXTRINSECIS* (finali et efficienti), et quidem in praesenti capite agitur de fine sacramenti qui cum ipso ejus effectu coincidit. Sic absolvetur etiam sermo de tribus elementis omnis sacramenti, scilicet sacramento tantum, re-et-sacramento, re tantum; primum enim sunt ipsa materia et forma in unum ritum copulatae, secundum est immediatus effectus sacramenti qui,

[1] S. Thomas, *Suppi.,* q. 30, a. 1, 2, 3; *C. Gent.* 4. 73. Praeterea, *Suppi.,* q. 29, a. 1, ad 2; a. 2, 4, 5; q. 32, a. 4, ad 1 et 2; q. 33, a. 2, Sed contra et corp.; *C. Gent.* 4. 58; *1-2,* q. 102, a. 5, ad 3; *3p.,* q. 65, a. 1, corp, et ad 4 et 8; q. 84, a. 1, ad 1; *De Malo,* q. 7, a. 11, ob. 14 et ad 14; *In 4 Sent.,* dist. 2, q. 1, a. 2. Hi aliique textus citantur infra, . 66-68.

Albertus, M., *In 4 Sent.,* dist. 23 fere per totam. Citatur infra, p. 65 sq.

Bonaventura, *In 4 Seni.,* dist. 23, a. 1, q. 1; a. 2, q. 2 et 3; *Breviloquium,* pars 6, . 11. Citatur infra, p. 56-58.

Ex posterioribus theologis consulantur: *Ferrariensis (In C. Gent.* 4. 73), *D. Soto (In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 2), *Suarez* (Disp. 41 per totam), *De Sainte-Beuve, Gonet, Tournely, Billuart, Frassen.*

Inter rccentiorcs, praeter generalia manualia et opera theologica, peculiariter ad rem faciunt:

Barry, D., "The effects of Extreme Unction, St. Bellarminc's view," *The Irish Ecclesiastical Record* 38 (1931) 64-78; "Extreme Unction and Convalescence," *ibid.* 40 (1932) 190-202.

Baumeister, A., "Der sakramentalc effectus principalis und der finis sacramenti bei der letzten Oelung," *Theologischc Quartalschrift* (1909) 106 sqq.

Bonincontro, E., "La Sacra Unzionc degli infermi. Sc e quando la Sacra Unzione dcgli infermi valga a compicre la perfetta purificazione del cristiano," *Palestra del Clcro,* a. 14 (1935), v. 2, p. 371-375.

Brzana, S. J., *Remains of Sin and Extreme Unction According to Theologians After Trent,* Romae, 1953.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 93-151.

Catechist, "Comment," *The* [/bnenenn] *Ecclesiastical Review* 55 (1916) 299 sq.

De Letter, P., "Extreme Unction and the Power of the Keys," *The Irish Theological Quarterly* 20 (1953) 76-82.

Feld, W., "Why be anointed?," *The* [.'imcrican] *Ecclesiastical Review* 84 (1953) 484—491; "Is Purgatory inevitable?," *ibid.* 88 (1953) 581-589.

Friesenhahn, IL, "Die Lehre des Duns Skotus über die Wirkung des Sakraments der Krankcnolung," *Franziskanische Studien* (1938) 93-97.

Gits, A., "Purgatory and Extreme Unction," *The Irish Ecclesiastical Record* 68 (1946) 104-108.

Holtum, G. von, "Die Wirkungcn der letzen Olung," *Theologisch-praktische Monatsschrift* (1917) 247 sqq., 459 sqq.

Kern, J., *Tractatus dogmaticus de sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 81-114, 167-240.

sicut character in Baptismo, Confirmatione et Ordine, disponit ad ultimum effectum gratiae sacramentalis, tertium est haec ipsa sacramentalis gratia, a qua tota sacramenti essentia metaphysicespecificatur.

Porro ex hoc ipso specifico ac principali Extremae Unctionis effectu totum hujus capitis momentum totaque difficultas procedit. Hoc enim sacramentum, tam exiguum in sua apparenti obscuritate, magnam reapse effectuum multiplicitatem ac varietatem in sua intima ubertate recondit. Cetera quippe sacramenta, non exclusis potioribus ipsis ac uberioribus ritibus Baptismi et Eucharistiae, modo magis simplici ac determinato in sua efficacitate procedere videntur quam Extrema Unctio, quae prima fronte quasi fluctuanter suum influxum ad varios ac disparatos effectus protendit, scilicet: ad corporalem simul ac spiritualem sanitatem (quod in nullo alio sacramento contingit); et, in linea ipsa spirituali, ad aeternae gloriae immediatam dispositionem et ad spiritualem animi alleviationem; ad gratiam mere alleviantem et ad remissionem peccatorum; ad abstersionem reliquiarum peccati et ad deletionem ipsius peccati; ad extinctionem reatus poenae et ad ablationem ipsius reatus culpae; ad remotionem peccati venialis et ad condonationem ipsius peccati mortalis. Tot enim sunt praecipui effectus qui. ut infra videbimus, in documentis Traditionis huic sacramento tribuuntur. Ceterum, praedicta multiformis fluctuatio sacramentalis efficacitatis nonnisi apparens est et a superficiali consideratione procedit, nam reapse omnes praefati effectus ex uno principio

Kilker, A. J , *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 28-42.

Koerperich, G., "Extrême-Onction et quërison corporelle," *Revue diocésaine de Namur* 7 (1952) 81-88.

Kryger, H , *The Doctrine of the Effects of Extreme Unction in Its Historical Development,* Washington 1949.

McCarthy, J., "Extreme Unction and the Remission of Temporal Punishment," *The Irish Ecclesiastical Record* 67 (1946) 255-259.

O'Neill, P, "Effects of Extreme Unction," *The Irish Ecclesiastical Record* 39 (1932) 74 sq.

Richards, IL T. H., "Extreme Unction and beatific vision," *The* (.1 *merican] Ecclesiastical Review* 55 (1916) 668-673.

Sacerdos, "Why be anointed?," *The* [/1merican] *Ecclesiastical Review* 85 (1931) 69 sq.

Schmitz, I., *De effectibus sacramenti Extremae Unctionis,* Friburgi Brisgoviae 1893.

SpAcil, Th., *Doctrina theologiae Orientis separati de sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 93-108, 200-238.

Stravr, Λ., *De Ecclesia Christi* (Oeniponte 1912) II 309-325.

Tecklenburg, F„ "The Primary Effect of Extreme Unction," *The* [zhnrncan] *Ecclesiastical Review* 55 (1916) 291-299.

Toner, P. J . "Extreme Unction," *The Catholic Encyclopedia* 5 (1919) 716-730.

Van Loock, E , "De effectibus sacramenti extremae unctionis," *Collectanea Mechlinensia* 21 (1951) 603-507.

Verhamme, A . "De effectibus sacramenti Extremae Unctionis," *Collationes Brugenscs* 46 (1950) 15-23, 100-107.

Vicarivs, "Primary Effect of Extreme Unction." *The* [.Imcr/canl *Ecclesiastical Review* 57 (1917) lS9sq.

Walter. E . *Die Ilerrlichkeit des christlichen Stcrbens. Die heilige Ocluiig als letztr Vollendung drr Taulherrlichkeit*, Freiburg i. B. 1937.

procedunt et in unum conceptum confluunt, gratiae scilicet perfecte sanativae, vi cujus hoc sacramentum, ad limen aeternitatis consistens, opus ceterorum absolvit utpote "totius spiritualis curationis" imo et "totius christianae vitae consummativum".[2]

Antequam autem accedamus ad considerationem horum *septem effectuum* qui a theologis huic sacramento tribui solent, iuverit duo schemata proponere, quorum prius eos logice dispositos exhibet iuxta eorum indolem et naturam, eritque quasi summa et fructus primi articuli hujus capitis (art. 10), alterum vero eosdem distribuit iuxta diversum modum quo singuli per sacramentum producuntur, eritque veluti conclusio subsequentium articulorum (art. 11-18).

Conspectus septeni effectuum iuxta eorum indolem et naturam.

Res-et-sacramentum: Quaedam interior animi unctio seu alleviatio
Res tantum: Gratia sanativa, seu perfecta aegroti sanatio
Sanatio spiritualis
Immediata praeparatio ad gloriam 1
Sanatio animae
Alleviatio, seu confirmatio, seu confortatio (gratia allevians) 2
Curatio (gratia curativa)
Abstersio reliquiarum peccati, seu sanatio debilitatis animae 3
Deletio ipsius peccati
Extinctio reatus poenae temporalis 4
Ablatio ipsius reatus culpae
Remissio peccati venialis 5
Remissio ipsius peccati mortalis 6
Sanatio corporalis 7

Conspectus septem effectuum iuxta modum quo conferuntur:

Res-et-sacramentum: Quaedam interior animi unctio seu alleviatio
Res tantum: Gratia sanativa seu perfecta aegroti sanatio
Effectus indirectus et indistinctus: *Immediata praeparatio ad gloriam* 1
Effectus directus ac distinctus
Principalis (specificus): *Abstersio reliquiarum peccati* seu sanatio debilitatis animae 2
Secundarius (consequens)
Absolutus
Immediatus (etsi per accidens): *Remissio peccati mortalis* 3
Mediatus
Alleviatio (seu confirmatio, seu confortatio) 4
Remissio poenae temporalis 5
Remissio peccati venialis 6
Conditionatus: *Sanatio corporalis* 7

2. *Divisio*

Totam materiam de duplici effectu, cui succedit determinatio *defini-*

[2] *S. Thomas* et *Cone. Trid.,* cit. in toni. 1, p. 1.

tionis sacramenti (quippe quae nonnisi post considerationem ipsius effectus, a quo sacramentum specificatur, fieri potest), in *13 articulos* sequenti logico ordine distribuimus:

1. *Res tantum, seu gratia sacramentalis*
Fructuosa administratio sacramenti
Effectus qui confertur, ejusque varietas
Septem effectus conferuntur art. 10
Effectus principalis ac specificus est sanatio debilitatis animae art. 11
Modus quo confertur unusquisque effectus
Sanatio debilitatis animae est interior ac physica art. 12
Remissio peccatorum mortalium fit per accidens art. 13
Remissio peccatorum venialium fit mediate art. 14
Remissio poenae temporalis fit indeterminate et mediate art. 15
Alleviatio et confirmatio animae fit mediate art. 16
Immediata praeparatio ad gloriam fit indirecte et indeterminate art. 17
Sanitas corporalis confertur conditionate et mediate art. 18
Momentum quo confertur sacramenti effectus, scilicet post ultimam tantum unctionem art. 19
Infructuosa sed valida administratio sacramenti (sacramentum validum et informe) ejusque reviviscentia art. 20
2. *Res-et-sacramentum,* i.e. interior animi unctio seu alleviatio art. 21
3. *Definitio sacramenti,* sive metaphysica sive physica art. 22

ART. 10. Utrum Effectus Hujus Sacramenti Sit Gratia Tum Spiritualiter Tum Corporaliter Sanativa, Qua Nempe luxta Cone. Trid. Remittuntur Peccata, Absterguntur Reliquiae Peccati, Allevi-atur Et Confirmatur Anima Aegroti, Restauratur Interdum Sanitas Corporis *{Suppi.,* q. 30, a. 1, 2, 3; *C. Gent.* 4. 73; cf. alios textus supra,

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio pure dogmatica respiciens modo generali ac complexivo supernaturales effectus, ex quibus propria sacramentalitas Extremae Unctionis ostenditur contra Protestantes, ad complementum dictorum in art. 1 de institutione huius sacramenti. Ulteriores vero quaestiones, agitatae inter theologos, de modo quo tales effectus distincte causantur per Extremam Unctionem et de ordine ac praelatione inter eos, ex-pendentur singillatim in sequentibus octo articulis.

In textu articuli nonnisi quatuor ex supra numeratis septem effecti-bus (cf. in p. praec.) exhibemus, quippe qui ab ipso Cone. Trid. (cap. 2) signanter proponantur, tanquam principales expressiones, quae cetera omnia in se colligunt vel explicant. S. *Thomas* in *Suppi.,*

q. 30, a. 1 (cf. *C. Gent.* 4. 73) eos proponit sub unico radicali conceptu gratiae sanativae, seu spiritualis sanationis ("Principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati"); in Opusculo vero *De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis,* una cum *Cone. Flor.,* S. Doctor eos proponit sub duplici distincto conceptu spiritualis et corporalis sanationis (Decr. pro Armenis: "Effectus est mentis sanatio et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis"). *Cone. Trid.* in can. 2 proponit tres effectus, i.e. "conferre gratiam, remittere peccata, alleviare infirmos," vel, si placet, hos duos ultimos spirituales effectus, tanquam explicantes virtutem illius gratiae, ut sacramentalis; in cap. 2 vero effert quatuor effectus supradictos, tanquam explicantes varios modos unius "gratiae unctivae," scilicet remissionem peccatorum, abstersionem reliquiarum peccati, animi alleviationem ac confortationem, corporis sanitatem.

S. *Thomas* iterum *{Suppi.,* q. 30, a. 1, ob. 2 et ad 2 coli, cum a. 2) quatuor effectus exhibet, scilicet remissionem reatus culpae, extinctionem reatus poenae, abstersionem reliquiarum peccati, corporalem sanitatem; ubi hoc discrimen observatur, quod dum Cone. Trid. colligit duo priora membra divisionis S. Thomae sub unica voce remissionis peccatorum (i.e. secundum utrumque reatum culpae et poenae), S. Thomas in unum colligit secundum et tertium membrum divisionis Tridentinae (abstersionem reliquiarum peccati et alleviationem animi) sub unico conceptu ipsius abstersionis reliquiarum, qui est veluti negativus aspectus ejusdem effectus qui in alleviatione consistit, ut inferius patebit. Tandem *Catechismus Cone. Trid.,* signanter exhibens distinctionem inter remissionem peccatorum mortalium et venialium (quam S. Thomas tradit in eodem a. 1), quinque effert effectus sub communi conceptu gratiae per hoc sacramentum collatae, scilicet remissionem peccatorum venialium, remissionem mortalium, liberationem a reliquiis peccati quae sunt animi languor et infirmitas, liberationem a ceteris peccati reliquiis (i.e. temporalium poenarum), sanationem corporis; ubi duplex peculiaritas observatur: remissio nempe peccati secundum culpam duplicatur, explicitando mortalia et venialia, et abstersio reliquiarum ex una parte identificatur cum animi alleviatione, sicut apud S. Thomam et aliter ac in capite Tridentino, et ex alia parte duplicatur, secus ac apud S. Thomam, ad significandam liberationem tum a reliquia languoris tum a ceteris reliquiis (inter quas adnumerari possunt etiam poenae temporales).

Ita, attenta illa distinctione inter abstersionem reliquiarum et animi alleviationem, qua caput Tridentinum differt a S. Thoma et Catechismo Romano, sex colliguntur effectus, cui si addatur praeparatio ad gloriam, de quo uno vel alio modo indirecte loquuntur tres istae

auctoritates, completa enumeratio habetur supradicti septenarii numeri effectuum Extremae Unctionis (cf. in p. 3).

PARS NEGATIVA

Extremae Unctioni praedictos effectus competere negant quotquot eius sacramentalitatem reiciunt, quos retulimus in art. 1 ubi eam quaestionem pertractavimus.

Nominatim *Albigenses* (saec. 12), juxta ipsorum impugnatorem Alanum de Insulis, negabant "extremam olei unctionem . . . aliquem habere effectum" (cf. art. 1, *tom.* 1, p. 31). *Protestantes* negarunt peculiariter eius spirituales effectus. Plures inter antiquiores Novatores, ut *Lutherus, Calvinus* et *Chcninitius,* quos sequitur modernus anglicanus *Puller,* interpretantes textum Iacobi de mera observantia seu modo quo ab apostolis exercebatur potestas corporalis sanationis, seu "charisma sanitatum" sibi proprium, illi infirmorum unctioni nonnisi effectum corporalem concedunt, nec ceteroquin sacramentalem sed charismaticum et iam a saeculis obsoletum (cf. *ibid.* p. 33, 52, 64-68). In cuius doctrinae confirmationem, asserunt antiquiora Traditionis documenta, praesertim ante saec. 8, in quibus agitur de continuata praxi unctionis infirmorum iuxta commendationem Iacobi, nonnisi corporalem effectum exhibere, qui ceteroquin censebatur provenire ex unctione tanquam ex privata quadam observantia, cui adnexa esset vel sola orationis efficacia vel etiam occasionaliter ipsa vis charismalica, quibusdam viris eximiae sanctitatis attributa (cf. *ibid.* p. 184).

Doctrina Novatorum sic resumitur in errorum schemate, theologorum Tridentinorum examini proposito: "Extremam unctionem non conferre gratiam, neque remissionem peccatorum, sed neque alleviare infirmos, qui olim per gratiam curationum sanabantur, atque ideo eam cum primitiva ecclesia cessasse, sicut et gratiam curationum. Articulus iste est Melaneht. in locis communibus, et in apologia confess. Aug. cap. de numero et usu sacramentorum, et etiam Calvini."[1] Cui doctrinae Concilium Tridentinum opposuit canonem 2 (infra cit., p. 10), in quo praedicti tres effectus, a Protestantibus negati, definiuntur.

Apud *Orientales Schismaticos,* quorum generalis doctrina de duplici spirituali et corporali Extremae Unctionis effectu substantialiter convenit cum doctrina catholica, non desunt doctores, praesertim inter moderniores, qui unum vel alium particularem effectum vel tacent, vel in dubium revocant, vel clare denegare videntur.

Ita (ut interim taceamus de communi Orientalium opinione circa

[1] Apud \ Theiner, *Acta genuina ss oecumenici Concilii Tridentini* (Zagabriac in Croatia (1874]) I 552.

principalem effectum Extremae Unctionis, quem dicunt esse non spiritualem sed corporalem sanitatem) effectum praesertim praeparationis ad vitam aeternam, per *corroborationem animi* contra mortis horrores et diaboli insidias, impugnant quidam ut *Macarius Bulgakov, Bjeljaev, Dyovuniotis, Malinovskij, Andrutsos* et *Mcsoloras,* dicentes "sententiam [catholicam] . . . esse arbitrariam eamque non solum verbis s. lacobi, de sola corporis sanatione et peccatorum remissione loquentis antiquisque canonibus commendantibus ss. Eucharistiam ut tale contra mortis horrores praesidium et in vitam aeternam viaticum, sed et ipsius ecclesiae Romanae praxi usque ad saec. XII usitatae repugnare. . . *Makarij* autem [hanc impugnationem emolliens] scribit posse extremam unctionem, si graviter decumbentibus, simul cum sacramento poenitentiae et ss. Eucharistia administratur, considerari ut viaticum et quaedam praeparatio ad introitum in gloriam, non tamen in se. sed quia illis duobus aliis sacramentis iungitur.[4] . . Andrutsos scribit theologos occidentales [i.e. catholicos] effectum eumque principalem in corroboratione animi («πίρρωσι? *τή ψυχϊρ)* ponere, et eos oppugnat, qui vocem εγείρω [in textu lacobi] de animi alleviatione vel roboratione accipiunt.[5] Similiter Malinovsky censet versionem Vulgatae huius vocabuli ('alleviabit') non esse accuratam et verbum hoc non de animi sublevatione, sed de corporis restauratione intelligendum esse, cum lacobus contra tristitiam et desolationem animi aliud medium, orationem nempe, commendet (lac. 5. 13).®"[7] Effectus *abstersionis reliquiarum peccati* et *remissionis poenae temporalis* theologi schismatici sub ambiguo silentio praetereunt, imo *Andrutsos,* qui priores effectus meminit, illum reicit.[8]

Ceterum, hoc Orientalium dissidium exaggerandum non est, tum quia plures alii, ut *Gabriel Severus, Neokosmos, Sturdzas, Filaretus* et *Jastrcbov,* praedictum effectum corroborationis animi, in extremis mortis adjunctis, explicite admittunt, tum quia etiam quidam inter eos qui illum impugnant, videntur aliunde illum implicite admittere cum generaliter affirmant effectum Extremae Unctionis esse sanationem, corroborationem, completam remissionem, salvationem. Praecipuum dissidium reducendum est ad ipsam communem eorum opinionem de principali effectu hujus sacramenti quem contra doctores catholicos dicunt esse non spiritualem sed corporalem sanationem (quod tamen respicit ulteriorem et secundariam quaestionem, infra pertractandam in art. 11; cf. p. 76-78); ex eo dissidio videntur pro-

[4] *Theologia dogmatica* [russiccl II (Pctropoli 1895) 475.
Δο-,ματικη τή$ όρΟοδόζου ἀιατολικήϊ Ἐκ\λησ<α$ (Athenis 1907) 404.
".*Summa orthodoxae dogmaticae theologiae* Irussice] IV (Serghied-Posad 1109) 413.
[5] T. Spacii.. *Doctrina theologiae Orientis separati dc Sacra Infirmorum Tnctionc* ("Orientalia Christiana," n 74, Romae 1931) 103-105.
[7] *Loc. cit.*

cedere supradictae ambiguae quorundam fluctuationes circa ipsam existentiam aliquorum spiritualium effectuum.

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Generaliter loquendo, gratiae collatio est *de fide* ex Cone. Trid., can. 2. Pariter remissio peccatorum, saltem indeterminate (i.e. aut omnium aut saltem aliquorum, aut mortalium aut venialium), est *de fide* ex eodem can. 2. Quoad determinatos autem septem effectus:

1. *Alleviatio* infirmi, saltem generice, est *de fide ex* can. 2; spiritualis alleviatio et confirmatio animae, est *saltem proxima fidei* ex eodem canone collate cum cap. 2.

2. *Remissio mortalium* videtur *theologice certa ex* cap. 2 (sic judicare videntur communiter theologi moderni cum simpliter dicunt id esse certum: Lehmkuhl, Billot, Pesch, Schmitz, Tanquerey, Van Noort-Verhaar, Kilker, Otten, Spacil, Lahitton, Verhamme, Piscetta-Gennaro).

3. *Abstersio reliquiarum peccati,* saltem ut quid distinctum a remissione mortalium, est *theologice certa, ex* cap. 2.

4. *Sanatio corporalis,* intellecta de aliquo saltem corporali effectu in linea alleviationis vel curationis, videtur *de fide ex* toto magisterio ordinario; intellecta de proprie dicta sanatione corporis seu reconvalescentia (sub Tridentina tamen conditione "Interdum, ubi saluti animae expedierit") est *theologice certa* ex cap. 2. Quidam, ut Suarez et Pesch, dicunt hoc esse de fide, sed notandum est Suaresium aliosque antiquiores habere ut fidei definitionem tum Decretum pro Armenis Cone. Florentini tum capita ipsa Tridentina (praeter canones).

5. *Praeparatio ad gloriam* intellecta generaliter de ipsis spiritualibus auxiliis gratiae remissionis, abstersionis, alleviationis et confirmationis, collatis ad praeparandum infirmum ad transitum aeternitatis et ut "finis vitae firmissimum praesidium," ut ait Cone. Trid., est *theologice certa ex* eodem cap. 2.

6. *Remissio venialium* nullam meretur proprie dictam notam theologicam, etsi sit tam communis sententia doctorum ut inaniter quis refragaretur. Quidam dicunt eam esse certam (Van Noort-Verhaar, Piolanti), imo de fide (Wirceburgenses), sed sunt intelligendi ad tramitem nuper dictorum de remissione peccatorum indeterminate accepta.

7. *Remissio poenae temporalis* multo minus notam theologicam meretur, cum nihil solide ostendat eam includi in abstersione reliquiarum peccati a Concilio proposita.

Documenta Ecclesiae.

CONCILIUM FLORENTINUM tantummodo generaliter duplicem effectum, spiritualis et corporalis sanationis, bis in eodem Decreto pro Armenis proponit: "Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem. . . Effectus vero [Extremae Unctionis] est mentis sanatio et, in quantum expedit, ipsius etiam corporis" *(Denz.* 695, 700). Effectus corporalis proponitur ut conditionatus ("Prout animae expedit").

CONCILIUM TRIDENTINUM bis directe et exclusive de effectu hujus sacramenti loquitur, i.e. in cap. 2 et in can. 2: praeterea in ipso prologo ante capita de Extrema Unctione, loquens de fine institutionis, necessario involvit sermonem de effectu, cum ipse finis identificetur ac determinetur per effectum in exeeutione.

Prologus: "Visum est autem sanctae Synodo, praecedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod non modo *poenitentiae, sed et totius christianae vitae,* quae perpetua poenitentia esse debet, *consummativum* existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento *finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit.* Nam etsi 'adversarius noster' occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut 'devorare' [1 Petr 5, 8] animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit" *(JDenz.* 907).

Cap. 2: "Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: 'Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei' [lac 5, 15]. Res etenim haec *gratia* est Spiritus Sancti, cuius unctio *delicta,* si quae sint adhuc expianda, ac *peccati reliquias* abstergit, et aegroti animam *alleviat* et *confirmat,* magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis 'calcaneo insidiantis' [Gn 3, 15] facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur" *(Denz.* 909).

Can. 2: "Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non *conjerrc gratiam,* nec *remittere peccata,* nec *alleviare infirmos,* sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: A.S." *(Dcnz. 921).*

In Prologo Concilium proponit effectum sacramenti generice ac veluti in abstracto, sub ratione imis, eumque describit duplici nota: Consummatio tum Poenitentiae tum totius vitae christianae, et firmissimum praesidium finis vitae.

In can. 2 Concilium tres exhibet effectus, i.e. collationem gratiae, remissionem peccatorum, alleviationem infirmi, vel, si placet, hos duos postremos, praemissa collatione gratiae tanquam communi effectu cujuslibet sacramenti. Ratio quare alios effectus, puta ipsam corporalem sanitatem, non explicet aut determinet, est quia tres tantum illos effectus, utpote principales et aliorum inclusivos, ferebat negativa propositio Protestantium, examini conciliorum theologorum proposita et in canonem condemnatorium convertenda (cf. supra, p. 6). Ceterum effectus corporalis sanitatis intelligendus est particulariter inclusus in ipsa voce alleviationis; quod enim haec vox, saltem in illo canone, non significet tantum spiritualem alleviationem sed etiam corporalem, patet tum ex verbis appositis in praedicta Novatorum propositione ("Neque alleviare infirmos, qui olim per gratiam curationum sanabantur"), quorum vestigium manet in ipso canone ("Quasi olim tantum fuerit gratia curationum"), tum ex eo quod illi voci nulla apposita est determinatio trahens ad solum sensum spiritualem, quam quidam Patres suggerebant.0

In cap. 2, Concilium amplius determinat Extremae Unctionis effectus, docens eos contineri in ipsis verbis lacobi. Et imprimis docet effectum esse *gratiam,* imo gratiam unctivam ("Haec gratia cuius unctio delicta abstergit"); subinde assignat quatuor proprietates vel, si placet, quatuor determinatos effectus hujus gratiae, scilicet abstersionem delictorum, abstersionem reliquiarum peccati, alleviationem et confortationem animae, sanitatem corporis; quibus addi potest praeparatio ad gloriam.

Primo, abstersio delictorum, si quae sint adhuc expianda.

Ultima haec verba non significant meram conditionem existentiae peccatorum, secus frustranee et inepte adderentur, cum evidens sit non posse peccata abstergi nisi sint, sed implicant conditionem minuentem

Ita *Clodicnsis:* "Cum [lacobus] dicit: alieviabit cum Dominus, intelligitur de anima." *Monopolilanus:* "Alleviare, addatur, spiritualiter; non enim de corpore intelligi potest." *Ca tellintaris:* "Alleviare, dicatur, quoad animam"; item; Negatio Novatorum de aegroti alkviatione est "falsa, si autem intclligcretur de alleviatione corporalis infirmitatis, catholica esset; alias enim homines nunquam morerentur. Intelligitur autem de anima." \nud \ TnuNt.R, .-icta *genuina ss. oecumenici Concilii Tridentini* (Zagabriac in Croatia [18741) I 568, 573. 593.

influxum sacramenti, quasi significetur Extremam Unctionem non esse primario ordinatam ad delictorum remissionem, eam tamen secundario praestare ubi contingat delicta nondum fuisse per proprium medium Poenitentiae remissa. In prioribus verbis "Abstersio delictorum" Concilium non distinguit inter peccata mortalia et venialia, sed utraque includit sub communi voce "delicta." Inepte autem quidam, ut *Estius (In 4 Sent.*, dist. 23, § 4), ex hac ipsa voce concludunt Concilium loqui de solis venialibus, cum, aiunt, "delinquere" dicatur de minoribus offensis; nam Concilium binas voces "delicta" et "peccata" (necnon vocem "crimina") indifferenter ut aequivalentes adhibet, ut constat tum ex aliis locis (sess. 14 de Poenit., cap. 5: "Mortalia crimina," "Peccata mortalia," cap. 8: "Qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint [Agitur de peccatis gravibus]," "Pro qualitate criminum," "Gravissimis delictis"), tum ex ipso contextu de Extrema Unctione (cap. 2: "Delicta et peccati reliquias abstergit," can. 2: "Remittere peccata"); propterea *Catechismus Cone. Trid.*, mentem Concilii aperiens, loquitur explicite de remissione utrorumque peccatorum.

Secundo, abstersio reliquiarum peccati.

Theologi quidam, praecipue moderniores, in suis disputationibus in vario sensu hanc expressionem accipiunt (cf. infra, p. 48-51), scilicet vel pro ipsis peccatis relictis post susceptionem aliorum sacramentorum, signanter Poenitentiae (peccatorum reliquiae = peccata reliquiae = peccata relicta); vel pro peccatis venialibus quae in ratione culpae sunt veluti quaedam reliquia seu imperfecta realitas respectu mortalium; vel pro poena temporali relicta post remissa peccata; vel pro pravis habitibus sive physicis inclinationibus relictis ex consuetudine peccandi; vel pro quadam animi "debilitate et ineptitudine quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali," ut accipit S. Thomas cum antiquioribus; vel tandem pro duobus vel pluribus ex praedictis. Et quidem, juxta haec sua placita, exponunt sensum illius expressionis in ipso textu Concilii.

Concilium autem "peccati reliquias" non accipit pro ipsis peccatis relictis. Id patet tum ex explicita distinctione inter abstersionem peccatorum, si quae sunt adhuc expianda, et abstersionem reliquiarum peccati; tum ex ipso numero singulari vocis peccati copulato cum numero plurali vocis reliquiarum, nam etsi expressiones "reliquiae peccatorum" vel "reliquia peccati" possunt absolute loquendo intelligi de relictis peccatis vel relicto peccato, illa expressio "reliquiae peccati" requirit sensum causalem (i.e. reliquiae quae sunt ex peccato) et prohibet sensum attributionis (i.e. reliquiae quae sunt peccatum); tum ex eo quod in sess. 14, cap. 8 de satisfactione in sacramento Poenitentiae, Concilium, adhibens eandem expressionem, ait: "Procul

dubio ... magnopere a peccato revocant. . . satisfactoriae poenae . . . ; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt" *(Dcnz.* 904).

Praeterea, Concilium "peccati reliquias" non accipit pro pravis habitibus relictis ex peccato, ut patet tum ex his ultimis verbis in quibus illos distinguit a reliquiis peccatis, adhibendo particulam "et" ac simul assignando rationem qua ipsi auferri possint, scilicet exercitium virtutum; tum ex hac ipsa assignata ratione, nam de facto non aliter ipsi auferri possunt nec, ut ex experientia constat, per gratiam Extremae Unctionis auferuntur. Utrum vero Concilium "peccati reliquias" accipiat, sicut S. Thomas, pro sola animi debilitate ex peccato relicta, an etiam pro debito poenae, difficile dixeris. Primum probabile facit tum sensus S. Thomae et antiquiorum, ex quibus Concilium eam expressionem deduxit; tum proprietas verborum, nam proprie loquendo poena est quoddam debitum vel reatus qui aufertur, extinguitur, deletur, non vero quaedam macula vel affectio quae abstergatur vel quaedam infirmitas cui mederi possit. Alterum probabile facit tum contextus praedictorum verborum cap. 8 de satisfactione, qui videtur exigere ut expressio "Satisfactoriae poenae . . . medentur peccatorum reliquiis" accipiatur pro extinctione debiti poenae temporalis, secus mentio hujus praecipui effectus satisfactionis in illis verbis desideraretur (nisi dicatur hanc mentionem abundanter fieri in reliqua parte ejusdem capitis); tum contextus ipsius cap. 2 de Extrema Unctione, si nempe dicatur alleviationem animi a Concilio intelligi pro ablatione praedictae debilitatis animae, quae est quaedam peccati reliquia, ita ut praecedentia verba "Peccati reliquias abstergit" sonent generalius de ablatione duplicis speciei reliquiarum, scilicet sive debilitatis animi sive, ac praesertim, debiti poenae temporalis; tum infra referenda verba Catechismi Cone. Trid., qui in hoc generali sensu videtur accipere expressionem "reliquiae peccati."

Tertio, animae allcviatio et confirmatio.

Cum huiusmodi alleviatione et confirmatione animae Concilium connectit excitationem fiduciae in divinam misericordiam, et consequentem effectum tum supportationis laborum mortalis infirmitatis tum validi certaminis contra daemonis tentationes. Utrum eam alleviationem et roborationem Concilium intendat distinguere a praecedenti effectu abstersionis illius reliquiae peccati quae est ipsa animi debilitas, an potius cum hac identificare, ad sensum doctrinae S. Thomae, non constat. Concilium videtur potius abstrahere ab his ulterioribus theologorum determinationibus atque mere materialiter distinguere ac successive apponere varios Extremae Unctionis effectus.

Quarto, consecutio sanitatis corporis, interdum, ubi saluti animae expedierit.

Hic effectus ut conditionatus proponitur, imo conditio duplici expressione exhibetur "interdum" et "ubi saluti animae expedierit." Hinc theologi disputant utrum agatur de duplici conditione, quarum una explicatur, altera subintelligitur (i.e. sanitas corporis datur si expedit saluti animae, et tunc quidem non semper datur sed interdum, dependenter nempe ab alia conditione quam Deus novit vel apponit[10]), an agatur de unica conditione (nempe solius connexionis cum salute animae) explicante particulam diminutivam "interdum" (i.e. Sanitas corporis non semper datur sed interdum, seu ubi saluti animi expedierit, qua quidem supposita conditione, semper datur).

Primum sensum probabilem faciunt sequentia duo documenta: Primum schema cap. 2, pro verbis "Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur," hanc longiorem formam ferebat: "Accedit ad hos effectus quandoque sanitas corporis, quae olim in primitiva et latente ecclesia ad confirmationem et commendationem rudis adhuc fidei quasi quoddam internae sanationis signum frequentius conferebatur. Nunc [Theiner immerito ponit: Non] vero, roborata iam et adulta fide, rarius nec nisi in quantum aegrotantis saluti expedire Dominus noverit, exhibetur."[11] Duo igitur apponebantur conditiones, i.e. tum ratio confirmandi fidem Christianorum tum nexus cum spirituali salute aegroti, quae praeterea explicite distinguebatur per particulam disiunctivam "Nec nisi." Omissio autem, tum hujus particulae tum prioris illius rationis, in schemate definitivo, non arguit suppressionem prioris conditionis, sed tantum abbreviatam et minus determinatam eius mentionem in voce "interdum."

Quod quidem non leviter videtur confirmari ex *Catechismo Cone. Trid.,* qui, explicans mentem Concilii, eandem rationem et distinctionem repetit, inquiens: "Accedit postremo, si quidem profutura sit, etiam corporis sanitas. Quod si aegroti eo tempore eam minus consequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars, vel qui sacro oleo perunguntur, vel a quibus administratur, fides infirmior est. Testatur enim Evangelista, Dominum apud suos multas virtutes non fecisse propter incredulitatem illorum. Quanquam etiam recte dici potest,

[10] Ita Estius (infra cit., in p. 197) et Tanner qui scribit: "Posteriora verba ad particulam 'interdum' addita videntur, non nudae explicationis causa, quasi videlicet semper restituatur sanitas, quando id saluti animae expediat; rectius enim tunc omissa fuisset particula 'interdum,' sed addita videntur per oppositionem, ut significetur nullo casu restitui sanitatem corporis vi sacramenti, nisi saluti animae expedierit; etsi ne tunc quidem semper ea restituatur" *(Theol. schol.,* t. 4, disp. 7, q. 11, dub. 2, n. 47).

[11] Apud F. Cavaixera, "Le décret du Concile de Trente sur la Pénitence et l'Extrême-Onction," *Bulletin de Littérature Écclésiastique,* 39 (1938) 23.

christianani religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus iam huiusmodi miraculorum adminiculis indigere. quam olim nascentis Ecclesiae initio necessaria esse viderentur. Sed tamen hoc loco fides magnopere excitanda erit. Utcumque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei consilio et voluntate ceciderit certa spe niti fideles debent, se huius sacri olei virtute spiritualem sanitatem consecuturos esse" (p. 2. c. 6, q. 16). In eundem sensum paulo superius Catechismus habet: "Ac deinde aegroto Parochi persuadere studeant, ut ea fide se ungendum Sacerdoti praebeat, qua olim. qui ab Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant. In primis autem animae salus, deinde corporis valetudo, cum illa adiunctione. si ea ad aeternam gloriam profutura sit, expetenda est. Nec vero dubitare fideles debent, quin sanctae illae et solemnes preces a Deo audiantur, quibus sacerdos non suam, sed Ecclesiae et Domini nostri Jesu Christi personam gerens utitur" *(ibid.* q. 12).

Alterum vero sensum probabilem faciunt sequentes rationes. Primo, ipsa grammatica verborum constructio id postulare videtur. Nam ipsa absentia omnis particulae, etiam conjunctivae, inter vocem "interdum" et verba "ubi saluti animae expedierit" ostendit haec esse mere explicativa illius vocis, non vero appositiva novae conditionis, idemque ostenditur etiam ex eo quod si vox "interdum" implicaret distinctam conditionem, debuisset logice postponi illis verbis, ita ut diceretur: "Sanitatem corporis infirmus consequitur ubi saluti animae expedierit et quidem non semper sed interdum." Nec valet opponere quod in hac interpretatione frustraneum fuisset addere vocem "interdum." cum hoc intelligatur in caeteris verbis; nam id convenienter fieri potuit ad directe explicandam incertitudinem effectus (Sanitas corporalis non semper datur, sed interdum, i.e. quando expedit saluti animae). Secundo, Cone. Florentinum, cui conformatur doctrina Tridentini. nonnisi unam spiritualis salutis conditionem apponit. Tertio, ipsa mutatio prioris schematis id suadet; nam in schemate definitivo suppressa est tum mentio alterius conditionis, tum etiam particula "Nec nisi" quae, etsi non necessario, poterat disiunctive interpretari. Quarto, si consideretur non infrequens influxus doctrinae S. Thomae in formulationem doctrinae Concilii praecipue in materia sacramentorum, praedictus sensus confirmari potest ex his verbis S. Doctoris: "Ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanitas semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem" *(Suppi.,* q. 30, a. 2).

Probabilius dicendum est Concilium ab utroque sensu, inclusive nempe vel exclusivo alterius conditionis praeter connexionem cum salute animae, abstrahere voluisse, ita ut hoc tantum positive docere intendat quod sanitas corporalis non semper datur sed interdum et,

quando datur, semper est conditionata saluti animae; an vero vicissim, quando haec conditio verificatur, sanitas corporalis semper detur, ita ut haec sit unica requisita conditio, Concilium nec affirmat nec negat, sed interpretationi et disputationi theologorum relinquit. Id suadent copulatae rationes utriusque interpretationis. Additio et positio vocis "interdum" praefato scopo Concilii apprime inservit; si enim Concilium omisisset illam vocem, visus fuisset favere secundae interpretationi, si vero eam postposuisset, primae interpretationi favisset; eam vero adhibendo simul ac praeponendo, utrique satisfacit et nulli favet. Ex ipsis quidem Actis Concilii nihil directe colligi potest, nam nulla peculiaris discussio habita est sive de ipsa quaestione sive circa mutationem faciendam in priori schemate; in allocutionibus theologorum conciliarium invenitur unus vel alter, ut *Rogcrius Juvenis,* hanc apponens conditionem "Quando Deo videtur ad salutem animae expedire." - item unus vel alter, ut episcopus *Clodicnsis,* hanc generaliorem conditionem exprimens: "Nunc [secus ac in antiqua ecclesia, quae simul charismate sanationum utebatur] non sanatur semper corpus, nisi cum Deo ita expedire videtur."[1]

Ceterum, nulla apparet vera discrepantia inter praedicta verba Tridentini et sive Cone. Florentinum sive primum schema Tridentinum sive subsequentem explicationem Catechismi Cone. Trid. Nam verba Cone. Flor. "Per extremam unctionem etiam corporaliter sanamur prout animae expedit" non necessario intelligenda sunt in eo sensu positivo quod quandocunque haec conditio verificatur semper sanamur, sed possunt intelligi in eo sensu negativo quod nunquam per sacramentum sanamur nisi haec conditio verificetur. ita ut haec conditio non necessario trahat effectum sanationis, sed effectus sanationis necessario implicet hanc conditionem. Primum autem schema Tridentinum convenienter explicari potest de corporali sanitate quae in primitiva ecclesia accedebat ex addito charismate sanationis, influente praeter sacramentum et una cum sacramento, ita ut id quod nunc rarius accidit ex solo influxu sacramenti, tunc frequentius contingebat sive ob copulatum influxum charismatis, quod aut una cum sacramento aut ex se solo, ubi sacramentum non operaretur, sanitatem conferebat, sive quia tunc illa conditio ("Si expedit saluti animae") frequentius verificabatur. nam ipsa ratio confirmandi per exteriores et corporales effectus rudiorem fidem primorum Christianorum reducitur ad beneficium spiritualis salutis ipsius infirmi. Similiter explicari possunt parallela verba *Catechismi Cone. Trid.* de influxu fidei subjecti et ministri in effectum corporalis sanationis; agitur nempe vel

[1] Apud Theiner, *Op. cit.* (supra, in p. 10) 542.
[2] *Ibid.* 573.

de distincto ac concomitanti influxu ex opere operantis fidei, quae miraculosum Dei interventum attrahit praeter vim propriam ipsius sacramenti, vel de influxu fidei indirecte redundante in ipsam supradictam conditionem ad effectum sacramentalem requisitam, quatenus nempe, ubi sacramentum absque congruenti fiducia recipiatur vel administretur, saepe spirituali saluti ipsius infirmi non expedit ut etiam corporalis sanitas, praeter necessarium effectum sacramenti, ei conferatur. Ceterum, cum verba sive supradicti prioris schematis Concilii sive ipsius Catechismi maneant aliquatenus ambigua et explicatione indigeant, consultius Concilium Tridentinum, ut clarius vindicaret contra Protestantes proprium ac sacramentalem influxum Extremae Unctionis in ipsum effectum corporalis sanitatis, discrimen illud inter antiquam et posteriorem ecclesiam necnon omnem mentionem influxus fidei vel charismatis sanitatis simpliciter omisit (cf. infra dicenda in art. 18, p. 220–222).

Quinto, addi potest efiectus praeparationis ad vitam aeternam.

Hunc effectum Concilium non proponit ut aliquid particulare et distinctum a praecedentibus, sed potius ut quandam extensionem ipsius effectus alleviationis et confirmationis, consistentem in duplici actu levius ferendi labores morbi et facilius resistendi tentationibus daemonis, quarum finalem vehementiam Concilium jam extulerat in Prologo, ubi etiam hoc sacramentum proponit ut “finis vitae firmissimum praesidium” et “totius christianae vitae consummationem”.

CATECHISMUS CONC. TRID. haec de effectibus Extremae Unctionis habet: “Explicandae sunt etiam accuratius utilitates, quas ex hoc Sacramento capimus, ut si nihil aliud fideles, ad eius usum possit allicere, ipsa saltem utilitate ducantur: cum ita comparatum sit, ut omnia fere nostris commodis metiamur. Docebunt igitur Pastores, hoc Sacramento gratiam tribui, quae peccata, et in primis quidem leviora, et, ut communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpae Poenitentiae Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantum et Poenitentia vi sua hoc efficiunt.

“Altera est sacrae Unctionis utilitas, quod animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et a ceteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, cum gravi morbo afflictamur, ac vitae periculum impendet. Etenim homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis aeque ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere hunc timorem praeteritorum scelerum memoria: cum praesertim gravissima conscientiae nostrae accusatio nos urgeat. . . Deinde illa cura et cogitatio

vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante Tribunal Dei, a quo de nobis iustissima pro eo, ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Saepe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculsi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abiiciamus, et laeto animo Domini adventum expectemus, paratique simus, depositum nostrum, quandocumque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac sollicitudine fidelium mentes liberentur, animusque pio et sancto gaudio repleatur. Extremae Unctionis Sacramentum efficit. . . .

"Praeterea aliud, etiam, quod merito omnium maximum videri potest, ex eo consequimur. Nam etsi humani generis hostis, quoad vivimus, nunquam desinit de interitu et exitio nostro cogitare: nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac, si fieri possit, spem nobis divinae misericordiae eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum supremum vitae diem appropinquare animadvertit. Quamobrem fidelibus arma et vires hoc Sacramento subministrantur, quibus adversarii vim et impetum frangere, et illi fortiter repugnare possint. Allevatur enim et erigitur aegri animus divinae bonitatis spe: eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius, ac ipsius daemonis calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludit" (p. 2, c. 6, q. 14-16).

Sequuntur ibid, verba de effectu corporalis sanitatis, supra relata (p. 13 sq.).

Catechismus igitur paulo fusius determinat et explicat praedictos effectus assignatos a Concilio. Remissionem peccatorum distinguit in remissionem mortalium, quam dicit primario convenire Baptismo et Poenitentiae, et remissionem venialium, quam magis directe attribuit Extremae Unctioni ("Et in primis quidem leviora"). In effectu liberationis a reliquiis distinguit inter reliquias quae sunt animi languor et infirmitas (ad sensum S. Thomae) et "ceteras omnes peccati reliquias"; inter ceteras has reliquias intelligi poenas temporales probabile videri potest ex ipsa generalitate expressionis, sed certum non est quia catechismus, nulla interposita allusione ad reatum poenae temporalis, eas reducere videtur ad solas anxietates, timores, tentationes et spiritualia pericula, quibus, ratione peccatorum, subicitur infirmus in articulo mortis, quaeque latiori acceptione dici possunt morales reliquiae peccati, utpote cum eo connexae. Animi alleviationem et confortationem ("Alleviator enim et erigitur aegri animus") in ferendis morbi incommodis et daemonis tentationibus, profusiori sermone Catechismus extollit. Effectum corporalis sanitatis cum maiori sed tamen aliquatenus ambigua determinatione effert, accedens ad formulam prioris schematis Concilii, ut supra dictum est (p. 15 sq.); notanda est

etiam conditionalis appositio “Si quidem profutura sit” quae generalius sonat quam appositio Tridentina et Florentina “Ubi saluti animae expedierit,” “Prout animae expedit”; ceterum eadem expressio paulo antea (q. 12, cit. in p. 14) a Catechismo sic determinatur: “Si ea ad aeternam gloriam profutura sit.” Effectum praeparationis ad gloriam, quatenus importat elusionem insidiarum daemonis ad limen aeternitatis, extollit tanquam praecipuum (practice quidem loquendo) effectum hujus sacramenti (“Quod merito omnium maximum videri potest”); praeterea, circa initium totius capitis de Extrema Unctione (q. 1), loquens de fine institutionis hujus sacramenti, ipsum exhibet tanquam alterum baptismum qui expeditiorem reddit viam ad caelestem beatitudinem: “Quare fiet, ut in ipsa mortis expectatione se minus perturbari sentiant; sed immortales Deo gratias agant, qui ut Baptismi Sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad caelum viam haberemus, Extremae Unctionis Sacramentum instituit.”

RITUALE ROMANUM in tit. 5, c. 1 De Sacramento Extremae Unctionis, haec habet: “Extremae Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum [est] tanquam caelestis medicina, non animae solum, sed etiam corpori salutaris. . . Adhibendum est . . . eo . . . tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.” Hic duplex, spiritualis et corporalis, effectus proponitur absque ulteriori determinatione, nec ulla apposita conditione quoad corporalem effectum, utpote aliunde nota. Ultima verba de influxu fidei subjecti in effectum sacramenti videntur referri ad solum effectum spiritualem (“Sacramenti gratiam”) et non etiam ad corporalem sanitatem, juxta sensum supradicti textus Catechismi Cone. Trid.

In ipsa forma adhibenda in sacramenti administratione, quae refertur subinde in c. 2 (cf. in art. 7, tom. 1, p. 517), solus refertur effectus indulgentiae a delictis (Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti). Immerito autem quidam ibi vident expressam solam remissionem mortalium, aut solam remissionem venialum, aut generice solam peccatorum remissionem. Cum enim in ecclesiastica terminologia verba “delinquere,” “delicta,” “peccare,” “peccata,” accipi soleant generaliter tum de ipsis peccatis, tam mortalibus quam venialibus, tum de omni reatu connexo cum peccato, ut reatu poenae, tum etiam de omni peccati sequela, uti est etiam corporalis infirmitas, merito dici potest haec omnia modo generali implicari in verbo “Deliquisti” et omnem sacramenti effectum involvi in verbis “Indulgeat quidquid deliquisti” (cf. infra, art. 11. p. 84 sq.).

Ceterum, fere omnes effectus huius sacramenti (i.e. salus corporalis, gratia, sanatio vulnerum, remissio peccatorum, expulsio omnium dolorum mentis et corporis, plena interius et exterius sanitas) referuntur in prima ex tribus orationibus post unctiones ("Domine Deus"), quae quidem est ipsa eadem oratio quae in Sacramentario Gregoriano (cit. in tom. 1, p. 140) unctiones praecedit.

CONCLUSIO

Effectus hujus sacramenti sunt quatuor illi, quos sub communi nomine ac ratione "gratiae unctivae" assignat ipsum Cone. Trid., scilicet remissio peccatorum, abstersio reliquiarum peccati, alleviatio seu confirmatio animae, conditionata corporis sanatio. In his ceteroquin continentur septem effectus, quos solent theologi assignare, nimirum remissio peccatorum mortalium, abstersio reliquiarum peccati, alleviatio (seu confirmatio, corroboratio, confortatio), sanitas corporalis, immediata praeparatio ad gloriam, remissio peccatorum venialium, remissio poenae temporalis.

Probatur 1. *EX SENSU TRADITIONIS AB IPSA SCRIPTURA DERIVATO.*

In Mare. 6. 12 sq. effectus unctionis apostolorum in Christi ministerio (quae, iuxta Cone. Trid., fuit quaedam sacramenti "insinuatio," imo, ut diximus in art. 1, tom. 1, p. 59 sq., quaedam eius proprie dicta praeparatio et initium) exhibetur ut infirmi sanatio (^«ράπενον: sanabant).

In textu Iacobi, 5.14-15, triplici expressione effectus exhibetur: salvatio, alleviatio, remissio peccatorum. Ut exposuimus in art. 1 (tom. 1, p. 76-87), doctores non uno modo tres istas voces explicant. Sufficiet autem hic sequentes ac certiores conclusiones adnotasse: Primo, uterque effectus, spiritualis et corporalis, sufficienter exprimitur; et quidem de spirituali nullum dubium est ipsum saltem in tertia voce exprimi, seu in remissione peccatorum, et, saltem probabilissime, etiam exprimitur in una ex aliis duabus vocibus aut in utraque; corporalis vero effectus certe significatur vel in voce "salvatio" vel in voce "alleviatio" vel in utraque, ut patet saltem ex Traditionis interpretatione. Secundo, hae duae voces non habent eandem omnino significationem, secus frustra altera adhiberetur. Tertio, vox "salvatio" magis generaliter sonat quam "alleviatio"; probabiliter autem significat totum sacramenti effectum, tam spiritualem quam corporalem, modo generico et confuso, seu totum quod infirmo spiritualiter prodesse potest et quo ipse indiget in ea peculiari circumstantia, dum "alleviatio" videtur potius significare effectum

particularem (spiritualem aut corporalem aut utrumque) seu aliquam determinationem prioris generalis effectus. Quarto, remissio peccatorum refertur saltem, aut peculiariter, ad peccata mortalia, ut satis constare videtur ex forma conditional! ("Si in peccatis sit"), quam in obvio sensu proprie conditional! intelligit ipsum Cone. Trid. ("Si quae sint adhuc expianda") ad mentem ipsius Traditionis; utrum vero necne referatur etiam ad peccata venialia, necnon ad reatum poenae et reliquias peccati seu animi languorem et debilitatem, ex ipso textu non constat. In textu igitur lacobi certe continetur, saltem modo generali, uterque spiritualis et corporalis effectus huius sacramenti, scilicet sanatio mentis et corporis, in qua tanquam in nucleo primigenio ceteri effectus includuntur. Et hoc quidem sufficit ad refellendam plurium Novatorum interpretationem de mere corporali sensu effectus exhibiti a lacobo, eorumque calumniam de essentiali discrimine inter doctrinam Apostoli et praxim doctrinamque posterioris Ecclesiae de proprie dicta sacramentali indole et efficacia ritus unctionis definita a Cone. Tridentino.

TRADITIONEM quod attinet, iuverit singillatim sequi *tres periodos* iam delineatas in art. 1 (tom. 1, p. 94sqq.), cursim quae ad rem faciunt ex singulis testimoniis colligendo, addita breviori doctrinae synthesi ad calcem uniuscujusque periodi. Ceterum, ex ibidem dictis supponimus variam esse illorum testimoniorum vim et efficaciam, prout quaedam nonnisi magis vel minus probabiliter referuntur ad ipsum sacramentum Extremae Unctionis, quod praecipue valet de documentis primae periodi.

Prima periodus, a Didache {circa initium saec. 2) ad Innocentium **I** *(initio saec.* 5).

Irenaeus (tom. 1, p. 94) refert Gnosticos unctioni infirmorum, qua catholicam unctionem perverse imitabantur, adseripsisse spiritualem effectum liberationis ab insidiis daemonum ("Ut incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant") et remotionis impedimenti ad supernam vitam et unionem cum Divinitate ("Et ut superascendat super invisibilia interior ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima vero projiciatur Demiurgo"). In quadam probabili allusione ad hoc sacramentum (tom. 1, p. 435), Irenaeus illi tribuit corporalem effectum curationis et pristinae sanitatis restitutionis.

Apocryphum Evangelium Nicodemi (sive *Acta Pilati;* tom. 1, p. 95) corporalem effectum exhibet verbis "Oleum ligni misericordiae, ut perungas patrem tuum Adam pro dolore corporis sui."

Tertullianus (tom. 1, p. 97) in sua non improbabili allusione ad

Extremam Unctionem, ut ritum ab haereticis usurpatum, innuit similiter corporalem ejus effectum. "Mulieres haereticae . . . audent . . . curationes repromittere."

Origenes in discusso illo textu *In Lev.* 2. 4, quem diximus esse primum notabile documentum de Extrema Unctione (tom. 1, p. 97-102), clare proponit effectum remissionis peccatorum.

Eusebius Caesariensis (tom. 1, p. 102) magnifice exhibet effectum dispositionis ad gloriam, veluti medium victoriae super mortem et immortalis aeternaeque vitae. "Etenim uncti illo unguento, non ultra morti erunt obnoxii, sed immortalitatis et aeternae vitae consortes, mortem imbecillam et quasi mortuam reddent."

Athanasius (tom. 1, p. 103) eundem effectum paulo aliter exprimit. "Post labores quos sustinui . . . , tunc ceu oleo utar ad regale sacerdotium; et hoc erit mihi in diuturnorum laborum praemium."

Ambrosius (tom. 1, p. 104) exhibet corporalem effectum. "Cur ergo manus imponitis, et benedictionis opus creditis, si quis forte revaluerit aegrotus?"

Chrysostomus, qui una cum Origene est praecipuus testis huius periodi, eadem claritate proponit effectum remissionis peccatorum in *De sacerdotio* 3. 6 (torn. 1,p. 104-106). Praeterea, in alio non improbabili textu, *In Matth., hom.* 32. 6, exhibet corporalem effectum: "Quotquot cum fide tempestive oleo uncti a morbis liberati sunt."

Inter monumenta liturgica, Traditio Apostolica (tom. 1, p. 108 sq.) refert effectum corporalis saltem sanitatis. Latina quidem versio originalis graeci "Sanitatem |oleo] utentibus praebeat" videtur potius suggerere corporalem tantum effectum, dum versio aethiopica cujus sensus est "Sanctify them who receive it"u effert solum effectum spiritualem, mutans vocem sanitatis in verbum sanctificationis. Quae sit verior lectio et quae discriminis ratio, non satis constat. Verisimilius quis dicet conceptum sanitatis seu salutis, expressum in originali, latius patuisse quam corporalem sanitatem, seu utramque corporalem et spiritualem sanitatem importasse, ac inde versionem aethiopicam non illegitime ad sensum spiritualem determinasse id quod, tum in originali tum in latina versione, generice tantum exprimebatur.

Canones Hippolyti (tom. 1, p. 110) eundem effectum exhibent corporalis sanationis ("reconvalescit a morbo," "aegroti curationem habent."). Praeterea, effectum alleviationis seu confortationis exprimitur verbis "Oblectatur infirmus."

Didascalia Apostolorum (tom. 1, p. 111) loquitur de effectu "sanitatis," verisimiliter in eodem sensu corporali.

Sacramentarium Serapionis (tom. 1, p. 111 sq.), quod est tertium

" Br iGh t m a n, *Liturgies Eastern and Western* 1 (Oxford 1S96) 190.

(cum Origene et Chrysostomo) praecipuum testimonium huius periodi, in sacramentalis olei benedictione, exhibet utrumque spiritualis et corporalis sanitatis effectum, sequenti generali expressione cuius tenor saepe in posteriori traditione occurrit: "In sanitatem et integritatem animae et corporis et spiritus." Praeterea, signanter distinguit varios effectus etiam spirituales, seu gratiam, remissionem peccatorum, depulsionem omnis languoris et infirmitatis, expulsionem et expugnationem daemonum: "Fiat (hujus olei unctio) in depulsionem omnis languoris et omnis infirmitatis, in remedium adversus omne daemonium . . . , in gratiam bonam et remissionem peccatorum, in remedium vitae et salutis."

Constitutiones Apostolorum (tom. 1, p. 115) in formula benedictionis olei tres exhibet effectus, i.e. alleviationem ("Oleum ad exhilarandum vultum in exsultationem laetitiae"), daemonum expugnationem et corporalem sanitatem: "Da [huic oleo] vim effectricem sanitatis, morborum expultricem, daemonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem."

Testamentum D.N.J.C. (tom. 1, p. 115) in formula benedictionis olei duos exhibet effectus: liberationem a laboribus, seu languoribus, sanationem ab infirmitate ("Liberet laborantes, sanet aegrotantes"), qui fere coincidunt cum duobus assignatis in verbis Iacobi "Salvabit, Alleviabit."

In hac igitur prima ac pauperiori periodo, praecipui ex supradictis (p. 3) septem effectibus hujus sacramenti exhibentur, scilicet *allcviatio* (Canones Hippolyti. Constitutiones Apost.), *remissio peccatorum* (Origenes, Chrysostomus, Sacr. Serapionis), *praeparatio ad gloriam* (Irenaeus, Eusebius Caes., Athanasius) ad quam reduci debet daemonum expugnatio (Irenaeus, Sacr. Serapionis, Constitutiones Apost.), *corporalis sanitas* (Irenaeus, Apocryphum Evangelium Nicodemi, Tertullianus. Ambrosius, Traditio Apostolica, Canones Hippolyti, Didascalia Apost., Sacr. Serapionis, Constitutiones Apost., Testamentum D.N.J.C.). Ceteri tres effectus, i.e. remissio venialium, remissio poenae temporalis et abstersio reliquiarum peccati seu debilitatis animi, non satis distincte indicantur; ultimus tamen effectus satis suggestive proponi videtur in verbis Serapionis "Sanitas et integritas animae et spiritus." Spiritualis ipse effectus remissionis peccatorum exprimitur in tribus insignioribus documentis, seu Origenis, Chrysostomi et Serapionis. Apud Serapionem legi possunt omnes quatuor praedicti effectus.

Secunda periodus, ab Innocentio 1 (initio saec. 5) *ad Bedani (initio saec. 8).*

Innocentius I (tom. 1, p. 116) nullum peculiarem effectum assignat, sed generice tantum spiritualem effectum involvit in sua signanti assertione quod Extrema Unctio est "genus sacramenti" et unum de "reliquis sacramentis." Ceterum, cum integrum textum lacobi, inclusis verbis "Et si peccatum fecerit, remittet ei," referat ad Extremam Unctionem, hunc remissionis effectum aequivalenter indicat et admittit.

Pseudo-Prospcr Aquitanus (tom. 1, p. 124) in sua allusione ad viaticum et Extremam Unctionem exhibet effectum praeparationis ad gloriam, dicens animam, "sacramento farris et olei unctione munitam," securam ad caelestem retributionem discedere.

Hesychius (tom. 1, p. 125) effectum remissionis peccatorum et abstersionis reliquiarum peccati videt in verbis lacobi: "Oratio [ut constat ex verbis lacobi] . . . plurima operatur: haec quippe maxime animae passiones sanat, haec etiam intelligibilium oculorum curat vulnera, absolvens ab ignorantia atque ex ea quae vere est aegritudo, id est ex peccato lacrymas accedentes salvat."

Cassianus (tom. 1, p. 124) exhibet solum effectum remissionis peccatorum, inducens orationem de qua in textu lacobi inter varia media obtinendi peccatorum remissionem.

Cyrillus Alex. (tom. 1, p. 125) exhibet tum corporalis sanitatis effectum ("morbi remedium"), tum "cordis illuminationem" quae intelligi potest vel de alleviatione et confortatione animi vel de peccatorum remissione.

Mandakuni (tom. 1, p. 127) loquitur de Extrema Unctione tanquam de "dono curationis" et de "dono gratiae," appellans verba lacobi.

Procopius Gazacus (tom. 1, p. 128) contra superstitiosum et vanum recursum ad magicas observantias opponit effectum corporalis sanitatis huius sacramenti.

Caesarius Arei. (torn. 1,p. 128sq.) bis ac signanter proponit duplicem effectum sanitatis corporalis et remissionis peccatorum ("Et corporis sanitatem recipere, et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere," "Secundum quod lacobus apostolus dicit non solum sanitatem corporis, sed etiam remissionem acciperent peccatorum").

Statuta S. Sonnatii (tom. 1, p. 131) exhibet effectum praeparationis ad gloriam ("Eum ad futuram gloriam animando, et debite praeparando").

Eligius Noviomcnsis (tom. 1, p. 132) duos generales effectus proponit: "Non solum corporis, sed etiam animae sanitatem accipiet."

Vita S. Tresani (tom. 1, p. 133) effectum remissionis peccatorum involvit in appellatione "Oleum sanctae reconciliationis excepit."

Vitae SS. La-unomari, Lcobini, Ilypatii, Marii et Cuthberti (tom. 1, p. 133 sq.) referunt solum effectum corporalis sanitatis. In Vita S.

Leobini hic effectus ut conditionatus signanter proponitur: "Domine, qui omnia nosti, si hunc famulum tuum Ecclesiae tuae vel populo iudicas necessarium, tua opitulante virtute [nobis illum restitue] sanum."

Inter documenta liturgica, Liber Ordinum (tom. 1, p. 136) profert duplicem effectum: "Morbi praesentis expulsio et peccatorum omnium exoptata remissio". Praeterea, effectum abstersionis reliquiarum peccati, seu animae debilitatis et languoris signanter exhibet, protracta comparatione cum abstersione corporalium languorum: "Extingue in eum, Domine, libidinum et febrium estus. . . Egritudinum et cupiditatum tormenta dissolve. Superbiae inflationem, tumoresque compesce. Ulcerum vanitatumque putredines evacua viscerum interna cordiumque tranquilla. Medullarum et cogitationum sana discrimina. Conscientiarum atque plagarum abducito cicatrices. Fisicis tipicisque adesto periculis. Veteres immensasque remove passiones. Opera carnis ac sanguinis materiamque compone ac delictorum illi veniam propitiatus adtribue."

Missale Bobbicnse (tom. 1, p. 137) in formula benedictionis olei habet: "Ut cujuscunque corpus . . . fuerit linitum . . . , salutaris gratiam, et peccatorum veniam, et sanitatem caelestem consequi mereatur." Primus et tertius effectus generaliter et confuse sonant, nec satis apparet quae sit distinctio inter salutarem gratiam et sanitatem caelestem et quinam sensus utrique tribuendus sit; inepte autem diceretur idem prorsus in utraque expressione significari, nam talis repetitio esset tum frustranea, tum etiam inepta cum inter utramque expressionem mediet distinctus et clarus effectus remissionis peccatorum. Manifesto ibi habetur quaedam effectuum gradatio, quae dupliciter convenienter intelligi potest, primo nempe: gratia spiritualis, remissio peccatorum, gratia caelestis seu dispositio ad gloriam; secundo: gratia sanitatis corporalis, remissio peccatorum, gratia spiritualis ac proprie dicta, quae quidem expositio videtur multo probabilior, ex contextu ceterorum documentorum Traditionis.

Sacramentartum Gelasianum (tom. 1, p. 137 sq.) in formula benedictionis olei utrumque corporalem et spiritualem effectum triplici aequivalenti generali expressione exhibet (quam iam supra invenimus apud Eligium et in ipso antiquissimo Sacramentario Serapionis): "Ad refectionem mentis et corporis," "Ad tutamentum corporis, animae et spiritus," "Ad evacuandam omnem aegritudinem mentis et corporis." In prima expressione legi potest effectus alleviationis seu confortationis, in tertia vero abstersio reliquiarum peccati.

Sacramcntarium Gregorianum (tom. 1, p. 139) in formula benedictionis olei refert eandem secundam expressionem Sacr. Gelasiani ("Ad tutamentum mentis et corporis"), in prima vero et tertia expressione

supprimit mentionem animae, mentis et spiritus, relicta sola corporis mentione ("Ad refectionem corporis," "Ad evacuandam omnem aegritudinem corporis"), ita signantius inculcando ipsum corporalem effectum.15 Praeterea, in ipso ritu unctionis infirmorum (tom. 1, p. 140 sq.), qui tamen pertinet ad posteriorem periodum, saec. 9-10, signanter exhibet, praeter duplicem generalem effectum ("Plenam interius exteriusque sanitatem"), particulares effectus tum remissionis peccatorum tum abstersionis reliquiarum peccati: "Cura quaesumus, Redemptor noster, gratia Spiritus sancti languores istius infirmi, et sana sua vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis expelle." In subsequent! ipsa forma sacramenti ("Inungo te . . ."), praeter expulsionem diabolici influxus, qui videtur connecti cum corporali infirmitate, huius infirmitatis curatio praecipue ac directe proponitur.

In hac igitur secunda periodo, supradicti effectus sacramenti frequentius (ob maiorem documentorum numerum) et uberius exprimuntur: *Alleviatio* (Victor Antiochenus, Sacr. Gelasianum; item infra referenda testimonia de abstersione reliquiarum peccati); *remissio peccatorum* (Cassianus, Hesychius, Victor Antiochenus, Caesarius, Vita S. Tresani, Liber Ordinum, Missale Bobbiense, Sacr. Gregorianum); *praeparatio ad gloriam* (Pseudo-Prosper, Sonnatius, Missale Bobbiense); *corporalis sanitas* (Cyrillus Alex., Victor Antiochenus, Procopius, Caesarius, Eligius, variae Vitae Sanctorum, Sacr. Gelasianum et Gregorianum). Praeterea, effectus *reliquiarum peccati* iam clarius et satis insistenter proponitur sub forma curationis passionum, aestus, vulnerum, languorum et omnis aegritudinis animi, necnon plenae interioris sanitatis (Hesychius, Liber Ordinum, Sacr. Gelasianum et Gregorianum).

Effectus qui, non secus ac in praecedenti periodo, frequentius et signantius proponuntur, sunt corporalis sanitas et remissio peccatorum; ceterum, cum geminata formula Serapionis "Sanitas corporis et animae," quae iam frequentius occurrit, quoad alterum membrum spiritualis sanitatis latius pateat ac uberius sonet quam expressio "remissio peccatorum," facile intelligitur quomodo Traditio reconditum ac uberiorem ejus sensum magis ac magis expresserit, illum extendens non solum ad remotionem ipsorum peccatorum sed etiam

u CriAV/\ssE *(Etude sur l'onction des infirmes dans l'Eglise latine du* ñi *au* ẍi *siècle* I [Lyon 1942] 45 sq.) sustinet mentionem spiritualis effectus defuisse in utraque originali formula Grcgoriana et Gclasiana et introductam fuisse circa finem saec. 7 et initium saec. 8. Attamen hic doctor ita sentit sub influxu praeconceptae suae generalis assertionis, iuxta quam ante illud tempus in Ecclesia latina nonnisi effectus corporalis principaliter ac fere exclusive consideraretur, nec nisi posterius spiritualis ipse effectus attentionem scriptorum attraxerit (cf. infra, p. 26 sq.).

ad abstcrsionem cuiuslibet spiritualis infirmitatis, cum peccatis connexae, quae ad quandam peccati reliquiam revocari potest.

Chavasse sustinet maiorem partem documentorum huius ac praecedentis periodi, *respicientium Ecclesiam latinant, solius corporalis effectus mentionem continere;* in paucis tantum documentis fieri mentionem effectus spiritualis, sive determinate quoad remissionem peccatorum sive etiam generice, qui nonnisi in posteriori aetate peculiarem attentionem attraxit.

Ad rem ipse: "Durant cette . . . période, l'effet corporel de Fonction est mis dans un très grand relief. Très souvent il est envisagé seul et, quand on parle des effets spirituels de Fonction, c'est toujours — à part de rares exceptions — d'une façon secondaire. Nous ne croyons pas nécessaire de passer à nouveau en revue, afin de justifier cette double affirmation, les textes analysés au cours des chapitres précédents. Nous avons soigneusement noté pour chacun d'eux quels effets étaient attribués â Fonction. Il est suffisant que nous résumions ici les résultats généraux de cette enquête.

"*La majorité des textes, nous le répétons, ne mentionnent que des effets corporels.* Les treize formules de bénédiction, que nous avons étudiées, parlent de ceux-ci avec un luxe de détails qui nous étonne, et cinq d'entre elles, les plus anciennes, passent totalement sous silence l'effet spirituel de Fonction. Trois autres mentionnent cependant un effect sur l'esprit, mais il est difficile de dire en toute sécurité en quoi consiste cet effet. Les cinq dernières parlent enfin du pardon des péchés, sans oublier pour autant — à l'exception de deux formules du Missel de Bobbio — de faire encore large place aux effets corporels.

"Parmi les écrivains ecclésiastiques, seuls Césaire et Éloi font allusion au pardon des péchés procuré par Fonction. Innocent, Bède et Cassiodore n'en disent rien. Innocent toutefois n'arrête la citation du texte de Jacques qu'après les mots: 'et si peccatum fecit remittetur ei', ce qui semble indiquer que pour lui il est encore question dans cette finale des effets de Fonction elle-même. Bède et Cassiodore, au contraire, rattachent le 'et si in peccatis sit, dimittentur ei' du texte de Jacques, non à Fonction dont celui-ci vient de parler, mais à la confession dont il traite ensuite ('Confitemini ergo alterutrum peccata vestra') et dont ils font, eux, un rite distinct de celui de Fonction. Quant à l'ensemble des textes hagiographiques, ils ne soufflent mot de l'effet spirituel de Ponction. Les fidèles font bénir l'huile pour posséder une huile 'ad diversas morborum causas necessarium', comme s'exprime Sulpice Sévère, et quand eux-mêmes ou un membre de la hiérarchie, pratiquent Fonction, c'est toujours dans le but de soulager corporellement le malade. . . .

"Il semble . . . que ce soit la polémique contre le paganisme qui ait amené Césaire à parler quant à lui du rôle de l'onction par rapport aux péchés du malade. Il s'y trouva porté par l'envie qu'il avait de montrer la supériorité du rite chrétien sur les rites magiques. La pratique de ces derniers charge la conscience d'une lourde faute, tandis que le rite de l'onction outre qu'il guérit le malade, le libère en plus de ses fautes. Evidemment c'est dans le texte de Jacques que l'évêque d'Arles fit cette heureuse constatation, puisqu'il argumente à partir de ce texte. Aurait-il donc fallu attendre la première moitié du VIe siècle pour qu'en Occident ce texte de l'apôtre suggérât à la conscience chrétienne que l'onction était capable non seulement de guérir les corps, mais aussi de purifier les âmes?

"Nous n'avons pas le droit de le conclure, les textes ne nous y invitant pas positivement, et certains d'entre eux, tel celui d'innocent, pouvant même suggérer le contraire. Il se pourrait d'ailleurs que certains des textes, qui nous parlent clairement de l'effet purificateur de Fonction par rapport aux péchés du malade, fussent beaucoup plus anciens que ne le laisserait croire la date des manuscrits qui nous les ont conservés. Tel pourrait être le cas, par exemple, des formules de bénédiction que renferme le Missel de Bobbio. Par ailleurs, de nouvelles recherches pourraient amener à notre connaissance des inédits, dont le témoignage comblerait pas mal de lacunes dans notre information. Malgré ces réserves, que nous croyons devoir faire, en présence des nombreux textes que nous avons rencontrés et qui très souvent ne mentionnent pas l'effet spirituel de Fonction ou qui du moins n'y font que de vagues allusions, nous avons l'impression que les esprits, à cette époque reculée, n'étaient pas portés d'une façon irrésistible à envisager distinctement les effets spirituels de Fonction, ou du moins à y insister plus particulièrement. On se laissait alors, semble-t-il, plus ou moins 'hypnotiser' par l'aspect effet corporel de Fonction."[18]

Attamen, assertio cl. auctoris exaggerata videtur eiusque conclusio latius quam praemissas patere.

Et imprimis ipsum assumptum, quod probare intendit, satis ambigue proponitur; non enim clare apparet utrum probare velit majorem partem praedictorum documentorum tacere omnem spiritualem effectum an tantum effectum remissionis peccatorum; quandoque enim primum asserit, quandoque ad alterum tantum confugit; ita circa initium suae discussionis[17] loquitur de frequentioribus formulis quae "passaient totalement sous silence l'effet spirituel de Fonction

[u] *Etude sur l'onction des infirmes dans l'église latine du* ⁱⁿ *au* ˣⁱ *siècle,* I: Dᵐ πιγ *siècle à la réforme Carolingienne* (Lyon 1942) 191 sq., 196 sq.

[18] *Ibid.* 29.

ou tout au moins son rôle purificateur à l'égard des péchés du malade," in loco vero proxime citato simpliciter asserit: "La majorité des textes ... ne mentionnent que des effets corporels."

Praeterea, ad hanc ultimam assertionem sustinendam, ait quod ex tredecim formulis liturgicis a se examinatis, quinque absolute tacent de spirituali effectu, quinque vero proponunt ipsum effectum remissionis peccatorum. Habemus igitur quinque formulas exhibentes spiritualem effectum contra quinque illum tacentes; quo iure ergo, attentis saltem formulis liturgicis quae habentur ut insigniora documenta. dici potest maiorem partem documentorum simpliciter silere de spirituali effectu? De quinque prioribus formulis Chavasse asserit eas esse aliis antiquiores, et tamen inferius addit possibile esse quod quaedam ex ceteris formulis, nominatim ea quae refertur in Missali Bobbiensi, sint longe antiquiores quam quod potest colligi ex aetate manuscriptorum.

Quod attinet ad praedictas formas in quibus asserit totaliter mentionem spiritualis effectus desiderari, prima est supracitata (p. 21) formula Traditionis Apostolicae; iamvero versio aethiopica praebet solum effectum spiritualem ("Sanctifica") nec est adhuc probatum versionem latinam ("Sanitatem praebeat") esse veriorem, aut etiam ita ab aethiopica discrepare ut vox "sanitas" non significet in suo generali tenore etiam spiritualem sanitatem. Secunda est formula Romana (Gelasiana et Gregoriana); iamvero in ea fit mentio utriusque sanitatis corporis et animae, nec convincit Chavasse cum ex interno textus examine conatur probare mentionem spiritualis effectus esse posteriorem quandam additionem; ceterum, nec ipse fidet suae probationi, cum scribat: "Nous hésitons cependant à affirmer que la rédaction primitive présentait déjà cette allusion à un double effect corporel et spirituel de l'emploi de cette huile. . . [Et in fine examinis textus addit] Nous ne voulons pas donner à ces dernières remarques plus de valeur qu'elles n'en ont."[18] Tertia est trina formula *Mediolanensis,* de qua infra (p. 33) ubi de tertia periodo, ad quam probabiliter pertinet; iamvero in ea trina formula triplex etiam habetur affirmatio spiritualis effectus ("mentis et corporis sanitas," "animae atque corporis firmamentum." "animarum nostrarum sanctificationis utilitas"). Quarta et quinta sunt duae formulae visigothicae *Libri Ordinum,* in quibus revera nulla directa mentio habetur spiritualis effectus; ceterum indirecta mentio videri potest in textu Iacobi integre citato.

Praeterea, quoad ecclesiasticos scriptores Chavasse ait solos Caesarium Arei, et Eligium Noviomensem alludere ad remissionem

[18] *Ibid.* 45.

peccatorum, Innocentium I vero, Bedam et Cassiodorum altum silentium servare. Iamvero, ut taceamus de supradictis allusionibus Irenaei, Pseudo-Prosperi et Sonnatii, ad spiritualem effectum praeparationis ad gloriam, necnon de textu Cassiani proponentis ipsum effectum remissionis peccatorum, stando ad quinque praefatas auctoritates quibus solis fidet Chavasse, invenimus duas ex illis explicite loquentes (nec tantum alludentes) de spirituali effectu (Caesarius quidem de ipsa remissione peccatorum), contra tres quae silent nec ideo contradicunt. Praeterea, Innocentius I, citans ex integro textum lacobi usque ad verba "Et si peccatum fecit, remittet ei", ad hunc effectum implicite alludit, ut ipse ceteroquin Chavasse videtur concedere scribens: "Nous n'avons pas le droit de . . . conclure [qu'avant le VI siècle l'Occident n'avait pas conscience de l'effet spirituel], les textes ne nous y invitant pas positivement, et certains d'entre eux, tel celui d'innocent, pouvant même suggérer le contraire." Ad Bedam et Cassiodorum quod attinet, non est certum, imo valde improbabile est eos in sua expositione textus lacobi referre remissionem peccatorum ad solum sacramentum Poenitentiae et non etiam ad Extremam Unctionem, ut explicatum est in art. 1 (tom. 1, p. 99. 131, 143-145); unde potius invocandi sunt ut testes ipsius spiritualis effectus remissionis peccatorum.

Tandem, quod attinet ad textus hagiographorum seu Vitas Sanctorum, mirum non est in maiori eorum parte agi directe et explicite de solo effectu corporali, cum in eis non agatur de sacramento Extremae Unctionis sed de privatis unctionibus quibus tribuitur miraculosus effectus charismatis sanationum, ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 185—187, 193-197). Nec etiam mirum videri debet quod in ipsis quoque textibus, quos ex Vitis Sanctorum ut probabiliter sacramentales attulimus (cf. in tom. 1, p. 133-135), ordinarie exhibeatur solus corporalis effectus, nam hic, utpote extraordinarius et visibilis, magis commendat virtutem sacramenti, et aliunde in illis Vitis videtur prae se ferre etiam characterem miraculosi interventus divini, seu influxus charismatis sanationum operantis cum sacramento et praeter sacramentum, ex quo maxime commendatur virtus sanctorum virorum quam hagiographi comprobare nituntur.[19]

Tertia periodus, a Bcda (initio saec. 8) ad Petrum Lombardum (medio saec. 12).

Beda (tom. 1, p. 142) duplicem effectum corporalis et spiritualis sanationis proponit, nam "infirmanti vel corpore vel fide [i.e. anima]" proponit remedium de quo in textu lacobi. Quod autem hunc effectum

[19] Cf. dicta in art. 1, tom. 1, p. 193-197.

spiritualem, seu remissionem peccatorum, ipse revera non attribuat soli sacramento Poenitentiae, sed etiam Extremae Unctionis, non obstante ambiguitate textus, ostensum est in art. 1 (tom. I,ρ. 143-145).

Statuta S. Bonijatii (tom. 1, p. 145 sq.) loquuntur tantum genericc de infirmi "sanatione."

Poenitcntiale Egbcrti Eboracensis (tom. 1. p. 146), citatis tribus effectibus textus lacobi, i.e. infirmi conservatione, erectione (seu alleviatione), et peccatorum remissione ("Si plenus peccatorum est, illa ipsi remittentur"), emphatice proponit etiam effectum immediatae praeparationis ad gloriam, sic interpretans verba lacobi de remissione peccatorum: "Quoniam scriptum est quod quicumque hanc disciplinam [seu ritum Extremae Unctionis] habuerit, anima ejus aeque pura sit post obitum ac infantis qui statim post baptisma moritur."

Pseudo-Augustinus (tom. 1, p. 149) proponit solum spiritualem effectum gratiae unctionis ("Ipsa olei sacrati delibutio, intelligitur Spiritus sancti typicalis unctio").

Amatorius Metensis (tom. 1, p. 149 sq.) praeter effectum corporalem, signanter exhibet effectum remissionis peccatorum, cum qua ipsum corporalem effectum connectit, sicut infirmitas est connexa cum peccato. Loquitur de invisibili gratiae effectu, tanquam de invisibili oleo seu unctione quae significatur in visibili oleo seu unctione ("Oleum visibile in signo est. oleum invisibile in sacramento, oleum spirituale intus est"); eam gratiam praecipue ut destructivam peccatorum exhibet ("Passio Christi auctorem mortis destruxit: gratia ejus, quae significatur per olei unctionem, arma ejus, quae sunt peccata quotidiana, destruxit"). Remissionem venialium peccatorum peculiariter significare videtur verbis "Gratia per olei unctionem peccata quotidiana destruit."

lonas Aurelianensis (tom. 1, p. 151 sq.) loquitur de utroque "remedio non solum in corpore, sed etiam in anima"; peculiariter proponit effectum remissionis peccatorum, sed hunc, ad mentem Bedae quem libere citat, ita confuse proponit ut prima fronte non appareat utrum tribuatur etiam ipsi Extremae Unctioni an soli copulato sacramento Poenitentiae.

Rabanus Maurus (tom. 1. p. 152) generaliter loquitur de "salute nostra" in casu infirmitatis commendanda curae divinae, iuxta institutionem lacobi.

Prudentius Trecensis (tom. 1. p. 153) exhibet effectum expurgationis insidiarum daemonis in hora mortis.

Paschasius Radbcrtus (tom. 1, p. 154) in sua Vita S. Adalhardi scribit: "Cum coepisset . . . episcopus a nobis percunctari, utrum

benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est, deberet [Adalhardus] perungi; interrogavimus eum, utrumne vellet, quem procul dubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in coelum, cominus obsecrabat ut fieret." Inde ostenditur quam certe putaretur effectus Extremae Unctionis esse remissio peccatorum ac praeterea alius etiam spiritualis effectus, puta gratiae alleviantis vel reliquias peccati abstergentis, ei tribueretur.

Rodulphus Bituricensis (tom. 1, p. 154) generaliter assignat utrumque corporalem et spiritualem effectum ("Hujusmodi medicina, . . . corporis animaeque medetur languoribus").

Cone. Cabillonense. a. 813 (tom. 1, p. 155 sq.) eadem prorsus verba habet, quae ex ipso desumpsit Rodulphus.

Cone. Aquisgranensc a. 836 (tom. 1. p. 156) generalius loquitur de "unctione s. olei, in quo salvatio infirmorum creditur."

Cono. Ticinense a. 850 (tom. 1. p. 156) hujus "salutaris sacramenti" duplicem proponit effectum, unum principalem, i.e. remissionem peccatorum, alterum secundarium et ex eo consequentem, i.e. corporalem sanitatem ("Per quod et peccata remittuntur et consequenter corporalis salus restituitur").

Pseudo-Petrus Damianus (tom. 1, p. 158) exhibet effectus sanitatis corporalis, remissionis peccatorum, gratiae timoris Domini et mitigationis illecebrosae sensuum motionis seu reliquiarum peccati.

Theophylactus (tom. 1, p. 159) exhibet effectum "gratiae Spiritus, per quam a labore liberamur et lucem ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus."

Ivo Carnotcnsis (tom. 1, p. 159 sq.) effectum remissionis peccatorum signanter involvit in peculiari illa appellatione: "Unctio infirmorum publicae poenitentiae est sacramentum."

Petrus Cluniacensis (tom. 1. p. 160 sq.) exhibet duplicem effectum corporalis alleviationis atque remissionis peccatorum, et hunc ut principalem; ex ipso relapsu in peccata, deducit iterabilitatem huius sacramenti; addit quod existentia alterius remedii remissionis, i.e. sacramenti Poenitentiae, non officit efficacitati et utilitati Extremae Unctionis. "Iterari . . . necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem. . . Si [enim homo] rursum infirmatus fuerit, si rursum peccaverit, quae ratio ut rursum ei alleviatur, ut rursum ei peccata dimittantur, denuo eum inungi prohibebit? . . . Absolutio [sacramentalis], quamvis saepissime sine cujuslibet unctionis sacramento, tam in aegris quam in sanis ecclesiastico ministerio fiat, non debet tamen aegris cum absolutione unctio sacra subtrahi."

Honorius Augustodunensis (tom. 1, p. 162) loquitur de solo effectu

remissionis peccatorum, quem obscuris verbis proponit: "Peccata confessa, et non iterata, vel quotidiana per hanc unctionem relaxantur."

Abaelardus (tom. 1, p. 162 sq.) conatur doctrinam sacramentalitatis Extremae Unctionis evolvere ac determinare. Considerat hoc sacramentum ut consummationem ceterorum ("Hoc sacramentum ultimum est omnium, et quasi consummatio"). Distinguit id quod significatur et non efficitur (res), i.e. unctionem capitis et membrorum, et id quod efficitur (effectum), i.e. remissionem peccatorum. Comparans Baptismum, Confirmationem et Extremam Unctionem quoad eorum spiritualem effectum, ait: "Unusquisque Christianus ter ungitur, primo ad inchoationem, in baptismate scilicet, ubi peccata dimittuntur; secundo in confirmatione, ubi dona gratiae conferuntur; tertio in exitu, ubi vel omnia si qua sunt peccata, vel eorum maxima pars deletur."

Quae ultima verba, iterum inferius repetita ("Quaecumque sensibus sunt perpetrata, ex toto vel ex maxima parte remittuntur"), obscura sunt, non minus quam supradicta verba Honorii Augustodunensis. Etiam apud aliquos posteriores similes restrictiones inveniuntur; ita *Rotandus Bandinelli* (subinde Alexander III; † 1181) in suis *Sententiis* scribit: "Hac de causa est institutum [hoc sacramentum], ut per illud quaedam peccata dimittantur et infirmus citius convalescens sanitati restituatur. Unde Tacobus: Infirmatur . . . hunc effectum habet, quia per illud quaedam peccata dimittuntur et quaedam gratia Spiritus Sancti confertur, per quam in alia vita habebit quendam fulgorem in corpore, quem non haberet, nisi illam unctionem suscepisset."[20] Forte in praedictis restrictionibus non magis exprimi intenditur quam secundaria indoles, conditionaliter expressa in verbis Iacobi ("Et si in peccatis sit"), huius effectus qui primario pertinet ad sacramentum Poenitentiae, et ipsa necessitas hoc ipsum sacramentum prius suscipiendi ad illum effectum consequendum.

Bernardus (tom. 1. p. 163) utrumque effectum (quem vocat "gratiam Sacramenti") proponit, distincte autem peccatorum remissionem ("Unxit eam . . . sciens in hoc Sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum").

Hugo a S. Victore (tom. 1. p. 164) apte et distincte utrumque effectum proponit, corporalem tamen ut conditionatum: "In quo [textu Iacobi] ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum, et ad peccatorum scilicet remissionem, et ad corporalis infirmitatis allevationem. Unde constat quod qui hanc unctionem fideliter et devote percipit, per eam sine dubio et in corpore et in anima

[20] Apud Gietl, *Die Sentenzen Rolands, nachmals Papstes Alexander III* (Freiburg i. Br. 1891) 262.

allevationem et consolationem accipere mereatur; si tamen expedit ut in utroque allevetur, quod si forte corporis sanitatem et valetudinem habere illi [non] expedit, illam procul dubio quae est animae sanitatem et allevationem hujus unctionis perceptione acquirit."

Summa Sententiarum (tom. 1, p. 164) solum effectum spiritualem exhibet, scilicet gratiam remissivam ("Sacramentum est ipsa inunctio, res sacramenti remissio quae ex interiori unctione confertur").

Petrus Lombardus (tom. 1, p. 164 sq.) fere ad verbum repetit utrumque textum Hugonis et Summae Sententiarum de effectibus hujus sacramenti; verba autem Summae Sententiarum sic accommodat et extendit: "Sacramentum est ipsa unctio exterior; res Sacramenti, unctio interior, quae peccatorum remissione et virtutum ampliatione perficitur." Habet igitur pro effectibus: corporalem sanitatem (conditionatam) et spiritualem sanitatem, consistentem positive in augmento gratiae et negative in remissione peccatorum cum consequenti animae alleviatione et consolatione.

In documentis liturgicis huius aetatis abundat varietas expressionum quibus effectus huius sacramenti extollitur et determinatur, ut constat vel leviter percurrendo tum orationes benedictionis olei tum ipsas varias formas sacramentales et connexas orationes, quas retulimus sive in art. 1 sive ac praecipue in art. 7 (tom. 1. p. 165-174. 511-534).

Liturgia Celtica (tom. 1, p. 165 sq., 520) in tribus suis formis nonnisi generalem effectum "salvationis" proponit, qui saltem ex contextu aliarum liturgiarum (cf. v.g. formam abbreviatam Rhemensem, cit. in tom. 1, p. 520) principaliter in sensu spirituali intelligi debet. Id suadet etiam tum vox "salvatio" quae generalius sonat quam "sanatio," tum fortasse copulata dictio "Ut salveris in saecula saeculorum."

Liturgia Ambrosiana in trina olei benedictione (tom. 1, p. 166 sq.), exhibet duplicem effectum corporalem et spiritualem ("Mentis et corporis sanitas," "Animae atque corporis firmamentum"), huneque dupliciter exprimit, i.e. ut animi sanctificationem ("Ad animarum nostrarum sanctificationis utilitatem"), in qua intelligi potest significari etiam remissio peccatorum, et ut daemonis expugnationem ("Diaboli temptamenta discutiat," "Fugatis insidiis adversariae potestatis"). In ipsa vero forma sacramentali (tom. 1, p. 521 sq.) solum effectum spiritualem exprimit, scilicet tum remissionem peccatorum ("Quidquid peccasti per cogitationem, per operationem manuum, per ingressum pedum, parcat tibit Deus") tum, nec minus signanter, expugnationem daemonis ("Ungo te de oleo sanctificato, ut more militis unctus et praeparatus ad luctam aerias possis superare catervas").

Liturgia GaUicano-Romana eosdem effectus, praecipue spirituales, cum maiori quoque emphasi exprimit. Quoniam autem eaedem fere

expressiones recurrunt in omnibus ritualibus formulis Sacramentariorum et Ordinum, inde a Sacramentario Gelasiano ad Ordinem 14. anni 1100 (tom. 1, p. 519-526), omnesque formae reapse reducantur ad quatuor typicas, Ambrosianam nempe, Gregorianam, Rhemensem et Romanam, sufficiat has breviter considerare.

Formula quae dici solet *Ambrosiana,* seu ultima verba nuper citata (Ungo te ut more militis . . .) exhibet solum effectum expugnationis daemonis.

Utraque forma *Grcgoriana* (tom. 1, p. 519 sq.) exhibet distincte effectus expulsionis daemonis et corporalis sanitatis. Ceterum, in adjectis orationibus et rubricis (cf. in tom. 1, p. 140 sq.) effectus ipse spiritualis exhibetur ac determinatur per remissionem omnium peccatorum et abstersionem reliquiarum peccati ("Sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis expelle," "Delictorum cunctorum veniam tribue," "Ut si in quinque sensibus mentis et corporis aliqua macula inhaesit, hac medicina Dei sanetur21"); ex quo intelligitur vocem sanitatis in ipsa forma ("Recipere merearis sanitatem") hic, sicut ceteroquin in aliis documentis, non accipi pro solo effectu corporali sed generaliter pro utraque corporis et animi sanitate, imo, ut dicitur in praevia oratione, pro "plenae interius exteriusque sanitatis" collatione.

Forma Rhemensis ("Sit tibi haec unctio ad purificationem mentis et corporis") explicat utrumque effectum sub conceptu purificationis ab infirmitate mentis et corporis, quae implicat tum remissionem peccatorum tum abstersionem reliquiarum peccati; unde in altera optativa forma eiusdem Codicis Rhemensis hic effectus sic determinatur: "Mundentur et sanctificentur ab omni sorde et contagione peccati caput tuum et sensus tui" (tom. 1. p. 520 sq.; cf. p. 167 sq.). Praeterea in aliqua oratione post formas unctionis, in eodem Codice innuitur effectus remissionis poenae temporalis, his verbis: "Ut non tantum ei noceat conscientia reatus ad poenam, quam indulgentia, et reconciliatio tuae pietatis ac remissionis ad veniam" (Fere idem repetit Ordo 12 in quadam oratione ante unctiones). Supradictae formae, tum in Codice Rhemensi tum in aliis Codicibus vel Ordinibus, addi solet effectus expugnationis daemonis. In Codice Tiliano ea forma sic aptatur ad explicite significandam remissionem peccatorum: "Tribuat tibi haec sacra unctio sanitatem animae et corporis, in remissionem omnium peccatorum, et vitam aeternam" (tom. 1, p. 170; idem fere in Ordine 2, cit. ibid., p. 523).

Forma Romana ("Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti")

n Haec ultima expressio refertur sub forma orationis etiam in *Codicr Tiliano* (torn. 1. p 169 sq.).

signantissime exprimit spiritualem effectum, tam remissionis peccatorum, quam etiam reliquiarum peccati ut constat tum ex contextu aliarum formularum tum ex adiectis orationibus, in quibus apponitur explicatio: "Mundetur ab omni sorde et contagione peccati" (Codex Rhemensis, Ordines 1 et 2; in ipso hodierno Rituali Romano, in oratione post unctiones "Domine Deus" excerpta ex Sacr. Gregoriano, remissio peccatorum explicatur per generaliores expressiones: "Sana vulnera, dimitte peccata, atque dolores . . . mentis ... ab eo expelle, plenamque interius . . . sanitatem redde").

Liturgia Graeca in ipsa antiquissima forma, adhuc in usu, "Pater sancte" (tom. 1, p. 511) utrumque corporalem et spiritualem effectum sobrie et apte exprimit: "Sana servum tuum a detinente illum corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam": effectus remissionis peccatorum non exprimitur nisi indirecte in verbis "vivifica per gratiam." lidem generales effectus paulo aliter exprimuntur in paucis illis ac incertis formis orientalibus quas retulimus supra (tom. 1, p. 516 sq.).

Ceterum, in prolixo officio quod in Euchologio Graeco praecedit praedictam formam "Pater sancte," varii spirituales effectus exhibentur, scilicet remissio peccatorum (delictorum venia, perfecta liberatio a peccatis), abstersio reliquiarum peccati (liberatio a morbis et languoribus animi, abstersio pravarum affectionum, expurgatio sordium animae, medela omnis passionis carnalis et spiritualis inquinamenti), alleviatio (exhilaratio animi), defensio a daemonibus, perceptio haereditatis regni caelorum.[22]

In ipsa quoque oratione, quae immediate praecedit praedictam formam sacramentalem, spirituales effectus sic belle perstringuntur: "Fiat, Domine, oleum hoc, oleum exultationis, oleum sanctificationis, regium indumentum, virtutis thorax, omnis diabolici machinamenti depulsio, sigillum insidiis liberum, cordis gaudium, laetitia sempiterna: ut et in hoc uncti, fiant regenerationis oleo adversariis tremendi, et in sanctorum splendoribus effulgeant non habentes maculam aut rugam, et in aeternam requiem admittantur, et tandem supernae vocationis praemium percipiant."[2'] Item, in paenultima oratione totius Officii, quae dicitur antequam capiti infirmi liber evangeliorum imponatur, effectus remissionis peccatorum sic omnino distincte explicatur: "Dominator Domine Deus . . . visita servum tuum N. et si quid verbo, opere, aut cogitatione, noctu aut interdiu deliquit, in Sacerdotis maledictionem, aut a se prolatam execrationem incidat, iuramento se implicuit aut pcieravit; rogamus te et precamur, relaxa,

[a] Cf. apud Goar, Ευχολόγιο? *sève Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum 1647) 409-416.

[2'] *Ibid.* 416 sq.

dimitte, condona ipsi Deus, nec respicias ad iniquitates et peccata ejus, quae scienter vel ignoranter admisit: et si quodpiam mandatorum tuorum transgressus est, aut ut carne indutus et mundi incola vel ex diaboli suggestione neglexit; ipse ut bonus et hominum amator, Deus, condona. Quia non est homo, qui vivat et non peccet; tu enim solus innoxius existis".24

In hac igitur tertia periodo supradicti omnes effectus adhuc instantius ac uberius explicantur ac determinantur, quod quidem praecipue debetur varietati et copiae ritualium librorum.

Ne autem fiant frustraneae repetitiones, iuverit varias effectuum expressiones, ad modum generalis synthesis in unum colligere cum iis quas supra in duabus praecedentibus periodis indicavimus, prius considerando generales quasdam expressiones, quae frequenter occurrunt, ac subinde particulares determinationes septem effectuum supradictorum (p. 3 et 5sq.), i.e. remissionis peccatorum, abstersionis reliquiarum peccati, alleviationis sive confirmationis animae, conditionalis restaurationis sanitatis corporis, praeparationis ad gloriam, remissionis venialium peccatorum, extinctionis poenae temporalis; quorum quatuor priores assignantur explicite a Cone. Trid., tres vero postremi adduntur a theologis.

Generales efiectus:

Sanatio, sanitas, curatio, *salvatio,* salus: Tertullianus, Traditio Apostolica (versio latina), Canones Hippolyti, Didascalia Apost., Statuta S. Bonifatii, Rabanus Maurus, Cone. Aquisgranense, Forma Celtica.

Sanctificatio, gratia: Traditio Apostolica (versio aethiopica: "Sanctifica"), Liturgia Ambrosiana ("Ad animarum nostrarum sanctificationem"), Sacr. Serapionis ("In gratiam bonam, in remedium vitae et salutis"), Mandakuni ("Donum gratiae"), Missale Bobbiense ("Salutaris gratia, sanitas caelestis"), Sacr. Gregorianum ("Gratia Sacramenti"), Amalarius ("Gratia quae significatur per olei unctionem"), Pseudo-Augustinus ("Spiritus sancti typicalis unctio"), Petrus Lombardus ("Virtutum ampliatio"), Forma Graeca (Gratia vivifica: "Vivifica illum per Christi tui gratiam").

Praeterea, praefatus effectus sanationis bifurcatur in corporalem et spiritualem in eadem generali expressione quae sic essentialiter sonat: *"Sanitas corporis et animae"* quaeque varie effertur, substituendo nempe verbo "sanitas" alia aequivalentia vel magis determinata (ut remedium, medicinam, evacuationem aegritudinis, expulsionem languorum, tutamentum, firmamentum, integritatem, refectionem).

** *Ibid.* 426 sq.

Praecipuae variantes sunt: “Mentis et corporis sanitas” (Liturgia Ambrosiana), “Non solum corporis sed etiam animae sanitas” (Eligitis), “Plena interius exteriusque sanitas” (Sacr. Gregorianum, quod repetunt varii Ordines), “Sanitas et integritas animae et corporis et spiritus” (antiquissimum Sacr. Serapionis), “Remedium non solum in corpore sed etiam in anima” (lonas Aur.), “Medicina corporis et animae languorum” (Rodulphus Bitur. et Cone. Cabillonense), “Corporis sanitas et peccatorum remissio” (Caesarius Arei.), “Sanitas ab aegritudine et vivificatio per gratiam” (Forma Graeca), “Morbi praesentis expulsio et peccatorum omnium exoptata remissio” (Liber Ordinum, quem repetunt varii Ordines)', “Evacuatio omnis aegritudinis mentis et corporis” (Sacr. Gelasianum), “Animae atque corporis firmamentum” (Liturgia Ambrosiana), “Tutamentum animae et corporis” (Sacr. Gelasianum et Gregorianum), “Refectio mentis et corporis” (Sacr. Gelasianum).

Particulares effectus:

1. *Remissio peccatorum* frequentissime exprimitur *in proprio conceptu* inde ab antiquissimo Sacramentario Serapionis (“In remissionem peccatorum”) : Origenes, Chrysostomus, Hesychius, Cassianus, Caesarius, Liber Ordinum, Missale Bobbiense, Sacr. Gregorianum, Beda et lonas (qui duo ambigue loquuntur), Paschasius, Cone. Ticinense, Pseudo-Petrus Damianus, Petrus Cluniacensis, Abaelardus, Bernardus, Hugo Viet., Summa Sententiarum, Petrus Lombardus, Liturgia Ambrosiana, Forma Romana.

Praeterea, *insigniter ac emphatice* a quibusdam proponitur, quatenus solus hic effectus exhibetur (Origenes, Chrysostomus, Hesychius, Cassianus); vel quatenus comparatur cum remissione sacramenti Poenitentiae (Ivo Carnotensis et Petrus Cluniacensis); vel quatenus supponitur esse praecipuus effectus (Paschasius qui dubitat an sit conveniens Extremam Unctionem conferre viro libero a peccatis; Hugo a S. Victore et Auctor Summae Sententiarum, quorum primus remissionem peccati dicit esse finem institutionis sacramenti, alter ipsam rem seu effectum sacramenti); vel quatenus exprimitur cum amplitudine (Liber Ordinum: “Peccatorum omnium remissio”; Abaelardus: “Omnia si qua sunt peccata, vel eorum maxima pars deletur”) ; vel quatenus ipsa sanatio corporis fit pendula a peccatorum remissione (Cone. Ticinense: “Per quod et peccata remittuntur et consequenter corporalis sanitas restituitur”); vel quatenus refertur in ipsa forma sacramentali (Liturgia Ambrosiana: “Quidquid peccasti per cogitationem, per operationem manuum, per ingressum pedum, parcat tibi Deus”; Forma Romana: “Indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, etc. deliquisti”).

Praeterea, *aequivalenter* proponitur sub sequentibus aut similibus expressionibus: "Sanitas et integritas animae et spiritus" (Sacr. Serapionis), "Intelligibilium oculorum curatio vulnerum" (Hesychius), "Cordis illuminatio" (Victor Antiochenus), "Oleum sanctae reconciliationis" (Vita S. Tresani), "Vivificatio per gratiam" (Forma Graeca).

Etiam *secundaria indoles* huius effectus apud quosdam, ut Honorium Aug. et Abaelardum, etsi ambiguis verbis, exprimitur, ut supra dictum est (p. 31 sq.).

2. *Abstersio reliquiarum peccati* satis vivide exprimitur tum sub generali conceptu integrae-sanationis animae (iam in antiquissimo Sacr. Serapionis exhibito) aut mundationis ab omni sorde et contagione peccati, tum sub determinatis conceptibus sanationis interiorum vulnerum, corruptionum, macularum, ignorantiae, passionum et vitiorum (malae cogitationis, vanitatis, motionis sensuum, libidinis, cupiditatis, doloris cordis, languoris animi). Signantiores textus sunt Hesychii, Libri Ordinum, Sacr. Gregoriani, Ordinis 9 et Liturgiae Graecae.

"Sanitas et integritas animae et spiritus" (Sacr. Serapionis), "Plena interius sanitas" (Sacr. Gregorianum, quod repetunt varii Ordines et ipsum hodiernum Rituale Romanum), "Perfecta liberatio a peccatis" (Liturgia Graeca), "Mundatio ab omni sorde et contagione peccati" (Formula Rhemensis, Liturgia Romana, Ordines 1 et 2), "Evacuatio omnis aegritudinis mentis" (Sacr. Gelasianum), "Curatio interiorum vulnerum" (Hesychius), "Abductio cicatricum conscientiae" (Liber Ordinum), "Renovare in infirmo quidquid in eo terrena fragilitate corruptum est" (Ordo 9), "Absolutio ab ignorantia" (Liber Ordinum), "Sanatio animae passionum" (Hesychius), "Expulsio tenebrarum vitiorum" (Ordo 9), "Sanatio discriminum cogitationum" (Liber Ordinum), "Remotio delectationum carnalium curiositatum" (Ordo 9), "Evacuatio putredinis vanitatum" (Liber Ordinum), "Mitigatio illecebrosae sensuum motionis" (Pseudo-Petrus Damianus), "Extinctio aestus libidinis", "Dissolutio tormenti cupiditatum" (Liber Ordinum), "Expulsio dolorum cordis" (Sacr. Gregorianum).

3. *Alleviatio*[a]* sub triplici conceptu (fere ac in Cone. Trid.) proponitur:

Primo, ut quoddam *levamen,* confortatio et exhilaratio animi: 'Oblectatur infirmus" (Canones Hippolyti), "Oleum ad exhilarandum" (Constitutiones Apost.), "Gaudium hilaritatemque spiritualem accipi-

a Ipsa vox "allcviatio" raro occurrit (etsi habeatur in ipso textu lacobi), nisi in ipsa directa citatione verborum lacobi, et quandoque accipitur indifferenter de alleviatione tum animae tum corporis; ita Hugo a S. Victore: "Et in corpore et in anima allevationem et consolationem accipere mereatur."

mus" (Theophylactus), "Exhilaratio animi" (Liturgia Graeca), "In anima allevationem et consolationem accipere" (Hugo a S. Victore).

Secundo, ut quaedam interior roboratio et *stabilitus* animi contra incommoda et labores morbi: "Refectio mentis" (Sacr. Gelasianum), "Firmamentum animae" (Liturgia Ambrosiana).

Tertio ac praecipue, ut quaedam confirmatio et *lutamentum* contra extrinsecas impugnationes daemonum. Hic effectus, qui iam innuitur ab Irenaeo et signanter exprimitur in Sacramentario Serapionis et in Constitutionibus Apost., subinde transivit cum emphatica expressione in ipsas formas sacramentales, uti Gregorianam et Ambrosianam, quas referunt plura Sacramentaria et Ordines; etiam in Vitis Sanctorum modo practico exhibetur (cf. Prudentium Trecensem, torn. 1, p. 153). "Tutamentum animae" (Sacr. Gelasianum et Gregorianum), "Anima Olei unctione munita, secura [ad caelestem mercedem discedit]" (Pseudo-Prosper), "In remedium adversus omne daemonium" (Sacr. Serapionis; cf. Irenaeum), "Vis daemonum fugatrix" (Constitutiones Apost.), "Omnis diabolici machinamenti depulsio" (Liturgia Graeca), "Ungeo te de oleo sanctificato, ut more militis unctus et praeparatus ad luctam aerias possis superare catervas" (Forma Ambrosiana), "Inungo te de oleo sancto, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum" (Forma Gregoriana).

Inde patet inepte *theologos schismaticos* exprobrare doctrinam catholicam et Tridentinam de hoc alleviationis et corroborationis effectu, tanquam arbitrariam nec in Scriptura aut ipsa Traditione fundatam. Ad hanc calumniam, quam inter alios urget *Macarius Bulgakov* metropolita russus, notat *Jacqucmicr:* "D'après (Macaire) . . . , la doctrine du Concile de Trente, qui envisage *VHuile sainte* comme un sacrement fortifiant l'âme du malade contre les terreurs de la mort, est une doctrine tout à fait arbitraire, à la quelle le commandement de saint Jacques ne fait aucune allusion.·6 Tout d'abord, dans le texte du Concile de Trente, auquel renvoie la *Théologie orthodoxe,* il n'est pas question des terreurs de la mort. et. loin d'y découvrir une doctrine arbitraire, tout esprit non prévenu, y verra une explication' très rationnelle des paroles de saint Jacques: è/epeî aûrov ô Kı'ρıo (Iac., v, 15). Et maintenant, si les théologiens catholiques soutiennent que l'Extrème-Onction compte parmi ses effets celui de fortifier contre les terreurs de la mort, c'est là une opinion qui peut parfaitement se réclamer du texte de l'apôtre. Du reste, le métropolite russe ne favorise-t-il pas lui-même ce sentiment, lorsqu'il explique le mot de saint Jacques, èytpeî, dans le sens d'un encouragement, d'une

·'l *Theol. dogni. orthod.,* § 232, II, 2.

force aidant le malade à supporter ses souffrances? Si tel est l'effet de l'Extrême-Onction dans le cours de la maladie, pourquoi ne serait-elle pas un secours dans les angoisses du dernier moment, dans les luttes du suprême assaut que la mort livre à sa victime?"[27]

4. *Sanitas corporalis* fere semper exhibetur (exceptis paucis textibus, uti Origenis, Chrysostomi, Hesychii et Cassiani, qui referunt solam peccatorum remissionem), et quidem tum modo generali: "Si quis forte revaluerit aegrotus" (Ambrosius), "Reconvalescit a morbo" (Canones Hippolyti), "Vis morborum expultrix" (Constitutiones Apost.), "Morbi remedium" (Victor Antiochenus), "Sanitas corporis" (Caesarius Arei, et Eligius), "Refectio corporis, tutamentum corporis, evacuatio omnis aegritudinis corporis" (Sacr. Gelasianum et Gregorianum), "Plena exterius sanitas" (Sacr. Gregorianum), tum cum particulari expressione partium corporis aegrotantis aut curandarum infirmitatum: "Si qua tibi pars corporis dolet" (Cyrillus Alex.), "Curatio contra febrium aestum, aegritudinum tormenta, tumores, putredinem ulcerum, dolores viscerum et medullarum, plagas, deordinationem carnis ac sanguinis et materiae" (ad mentem Libri Ordinum), "Curatio ab infirmitate in membris, in medullis, in omni compagine membrorum" (ad mentem Formulae Gregorianae).

Corporalis sanatio saepe exhibetur ut connexa cum remissione peccatorum, sicut supponitur ipsam corporalem infirmitatem connecti cum peccato. Confer inter alios Bedam, Amalarium, lonam Aurei., Cone. Ticinense ("Magnum . . . mysterium, per quod et peccata remittuntur et consequenter corporalis salus restituitur") et Hugonem a S. Victore ("Prius anima curatur, postea corpus sanatur. Propter correctionem animae infirmatum est corpus. Ideo ad sanitatem corporis obtinendam, prius curanda est anima"[28]).

Etiam conditionalis indoles hujus effectus, quae ceteroquin ut patens supponitur, quandoque, etsi raro, explicite exhibetur. Ita Ambrosius: "Si quis forte revaluerit aegrotus"; Vita S. Leobini: "Domine, qui omnia nosti, si hunc famulum tuum Ecclesiae tuae vel populo judicas necessarium tua opitulante virtute [nobis illum restitue] sanum"; et signanter Hugo a S. Victore (quem exscribit Petrus Lombardus): "Constat qui hanc unctionem fideliter et devote percipit, per eam sine dubio et in corpore et in anima allevationem et consolationem accipere mereatur; si tamen expedit ut in utroque allevetur, quod si forte corporis sanitatem et valetudinem habere illi [non] expedit, illam procul dubio quae est animae sanitatem et allevationem hujus

[27] "L'Extrême-Onction chez les Grecs," *Echos d'Oricnt* (oct. 1898-oct. 1899) 196.
[28] *De sacramentis,* 1. 2, pars 1S, *ML* 176. 579.

unctionis perceptione acquirit." Tacita autem conditio, involuta in verbis "si expedit," est spiritualis utilitas infirmi tam individualiter quam socialiter, seu ut membri Ecclesiae, ac solet frequenter exprimi sequenti modo: "Si hunc famulum tuum Ecclesiae tuae vel populo judicas necessarium" (Vita S. Leobini), "Ut sanatus, ad pristina pietatis tuae reparetur officia" (Sacr. Gregorianum, Oratio "Domine Deus" cit. in tom. 1, p. 140, quam refert etiam hodiernum Rituale Romanum, ut diximus in p. 19), "Ut famulum tuum ecclesiae tuae sanctisque tuis altaribus restituas" (Ordo Romanus, cit. in tom. 1, p. 171), "Salvum et incolumen illum Ecclesiae tuae largire, bene-placentem tibi, et voluntatem tuam exequentem" (Liturgia Graeca).

5. *Praeparatio ad gloriam* satis signanter proponitur. Unus vel alter, ut Sonnatius, ipsam expressionem "Ad futuram gloriam debite praeparando" adhibet. Haec praeparatio vel dispositio in quo praecise consistat non dicitur; pro quibusdam (ut Irenaeo et Eusebio Caes.) videtur consistere in ipso generali effectu gratiae quae per sacramentum confertur, pro aliis (ut Pseudo-Prospero) in ipso munimine contra pericula aeternae mortis seu daemonis tentationes; pro aliis (ut Athanasio) in quodam peculiari jure ad aeternam gloriam; tandem pro uno vel altero (Egberto Eboracensi) in ipso peculiari effectu quo anima redditur pura ab omni vinculo peccati, sicut post Baptismum, ita ut sit immediate disposita ad gloriam.

"Eum ad futuram gloriam animando, et debite praeparando" (Sonnatius), "Ut superascendat super invisibilia interior homo" (Irenaeus), "Uncti illo unguento erunt immortalitati et aeternae vitae consortes" (Eusebius Caes.), "Olei unctione munita, secura" anima ad caelestem retributionem discedit (Pseudo-Prosper), "Hoc erit mihi in diuturnorum laborum praemium" (Athanasius), "Sanitatem caelestem consequi mereatur [?]" (Missale Bobbiense), "Ut et in hoc uncti ... in sanctorum splendoribus effulgeant non habentes maculam aut rugam, et in aeternam requiem admittantur" (Liturgia Graeca), "Quoniam scriptum est quod quicunque hanc disciplinam [seu sacramentum] habuerit, anima ejus aeque pura sit post obitum ac infantis qui statim post baptisma moritur" (Egbertus Eboracensis).

6. *Remissio venialium peccatorum* distincte et formaliter non exhibetur, quod quidem mirum non est cum ipsa distinctio mortalium et venialium non eodem modo nec eadem claritate antiquitus exprimeretur. Reapse tamen effertur tum aequivalenter in quibusdam expressionibus, quibus dicuntur abstergi etiam quotidiana ignorantiae et fragilitatis peccata, sine quibus nemo hanc vitam ducit, tum

implicite in generali et pleno modo quo sive ipsa peccatorum remissio, sive sanatio omnis aegritudinis et laboris animi, sive abstersio reliquiarum peccati, huic sacramento tribuitur.

"Gratia quae significatur per olei unctionem peccata quotidiana destruit" (Amalarius Metensis), "Peccata quotidiana per hanc unctionem relaxantur" (Honorius August.), "Si quid verbo, opere, aut cogitatione, noctu aut interdiu [servus tuus] deliquit . . . condona ipsi, Deus, nec respicias ad iniquitates et peccata ejus, quae scienter vel ignoranter admisit. . . Quia non est homo qui vivat, et non peccet; tu enim solus innoxius existis" (Liturgia Graeca), "Peccatorum omnium remissio" (Liber Ordinum), "Tribuat tibi haec unctio sanitatem animae in remissionem omnium peccatorum" (Codex Tilianus), "Omnia si qua sunt peccata, vel eorum maxima pars deletur" (Abaelardus), "Quidquid peccasti, parcat tibi Deus" (Liturgia Ambrosiana), "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti" (Forma Romana), "Perfecta liberatio a peccatis" (Liturgia Graeca), "Mundatio ab omni sorde et contagione peccati" (Formula Rhemensis, Liturgia Romana, Ordines 1 ct 2) aliaeque expressiones de abstersione reliquiarum peccati, supra relatae (p. 38).

7. *Remissio poenae temporalis* multo minus explicite exhibetur. Implicite tamen involvi videtur in iisdem expressionibus de totali remissione peccati, de perfecta animae curatione ab omni sorde et contagione peccati, et de completa abstersione reliquiarum peccati. Semel aut iterum clarior allusio habetur. Ita in Codice Rhemensi (relato in p. 34) non solum est sermo de "mundatione ab omni sorde et contagione peccati" sed etiam in una ex orationibus post unctiones legitur: "Ut non tantum ei noceat conscientia reatus ad poenam, quam indulgentia, et reconciliatio tuae pietatis ac remissionis ad veniam"; quae verba repetit Ordo 12 in quadam oratione ante unctiones. Item, eadem reatus poenae remissio signanter involvi videtur in nuper citata (p. 41) assertione Egberti Eboracensis quod anima post Extremam Unctionem sit aeque pura ac post susceptionem sacramenti Baptismi per quod, iuxta Traditionem, reatus poenae etiam totaliter aufertur.

Recapitidando igitur Traditionis doctrinam de effectibus Extremae Unctionis, eiusque evolutionem ad syntheticum conspectum revocando, haec nota:

Patres, explicantes doctrinam lacobi de supernatural! efficacitate ritus unctionis ac sequentes ipsos generales conceptus ab Apostolo delineates in tribus illis expressionibus "Salvabit," "Alleviabit," "Si in peccatis sit remittuntur ei," proponunt imprimis generalem ac

complexivum effectum sanationis vel salvationis infirmi, seu omnis salutaris auxilii quo infirmus in sua omnino peculiari circumstantia indiget. Subinde talem effectum distinguunt secundum primam generalem divisionem quae connatural! quadam evidentia eorum menti obicitur, scilicet sanitatis corporalis et sanitatis spiritualis. Tandem ad hunc spiritualem effectum mentem dirigentes (nam corporalis sanitas vix peculiari explicatione indiget, cum ex ipsa rei natura determinetur a varietate morbi quo infirmus afficitur), totam ejus ubertatem, in praedictis Apostoli expressionibus inclusam, eviscerare conati sunt, iuxta varietatem spiritualis necessitatis, in qua anima infirmi constituitur, necnon spiritualis morbi, quo eius spiritus affici potest.

Et primo quidem connaturaliter exhibetur tum necessarium auxilium contra externas daemonis impugnationes, quod in apostolica voce "Alleviabit" facile includi videtur, tum peccatorum remissio de qua ipse Apostolus explicite loquitur. Inde videmus tres istos effectus, corporalis scilicet sanitatis, auxilii contra diabolicas impugnationes et remissionis peccatorum, inde a prima periodo et constanti consensu a Patribus explicite proponi; in qua quidem priori periodo eminent Origenes et Chrysostomus, attentionem ad remissionem peccatorum maxime revocantes, necnon Sacr. Serapionis, in quo non solum tres illi effectus explicite proponuntur, sed etiam ceteri ex septem supra relatis sacramenti effectibus tanquam in semine continentur. In secunda et tertia periodo, ex attenta consideratione copulati conceptus alleviationis animi et remissionis peccatorum, explicatio ceterorum effectuum spontanee generata est: anima enim non alleviatur nisi a pondere variorum spiritualium languorum, et reatus ac macula peccati ad plures reatus maculasque ac defectus protenditur, qui sunt quaedam appendices ac reliquiae peccati. Hinc quartus ex supradictis effectibus, ab ipso Cone. Trid. propositis, abstersio scilicet reliquiarum peccati, explicite et emphatice propositum est, veluti per explicationem integrae illius animi sanitatis et omnis languoris depulsionis, de qua iam sermo erat in Sacramentario Serapionis. In qua quidem explicatione eminent in secunda periodo Hesychius, Liber Ordinum, Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum, in tertia vero Amalarius, Petrus Lombardus (resumens doctrinam Hugonis Victorini et Auctoris Summae Sententiarum), et variae Liturgiae, Ambrosiana nempe, Gallicano-Romana et Graeca.

Ex ceteris vero tribus effectibus, scilicet praeparationis ad gloriam, remissionis venialium et extinctionis temporalis poenae, prior satis etiam distincte in antiqua Traditione proponitur, etsi minus insistenter ac determinate quam in subsequent! periodo scholastica.

secundus vero et praecipue tertius effectus nonnisi aequivalenter aut implicite proponuntur, ulterius determinandi ac discutiendi a posterioribus theologis, quorum quidam ante Concilium Tridentinum eosque momentum remissionis venialium presserunt ut in ea principalem sacramenti effectum reposuerint, alii vero post Concilium, et signanter quidam moderniores, effectum remissionis poenae ita extulerunt ut Extremam Unctionem Baptismo fere aequipararent quoad efficaciam omnem poenae reatum abstergendi et ad immediatum ingressum in caelum disponendi. Quarum aliarumque theologorum determinationum, ad theologiam potiusquam ad dogmaticam veritatem pertinentium, expositio ac discussio in sequentibus articulis instituetur.

Unum adhuc notandum est, scilicet: in connexione cum ipso conceptu spiritualis effectus et cum copulata comparatione ritus unctionis cum aliis sacramentis, evolutum ac determinatum fuisse apud antiquos scriptores theologicum ipsum conceptum sacramentalis indolis hujus ritus, quem iam concinne expresserat Innocentius I sub ipso nomine "sacramenti" et sub ipsa expressa referentia ad "reliqua sacramenta." Confer peculiariter Pseudo-Prosperum Aquitanum, Sonnatium, Pseudo-Augustinum, Amalarium, Cone. Ticinense, Pseudo-Petrum Damianum, Ivonem Carnotensem, Petrum Cluniacensem, Hugonem a S. Victore, Summam Sententiarum, Petrum Lombardum, aliosque plures quos dedimus in art. 1 (tom. 1, p. 174-177), ubi hoc sacramentalitatis argumentum fuse evolvimus.

Probatur 2. *EX RATIONE CONVENIENTIAE.*

Hanc rationem generaliter ac sufficienter iam exposuimus in art. 1 (tom. 1, p. 197 sq.), ostendentes convenientiam ipsius institutionis huius sacramenti ex ipsa eius ordinatione ad tres praecipuos effectu^ abstersionis reliquiarum peccati, alleviationis animi et sanitatis corporis, ad quos alii effectus facile reducuntur. Ceterum distincta convenientia uniuscuiusque effectus amplius patebit ex dicendis in sequentibus articulis (11-18) de singulorum indole et modo quo conferuntur (cf. interim quae habet S. Thomas, cit. in art. seq., p. 66-68, particulariter *C. Gent. 4.* 73).

Satis nunc erit sequentia verba Soto et Frassen referre, explicantia convenientiam duorum illorum mirabilium effectuum, spiritualis nempe alleviationis et corporalis sanationis, cum quibus ceteri connectuntur et contra quos facilius possent adversariorum tela converti.

Soto: "Diluitur aliud argumentum . . . quod est huiusmodi. Si hoc sacramentum valeret contra illas reliquias, et ad exhilarandum animum, deberet potius sanis quam infirmis adhiberi: nam easdem patiuntur debilitates et tristitias peccatorum, imo non deberet adminis-

trari infirmis, cum iam propemodum usum amiserint rationis, nec possint alacritatem illam et laetitiam sentire. Respondetur autem, quod quamvis eiusmodi debilitates et tristitiae sanos etiam praemant, nihilominus in mortis articulo, ubi corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, maiorem animus sentiscit languorem, acriorique afficitur moerore, tum propterea quod mundum relinquit, tum quod non est de sua salute certus. Et ideo sicut antiquitus illi qui agones et luctas aggrediebantur oleo ungebantur, et confovebantur; ita ecclesia institutione Christi suos athletas agonizantes, tum viatico eucharistiae refovet, tum illo unctionis fomento corroborat et exhilarat, ut difficile iter firmioribus viribus et spe ingrediantur. Ac demum ut iuxta verbum Psalmi 103. exhilaret eorum faciem in oleo, et pane cor hominis confirmet. Quocirca non debet sacramentum hoc differri quousque infirmus sensu caret, sed tunc applicari quando huiusmodi spirituales effectus sentire possit. Et quamvis in vita hac illos effectus non sentiret, nihilominus virtute sacramenti in exitu de corpore poterit illos experiri."[20]

Frassen: "Certe singulari divinae providentiae beneficio factum est. ut huic Sacramento prae caeteris annecteretur virtus curativa ac medicativa corporis; cum enim inter omnia hujus saeculi mala nihil sit ipsa morte terribilius, ita nihil vita ac sanitate expetendum magis, qui quidem appetitus tum maxime viget, et impetum suum exerit, quando homo ad vitam ulterius propagandam, videt ex ingravescente infirmitate, se humanis ac naturalibus praesidiis destitui; tunc enim saepe tcntari solent aegroti ad conquirenda remedia quaedam illicita et superstitiosa, quibus vitae prorogationem obtinent, ut patet exemplo Ochoziae. *Reg.,* cap. 1. Quamvis igitur primaria hujus Sacramenti virtus spiritualis sit, sicut et aliorum Sacramentorum, attamen Christus Dominus, hominum infirmitati et imbecillitati consulens, voluit huic sacro signaculo etiam adjungere virtutem curativam infirmitatis corporis, ne forte desperato morbi remedio, ad illicita et superstitiosa auxilia confugerent aegroti. Quam utique rationem indicavit S. Augustinus (aut quisquis est Auctor lib. *De rectitudine Catholicae conversationis}* ubi ait: 'Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quaerantur precantatores, non divini, non sortilegi, sed qui aegrotat in sola Dei misericordia confidat, et Eucharistiam cum fide et devotione accipiat. Oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, et secundum Apostolum: 'Oratio fidei salvabit infirmum.'''"[30]

[29] Dist. 23, q. 1, a. 2, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Venetus: Apud I. M. Lenum 1575) I 1065.

[30] *De Extrema Unctione,* q. 3, conci. 2, *Scotus Academicus* (Romae 1902) X 624.

ART. 11. Utrum Principalis Seu Specificus Effectus Huius Sacramenti Sit Gratia Abstergens Reliquias Peccati, Seu Gratia Interius Sanans Spiritualem Animae Debilitatem Ex Peccato Relictam *(Suppi.,* q. 30, a. 1 et 2; *C. Gent.* 4. 73; cf. alios textus in p. 1 et 66-68).

STATUS QUAESTIONIS

Cum plures ex septem effectibus, quos ex Traditione in art. praec. collegimus, sint inter se essentialiter distincti ac disparati, logice doctores mediaevales, ulterius determinantes sacramentalem indolem Extremae Unctionis, inquirere coeperunt quinam inter illos habendus sit ut principalis effectus, ex quo nempe species et unitas sacramenti desumitur, nam "quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit" *(Suppi.,* q. 30, a. 1). Quae quidem quaestio minus implicata evasisset si posteriores doctores antiquorum sobrietatem imitassent, simpliciter eligentes unam vel alteram ex duabus sententiis ab illis prolatis, nempe Thomistarum, pro principali effectu assumentium debilitatem animi relictam ex peccato, aut Scotistarum, remissionem venialium peccatorum proponentium. At, posttridentini praesertim theologi tot illis sententiis addiderunt ampliationes vel opiniones, tantamque inde induxerunt confusionem, ut quidam non prorsus immerito oscitantiam et defatigationem conceperint ipsique quaestionis discussioni libenter valedixerint.

Ita *Benedictus XIV* scribit: "Inter hos extremae Unctionis effectus, a Tridentino enumeratos, curiose magis quam utiliter investigant scholastici quinam sit dicendus hujus Sacramenti proprius et primarius; et in diversas scinduntur opiniones, quas supervacaneum esset recensere."[11] Item *Clericatus:* "Illud est imprimis advertendum, quod notant Em.us Cardinalis De Laurea et Mastrius, modernos scilicet theologos ita confuse loqui de effectibus hujus sacramenti, ut nullibi reperiatur apud ipsos clara et concors doctrina, qua studiosorum animum instruat, at e contra potius non leves difficultates gignat ac dubia irresoluta relinquat. . . Altercatio quidem magna est. Sed satis nobis sit. omnes praedictos effectus explicuisse et eos omnes, sive primarios sive secundarios inter se, suscipere ac venerari."[32]

Porro praedictae confusionis ac difficultatis triplex praesertim causa assignari potest: primo nempe ipsa multiformis activitas huius sacramenti, sese protendentis ad tot variatosque effectus (cf. supra, p. 2 sq.) qui in aliis sacramentis pro principalibus habentur (ut est

[11] *De svnodo dioecesana,* l 8, c. 7, n. 3, apud Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1104 sq.

[32] *Decisiones sacratnenlales,* decis. 82, n. 1 ct 18.

remissio peccatorum in Poenitentia et corroboratio animi in Confirmatione); secundo, versipellis ac incerta ratio qua quidam theologi hanc quaestionem aggrediuntur, ab una ad alteram expressionem, absque definitionibus aut distinctionibus, leviter saltantes et in nulla consistentes; tertio ac praecipue, ipsa nativa ambiguitas trium expressionum "Effectus principalis," "Alleviatio" et "Reliquiae peccati," quae in hac quaestione late circumferuntur quaeque ceteroquin ab ipso Cone. Trid. et a S. Thoma aliisque antiquioribus theologis adhibitae sunt.

Conceptus enim principalis effectus non uno modo a variis auctoribus accipitur; alii quidem loquuntur de principali effectu, alii de primario, alii de proprio, alii de immediato, alii de primo et per se. sed sub his aliisque nominibus non omnino idem significant. Propterea in textu articuli apposuimus expressionem "Effectus specificus" qui intelligitur ab ipso S. Thoma sub nomine effectus principalis,3' cum ait: "Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus" *(Suppi.,* q. 30. a. 1). Unde pro principali effectu intelligimus effectum formalem et specificativum (omne enim sacramentum, cum sit signum efficax, a suo signato seu effectu specificatur), quo nempe deficiente, sacramentum non datur, quique consequenter primo et per se per sacramentum confertur: primo quidem seu ante alios, per se vero seu ratione sui ita ut ceteri nonnisi ratione ipsius et dependenter ab ipso ac juxta exigentiam ipius conferantur. *Vox "alleviatio,"* adhibita a Iacobo in sensu vel corporalis vel spiritualis vel utriusque levaminis, necnon a Cone. Trid., in generali sensu spiritualis levaminis, et ab antiquis doctoribus in utroque sensu corporalis et spiritualis levaminis, | secundum se ambigua est, etiam in spirituali sensu, cum possit referri ad multiplex pondus quo anima premitur, nominatim ad peccatum mortale, peccatum veniale, spiritualem debilitatem seu languorem ex peccatis relictum. reatum ipsum poenae temporalis. Propterea, ut a praesenti disputatione expellatur omnis confusio, maluimus in textu articuli apponere expressionem "gratia sanans," qua utitur ipse S. Thomas in oppositione ad gratiam generativam Baptismi et gratiam suscita-

* *Albertus M.* utitur praeterea apta appellatione "effectus substantialis" quae aequivalet effectui formali seu specifico (/« *4 Sent.,* dist. 23, a. 9, ad 1).

** Cf. *Hugonent a S. Victore,* supra, p. 38, in nota. Similiter *Bonaventura* loquitur de "alleviatione infirmitatis spiritualis" et de "alleviatione infirmitatis corporalis" *(In 4 Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 1) ; *Albertus M.* loquitur de "alleviatione collata corporis infirmitati" et de "alleviatione spiritus," ac refert sequentem aliquorum definitionem de hoc sacramento: "Extrema unctio est unctio oleo sanctificato facta ad alleviationem utriusque infirmitatis, scilicet corporis, et animae" *(In 4 Sent.,* dist. 23, a. 2).

tivam Poenitentiae, scribens: "Principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati; ut, sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et extrema unctio est quaedam spiritualis sanatio vel medicatio." Tamen in 3 p., q. 65, a. 1, S. Doctor spiritualis sanationis conceptum tribuit effectui utriusque sacramenti Poenitentiae et Extremae Unctionis, distinguens duplicem sanationem. "Una quidem est sanatio quae sanitatem restituit. Et loco hujus in spirituali vita est poenitentia. . . Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium. Et loco hujus in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias."

Expressio *"Reliquiae peccati"*, ut iam notavimus in art. praec. (p. 11 sq.), patet pluribus interpretationibus et de facto in vario sensu accepta est (i.e. pro peccatis mortalibus relictis, pro venialibus quae sunt quasi reliquiae peccatorum, pro poena temporali relicta post remissionem culpae, pro pravis habitibus ex peccato secutis, pro spirituali animi debilitate ex peccato secuta), ita ut nunc saltem *ambigiia jacta jucrit,* ac propterea in textu articuli, ad clare determinandum sensum nostrae quaestionis ac Conclusionis, apposuimus aliam ipsius S. Thomae expressionem "Spiritualis animi debilitas ex peccato relicta."[35]

S. *Thomas* in *Suppi.*, q. 30, a. 1, nonnisi in hoc sensu debilitatis animi accipit reliquias peccati. Has explicite distinguit sive a peccato, tam mortali quam veniali, sive a poena temporali ("In peccato non sunt nisi tria: macula, reatus poenae, et reliquiae peccati," ob. 2), sive a pravis habitibus ("Reliquiae peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati," ad 2); testatur praedictum sensum illius expressionis accipi apud doctores sui temporis ("Semper remittit debilitatem praedictam, quam quidam reliquias peccati dicunt," in corp.) ; ipse eundem sensum eligit ("Et. . . hoc pertinet ad debilitatem praedictam. Unde dicendum est quod principalis effectus huius sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati," in corp.; cf. q. 29, a. 5; q. 32, a. 4, ad 2; q. 33, a. 2, Sed Contra). Item in 3 p., q. 65, a. 1, iterum S. Doctor "remotionem peccatorum reliquiarum," quae ht per hoc sacramentum, intelligit "restitutionem valetudinis pristinae" prout opponitur "restitutioni sanitatis" quae ht per sacramentum Poenitentiae. Item, *In 4 Sent.*,

M Suppi., q 30, a. 1 "Hoc sacramentum . . . datur . . . contra illos defectus quibus homo spiritualités infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae. Et hic defectus nihil est aliud quam quaedam *debilitas et ineptitudo quae in nobis relinquitur ex peccato* actuali vel originali. . . , quam quidam reliquias peccati dicunt. Unde dicendum est quod principalis effectus huius sacramenti est remissio peccatorum quoad *reliquias peccati"*

dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3, ob. 1, reliquias peccati intelligit "pronitatem ad malum, hebetudinem, et hujusmodi."

Tamen, in *Suppl.*, q. 32, a. 4, ad 1, sub nomine reliquiarum peccati ponit etiam infirmitatem corporalem: "Contra illas praecipue infirmitates [corporales] hoc sacramentum datur quae sunt ex peccato causatae, quasi peccati reliquiae." Pariter iri *C. Gent.* 4. 73, sub paulo diversa expressione "Sequelae peccati," includit sive praedictam spiritualem debilitatem sive corporalem debilitatem quatenus consequitur ex peccato ("Cum enim hoc sacramentum sic ordinetur contra infirmitatem corporis inquantum consequitur ex peccato, manifestum est quod contra alias sequelas peccati hoc sacramentum ordinatur, quae sunt pronitas ad malum et difficultas ad bonum"). Unde S. Thomas reliquias et sequelas peccati pro eodem accipit atque sub eis includit principaliter spiritualem debilitatem et secundarie seu consequenter corporalem debilitatem quatenus cum spirituali connectitur; sic etiam eum intelligit Bonaventura, eius adversarius, mox citandus. Cum tamen de reliquiis peccatis loquitur simpliciter aut tanquam de principali effectu sacramenti, S. Doctor eas accipit tantum pro spirituali animi debilitate.

Ceterum, in 3 p., q. 86, a. 5, agens de effectu Poenitentiae, nomine reliquiarum peccati intelligit etiam ipsas pravas dispositiones et habitus vitiosos relictos ex peccato (cf. dicta in tractatu *De Poenitentia* IV 103-110).

Albertus M. eodem modo ac S. Thomas reliquias peccati intelligit. *In 4 Sent.*, dist. 1, a. 2, eas accipit pro "inhabilitate animae ad movendum" ad opera virtutis; dist. 23, a. 1. ad 1. eas dicit "reliquias infirmitatis spiritualis ex originali et actuali remanentes"; a. 2, relatis illis reliquiis in ipsa definitione Extremae Unctionis, loquitur de "alleviatione animae quantum ad purgationem reliquiarum"; a. 4, q. 3, ad 2, utitur generaliori expressione "Purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immediatum transitum ad requiem secundum animam et glorificationem secundum corpus," quae verba, etsi ambigua, non necessario indicant reliquias peccati importare remissionem poenae; a. 9, ad 1, loquitur similiter de "purgatione reliquiarum secundum quod sunt impedimenta immediatae evolationis et glorificationis corporis ... , praecipue secundum quod causantur a peccatis oblitis et per ignorantiam commissis," ubi non dicit reliquias peccati esse haec ipsa peccata sed aliquid ab ipsis causatum; a. 10, ad 1, iterum loquitur de "reliquiis oblitis et ignorati [peccati] actualis"; a. 11. ad 1. iterum loquitur de "reliquiarum purgatione secundum quod sunt impedimentum percipiendi stolam [i.e. gloriam] animae et corporis"; a. 14,

eundem conceptum effert: "Secundum . . . quod tollitur peccatum in reliquiis quae impediunt transitum ad requiem, purgatur in extrema unctione". Cf. a. 15, ad 2; a. 17, ad 2; a. 19; a. 20, ad 3; a. 21. arg. in contrarium; item dist. 13, a. 36; dist. 15, a. 12, in responsionibus; dist. 17, a. 17, sol. et ad 3; a. 20; a. 22, sol. et ad 2; a. 23).

Bonaventura in *Comm. in 4 Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 1, tacite exponens et impugnans sententiam ipsam S. Thomae et Alberti M., dicit hos doctores expressionem "Sequelae vel reliquiae peccati" accipere pro utraque praedicta debilitate: "Aliquorum opinio fuit, quod sacramentum istud principaliter est ordinatum contra sequelas vel reliquias peccati quae gravant, quae relictae sunt tam ex originali quam actuali; quae quidem reliquiae sunt poenae spirituales [Intellige: poenalitatem seu debilitatem et infirmitatem, non vero ipsum reatum poenae temporalis], habentes tamen frequenter poenas corporales [i.e. infirmitatem] annexas propter sui expurgationem: et ideo principaliter hoc sacramentum est contra poenam spiritualem, sed ex consequenti est ad sanandum morbum corporalem. — Sed contra hoc est quod. . ."

In *Breviloquio* vero ipse nomen "sequelae" extendit etiam ad peccata venialia, quorum deletionem habet ut praecipuum effectum Extremae Unctionis ("Exoneratio a culpis venialibus et aliis sequelis").

Scotus expressionem "Reliquiae peccati" (quam ceteroquin ipse Bonaventura nonnisi semel refert, et quidem ex ore aliorum quos impugnat) simpliciter omittit in utroque Commentario Oxoniensi et Parisiensi, ut ei substituat solam mentionem peccatorum venialium, quorum remissionem habet ut praecipuum sacramenti effectum.

Concilium Tridentinum "reliquias peccati" certe distinguit ab ipsis peccatis, necnon a pravis habitibus relictis ex peccato; an vero eas distinguat etiam a poena temporali et accipiat pro sola spirituali animi debilitate, ad sensum S. Thomae, difficile dixeris (cf. supra, p. 12).

Catechismus Cone. Trid., distinguens quidem "reliquias peccati" ab utroque peccato veniali et mortali, eas intelligit non solum ut "animae languorem et infirmitatem" sed etiam ut alia spiritualia incommoda vel defectus quibus subicitur infirmus ("Ceterae omnes peccati reliquiae") quaeque possunt accipi ut quaedam morales reliquiae peccati, ut dictum est supra (p. 17).

Quidam posteriores theologi, ut *Bellarminus* (infra cit., p. 61 sq.). reliquias peccati intelligunt tum supradictam debilitatem animi, tum ac praecipue ipsa peccata relicta, seu peccata mortalia, quae interdum manent post suscepta alia sacramenta, et quorum quis de facto conscientiam non habet, ob ignorantiam gravitatis peccati vel invalide fortasse susceptae absolutionis. Alii, ut *De Sainte-Beuve,* reliquias peccati intelligunt tum praedictam debilitatem animi, tum poenas temporales,

tum pravos habitus qui ex peccato contrahuntur. Alii, ut *Laymann,* reliquias intelligunt debilitatem animi, peccata sive venialia sive mortalia adhuc relicta, et poenam temporalem. Alii tandem, ut *Kern* quem sequitur *Cappello,* commodiorem viam ineuntes, reliquias intelligunt omnia quae quocunque modo ita connectuntur cum peccato, ut propterea dici possit peccatum nondum esse penitus extinctum, et hominem, per Poenitentiam iustificatum, adhuc aliquo modo separari a Deo; ac ideo pro reliquiis accipiunt tum physicos defectus ab aliis auctoribus propositos (exceptis tamen peccatis mortalibus et pravis habitibus), scilicet peccata venialia, debilitatem, poenam temporalem, tum alios morales defectus vel indignitates, connexas cum peccato, ut anxietatem animi et indignitatem ad obtinendum speciale Dei auxilium.[30]

Ex his igitur patet quinam sit *proprius sensus praesentis quaestionis,* prout distincte proponitur in textu articuli; legitime quidem, iuxta primigenium verborum sensum ab antiquis theologis intentum, quaeremus: Utrum principalis effectus sit gratia allevians a reliquiis peccatis; sed quia apud posteriores doctores, tres illae expressiones (principalis effectus — alleviatio — reliquiae peccati) iam ambiguae evaserint, absque ambiguitate vel confusionis periculo distincte quaerimus: *Utrum specificus effectus sit gratia sanans spiritualem debilitatem ex peccato relictam,* non vero aliud genus alleviationis, tam corporalis quam spiritualis, aut abstersionis reliquiarum peccati, sive agatur de ipsis peccatis relictis tam mortalibus quam venialibus, sive de poena temporali, sive de pravis habitibus ex peccato generatis.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Ut notatum est supra (p. 46), tot in hac re fluctuantes opiniones theologi proposuerunt ut non facile sit omnes ad communia quaedam capita reducere. Quatuor tamen inter eas majori quadam simplicitate ac theologico momento manifeste gaudent, quae praeterea mire coincidunt cum ipso effectuum numero et ordine, a Concilio Tridentino proposito, scilicet: sententia Bonaventurae et Scotistarum. assumens effectum remissionis peccatorum; sententia S. Thomae et Thomistarum, proponens abstersionem reliquiarum peccati; opinio Suaresii et plurium modernorum, recurrens ad spiritualem alleviationem seu

[30] Ad rem *Kern:* "Cum peccatum mortale sit aversio hominis a Deo, reliquiae peccatorum sunt omnia illa, quae hominem per Poenitentiam iustificatum adhuc *quocunque demum modo séparant a Deo.* Huiusnwdi sunt peccata venialia per poenitentiam non sublata, reatus poenae temporalis, imbecillitas moralis, qua homo facile passionibus cedit, indignitas specialis illius providentiae divinae, qua Dominus servos suos fideles gubernat, uno verbo: quidquid obstat, quominus offensa Dei possit dici penitus extincta" *(De sacramento Extremae ['notionis* I Ratisbonac 19071 104). Recentissime S. J. Brzana edidit dissertationem (qua uti non potuimus): *Remains oj Sin and Extreme Unction According to Theologians Ajter Trent,* Romae 1953.

confortationem; opinio Orientalium Schismaticorum, praeferens effectum corporalis sanitatis.[17] Quae quidem sententiae sic logice disponi possunt:

sanitas corporis. *Schismatici.*
sanitas animae
| abstersio peccatorum
venialium. *Scotiis.*
mortalium et venialium. *Bellarmimis (?).*
abstersio reliquiarum peccati seu spiritualis debilitatis
moralis tantum debilitatis. *Suarez.*
physicae debilitatis. 5. *Thomas.*

Post quarum opinionum expositionem, breve verbum addemus de quibusdam fluctuantibus mixturis, a nonnullis propositis.

PRIMA SENTENTIA.

Principalis effectus est "abstersio delictorum" (Cone. Trid.), seu remissio peccatorum.

Haec sententia duplicem assumpsit formam: alteram antiquiorem, praecipue a Scoto determinata, quae ut principalem effectum proponit remissionem peccatorum venialium, alteram Tridentino posteriorem, Bellarmino tributam, quae, veluti reformando priorem, extendit illum effectum ad remissionem omnium peccatorum, praecipue mortalium.

OPINIO SCOTISTICA. Principalis effectus est remissio peccatorum venialium, non quidem absolute et secundum se, sed ut conferenda huic subjecto i.e. infirmo ad mortem, qui ex una parte indiget a venialibus purgari ut sit paratus ad immediatum ingressum gloriae, et ex alia parte, in eo statu corporalis et spiritualis debilitatis qua opprimitur, nequit sufficienter vel congruenter se disponere ad eam purgationem aliter obtinendam sive ex opere operantis sive ex opere operato aliorum sacramentorum, nominatim Eucharistiae et Poenitentiae.

Hanc sententiam praeformarunt *Pseudo-Alexander Halensis*™ et

[17] Quidam hic addunt sententiam quorundam modernorum, ut *Kern, Kilker,* et *Cappello,* qui docent Extremam Unctionem primario ordinari ad auferenda omnia impedimenta gloriae, nominatim omnem poenam temporalem. Attamen, si saltem attendamus ad explicitas affirmationes Kern, illius opinionis fundatoris, illa omnium impedimentorum remotio affertur potius ut finis principalis sacramenti quam ut principalis ejus effectus; unde maluimus eam opinionem hic praeterire, ut eam examinemus ac confutemus inferius in aptiori loco (art. 15 et 17). Ceterum, non est diffitendum ex ea logice sequi tum praedictam omnium impedimentorum remotionem, tum totalem poenae remissionem, quae in hac remotione immediate tanquam pars in toto includitur, esse revera principalem effectum huius sacramenti, cum vana sit in hoc casu distinctio inter finem principalem et effectum principalem, cujus signum est quod quidam ex defensoribus illius opinionis indifferenter de utroque loquantur (cf. infra, p. 178).

[18] Ut dictum est in art. 2, tom. 1, p. 222, *Summa theologiae* Alexandrina a modernis eruditis tribuitur discipulis Halensis.

Bonaventura, determinavit *Scotus,* secuti sunt *Scotistae* fere omnes (excipe unum vel alterum, praecipue Aureolum, principem nihilominus Scotistarum, de quo infra in p. 72 sq.), nominatim *Richardus a Mediavilla* (infra cit.), *Hyquaeus* (infra cit.), *Mastrius, Frassen* et *Montejortino.* Etiam plures extranei eam plus minusve clare ac determinate amplexi sunt; praecipue adduci solent *Guilelmus Altissiodorensis {Summa,* l. 4, cap. De Extrema Unctione, q. 1), *Durandus* (infra cit.), *Biel, Dionysius Carthusianus* (qui tamen valde ambigue loquitur), *Major, Navarrus,* plures antiquiores canonistae. His quandoque adnumerantur Maldonatus, De Sainte-Beuve et Tournely, sed immerito, nam hi potius sequuntur opinionem Bellarmini vel mixtam quandam opinionem, ut ostendetur infra (p. 61 et 78).

Bonaventura ait hanc suo tempore fuisse "communem opinionem"; similiter Dom. Soto (saec. 16) testatur: "Plerique omnium doctorum [id] autumant"; pariter Navarrus (saec. 16) loquitur de sententia communi, Suarez (saec. 17) de sententia "valde communi" et Hyquaeus (saec. 17) de sententia "magis communi." At istae affirmationes exaggeratae videntur, maxime si attendatur omnes thomistas hanc sententiam iugiter ac concorditer reiecisse; S. Thomas de sua aetate testatur tantum: "Quidam vero dicunt quod principaliter est institutum contra veniale." Forte praefata judicia proveniunt ex quadam confusione inter effectum per se et effectum principalem seu ex eo quod plures doctores tenuerunt et tenent Extremam Unctionem peccata remittere non mere per accidens sed per se, abstrahendo a quaestione an hic sit effectus primarius vel secundarius. Quidquid sit. certe haec sententia post Cone. Trid. declinare coepit (S. Alphonsus saec. 18 contrariam sententiam vocat communissimam) et hodie fere evanuit, saltem extra scholam Scotisticam.

Rationes huius sententiae sunt:

1. *Scriptura* explicite et determinate proponit remissionem peccatorum ut effectum Extremae Unctionis, dum alios effectus proponit modo tantum indeterminato, sub generalibus verbis salvationis et alleviationis. Item, tota *Traditio* eundem effectum constanter et emphatice proponit, imo quaedam formulae liturgicae solum hunc effectum proponunt, uti *jorma ipsa sacramentalis* a saeculis in usu et nunc sola adhibita in Ecclesia latina. Item, *Cone. Trid.,* inter quatuor quos enumerat Extremae Unctionis effectus, primo loco refert remissionem peccatorum et ultimo loco corporalem sanationem quae ab omnibus habetur ut infimus effectus. Ex quibus omnibus immediate colligitur remissionem peccatorum esse principalem effectum. Iamvero, haec nequit intelligi de remissione mortalium, cum ad hanc sit proprie et directe ordinatum aliud sacramentum, scilicet Poenitentia, nec possit

fingi frustranea institutio duorum sacramentorum ad eundem finem et effectum. Ergo est intelligenda de remissione venialium, quae ideo est principalis effectus huius sacramenti.

Idque confirmatur ex *Catechismo Cone. Trid.* (cit. in p. 17) qui. enumerans varios huius sacramenti effectus ac ponens primo loco remissionem peccatorum, dicit hanc intelligendam esse "in primis" et "primario loco" de peccatis venialibus, quia ad peccata mortalia remittenda per se ordinantur soli Baptismus et Poenitentia.

2. Ipsa ratio dictat illum esse principalem effectum ex quo ceteri dependent et cuius collatio praesupponitur collationi ceterorum. lamvero tres alii effectus, a Tridentino relati, fluunt ex ipsa remissione peccati; nisi enim prius ipsum peccatum auferatur, nec reliquiae seu sequelae peccati auferri possunt, nec anima queit alleviari (seu in se exhilarari, et a timore divini iudicii atque horrore tentationum daemonis liberari), nec sanitas corporalis congrue conferri potest cum sit et ipsa quaedam peccati reliquia. Aliunde autem ut dictum est Extrema Unctio nequit habere pro principali effectu remissionem ipsorum mortalium peccatorum, quae est proprius effectus Poenitentiae. Ergo eius principalis effectus est remissio venialium.

3. luxta communem theologorum doctrinam, immediate fundatam in ipsa Traditione, hoc sacramentum est tum complementum Poenitentiae tum proxima praeparatio ad gloriam. lamvero hoc nequit congrue intelligi nisi dicendo ipsum ordinari principaliter ad deletionem venialium, quae complet totum opus remissionis, iam substantialiter effectum per deletionem mortalium in sacramento Poenitentiae, et aufert ultimum impedimentum ad gloriam quod nonnisi ex venialibus culpis, secus in Purgatorio expiandis, provenire intelligitur.

4. Res confirmatur attendendo ex una parte existentiam et gradationem trium generum peccatorum seu morborum animi, scilicet originalis, mortalis et venialis, et ex alia parte ordinationem duorum sacramentorum Baptismi et Poenitentiae quibus auferuntur duo priora genera peccatorum, quaeque proinde connaturaliter appellant tertium ac complementarium sacramentum ad deletionem tertii generis peccatorum. Cum enim sacramenta sint instituta ut medicina in remedium peccatorum, convenit ut sicut sunt tria genera morborum ita appo-nantur tres medicinae sacramentales, et sicut Baptismus ordinatur ad delendum peccatum originale et Poenitentia ad peccatum mortale, ita Extrema Unctio ordinetur principaliter ad delendum veniale peccatum.

Nec refert quod ad venialia delenda ordinetur etiam ipsum sacramentum Poenitentiae, praeterquam et varia ipsa opera operantis; nam ex una parte Poenitentia ad id ordinatur tanquam ad obiectum secundarium, convenit autem ut sit aliquod sacramentum ordinatum ad

delenda venialia tanquam ad principalem suum effectum, et ex alia parte nec Poenitentia, nec alia sacramenta, nec varia opera operantis, possunt sufficienter et congruenter concurrere ad deletionem venialium in eo momento et statu, in quo homo, iam ad limen aeternitatis constitutus, maxime indiget a venialibus purgari et minime potest ad id cooperari.

In quo quidem atque unico sensu asseritur in hac sententia remissionem venialium esse principalem sacramenti effectum, scilicet non absolute et secundum se, sed tantum ut huic subiecto, morituro nempe atque gloriam immediate ingressuro, conferendam.

PSEUDO-HALENSIS de ipso sacramento Extremae Unctionis nonnisi transeunter loquitur, agens de sacramentis in genere, ut dictum est in art. 2 (tom. 1, p. 222-224); effectum huius sacramenti tangit in q. 5 quartae partis suae Summae, dum explicat distinctionem sacramentorum novae legis, seu theologicas rationes numeri septenarii. Horum sacramentorum quatuor tradit distinctiones: In prima explicite ait "ratione venialis peccati principaliter dari extremam unctionem." In secunda idem docet etsi non utatur verbo "principaliter," nam pro remedio peccati venialis assignat Extremam Unctionem sicut pro remedio originalis et mortalis assignat Baptismum et Poenitentiam. In tertia, loquens de remediis contra poenam (seu animi infirmitatem) relictam ex peccato, assignat Confirmationem contra pronitatem ad malum, contractam initio vitae, Eucharistiam contra inclinationem ad relapsum contractam ex peccatis actualibus in decursu vitae, et Extremam Unctionem contra "infirmitatem mentis et corporis" quae remanet "in egrediente" seu in fine vitae; ex quibus tamen ultimis et ambiguis verbis, si accipiantur de animi infirmitate quae sit reliquia peccati (seu de animi debilitate et languore, iuxta sensum S. Thomae) non necessario sequitur Halensem expulsionem huius debilitatis habere pro ipso principali effectu Extremae Unctionis ita ut proferat novam opinionem, tum quia ipse non dicit eam esse principalem effectum, sicut in praecedenti textu asserit de remissione venialium, tum quia improbabile est absque ullo declarationis indicio ipsum novam addere opinionem, tum quia Scotus eiusque schola, quae Halensis paternitatem non illegitime reclamat, non aliam agnoverunt opinionem quam eam quae docet remissionem venialium esse principalem effectum huius sacramenti. Quarta tandem Pseudo-Halensis distinctio, quae est secundum varias virtutes ita ut Extremae Unctioni assignetur fortitudo, ad rem nostram directe non facit.

"Cum sacramenta sunt medicinae . . . juxta numerum morborum spiritualium debet sumi numerus sacramentorum. Septem autem sunt differentiae morborum. Prima est originalis peccati, secunda actualis mortalis, tertia venialis, quarta difficultatis discernendi inter bonum et malum. . . Ratione vero venialis peccati principaliter datur extrema unctio. . .

"Ingrediens in hanc vitam, indiget sacramento in remedium contra malum culpae, cum qua nascimus, et sic est baptismus in remedium contra originale. Progrediens in vitam indiget sacramento in remedium contra malum culpae, in quam ex actu nostro incidimus, et sic est poenitentia. Egrediens ab hac vita indiget sacramento in remedium aliquorum venialium cx sola virtute gratiae [i.e. non etiam ex sacramentali efficacia actus humani ut in Poenitentia], et sic est unctio extrema. . .

"Alio modo potest sumi ratio divisionis [i.e. cx parte indigentiae, cui diversimode subveniunt sacramenta]. . . Nam indigentia aut est ex culpa aut ex poena consequente culpam. . . Reparatio . . . indigentiae ex poena triplex est in sacramentis, sicut triplex est poena. Est enim poena contracta in ingrediente ad vitam, scilicet pronitas ad malum, quae contrahitur cum peccato; et contra hoc est confirmatio.

. . Est alia poena in progrediente, quam accipit ex actualibus, scilicet infirmitas ad recidivum; et contra hanc indiget sacramento eucharistiae, quod est viaticum quotidianum, ut sustentetur homo in via. Et est tertia poena in egrediente, scilicet infirmitas mentis et corporis; et contra hanc est extrema unctio mitigans contra utramque. . .

"Sacramenta sunt adminicula sive iuvamenta virtutum . . . propter quod dicunt aliqui, quod juxta numerum virtutum potest sumi numerus sacramentorum. . . luxta fortitudinem [sumitur] sacramentum extremae unctionis."[30]

BONAVENTURA sententiam Pseudo-Halensis clarius enunciavit, scilicet: Hoc sacramentum est institutum ad praeparandum hominem ad ingressum in gloriam; hinc eius effectus est primo et principaliter remotio praecipui impedimenti illius ingressus, scilicet peccati venialis, ideoque remissio venialis est effectus huius sacramenti non quomodolibet sed ut remotio impedimenti ad gloriam, seu ut in homine proxime morituro. Cum hac venialium remissione connectitur tum animae alleviatio seu erectio devotionis in Deum, qua mediante fit ipsa venialium abstersio, tum remotio aliarum reliquiarum peccati, nominatim poenae temporalis et corporalis infirmitatis, quae est aliquid secundarium et consequens.

In 4 Sent., dist. 23, a. 1, q. 1, agens ex professo de effectu vel fine institutionis huius sacramenti, scribit: "Quantum ad finem quaeritur, utrum istud sacramentum principaliter sit ordinatum ad morbum corporalem an ad spiritualem. . .

"Dicendum est quod *aliquorum opinio fuit, quod sacramentum istud principaliter est ordinatum contra sequelas vel reliquias peccati* quae gravant, quae relictae sunt tam ex originali quam ex actuali; quae quidem reliquiae sunt poenae spirituales, habentes tamen frequenter poenas corporales annexas propter sui expurgationem: et ideo principaliter hoc sacramentum est contra poenam spiritualem, sed ex consequenti est ad sanandum morbum corporalem. — Sed contra hoc est quod dicitur Iacobi 5, 15 in institutione istius sacramenti: 'Si in peccatis fuerit, remittentur ei': ergo istud sacramentum est ordinatum contra aliquem morbum peccati, et hoc ipsum tangitur in Glossa. *Et, cum non sit contra originale nec contra mortale, relinquitur quod sit contra peccatum veniale. Et hoc communis opinio tenet.*

"Sed notandum quod *de veniali peccato est loqui dupliciter:* aut prout est quis in statu viae, aut *prout est in egressu.* Si prout est in statu viae sive in itinere, sic morbus venialis est quasi inseparabilis et quadam necessitate iterabilis, ac per hoc quodam modo incurabilis. Et ideo non debuit contra ipsum aliqua medicina specialiter et principaliter ordinari; immo quodam modo omnia sacramenta valent ad eius curationem secundum plus et minus. — Si autem loquamur prout anima est in statu egrediendi, sic potest curari sine iteratione; et sic, cum anima possit trahere talia cremabilia, quae retraherent a gloria, instituit divina misericordia remedium quo anima curari posset quantum ad remissionem culpae et etiam partis poenae; et hoc est sacramentum Unctionis Extremae.

"Modus autem curandi veniale peccatum in hoc sacramento respondet modo infirmitatis. Veniale autem peccatum gravat animam deprimendo deorsum, ut non ita intendat in Deum per devotionem et amorem, pro eo quod est ibi conversio inordinata ad commutabile bonum et pro eo quod est minor amor Dei, sicut tangit Augustinus in libro Confessionum; et ideo, cum curatio directe sit per contrarium, per illud curatur quod animam aggravatam per devotionem sursum elevat. Et quoniam 'corpus, quod corrumpitur, aggravat animam' *[Sap.* 9. 15], cum illud sacramentum sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quemdam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima, et per consequens repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animae: hinc est quod istud sacramentum *principaliter est ad curationem et alleviationem infirmitatis*

[30] Summa Theologiae, pars 4, q. 5, n. 7, a. 2.

spiritualis, scilicet peccati venialis, et per accidens est ad curationem et alleviationem infirmitatis corporalis, quodam modo roborando animam quae regit corpus.

"Et sic patet quid sit in hoc sacramento res tantum, quid signum et quid res et signum. Signum tantum est unctio exterior, *res tantum est venialis curatio,* res et signum ipsa in anima devotionalis excitatio, quae non est aliud quam quaedam spiritualis unctio. . .

"Ad illud ergo quod obicitur, quod non datur nisi in statu infirmitatis, dicendum quod non est propter infirmitatem, sed propter hoc quod appropinquat egressui in quo possunt venialia perfecte curari. Et quod istud sit verum, patet, quia quantumcumque quis infirmetur, non datur ei hoc sacramentum nisi praesumatur quod moriatur, vel quod sit in articulo mortis. Et si constaret nobis de aliquo quod liberaretur sive liberandus sit, non deberet dari ei hoc sacramentum, sicut patebit inferius [a. 2, q. 2], Ad illud quod obicitur de veniali, quod quotidie iteratur, patet iam responsio, quia non datur hoc sacramentum contra illud peccati genus, nisi in statu in quo praesumitur quod liberetur et a culpa et a peccandi necessitate."[40]

Ibid., a. 2, q. 2, agens de subjecto sacramenti, iterum clare asserit: *"Hoc sacramentum est principaliter ad venialia delenda,* secundum quod possunt convenientem recipere effectum, et per hoc est in alleviationem animae aggravatae a corpore corruptionem habente: et ideo illud sacramentum debet dari solis infirmis qui peccare potuerunt venialiter, et his, prout sunt in articulo mortis; sic enim possunt a culpa veniali liberari convenienter et sufficienter."[41]

Ibid., a. 2, q. 3, agens de partibus inungendis, iterum ait: "Finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem. Quoniam igitur istud sacramentum *principaliter ordinatur ad venialium deletionem,* secundum quod ex textu beati Iacobi innuitur, et venialia perpetrantur ab anima secundum coniunctionem ipsius ad carnem corruptam, et hoc est per potentias, per quas unitur corpori ut organico: ideo recte in deletione talium peccatorum debet medicamentum exterius adhiberi, secundum id quod habet sensibile, circa organa ipsarum potentiarum."[42]

In *Breviloquio* eandem repetit sententiam, etsi, attendens magis directe ad finem extrinsecum vel remotum (finem operantis) quam ad finem intrinsecum vel proximum (finem operis), minus diserte quam in priori ac magistrali opere, principalitatem remissionis venialium proponat, dicens Extremam Unctionem ordinari ad immediatam praeparationem ad gloriam et quidem tum per excitationem devotionis in Deum tum per remissionem venialium tum per exonerationem ab aliis sequelis et scoriis peccatorum. Inepte autem diceretur ipsum aliquatenus reformasse suam opinionem et accessisse ad sententiam S. Thomae quam explicite reiecit in priori opere, nam etiam in Breviloquio principalitas remissionis venialium totam litteram manifeste pervadit, etsi explicitis verbis non asseratur; subordinatam autem indolem excitationis devotionis et exonerationis ab aliis sequelis peccati Bonaventura iam in priori opere clare explicaverat, dicens excitationem devotionis se habere ut medium ad removenda venialia, et exonerationem ab aliis sequelis peccati (i.e. poena temporali et infirmitate corporali) se habere ut quid subinde consequens.

"Huius Sacramenti operatio debet regulari a fine; et finis est, quia introductum est ad salutem felicitatis perpetuae facilius et expeditius consequendam; et hoc fit per devotionem sursum levantem et per exonerationem a culpis venialibus et aliis sequelis, quae deorsum deprimunt: hinc est, quod Sacramentum istud efficaciam habet et ad devotionem excitandam et ad venialia dimittenda et ad peccatorum scoriam facilius abolendam. . . [Finis hujus sacramenti] est acquisitio spiritualis salutis per remissionem culparum [sc. venialium]. . . Inunctio debet fieri in septem

[39] *Opera theologica selecta,* IV *Liber IV. Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 578-580.
[40] *Ibid.* 589.
[41] *Ibid.* 590

locis [seu sensibus] praedictis, ut sic disponatur homo per hoc Sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati. . . Quia istius Sacramenti susceptio a fine dependet; et finis est velocior transitus ad caelum per depositionem oneris venialium et conversionem mentis ad Deum: ideo non debet dari . . . nisi in periculo constitutis et quasi in transitu ad alium statum."[43]

SCOTUS sententiam duorum praedecessorum magis adhuc determinate ac scientifice proponit: effectum remissionis venialium solum exhibet, prorsus tacens de ceteris effectibus; illum strictius vocat "finalem remissionem venialium"; illum refert in ipsa definitione sacramenti ("Extrema unctio est unctio hominis infirmi . . . efficaciter significans curationem finalem venialium") ; ex illo deducit determinationem partium ungendarum necnon unitatem variarum unctionum in unico signo sacramentali.

Opus Oxoniense, In 4 Sent., dist. 23. q. unica: "Hic sunt duo videnda. Primo, quod possibile est esse aliquod Sacramentum novae legis, quod sit *signum efficax finalis remissionis venialium,* quod congruit, et quod hoc factum est. Secundo, quod extrema unctio est tale Sacramentum, et de totali ratione extremae unctionis. Primum sic, possibile est Deum finaliter remittere venialia; ergo possibile est sibi institui signum efficax istius remissionis. . . Hoc etiam congruum est, recessurum scilicet ab hac vita, finaliter a venialibus absolvi, quia ista non remissa essent impedimentum gloriae consequendae, et non remissa possunt esse usque ad exitum, quia peccator quasi continue peccat talibus peccatis. Hoc etiam factum est. Probatur ex illo verbo Jac. 5. 'Si in peccatis sit, remittentur ei'; non intelligit de mortalibus, quia haec non remittuntur, nisi in Baptismo vel Poenitentia; ergo de venialibus. Sit ergo prima conclusio, quod respectu finalis remissionis venialium, convenit esse, et potest esse, et est Sacramentum novae legis.

"De secunda conclusione principali dicendum, quod illud Sacramentum vocatur extrema unctio, cujus assignari potest ratio [sew *definitio']* talis: 'Extrema unclio est unctio hominis infirmi poenitentis. facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, *ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium'*. . . Istae partes [inungendae] sunt organa potentiarum, per quarum actus peccatur frequenter venialiter. . . [Extrema Unctio] est unum Sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut effectus ejus non est unus indivisibiliter, quia non remissio unius venialis, sed unus unitate plenariae remissionis omnium venialium, ut omnibus remissis *nihil remaneat retardans a perceptione beatitudinis.*""

Opus Parisiense, In 4 Sent., dist. 23, q. unica, eadem doctrina eodem ordine traditur, et fusius explicatur; praecipue ipsa eadem definitio sacramenti late explicatur. Ad rem haec faciunt:

"Dico quod congruum est instituere tale signum ad illum effectum significandum; cum enim de lege communi non oporteat venialia deleri per poenitentiam sacramentum. quia poenitentia est secunda tabula post naufragium ordinata in remedium contra naufragos et peccatum mortale, quod submergit, et non necessario contra illos, qui sunt intra navem Ecclesiae, et navem charitatis, quia illi, etsi habent peccata venialia, possunt salvari sine poenitentia, *cum autem non possit homo esse gloriosus, nec intrare beatitudinem, cum habeat venialia, quae retardant eum a gloria,* quia nullus potest simul esse miser et beatus, congruum fuit Deum, qui nunquam reliquit hominem, sine aliquo remedio ad salutem, ordinare aliquod sacramentum, quod *efficaciter et de proximo, et plene significaret in suscipiente ipsam remissionem finalem omnium peccatorum venialium,* per quam introduceretur ad salutem incorruptibilem vitae aeternae; et congruum fuit dari et recipi ab infirmo laborante in extremis, quia tunc in januis mortis, quando spiritus exit.

[43] *Tria opuscula ad theologiam spectantia* (cd. 5, Ad Claras Aquas 193S) 240-242.
" *Opera omnia* XIX (Parisiis: Vives 1894) 4sq., 17.

potest recipiens liberari a peccato, quod retardaret eum a gloria, nisi amoveretur et deleretur virtute sacramenti. Istud autem ita factum esse patet Jacobi. 5. 'Inducant super eos Presbyteros', etc. 'et si in peccatis est, remittentur ei'. . .

"[In definitione Extremae Unctionis ponimus:] remedium 'hominis infirmi', et ideo *non debet conferri nisi infirmo tali, qui non potest amplius peccare,* et qui est in periculo mortis, nec dari debet illi cui alias, vel aliter imminet periculum mortis, quam per infirmitatem, ut ingredienti mare vel bellum, quia in talibus quantumcumque imminet periculum mortis, semper tamen habet homo usum liberi arbitrii, et potest post peccare, et talibus, qui possunt amplius peccare, non debet dari, nec hominibus habentibus naturales defectus, et propter hujusmodi paulatim deficientibus in natura, ut ethicis, hydropicis, etc. quia licet tales sint infirmi, non tamen statim aufertur ab eis potestas peccandi venialiter; si tamen cum istis defectibus naturalibus sit aliqua febris, de qua non praesumeretur curatio, sed quod mors immineat, potest eis conferri in illo casu. . .

"[Extrema Unctio] est sacramentum unum, quia habet tam unam materiam quam unam formam totalem, quae sunt unum signum totale unius effectus totalis, scilicet *plenariae innocentiae restitutae per remissionem totalem omnium peccatorum venialium;* licet enim plures sint formae partiales, et multae tales materiae, ut septem partes corporis, et multi partiales effectus, ut remissiones peccatorum venialium commissorum in parte tali vel tali, ut ore vel manu, tamen una est totalis materia, et totalis forma, quae sunt signum totale totalis remissionis, et plenariae justificationis ab omni peccato veniali."[48]

RICHARDUS A MEDIAVILLA: "Cum effectus principalis huius sacramenti sit venialium remissio non quaecunque, sed plena et perfecta, de proximo introducens ad sanitatem vitae aeternae, quae remissio de lege communi sanis convenire non potest: ideo nulli sano debet hoc sacramentum conferri, nec infirmo nisi sic aggravato, quod probabile sit, ipsum esse in periculo mortis 'de proximo imminentis'."[46]

DURANDUS docet principalem effectum esse non remissionem mortalium, sed venialium (sive quoad culpam sive, saltem partialiter, quoad poenam), addens hanc remissionem fieri media alleviatione animi:

"Quantum ad secundum [quaesitum], scilicet quis sit effectus eius [i.e. sacramenti Extr. Unet.], oportet dicere quod dimissio culpae non solum propter auctoritatem beati Iac. . . . , sed propter rationem quae talis est: sacramenta illud efficiunt quod significant, sed per formam huius sacramenti directe significatur dimissio peccati .... ergo per hoc sacramentum fit dimissio peccatorum quantum ad culpam, vel quo ad poenam culpae debitam, seu quamcunque aliam sequelam. . .

"Tamen quidam [ut S. Thomas] dicunt quod proprius effectus huius sacramenti non est remissio cuiuscunque culpae vel poenae debitae propter culpam, nec sequelae seu reliquiarum actuum peccatorum vel habituum acquisitorum, imo proprius effectus huius sacramenti est quaedam exhilaratio mentis in remedium contra debilitatem quam habet homo ad opera gratiae, quae quidem naturae debilitas non solum consistit in hoc quod natura non potest in opera gratiae sive in opera meritoria vitae aeternae sine gratia, sed etiam in hoc quod habita gratia adhuc in talibus patitur aliquam debilitatem vel difficultatem quam tollit illa exhilaratio mentis ad quam consequenter sequi potest deletio venialium, sed non est primus effectus. Sed istud non videtur rationabiliter dictum, quia talis debilitas naturae per quam patiuntur difficultatem ad opera gratiae est in sanis, sicut in infirmis. . . Melius ergo est quod dicatur quod proprius effectus huius sacramenti est remissio peccatorum. . .

"[Attamen] extrema unctio cum sit spiritualis sanatio supponit spiritualem vitam, sed in eo in quo est peccatum mortale non est vita spiritualis, ergo extrema

[48] *Ibid.* XXIV 344-347.
[46] *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 3.

unctio *non ordinatur ad remissionem peccati mortalis quo ad culpam,* si ergo ordinatur ad dimissionem alicuius peccati quo ad culpam oportet, quod illud sit veniale, quod est quasi quaedam infirmitas in vita spirituali. . . Potest . . . dici quod hoc modo operatur extrema unctio ad dimissionem peccati venialis, *quia per eam datur digne suscipienti quaedam spiritualis hilaritas mentis,* non quidem contra illam debilitatem vel difficultatem ad bonum nobis innatam (ut alii dicunt) sed contra oppressionem quam infirmus tunc patitur tum debilitate corporis, tum ex memoria peccatorum praecedentium, propter quae posset facilius in desperationem cadere. . . Ad hanc autem sequitur conversio mentis in Deum, et generalis displicentia omnium delictorum, quae sufficit ad deletionem peccatorum venialium. . . Et sic *primus effectus huius sacramenti est exhilaratio mentis, sed non principalis nec principaliter intentus, quia ille est remissio peccatorum venialium quo ad culpam modo quo dictum est, vel quo ad poenam in toto vel in parte".17**

Ceterum, ut patet ex toto contextu, Durandus sententiam suam modo satis incerto proponit, et varia dicit quae sibi invicem non satis congruunt. Inde *Capreolus* detegit aliquam contradictionem quoad ipsum praecipuum Durandi assertum quod remissio venialium sit principalis effectus hujus sacramenti, scribens: "Ulterius dicitur quod dicta Durandi implicant contradictionem: quia ex una parte dicit quod hoc sacramentum non est principaliter institutum contra peccatum veniale [ait enim nullum sacramentum esse necessarium contra defectum qui non interimit vitam spiritualem, qualis est peccatum veniale], et ex alia parte dicit quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccati venialis; constat autem quod omne sacramentum est institutum propter suum principalem effectum; ex quo sequitur oppositum primi, scilicet quod hoc sacramentum est institutum principaliter contra peccatum veniale."48

HYQUAEUS (f 1641), *MASTRIUS* (f 1673), *FRASSEN* (f 1711), *MONTE-FORTINO* (·}■ 1728), *aliique Scotistae postridentini,* sententiam Scoti magis explicant et confortant omnibus rationibus supra relatis (uti argumentis deductis ex Cone. Trid., ex Catechismo Romano et ex verbis formae sacramentalis), simul impugnantes alias sententias S. Thomae, Bellarmini et Suaresii, horumque contrariis argumentis respondentes, simulque quasdam expressiones sui magistri emollientes (ut quod hoc sacramentum conferat finalem remissionem venialium ita ut non sit conferendum nisi moraliter certe morituris qui non possint amplius venialiter peccare). Longiorem expositionem et discussionem invenies apud *HYQUAEUM* (quem fere compendiatur Frassen), qui ad quatuor sequentes conclusiones doctrinam scotisticam reducit: "Prima conclusio, effectus primarius hujus Sacramenti non est tollere reliquias peccatorum, ut hae reliquiae distinguuntur ab ipsis peccatis, tanquam aliquid diversum a macula peccati [contra S. Thomam]. . . Secunda conclusio, effectus principalis hujus Sacramenti non est roborare infirmum contra difficultates extremas; est contra eandem sententiam, ut explicatur a Suarez. . . Tertia conclusio, effectus primarius hujus Sacramenti est gratia habitualis, ut habet annexam remissionem peccatorum venialium per se; an autem mortalium, postea videbimus. Haec est Doctoris [i.e. Scoti] et magis communis. . . Quarta conclusio: Hoc Sacramentum remittit mortalia per accidens, accedente dispositione congrua et bona fide suscipientis, non remittit vero per se mortalia ex propria institutione, sed solum venialia. Haec conclusio est contra Suarem. . Bellarminum . . . , qui comprehenderunt sub efficacia per se hujus Sacramenti remissionem mortalium, sicut et venialium."49

17 *In Petri Lombardi Sententias theologicas commentariorum libri* IIII, 1. 4, dist. 23, q. 1 (Venetiis: G. Bindoni 1586) 358 sq.

"*In 4 S^nt.,* dist. 23. q 1, a. 3, par. 2, ad 5 Durandi contra 2am conci., *Defensiones theologiae D Thomae Aquinatis VI* (Turonibus 1906) 462.

" *Commentarius in Scotum (In 4 Sent.,* dist. 23. q. unica), *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivis 1894) 22 sq., 30. Recenter doctrinam Scoti de effectu Extremae Unctionis

OPINIO BELLARMINI. Principalis eflectus est generice remissio peccatorum nondum per alia sacramenta deletorum, sive venialium sive ac praesertim mortalium.

Haec peccata post alia sacramenta, scilicet Poenitentiam et Viaticum, relicta ("reliquiae peccatorum"), sunt sive ea quae infirmus post susceptionem horum sacramentorum forte commiserit, sive ea quae per eadem sacramenta remissa non fuerint ob aliquem defectum vel obicem quem infirmus ignoret.

Rationes huius sententiae sunt fere eaedem ac praecedentis, exclusa quidem earum applicatione seu restrictione ad sola peccata venialia, scilicet: textus Iacobi, sensus Traditionis remissionem peccatorum emphatice proponentis, Cone. Trid. hanc directe et primo loco referens, forma sacramentalis latina nonnisi hunc effectum, et quidem generice ("Quidquid deliquisti"), exprimens.

Haec sententia, quam Bellarmini vocamus ex praecipuo doctore cui tribuit solet,[50] non videtur ab ullo ex doctoribus, quibus affigi solet, explicite et clare proposita esse. Ei quidem appropinquant *Maldonatus* († 1583),[51] *Bellarminus* ipse († 1621) et praecipue *De Sainte-Beuve* († 1677) et *Toumely* († 1729); attamen hi omnes satis confuse procedunt, nam remissioni peccatorum coniungunt etiam alios spirituales effectus, tanquam proprios huius sacramenti; ita Bellarminus adiungit alleviationem contra "torporem et moerorem et anxietatem, quae ex peccato relinqui solet," De Sainte-Beuve videtur addere etiam deletionem aliarum reliquiarum peccati, scilicet poenae temporalis, languoris animi et ipsorum habituum vitiosorum, ipse Tournely, qui magis explicite hanc opinionem exhibet, videtur tamen consentire Estio docenti primarium effectum Extremae Unctionis non esse simplicem sed aggregatum ex remissione peccatorum, abstersione reliquiarum peccati et alleviatione animi. Unde hi doctores, vel inepte loquuntur vel potius reponendi sunt inter eos qui sententias quasdam mixtas proponunt (cf. infra, p. 78 sq.).

BELLARMINUS: "Una tantum est inter theologos quaestio. Nam quae sint peccatorum reliquiae, non eodem modo omnes explicant. Quidam esse volunt peccata venialia; sed improbabiliter: nam ea possunt sine sacramento deleri, nec ad ea tollenda requiritur nova infusio gratiae, quae est effectus omnium sacramentorum. Itaque *si is esset effectus proprius* et praecipuus hujus Unctionis, non facile probare possemus eam esse sacramentum, nec Jacobus diceret: 'Si in peccatis fuerit, remittentur ei'. Peccata enim venialia omnes habent: nam ut idem ait cap. 2. 'In multis offendimus omnes'. Denique non est tutum restringere

exposuit H. Friesenhadn, "Dic Lchre des Duns Skotus iiber die Wirkung des Sakraments d r Krankenolung," *Franziskanische Studien* (1938) 93-97.

Aliter Bellarmini mentem interpretatur *D. Barry,* "The Effects of Extreme Unction, St. Robert Bellarminc's View," *The Irish Ecclesiastical Record* 38 (1931) 64-78.

" *Disputationes et controversiae circa septeni ecclesiae romance sacramenta,* t. 2, De Extrema Unctione, q. 2. De auctore huius operis cf. infra, p. 465 sq.

ad venialia, quod Jacobus generatim vocat peccatum; et quod in forma dicimus: 'Quidquid deliquisti'. Alii nomine reliquiarum intelligunt pronitatem, sive habitum ex peccato relictum. Sed ii adhuc improbabilius loquuntur: nam de ejusmodi habitu non potest commode intelligi illud Jacobi: 'Si in peccatis fuerit'. Neque illud formae sacramentalis: 'Quidquid deliquisti'. Deinde non videntur tolli ejusmodi habitus per hoc sacramentum: saepe enim accidit, ut qui convalescunt, eandem pronitatem sentiant ad peccandum, quam antea sentiebant. Nec immerito: habitus enim contracti per actiones frequentatas non tolluntur, nisi frequentatione contrariae actionis.

"Dico . . . : Reliquias peccatorum duplices esse, et utrarumque abstersionem ad *effectum hujus sacramenti proprie dictum* pertinere. Primum enim reliquiae dicuntur peccata, quae interdum remanent post omnia alia sacramenta, *sive mortalia, sive venialia* sint. Potest enim fieri, ut quis post confessionem et communionem, in peccatum mortale incidat et ignoret se eo peccato teneri; unde non poterit illud nova confessione expiare: potest enim fieri ut confessionem et communionem non rite peregerit, et hoc ipsum ignoret. Istae igitur sunt verae reliquiae, quae hoc sacramento tolluntur, nisi quis obicem ponat. Et hoc indicat Jacobus, cum ait: 'Et si in peccatis fuerit'. Et concilium tlorentinum cum dicit, effectum esse animae sanationem. Et tridentinum cum ait sess. 14. cap. 2. 'si quae delicta sint adhuc expianda, abstergit'. Et forma sacramentalis: 'Quidquid deliquisti per visum, tactum etc.' Denique unguntur quinque sensus, quia illa sunt quasi quinque ostia, unde peccata intrant ad animam, ut nimirum fiat generalis quaedam expurgatio omnium, quae remaneant peccatorum. Ex quo intelligimus, quam sit hoc sacramentum non contemnendum, cum aliquando fieri possit, ut per hoc sacramentum salvetur is, qui alioqui plane damnandus erat. Dicet aliquis: Id videtur commune omnibus sacramentis, ut peccata mortalia tollant, si quae inveniant, modo non ponatur obex, quia omnia sacramenta conferunt gratiam, quae non potest cum peccato mortali consistere: non igitur id est proprium hujus sacramenti. Respondeo: Omnia quidem sacramenta id efficere, sed per accidens, hoc sacramentum *per se, et proprie hoc facit,* quia ad hoc peculiariter est institutum in fine vitae.

"Secundo nomine reliquiarum peccati, venit etiam quidam torpor et moeror et anxietas, quae ex peccato relinqui solet, et quae maxime hominem morti vicinum vexare potest: de quibus loquitur idem concilium tridentinum supra citatum, et s. Jacobus, cum ait: 'Alleviabit eum Dominus'. Nam s. Jacobus brevissime omnes tres effectus sacramenti hujus complectitur, ac Primo incipit a levissimo, idest; a sanitate corporali, cum ait: Oratio fidei salvabit infirmum'. Secundo addit de uno genere reliquiarum: 'Et alleviabit eum Dominus'. Tertio addit de alio genere: 'Et si in peccatis fuerit remittentur ei'."[52]

DE SAINTE-BEUVE: "Quaerunt theologi duo: alterum, utrum remissio peccatorum sit *proprius* effectus Unctionis infirmorum. Negant eorum aliqui, maxime e schola S. Thomae, sustinentes eam esse effectum duntaxat per accidens, . . . Alterum de quo controvertitur est (dato quod remissio peccatorum sit proprius hujus Sacramenti effectus) an mortalium, an vero solum venialium? . . . Sit propositio: Remissio peccatorum est effectus proprius Unctionis infirmorum. Probatur 1° ex modo loquendi Scripturae Jacobi 5: 'Et si in peccatis sit, remittentur ei'. Quibus verbis constat peccata remitti per Sacramentum Unctionis. Quod vero remittantur per se, et non solum per accidens atque conditionate, probo. . . Quia Scriptura significat hoc modo loquendi remissionem peccatorum esse effectum extremae Unctionis speciali quadam ratione, qualis ratio non convenit caeteris Sacramentis vivorum, puta Confirmationi aut Eucharistiae, quae tamen conferunt per accidens remissionem peccatorum. Ergo extrema Unctio eam confert per se, et non solum per accidens. . .

[52] *De sacramento Extremae Unctionis,* c. 8, *Opera omnia* III (Mediolani 1859) 759sq.

"Obiicies . . . : Duo· Sacramenta non ordinantur ad eumdcm effectum. Sed Poenitentia ordinatur ad delendum peccatum mortale. Ergo Unctio extrema non ordinatur ad illud. Respondeo 1°, argumentum istud aeque solvendum esse asserentibus remitti peccata venialia vi Unctionis extremae per se; ac nobis, qui contendimus deleri etiam mortalia peccata vi illius per se, quia quamvis Sacramentum Poenitentiae sit principaliter institutum ad remissionem culpae mortalis, neque veniale peccatum sit materia ejus essentialis, est tamen ejus materia, et ordinatur per se ad remissionem utriusque: quod forma ista significat: 'Ego te absolvo'. 2° Forte major vera est de duobus Sacramentis ordinatis ex primaria intentione propriae institutionis ad eundem effectum; sed non est vera de illis ad eundem effectum secundum duplicem intentionem ordinatis, quali modo Poenitentia et extrema Unctio ordinantur ad remissionem culpae mortalis, *haec ex secundaria intentione,* illa ex primaria. Vel 3° responderi potest majorem esse veram pro eodem statu, atque pro iisdem circumstantiis; falsam pro diverso statu et diversis circumstantiis. Poenitentiam esse pro remissione culpae mortalis, quatenus homo est in statu viae, seu in itinere; et extremam Unctionem esse pro remissione culpae mortalis, quatenus homo est in statu egrediendi. Seu Poenitentiam esse pro remittendis culpis quas homo iterare potest, cum sit in statu viae: Unctionem esse pro remittendis culpis quas homo non praesumitur iteraturus cum sit in statu egrediendi."[53]

TOVRNELY: "Quaeres itaque 1. an Sacramentum extremae Unctionis peccata per se, ac directe, an vero per accidens dumtaxat remittat. Resp. 1. Dominicum Soto in 4. dist. 23. q. 1, art. 2. cum aliis nonnullis Thomistis in ea esse opinione, per Unctionem primario directe, ac per se, ut dicitur, non dimitti peccata quoad culpam, sed per accidens dumtaxat. . . Resp. 2. Sacramentum extremae Unctionis *per se, ac primario, seu vi suae institutionis,* remittere peccata. . . Quaeres 2. an remissio peccati sit *primarius effectus* hujus Sacramenti. Resp. affirmative. Quia Sacramenta ab bonum spirituale supernaturale primario, ac per se ordinantur. Quaeres 3. *an simplex sit ille primarius effectus:* hoc est in una peccatorum remissione consistat, an in aliis duobus, qui pariter ad bonum animae spirituale ordinantur, nempe abstersione reliquiarum peccati, et allevitatione infirmi. Respondet Estius in 4. dist. 23. Par. 4. hunc primarium effectum non esse simplicem, sed ex pluribus aggregatum, ex isto nimirum et duobus sequentibus. . . Quaeres 4. quaenam peccata per se, ac primario dimittat nostrum Sacramentum, an venialia tantum, an etiam mortalia. Resp. non consentire ea de re inter se Theologos. Estius loco mox citato cum multis aliis Thomistis, sola venialia, econtra Bellarminus, Maldonatus, et alii etiam mortalia peccata directe, ac per se a Sacramento extremae Unctionis dimitti existimant, quae postrema sententia vero magis proxima nobis videtur."[54]

SECUNDA SENTENTIA.

Principalis cflectus est "abstersio reliquiarum peccati" (Cone. Trid.), seu "debilitatis et ineptitudinis quae in nobis relinquitur ex peccato" {Suppi., q. 30, a. 1).

Ad rectam intelligentiam huius sententiae eiusque distinctionis a sequenti sententia Suaresii et plurium modernorum, sedulo observa quod animi debilitas et ineptitudo hic intelligitur non tantum moraliter et relative ad extrinseca agentia vel circumstantias, proveniens nempe

[53] *Dr Extrema Unctione,* disp. 5, a. 1, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 98 sq., 101.

[54] *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 4, a. 1, *Praelectiones theologicae* (Parisiis 1765) IX 435-437,

tantum ex statu physicae infirmitatis quo indirecte aggravatur ipsa anima necnon ex cogitatione praecedentium peccatorum et imminentis Dei iudicii et ex peculiaribus daemonis impugnationibus, sed intelligitur etiam ac primario *physice et absolute,* seu pro aliqua physica debilitate (i.e. "pronitate ad malum et difficultate ad bonum," *C. Gent.* 4. 73), relicta in ipsa anima ("in ipsa mente existente," *Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 2) ex praeteritis peccatis, ad eum fere modum quo sic dictus "fomes peccati" relictus est ab originali peccato, tanquam interior debilitas et profundius vulnus ipsius naturae. Consequenter, abstersio reliquiarum peccati, seu spiritualis debilitatis animae, intelligitur non tantum extrinsecum quoddam gratiae auxilium, confortans animam minuensque anxietatem circa commissa peccata et futurum Dei indicium excitansque ad fidenter resistendum impugnationibus daemonis, sed etiam, ac praecipue et per se, intrinsecus modus gratiae habitualis sacramentalis, ipsum physicum animae languorem medicans ac veluti abstergens, cui accedit multiplex extrinsecum auxilium praedictae gratiae auctualis confortantis ac ita roborantis contra timorem peccatorum ac divini iudicii et contra daemonis tentationes.

Rationes hujus sententiae, cui adstipulamur, sunt eae quas dabimus in Conci. 4.

Hanc sententiam praeformavit *Albertus Magnus,* determinavit S. *Thomas* (in Commento super Sententias), secuti sunt plures thomistae et quidam alii. Citari possunt inter alios *Capreolus, Dionysius Carthusianus, Fcrraricnsis, Dom. Soto, Gregorius de Valentia, Salmanticenses, Billuart, Billot, Pègues, Dickamp, Hugon, Garrigou-Lagrange, Zubizarreta, Boyer, Dafjara, Piolanti,* etsi non omnes satis clare loquantur, ita ut aliqui possint etiam in alio sensu intelligi (cf. infra dicenda, p. 70 et 110, de mente Gonet et Billuart). Plures alii doctores dicunt se sententiam S. Thomae tenere, sed quidam illius distinctionem a tertia sententia Suaresii mox referenda non advertunt nec proinde apparet cuinam «ententiae revera adhaereant, alii omnino in sensu Suaresii loquuntur, quos dabimus infra.

ALBERTUS M., In 4 Sent., dist. 1, a. 2, solutio,[55] agens de septenario numero sacramentorum, in quaestione *de sacramentis in genere,* distinguit sacramenta iuxta varietatem morborum spiritualium. Morbum, ad quem curandum Extrema Unctio ordinatur, vocat "reliquias quasi immobilitantes virtutes animae moventes" corpus, vel "inhabilitatem animae ad movendum" membra corporis ad bonum, ac sequenti modo describit:

"Pronitas . . . peccandi . . . [relicta ex peccato, accipi potest] secundum effectum quem inducit ex frequentia inclinationis in malum: et haec est duplex . . ., scilicet deperditio spiritualis boni in anima, ita quod indigeat restauratione, et inhabilitas membrorum organicorum, ad hoc quod moveantur ab anima in bonum,

[55] *Opera omnia* XXIX (ed. S. C. A. Borgnet, Paris: Vivès 1894) S.

et *inhabilitas animae ad movendum: et haec est quaedam reliquia peccati inducens languorem in anima movente,* et corpore moto ad bonum per omnem eumdem modum, sicut videmus incendium innaturalis caloris facere in corpore: hoc enim consumit humidum quod est radix vitae, et stolida facit membra, et virtutes membris affixas debilitat, et aufert a membris flexibilitatem, et a virtutibus facilitatem movendi. . .

"Is quidem [defectus] qui est deperditio boni spiritualis in anima quod erat quasi humidum et fomentum sive radix vitae, contra se remedium habet *Eucharistiam,* quae restaurat deperditum per cibum saginativum spiritualem. *Reliquiae autem quasi immobilitantes, membra, et virtutes animae moventes, contra se habent Unctionem extremam:* et ideo etiam illa datur exeuntibus in remedium animae et corporis: et si non tollit febrem a corpore, tamen alleviat membra ab isto contrarietatis habitu malo et dispositione, prout est impedimentum supervestitionis gloriae in resurrectione: et similiter facit in anima, quia utrumque infirmatur ab altero."

*In 4 Sent., dist. 23,*50 agens directe *de Extrema Unctione,* rem sic amplius ac frequenter determinat:

4. *1, ad 1:* "Illud sacramentum est ordinatum contra morbum specialem peccati, contra quem nullum aliud specialiter ordinatur, etsi secundario aliud possit cooperari. Est autem ille morbus *reliquiae infirmitatis spiritualis ex originali et actuali remanentis:* et hoc multum fuit supra discussum circa principium, ubi accipiebatur divisio et necessitas sacramentorum ... et ibi perfecta patet solutio istius quaestionis."

A. 2, ad 5, effectus Extremae Unctionis vocatur "alleviatio animae quantum ad purgationem reliquiarum." Ibidem, in ipsa solutione hic effectus vocatur "remedium contra peccati reliquias" atque ponitur in ipsa definitione hujus sacramenti, quae sic se habet: "Extrema unctio est sacramentum ex unctione per oleum sanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, et si expedit, alleviationem ferens corporis infirmitati."

A. 4, q. 3, ad 2: "Res [seu effectus hujus sacr.] ... est purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immediatum transitum ad requiem secundum animam et glorificationem secundum corpus" (idem fere in a. 11, ad 1).

A. 9, ad 1 et 2: "Purgatio reliquiarum secundum quod sunt impedimenta immediatae evolationis et glorificationis corporis, est *efiectus substantialis* istius sacramenti. . . Verum quidem est. quod reliquiae peccatorum secundum quod sunt impedimenta meriti, sufficienter exterminantur per Eucharistiam, et alia sacramenta: et ideo istud sacramentum [Extr. Unet.] non hoc modo ordinatur contra eas: sed potius modo praedicto, quando destituunt vires corporis et impediunt animae evolationem, praecipue secundum quod causantur a peccatis oblitis et per ignorantiam commissis".

A. 10, ad 1: "Contra reliquias obliti et ignorati actualis [non vero originalis peccati] principalem ordinem habet istud sacramentum."

A. 14, agens directe de fine seu effectu hujus sacramenti: "Effectus et res hujus sacramenti (sicut Magister dicit) est peccatorum remissio et virtutum ampliatio secundum aliquem modum: quia nihil prohibet idem in genere esse causatum a causis multis secundum diversas species quas habet: unde peccatorum remissio secundum quod conjungitur purgationi originalis, est effectus baptismi: secundum autem quod conjungitur purgationi actualis causatae cx peccati detestatione, motu liberi arbitrii in Deum, est causatum poenitentiae. . . Secundum autem, quod tollitur peccatum in reliquiis quae impediunt transitum ad requiem, purgatur in extrema unctione. Et hoc modo intelligit Magister: et secundum hanc diversitatem ad omnem peccatorum purgationem exigitur virtutis augmentum et diversimode sequitur ad ipsam."

.1. *15, ad 2:* "Peccatum est in rationali sicut in prima causa efficiente: sed non

"*Ibid.* XXX 3-29.

omne peccatum est in ea sicut in subjecto: imo *abundant reliquiae peccati ex parte potentiarum quae conjunctae sunt corpori:* quia per illas operatur circa delectationes et communicationes cum hominibus: et ideo contrahunt malas dispositiones et reliquias peccatorum ex frequenter male operari. Per illas autem potentias effectus sacramenti redundat in animam rationalem, quae movet illas potentias unitas corpori."

A. 19 effectum vocat "gratiam purgantem reliquias peccatorum." Cf. a. 17, ad 2; a. 20, ad 3; a. 21, arg. in contrarium.

S. THOMAS magistri sui Alberti doctrinam accipit ac perficit in sequentibus locis quorum explanationem dabimus infra in ipsa Conclusione:

3 p., q. 65, a. 1, corp, et ad S, agens *de sacramentis in genere,* seu de septenario numero sacramentorum, haec de Extrema Unctione dicit: "Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem . . . et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta. . . [Primo modo sic concurrit Extrema Unctio:] Quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini *curatio ab infirmitate.* Quae quidem est duplex. Una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali vita est poenitentia. . . Alia autem est *restitutio valetudinis pristinae* per convenientem diaetam et exercitium. Et loco huius in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Unde dicitur lac. 5. 15: 'Et si in peccatis sit. dimittentur ei'. . . [Secundo vero modo, ordinatur] extrema unctio contra reliquias peccatorum, *quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia aut ex ignorantia.* . .

"Ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiae. Unde cum in quolibet sacramento novae legis gratia infundatur, nullum sacramentum novae legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quaedam sacramentalia, puta per aquam benedictam et alia huiusmodi. Quidam tamen dicunt extremam unctionem contra veniale peccatum ordinari. Sed de hoc suo loco dicetur." Ad hanc quaestionem S. Thomas in sua Summa Theologica non pervenit, sed eam sufficienter tractavit in *Summa C. Gent,* et praecipue in *Comm. super Sententias.*

3 p., q. 84, a. 1, ad 1, S. Doctor effectum Extremae Unctionis sic transeunter exhibet: "In extrema unctione confertur perfecta sanitas spiritualis."

C. Gent. 4. 73, agens *de Extrema Unctione,* sic apte perstringit doctrinam de effectu hujus sacramenti:

"Ex infirmitate . . . animae, quae est peccatum, interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino iudicio dispensante. . . Conveniens igitur fuit ut *contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis,* per quam quidem spiritualem medicinam sanatur infirmitas corporalis aliquando, cum scilicet expedit ad salutem. Et ad hoc ordinatum est sacramentum Extremae Unctionis. . .

"Cum . . . hoc sacramentum sic ordinetur contra infirmitatem corporis inquantum consequitur ex peccato, manifestum est quod *contra alias sequelas peccati hoc sacramentum ordinatur, quae sunt pronitas ad malum et difficultas ad bonum: ct tanto magis quanto huiusmodi infirmitates animae sunt propinquiores peccato quam infirmitas corporalis.* Et quidem huiusmodi infirmitates spirituales per poenitentiam sunt curandae, prout poenitens per opera virtutis, quibus satisfaciendo utitur, a malis retrahitur et ad bonum inclinatur. Sed quia homo, vel per negligentiam, aut propter occupationes varias vitae, aut etiam propter temporis brevitatem. aut propter alia huiusmodi. praedictos defectus in se perfecte non curat, salubriter ei providetur, ut per hoc sacramentum praedicta curatio compleatur, et a reatu poenae temporalis liberetur, ut sic nihil in eo remaneat quod in exitu animae a corpore eam possit a perceptione gloriae impedire. Et ideo lacobus addit: 'Et alleviabit eum Dominus'. — Contingit etiam quod homo omnium peccatorum quae commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possint per poeni-

tentiam singula expurgari. Sunt etiam quotidiana peccata, sine quibus praesens vita non agitur. Λ quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari, ut nihil inveniatur in eo quod perceptioni gloriae repugnet. Et ideo addit lacobus quod, 'si in peccatis sit, dimittentur ei'. Unde manifestum est quod hoc sacramentum est ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad percipiendam gloriam praeparatur. Unde et Extrema Unctio nuncupatur."

Notandum est quod cum S. Doctor dicit hoc sacramentum esse institutum "contra peccatum . . . secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis" vel "contra infirmitatem corporis inquantum consequitur ex peccato," nequaquam loquitur de effectu principali sed tantum designat subiectum sacramenti vel circumstantiam necessitatis pro qua sacramentum est institutum; principalem enim effectum designat posterius cum ait "contra alias sequelas peccati hoc sacramentum ordinatum esse, quae sunt pronitas ad malum et difficultas ad bonum: et *tanto inagis* quanto huiusmodi infirmitates animae sunt propinquiores peccato quam infirmitas corporalis."

Negandum tamen non est S. Thomam in *Summa C. Gent,* magis peculiariter attentionem dirigere ad effectum sanitatis corporalis, ut dependentem quidem ab effectu sanitatis spiritualis. Id apparet ex *c. 58,* ubi exhibens septenarium numerum sacramentorum, effectum Extremae Unctionis, collatum cum effectu Poenitentiae, sic breviter delineat: "In vita spirituali . . . quartum ... est spiritualis sanatio, quae fit vel in anima tantum per poenitentiae sacramentum, vel ex anima derivatur ad corpus, quando fuerit opportunum, per extremam unctionem."

Suppi., q. 30, a. 1, agens *de effectu Extremae Unctionis,* aptissime tum principalem tum secundarium effectum proponit, simul directe refellens supradictam doctrinam Bonaventurae:

"Quodlibet sacramentum est institutum *principaliter ad unum effectum,* quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam *medicationis,* sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendum infirmitatem. Unde *principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati;* ut, sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et extrema unctio est quaedam *spiritualis sanatio vel medicatio.* Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale et mortale; sed contra illos defectus quibus homo *spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae.* Et hic defectus nihil est aliud quam *quaedam debilitas et ineptitude* quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali. Et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum.

"Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia et confirmatione supra dictum est. Et ideo etiam lacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: 'Si in peccatis sit, dimittentur ei' quoad culpam. Non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem praedictam, quam quidam *reliquias peccati* dicunt.

"Quidam vero dicunt quod principaliter est institutum contra veniale; quod quidem non potest, dum haec vita agitur, perfecte curari; et ideo sacramentum exeuntium specialiter contra veniale ordinatur. Sed hoc non videtur verum. Quia poenitentia sufficienter, etiam in vita, delet venialia quoad culpam. Quod autem

non potest evitari post peractam poenitentiam, non aufert praecedenti poenitentiae suum effectum. Et iterum hoc pertinet ad debilitatem praedictam.

"Unde dicendum quod *principalis effectus huius sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati;* et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat."

Ibid., ad 2: "Extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria [i.e. maculam, reatum poenae et reliquias peccati] remittit peccatum. Quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio, sicut etiam in Eucharistia et confirmatione potest accidere. — Similiter etiam et reatum poenae temporalis diminuit; sed ex consequenti, inquantum debilitatem tollit, quia eandem poenam levius portat fortis quam debilis. Unde non oportet quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura. — Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati; sed *quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata,* et eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum."

Q. 32, a. 4, ad 2: "[Hoc sacramentum] non datur contra reliquias originalis peccati nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma ["Quidquid deliquisti"] patet".

Cf. q. 29, a. 2 et 5; q. 33, a. 2, Sed Contra.

PALUDANUS: "Effectus hujus sacramenti non solum est corporalis alleviatio, sed etiam spiritualis, quae dicitur hilaritas mentis, non actualis, sed habitualis quia imprimit ornatum disponentem ad gratiam gratum facientem."[57]

CAPREOLUS (Paludani pedisequus et expositor), Durando obicienti quod, si proprius effectus Extremae Unctionis esset alleviatio debilitatis animi seu exhilaratio mentis, hoc sacramentum non posset administrari homini sensibus destituto cum non possit exhilarari, respondet: "Non est contra nos. Non enim ponimus exhilarationem mentis esse proprium effectum hujus sacramenti, si talis exhilaratio dicat actum secundum. Sed ponimus sublationem inhabilitatis et ineptitudinis ad actus gratiae, *per aliquid tamen positivum impressum, se habens per modum actus primi,* quod potest dici ornatus, vel sospitas, vel habilitatio ad actus gratiae et gloriae. Et ideo potest habere effectum in carentibus usu rationis, qui tali habilitatione indigent. . . . Remissio peccatorum, de qua fit mentio in forma sacramenti, intelligitur primario quoad reliquias peccati, sed secundario quoad culpam vel poenam, si peccata quoad hoc non sint prius remissa . . . : ita ut dicamus quod prima res hujus sacramenti, quae est res et sacramentum et gratia sacramentalis[58] est illa spiritualis unctio, de qua dictum est [i.e. quaedam actualis alleviatio seu exhilaratio mentis]; sed ultimus effectus est remissio peccatorum per gratiam gratum facientem, quoad tria, vel duo, vel unum tantum, scilicet culpam, poenam, reliquias peccati [i.e. supradicta habitualis alleviatio seu habilitatio]; directe tamen ordinatur ad tollendum tertium praedictorum, indirecte autem et per accidens ad alia duo."[59]

FERRARIENSIS, abstersionem reliquiarum peccati seu praedictae animi debilitatis eiusque relationem ad rem et sacramentum, sic apte exponit: "Considerandum . . . quod ista debilitas animae, et ineptitudo ad actus gratiae et gloriae, ex

[57] Apud Capreolum, *In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, ad 5 Durandi contra 2am conci.; confer reliqua verba Paludani infra cit., p. 158sq.

[58] Ut dictum est in tractatu *De sacr. in genere* 215, Capreolus videtur identificare gratiam sacramentalem cum re et sacramento.

[59] *In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 3, § 2 ad 2um et 4um Durandi contra secundam conclusionem, *Defensiones theologiae D. Thomae Aquinatis* VI (Turonibus 1906) 458, 460.

peccato derelicta, dicitur per extremam unctionem removeri, inquantum per ipsam causatur quaedam interior devotio, scilicet habitualis, quae est spiritualis unctio, et est dispositio ad gratiam, et ad effectum ad quem principaliter est institutum. Unde talis interior devotio est *res et sacramentum*. Robur autem contra hanc debilitatem consequens gratiam, secundum quod ex huius sacramenti susceptione causatur, est *res sacramenti.* Quod robur nihil aliud est quam quaedam dispositio et praeparatio animae ad actus gloriae, ad quos prius quodammodo contrarie, ex pronitate ad malum, erat inepta; quae ineptitude ex peccato causata est, et etiam remoto peccato quoad culpam, remanet, licet aliqualiter debilitata."®0

SOTO: "Proprius effectus sacramenti extremae unctionis est per gratiam sanare et abstergere peccatorum reliquias, et vestigia et cicatrices, quae sunt pravae habitudines: puta, pronitas et proclivitas ad malum et ineptitudo, torpor, languor, et debilitas ad operandum bonum. Ac subinde animum nitore quodam et hilaritate afficere. . . Per extremam unctionem non tollitur fomes peccati, aut pronitas naturae ad malum, quae ex peccato originali nobis insunt, suntque nobis naturales, neque eradicantur habitus ex actibus pravis ingeniti: quia illi non nisi per contrarios actus evelluntur. Sed tamen valet gratia huius sacramenti contra actus et effectus eorundem habituum ex peccatis tam originali, quam actuali impressorum, qui actus sunt inclinare ad malum: et contra infectiones membrorum, quas ex iniqua servitute peccati contraxerunt, et ad nitorem animi et hilaritatem ad ingrediendum iter gloriae."61

GREGORIUS DE VALENTIA, sic reliquias peccati seu debilitatem animi exponit: "Sciendum ... est ex peccato duplici ratione, seu nomine relinqui posse in animo difficultatem ad bonum, et proclivitatem ad malum. Primo, quatenus peccatum est actus quidam, qui ex se potest producere similem dispositionem vel habitum, si saepius fuerit repetitus. Talis enim dispositio, seu habitus ex actu malo frequentato relictus in anima, quaedam ad bonum difficultas et proclivitas, sive inclinatio ad malum censeri potest, quae quidem qualitate illa mali habitus sive dispositionis continetur. Ac non vocamus in proposito reliquias peccatorum, hujusmodi difficultatem ad bonum, et proclivitatem ad malum. Neque enim haec tollitur per sacramentum Extremae Unctionis, sed per contrariorum actuum consuetudinem, ut recte divus Thomas hic notavit, quaestione 30, art. 1, ad secundum.

"Altero modo potest ex peccato relinqui in animo difficultas ad bonum, et proclivitas ad malum, quatenus in peccato fuit quoddam experimentum rei utilis, aut delectabilis, aut etiam ipsius usus humanae libertatis: quod experimentum propter ipsam peccati illecebram animum reddit pronum ad rursus peccandum, atque adeo etiam ineptum ad bonum, quemadmodum quisque peccator in seipso id advertere potest. Haec proclivitas ad malum, et ineptitudo, seu difficultas ad bonum, non est qualitas, aut res aliqua absoluta, sed potius respectus quidam rationis, in eo consistens, quod, si quis peccavit, hoc ipso vere intelligimus. et affirmare possumus ipsum magis expositum esse periculo peccandi, quam ante, minusque expedite posse bonum operari. Hanc difficultatem ad bonum, et proclivitatem ad malum, quae ex peccato etiam semel commisso sic in anima relinquitur, vocant Theologi in proposito reliquiam, seu reliquias peccati."62

GONET: "Tertia [sententia, Thomistarum] existimat peccatorum reliquias nihil aliud esse, quam torporem quendam, et languorem, seu debilitatem ad

'"*Commentaria in Summam Contra Gentiles,* 1. 4. c. 73 (Editio leonina *Operum omnium* S. Thomac, t. 15, Romae 1930) 235.

‘‘Dist. 23, q. 1, a. 2, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Venctiis: Apud I. M. Lcnum 1575) I 1064 sq.

° *In 3 p. ac Suppl.,* Disp. 8, q. 1, punct. 3, *Commentaria theologica* (Ingolstadii: A. Sartorius 1603) IV 2021 sq.

operandum bonum, causatum ex praecedentibus peccatis, mediantibus pravis habitibus ac dispositionibus ex eo relictis, partim ex ipsa corporis infirmitate, partim ex praecedentium peccatorum recordatione et imminentis mortis propinquitate, partim denique ex terrificis Daemonum illusionibus et tentationibus; atque adeo augmentum gratiae, cum jure ad specialia auxilia quibus homo confortetur ad eliciendos actus supernaturales, et vincendas in ultimo illo agone Daemonum tentationes, esse proprium ac primarium hujus Sacramenti effectum."[03]

Fatendum est haec *Goneti* verba (necnon similia quae post ipsum profert *Billuart*) satis ambigua esse ac posse interpretari in sensu opinionis Suaresii mox referendae, atque inde ansam quibusdam modernis dedisse confundendi cum hac opinione ipsam communem sententiam Thomistarum. Non enim clare apparet utrum Gonet teneat praedictam debilitatem esse aliquid animae intrinsecum et utrum, si id teneat, putet eam curari per sola extrinseca auxilia gratiae actualis. Incongruentia hujus doctoris est logica consequentia doctrinae, sibi et Suaresio communis, iuxta quam gratia sacramentalis in genere nihil intrinsecum addit gratiae communi sed tantum extrinsecum auxilium gratiae actualis (cf. nostrum tractatum *De sacr. in genere* 215).

SALMANTICENSES: "Est . . . animadvertendum primo hoc interesse discriminis inter Poenitentiam, et Extremam Unctionem, quod illa solum inducit sanitatem, ut ita dicamus absolutam, et quoad substantiam media gratia, qua expelluntur peccata, relinquendo in homine torporem, imbecillitatem, et aliquos alios defectus, quibus homo adhuc justificatus spiritualiter infirmatur, et ad terrena semper deprimitur juxta illud, 'Corpus quod corrumpitur aggravat animam'. At vero Extrema unctio, cum sit ultimum remedium, quo ecclesia filios munit, ac disponit ad introitum gloriae, ex vi suae institutionis importat perfectam sanitatem. ad quam per se loquendo non pertingit Poenitentia. Unde abjicit, et evellit praedictos defectus adjiciendo robur, alacritatem, et promptitudinem ad sustinendos labores, et obsistendum daemonum tentationibus, quae in illo articulo calidissimae, et vehementissimae esse solent. Atque ideo proprius hujus Sacramenti finis, cum sit Sacramentum vivorum, non est tollere absolute peccata, quae per se loquendo ablata, et remissa media Poenitentia supponit, sed tantummodo reliquias peccati."[04]

PEGUES: "(Le sacrement de l'Extrême-Onction] se trouve ordonné . . . contre les restes du péché; c'est-à-dire contre la faiblesse spirituelle qui est. dans lame, la conséquence fatale des péchés précédents, qu'il s'agisse du péché originel ou des péchés actuels. Cette faiblesse, qui est un état d'infirmité spirituelle, ne permet pas à fame de vaquer aux actes de la vie de la grâce et plus encore de la vie de la gloire selon que Dieu a daigné l'y destiner. Et c'est en vue de lui rendre la plénitude de ses forces que, dans l'économie des moyens de salut institués par Lui. le Christ a placé le sacrement de l'Extrême-Onction devant être administré au chrétien qui est sur le point de mourir. *La plénitude des forces ne peut être rendue à l'âme que par une communication spéciale de la grâce, qui sera comme le couronnement, pour l'individu humain, de toutes les grâces sacramentelles précédemment reçues.* Quand cette grâce est causée par le sacrement de l'Extrême-Onction. elle exclut, du même coup, si besoin était, tout ce qui serait une présence de péchés dans lame."[63]

PIOLANTI: "Extrema unctio principaliter ordinatur ad animum alleviandum per languoris et debilitatis ablationem. . . Animi languor atque imbecillitas vita periclitanti multipliciter innascitur, nam a) infirmus experitur difficultatem ad

e De sacramento Extremae Unctionis, disp. 2, a. un., n. 1, *Clypeus theologiae thoniisticae* VI (Parisiis: Vives 1876) 705.

M De Poenitentia, disp. p. 3, dub. 1, §3, n. 41, *Cursus theologicus* XIX (Parisiis 1883) 157.

" Commentaire littéral de la Somme Théologique XIX (Toulouse 1930) 576.

bonum et pronitatem ad malum, quatenus ob propensiones perfectas aut inchoatas ex praeteritis peccatis .superstites a recte factis atque virtutis studio avocatur et ad cupiditates sectandas quodam veluti pondere inclinatur 'ut non habeat pertectum vigorem ad actus gratiae et gloriae' *(Suppi,* q. 30, a. 1). eo vel magis quod in vindictam peccatorum uberioribus gratiae actualis auxiliis destituitur, b) augetur debilitas et torpor ex adiunctis, siquidem aegrotus vexatur ingravescentis morbi incommodis, torquetur humanae naturae dissolutionis horrore angitur praeteritorum scelerum memoria, cruciatur formidandi et imminentis Dei iudicii cogitatione, c) adde quod humani generis hostis his veluti opportunis occasionibus utitur ad animae perniciem. . .

"Tantae indigentiae suppetias venit gratia sacramentalis extremae unctionis, ita aptans organismum supernaturalem *(gratiae communi addito vigore,* spei incremento, congruis gratiae actualis auxiliis), ut decumbens a suo sopore veluti expergefactus adeo roboretur ut malis propensionibus perseverantibus non obsecundans tardior fiat ad malum et expeditior ad bonum. Sic praeterea adiuvatur ut morbi afflictiones levius toleret, mortem tranquillius expectet atque divinae misericordiae se committens laeto animo ante tribunal Christi compareat. Quin immo eo armatur modo ut 'ipsius daemonis calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludat' (Catech. Trid. n. 272). Hac ratione, sane disponitur ad felicitatem aeternam immediate capessendam."0"

TERTIA SENTENTIA.

Principalis effectus est "alleviatio et confirmatio animae" (Cone. Trid.), seu "juvare et confortare animum aegrotantis hominis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis ... [idque per gratiam sacramentalem consistentem] praecipue in collatione aliquorum auxiliorum gratiae, quae [praefato] fini . . . accommodata sunt" (Suarez).

Ut iam notatum est supra (p. 63 sq.). haec sententia sedulo distinguenda est a praecedenti. Utraque quidem sententia loquitur de alleviatione seu abstersione reliquiarum peccati, sed prior loquitur primo et per se de physicis reliquiis, seu de physica debilitate in ipsa anima relicta et per physicum modum gratiae habitualis sacramentalis auferenda, haec vero sententia loquitur tantum de *moralibus, ut ita dicatur, reliquiis,* seu de morali et respectiva quadam inferioritate in qua vires animae infirmi inveniuntur in comparatione ad contraria extrinseca agentia et circumstantias, quae sunt tum ipsa corporalis infirmitas animam aggravans, tum anxietas et timor incussus ex recogitatione praeteritorum peccatorum et imminentis Dei iudicii, tum peculiaris daemonis impugnatio; quae quidem moralis inferioritas aufertur *per solum extrinsecum auxilium gratiae actualis.*

Ad hanc distinctionem nequaquam attendunt phires moderni, nominatim *SchmitzKernf' Pcsch* (infra cit.), *Kilkcr60* et *Cappello;0*

'De sacramentis ("Collectio theologica romana," v. 6, ed. 3, Torino [1951] 396 sq. " Hanc sententiam dicit esse "quam plerique post Cone. Trid. theologi tuentur, et quam Thomistac quoque in explicanda S. Thomae sententia maxima cx parte sequuntur. . . Licet enim Thomistac cum S. Thoma docent sacramentum unctionis principaliter contra reliquias peccati institutum esse, tamen has peccati reliquias ita ampliant atque intelligunt, ut re vera nullum iere discrimen inter ipsorum sententiam et eam [de

qui utramque sententiam confundunt vel potius alteram tribuunt etiam S. Thomae et Thomistis, cum quibus putant se sentire. Et tamen ipse *Suarez* (infra cit.) satis clare indicat se reformare vel perficere sententiam S. Thomae ut possit vera esse, imo ait se proponere aliquam sententiam confectam ex omnibus veris elementis quae separatim in aliis opinionibus inveniuntur.[71] Duarum sententiarum distinctionem iam signaverat ipse *Durandus* (supra cit., p. 59 sq.), reiciens sensum S. Thomae; eamque explicite notant *Hyquaeus* et *Frassen* scotistae; prior, quem alter fere compendiatur, scribit: "Prima sententia est, hoc Sacramentum primario institutum esse ad tollendas reliquias peccatorum, ita D. Thomas. . . Secunda sententia est Doctoris [Scoti], nempe effectum primarium hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum venialium. . . Tertia sententia est Suarez, qui docet effectum primarium hujus Sacramenti esse confortare animam infirmi contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis, inquantum dat robur."[72]

Rationes huius sententiae esse possunt tum impossibilitas concipiendi interiorem animi debilitatem ex peccatis relictam, ad sensum Thomistarum, et consequenter internam physicamque animi curationem, tum emphaticus et insistens modus quo effectus confortationis animae in difficultatibus occurrentibus in periculo mortis proponitur in monumentis Traditionis, in Cone. Trid. (sess. 14, prologo et cap. 2) et in Catechismo Cone. Trid. (p. 2, c. 6, n. 1 et 14-15, ubi confirmatio contra tentationes daemonis dicitur "merito omnium maximum videri posse").

Huius sententiae praecursores dici possunt *Aureolus* scotista

qua supra] . . . appareat. Cf. e.g. Gonet . . . Billuart" (Z>e *effectibus sacramenti Extremae Unctionis* [Friburgi Br. 1893] 65 sq., in textu et in nota).

[a] "*Secundum Thomistas* Extrema Unctio essentialiter ordinatur ad confortandum animum hominis infirmi. 'Sacramentum hoc est per se primo institutum propter iuvandum et confortandum animum aegrotantis hominis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis' *(Suarez,* disp. 41, s. 1, n. 11)" *(De sacramento Extremae Unctionis* [Ratisbonae 1907] 222).

[b] ""Thomists, treading the trail of their Angelic Master, say that the *confortatio animae* is the principal effect. Allied with them are Gregory of Valencia, Suarez, Becanus, Tanner, Abclly, Alphonsus de Liguori, Lehmkuhl, Simar and Schmitz" *(Extreme Unction* [St. Louis 1927] 38).

[™] "*Thomistae* cum *Angelico* docent, effectum principalem esse abstersionem reliquiarum peccati seu sanationem spiritualis debilitatis ex peccato ortae, seu aliis verbis alleviationem et confortationem animi. . . Hanc sententiam, quoad rei substantiam, tenet *Suarez* cum plerisque theologis Societatis lesu; eamque alii multi sequuntur" *(De Extrema Unctione* [ed. 2, Taurini 1942] 136 sq.).

[”] "Haec sententia [D. Thomae et Alberti] videtur pati easdem difficultates [ac ceterae]. Nam imprimis non apparet, quae sint hae reliquiae [peccati] sic explicatae, praeter fomitem, et phantasmata, vel habitus pravos. . . At fomes non tollitur per sacramentum, nec etiam habitus. . . . Nihilominus haec sententia recte explicata vera est, imo et fere omnes aliae aliquid verum habent, et ex omnibus potest una vera sententia et explicatio hujus effectus confici" (Disp. 41, sect. 1, n. 10sq.).

[”] *Comm. in Scotum, In 4 Sent.,* q. 23, q. unica, *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivès 1894) 22.

(t 1322) et *Durandus* (t 1334), quatenus videntur pro principali effectu habere hilaritatem animi, ex qua sequatur remissio peccatorum venialium.1 Eam tamen proprie ac distincte primus *Suarez* proposuit, et quidem cum quadam implicita confessione novitatis; secuti sunt plures antiquiores, ut *Becanus* (t 1625; *Theol. Schol.,* p. 3, tr. 2, c. 27, q. 6), *Tanner* (f 1635; *Theol. Schol.,* t. 4, disp. 7, q. 1, dub. 2), *Wirceburgenses* (Munier, t 1759; *De Extrema Unctione,* c. 2, a. 1), 5. *Alphonsus* (t 1787; n. 731), *Busenbaum* (t 1608; apud S. Alphonsum) et turma modernorum qui tamen, ut dictum est supra, hanc sententiam confundunt cum sententia S. Thomae et Thomistarum; inter alios notari possunt: *Schmitz, Kern, Pesch, Lépicier, Kilker, Otten, Lercher, Spdcil, Verhamme, Sold,* et inter theologos practices: *Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, Cappello, Piscetta-Gcnnaro, Conte a Coronata, Regatillo, Aertnys-Damen.*

SUAREZ: "Alii cum D. Thoma et Alberto dicunt reliquias peccatorum esse pronitatem ad malum, et torporem ac difficultatem operandi bonum, quae ex peccato originali et actuali relinquitur. *Haec sententia videtur pati easdem difficultates, quas praecedentes.* Nam imprimis non apparent, quae sint hae reliquiae sic explicatae, praeter fomitem, et phantasmata, vel habitus pravos. Ex peccato enim originali, seclusa poena et culpa, nihil aliud relinquitur, nisi fomes; ex actualibus vero nihil nisi phantasmata, vel habitus, et ab his provenit, vel pronitas ad malum, vel torpor ad bonum, *et si quid aliud fingitur, voluntarium est, nec facile explicari poterit quid illud sit.* At fomes non tollitur per sacramentum, ut per se notum est, nec etiam habitus, ut est declaratum; ergo. *Quod si dicatur, ut vere dicendum est, sacramentum hoc non tollere haec radicitus, sed juvare et confortare animum ad haec vincenda,* etc., contra hoc est, tum quod hic non videtur particularis effectus alicujus sacramenti; omnia enim dando gratiam, ejusque specialia auxilia, juvant ad vincendas et superandas has reliquias peccatorum; tum etiam quia si hic esset praecipuus finis hujus sacramenti, etiam tempore sanitatis esset suscipiendus, quia ille finis semper est necessarius. Nec refert quod in articulo mortis sit specialis necessitas; inde enim solum sequitur potissime esse suscipiendum in illo articulo, non vero in illo solo. Sicut Eucharistia etiam est magis necessaria ut viaticum in articulo mortis, et nihilominus semper sumenda est ut spiritualis cibus; ita ergo erit hoc sacramentum semper suscipiendum, ut speciale adjutorium contra fomitem, licet in articulo mortis ut medicina maxime necessaria sumendum sit. . .

"Nihilominus haec sententia recte explicata vera est, imo et fere omnes aliae aliquid verum habent, et ex omnibus potest una vera sententia et explicatio confici. Dico ergo: sacramentum hoc est per se primo institutum *propter juvandum et confortandum animum aegrotantis hominis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis.* Haec assertio fundatur primo in verbo illo Jacobi: 'Et alleviabit eum Dominus'; Graece, 'excitabit', seu 'confortabit eum Dominus'. Deinde sumpta est ex Concilii Tridentini doctrina, sess. 14, . . . Ratio vero a posteriori optime sumitur ex argumentis factis; non enim sine causa institutum est hoc sacramentum pro solis aegrotis usque ad mortis periculum; hoc est enim manifestum indicium, finem institutionis ejus sumptum esse ex speciali necessitate

1 Quoad Durandum confer supra, p. 59 sq. *Aureolus* clarius scribit: "Primus effectus, et per se istius sacramenti, et directe est gratia, ut collativa spei, et internae hilaritatis, ex hoc autem sequitur postmodum deletio venialium, aliique effectus" (7n *4 Sent.,* dist. 23, a. 2 [Romae 1605] 160).

illius articuli, quae non potest esse alia nisi quae in conclusione significatur, et a Concilio tradita est. A priori vero est ratio, quia per reliqua sacramenta sufficienter subventum est hominibus integras habentibus vires corporis pro necessitatibus omnibus in decursu hujus vitae occurrentibus ... : solum supererat necessitas articuli mortis, quae maxima est, praesertim ubi vires corporis deficiunt; optime ergo intelligitur sacramentum hoc ad praedictum finem institutum confortandi hominem et juvandi illum in mortis articulo. Tandem hoc etiam indicat ipsa exterior unctio, in qua hoc sacramentum confertur, tum quia unctio sanat et corroborat; tum etiam quia per eam disponi solent luctatores et pugiles ad pugnam. . .

"Atque hinc sequitur primo specialem gratiam secramentalem hujus sacramenti non consistere in sola remissione seu expulsione alicujus mali [i.e. peccati vel reatus poenae], sed praecipue *in collatione aliquorum auxiliorum gratiae, quae fini hujus sacramenti accommodata sunt.* Hoc constat supposita doctrina de sacramentis in genere, qua diximus, gratiam quidem communem omnibus sacramentis esse gratiam habitualem cum virtutibus et donis, seu ejus augmentum; unde haec etiam est, quae primo infunditur per hoc sacramentum, quia est fundamentum et principium totius roboris et fortitudinis spiritualis; *gratia autem sacramentalis non consistit in speciali habitu, sed in speciali auxilio proportionato efiectui sacramenti;* hoc autem auxilium maxime necessarium est in eo tempore, in quo homo gravi aegritudine laborat, et vix potest seipsum movere et excitare; ergo sacramentalis gratia hujus sacramenti includit hujusmodi auxilia. . .

"Quae ad tres praecipuos effectus dari videntur, primo *ad roborandam spem,* quae maxime in articulo mortis necessaria est. . . Et ideo alibi dixi, sicut baptismus dicitur sacramentum fidei. Eucharistia amoris, confessio poenitentiae, ita hoc posse dici sacramentum spei, quia tempore opportunissimo illam maxime corroborat. Secundo praebet hoc sacramentum auxilium *ad hilaritatem animi* concipiendam, qua infirmus morbi incommoda et labores levius fert, . . . Tertio hinc etiam promptior et fortior redditur *ad tentationes daemonis, quae tunc graviores sunt, superandas.* Atque ad hunc modum explicandum est, quod Concilium Florentinum dixit, effectum hujus sacramenti esse 'mentis sanitatem, seu sanationem', alludens ad verbum Jacobi: 'Et oratio fidei sanabit infirmum', non solum corpore, ut quidam exponunt, sed etiam animo."[7]*

SCHMITZ, praemissis verbis supra relatis (p. 71 sq., in nota), sic statuit communem quam vocat sententiam, in qua tamen abstersionem reliquiarum, in sensu thomistico, explicite relegat inter effectus secundarios: "Dicunt theologi effectum (vel finem) primarium, quem per se primo sacramentum extremae unctionis producit, in eo consistere, quod infirmus per gratias actuales roboratur et confortatur ad illas difficultates superandas, quae ei in tam periculoso mortis appropinquantis tempore imminent; alios autem effectus, qui enumerari solent (remissio peccatorum, *abstersio reliquiarum,* sanatio corporalis), revera quidem effectus proprios esse atque per se intentos, sed secundarios plus minus cum primario connexos. Hisce autem effectum primarium recte assignatum esse multiplici modo probatur. Et sane ex hac doctrina optime explicatur, quare solis infirmis (moribundis) hoc sacramentum administretur; cuius rei nulla alia ratio esse potest, nisi quia contra speciales huius momenti necessitates praecipue institutum est (cf. Cone. Trid. Prooemium). Concordat deinde etiam optime cum doctrina a Concilio Tridentino et Catechismo Romano proposita atque grave fundamentum habet in illo S. lacobi verbo: 'Et alleviabit eum Dominus'; nam secundum Estium [In h. 1.] 'ea voce significatur liberatio a torpore, maerore et anxietate, qua plerumque aegroti morte vicina gravantur, sic ut mentem ad

[7]* "In 3 p.. q. 84 sqq., Disp. 41, sect. 1, n. 10-13, *Opera omnia* XXII (ed. C. Bcrton, Parisiis: Vives 1866) 831 sq.

divina non facile queant attollere'; quae liberatio fit gratiis actualibus, quibus infirmus contra has difficultates confortatur. Tandem supradictum effectum 'etiam indicat ipsa exterior unctio, in qua hoc sacramentum confertur: tum quia unctio sanat et corroborat tum etiam, quia per eam disponi solent luctatores et pugiles ad pugnam' [Suarez]. . .

'Hinc sequitur, ut notat Suarez et Becanus, specialem gratiam sacramentalem huius sacramenti non consistere in sola remissione seu expulsione alicuius mali (culpae vel poenae), sed praecipue in collatione auxiliorum gratiae, quibus homo contra speciales difficultates mortis instantis iuvetur et corroboretur. Qua de causa etiam *haec roboratio spiritualis rectius quam abstersio 'reliquiarum' tamquam effectus principalis extremae unctionis assignatur;* licet enim quoad rem fere coïncidant, tamen, si formaliter et secundum se praecise abstersio reliquiarum sumitur, aliquid negativum exprimit. Quod clarius elucet, si finis sacramenti secundum theologos his verbis exprimitur; sacramentum unctionis esse institutum ad animam disponendam et proxime praeparandam, ut libere in regnum coelorum introire posset. Nam duplici modo hoc fieri potest: povitive. cum anima gratias actuales recipiat ad perseverandum in bono usque ad mortem, et negative, in quantum ab homine omnia auferuntur, quae aliquo modo introitum gloriae vel impossibilem reddere vel saltem retardare possint (e.g. culpa peccati, reatus poenae, ceterae reliquiae peccatorum. . .). Quae negativa praeparatio scii, ablatio omnis mali ex peccato provenientis recte dici potest effectus secundarius extremae unctionis."[76]

KERN: "Effectus principalis Extremae Unctionis est *confortatio animi hominis infirmi, qua roboratur contra pericula debilitatis spiritualis, quae grave morbum consequitur.*

"*Probatur . . . ex* consideratione subiecti Extremae Unctionis. . . Consideratio [enim] subiecti Extremae Unctionis optimum est medium inveniendi eius effectum primarium. . . [Hoc] sacramentum institutum est tantum pro illis fidelibus, qui in periculo mortis versantur non qualibet ex causa, sed ex gravi infirmitate. Ergo essentialiter ordinatur ad superanda mala, quae cum gravi infirmitate cohaerent, et ad conferenda bona, quibus soli et per se omnes fideles gravi morbo oppressi opus habent. Porro unum est proprium illis, qui cum periculo decumbunt: debilitas spiritualis ex afflictione corporis, prostratio virium mentis ob collapsas vires inferiores. Inde oritur specialis difficultas cooperandi cum gratiis per alia media supernaturalia collata, imbecillitas in reiciendis tentationibus varii generis, periculum multiplex perdendi salutem. Ergo Extrema Unctio natura sua est medicina contra debilitatem spiritualem cum gravi morbo coniunctam. praestat robur spirituale extraordinarium et in eo firmissimum praesidium contra omnia pericula salutis.

"Sit graviter aegrotus in omnibus aliis superior e.gr. illi, qui capitis est damnatus; sit iam liber ab omni vel levissima culpa et a toto reatu poenae temporalis. habeat multas rationes cum firma fiducia exspectandi transitum in alteram vitam. Unum ei naturaliter deest, quod alter possidet: vigor mentis, quo sit idoneus, ut expedite cooperando gratiis per alia media acquisitis seipsum strenue iuvet ad sancte perferendos dolores et molestias morbi, ad exercendos omnes actus virtutis statui suo consentaneos et ad prosternendum inimicum humanae naturae. Generatim omnes graviter infirmi subsunt actu vel, si mentis non sint amplius compotes, habitu debilitati spirituali exceptis perpetuo amentibus et infantibus ante obtentum usum rationis, quorum vita spiritualis cum nondum inceperit, per afflictionem corporis nequit debilitari. Iisdem exceptis Ecclesia omnibus et solis graviter infirmis largitur sacramentalem Unctionem, si adsint illa, quae ex communi ratione sacramentorum sunt necessaria.

"Ut omnia colligamus: quilibet homo, qui habet potentiam passivam recipiendi

[76] *De effectibus Extremae Unctionis* (Friburgi Rrisgoviac 1893) 67-$9,

confortationem contra debilitatem spiritualem, quae gravem morbum comitatur, capax est sacramenti, dummodo adsint aliunde requisita (character baptismalis, intentio . . .), etiamsi aliis eius fructibus nullo modo opus habeat; nullus autem, cui deest dicta potentia passiva, capax est sacramenti, etsi reliqui eius fructus ipsi maxime essent utiles. Ergo effectus principalis Extremae Unctionis est confortatio animi hominis infirmi, qua roboretur contra pericula debilitatis spiritualis, quae gravem morbum consequuntur."[76]

PESCH: "Primarius effectus extremae unctionis est confortatio animae, qua tollitur infirmitas spiritualis remanens ex peccatis. Haec enim infirmitas spiritualis numquam periculosior est quam in extremo agone. . . Infirmitas autem mentis triplex est: Diffidentia quaedam propter peccata praeterita, pusillanimitas propter aerumnas praesentes, trepidatio propter instantem cum hoste luctam. Ergo hoc sacramentum contra diffidentiam auget fiduciam, contra pusillanimitatem affert hilaritatem, contra trepidationem dat alacritatem. Producit autem hos effectus dando gratiam sanctificantem cum iure ad auxilia actualia, quae necessaria sunt ad has molestias superandas."[77]

QUARTA SENTENTIA. 3

Principalis eflectus est "sanitas corporis" (Cone. TridP).

Rationes hujus sententiae esse possunt, tum quia hic effectus videtur primus indicari in ipso textu lacobi: "Infirmatur quis in vobis. . . Oratio fidei salvabit infirmum," tum emphaticus et insistens modus quo hic effectus proponitur in tota Traditione, tum quia sicut Poenitentia ordinatur praecipue ad sanandum morbum spiritualem, ita convenit ut sit aliud sacramentum principaliter ordinatum ad sanandum morbum corporalem qui a spirituali dependet.

Haec sententia est propria plurium theologorum *Schismaticorum Orientalium,* signanter inter Graecos *Mesoloras, Andrutsos, Dyovuril·· otis,* et inter Russos *Filaretis* metropolitae, *Macarii Bidgakov* metropolitae, *Stephani* (Mogilevskij) episcopi, *Jastrebov, Malinovskij.* Quibus tamen nullatenus favent libri symbolic! ecclesiae orientalis et satis explicite contradicunt alii quidam theologi, ut Katanskij et Dukas.

Ad rem SPAÜIL: "Longe maior theologorum [schismaticorum] pars, aliter ac libri symbolici, primo loco ponit sanitatem ab infirmitate corporis; aliqui insuper expresse addunt hunc effectum esse principalem. Sanationem morbi corporalis potiorem esse s. euchelaei effectum saltem implicite tenent omnes ii, qui iam in ipsa definitione mysterii huius primo loco sanitatem corporis adducunt, ex quibus ceterum multi hoc etiam explicite affirmant, ubi de subiecto sacramenti inquirunt. Quibus adhuc addendi sunt Filaret, Silvester, Jastrebov, Athanasios Parisiensis, Theophilos Kampanias.

"Irnmo etiam ex iis qui in definitione primo loco posuerunt sanationem animae seu peccatorum remissionem, aliqui postea de subiecto sacramenti agentes primo loco corporalem sanationem commemorant. Sic ex antiquioribus Symeon Thessalonicensis, ex recentibus Firmilijan. Ex iis theologis, qui non solum sanitatem corporis primo loco inter effectus mysterii adducunt, sed expresse hunc effectum

'· *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 236-238.

" *De Sacramentis,* pars 2, n. 542, *Praelectiones dogmaticae* (cd. 4 ct 5, Friburgi Brisgoviae 1920) VII 274 sq.

potiorem et principalem appellant, legantur v. gr. Mesoloras, Malinovsky, Jastrebov. Obicitur a Mesoloras Ecclesiae catholicae, quod principalem fructum s. euchelaei videt in remissione peccatorum, contra verba s. lacobi, primo loco de sanatione corporis loquentis. Malinovsky scribit primum et substantialem effectum in hoc sacramento expostulandum et per illud obtinendum esse restaurationem virium corporalium et spiritualium, particulariter autem sanationem a morbo corporali. Quam sanationem corporis primum et principalem effectum supematuralem s. unctionis constituere affirmant Jastrebov, Makarij, Filaret. Andrutsos, Dyovuniotis.

"*Non tamen hanc sententiam omnino communem esse apud separatos* ipse Andrutsos concedit scribendo aliquos theologos orientales censere principalem fructum extremae unctionis esse peccatorum remissionem. Quod implicite saltem affirmare dicendi sunt omnes ii auctores, qui in definitione sacramenti primo loco, peccatorum remissionem nominant, exceptis paucissimis illis, de quibus modo diximus. Ceterum aliqui theologi hoc explicite quoque enuntiant; sic e. gr. apud Russos Katansky scribit ex doctrina Patrum sanationem spiritualem in s. unctione principaliter considerandam esse; ex Graecis antiquioribus Joannes Nathanael extremam unctionem concessam esse censet 'ad delenda peccata et dimittenda delicta, saepe etiam ad obtinendam sanitatem'; ex recentibus Pidalion auctores solius peccatorum remissionis mentionem faciunt, Dukas scribit s. unctionem 'non solum remissionem peccatorum, sed etiam sanationem ab infirmitate' efficere. . .

"Sanationem ab infirmitate corporis autem esse effectum huius sacramenti potiorem et principalem iuxta Andrutsos elucet ex doctrina ecclesiae orthodoxae, conformi cum textu lacobi. Et re quidem vera omnes theologi opinionem de corporali sanitate ut effectu principali s. unctionis profitentes ad textum s. apostoli et ad doctrinam et praxim ecclesiae in Euchologiis praesertim expressam provocant; rem tamen sufficienter sese demonstrasse putant inde, quod sanitas corporis a lacobo primo loco ponitur, remissio peccatorum secundo, et conditionate tantum, et quod in orationibus ab Euchologiis praescriptis primum sanatio corporis, secundo salus animae expetatur. Addit quidem Golubcev ritum s. euchelaei initio in solis supplicationibus pro sanitate infirmi . . . probabiliter constitisse (quod ceterum nimis probaret, remissionem peccatorum scilicet initio pro effectu sacramenti ne habitam esse quidem) ; sed haec coniciendo solummodo proponuntur. Vice versa merito Petrovsky cum aliis animadvertit magnam fuisse olim in diversis locis diversitatem s. unctionis orationum, ex quibus haec unum, illa alium sacramenti fructum primo loco expetebat."[78]

MACARIUS BULGAKOV, metropolita russus, scribit: "Invisibiles salutares effectus s. Unctionis . . . sunt: primo sanatio morborum corporalium. Pro infirmis corpore proprie institutum est mysterium s. Unctionis. *Sanatio igitur morborum corporalium constituit principalem effectum* salutarem huius mysterii, sicut dixit apostolus: 'Infirmatur quis in vobis . . . oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus'. . . Secundo sanatio morborum spiritualium. Postquam de primo et immediato effectu s. Unctionis, de liberatione infirmi a morbis corporalibus locutus est, s. Jacobus adiungit: 'Et si in peccatis sit, remittentur ei'. Hisce conditionatis verbis: 'Et si in peccatis sit', apostolus, ut patet, supponit, aegrotum ante s. Unctionem iam esse usum alio medio a peccatis liberante, mysterio Poenitentiae; alias non potuisset aegrotum inducere sine peccatis."[70]

STEPHANUS, episcopus russus: "Poenitentia destinata est ad sanandos morbos animi. In illo mysterio vi gratiae divinae peccata in aeternum delentur ex anima hominis et ex libro vitae. Benedictio vero olei destinata est *principaliter ad hoc,* ut sit spiritualis medicina contra morbos corporis. Hoc modo sanatio corporis est

[78] *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 94-97.

[70] *Orthodoxo-dogmatica theologia* frussicel II (ed. 5, Petropoli 1895) § 232, apud Kern, *of>. cit.* (supra, in p. 76) 216 sq.

primus et necessarius eius fructus salutaris. 'Infirmatur quis .... alleviabit eum Dominus'. Sanatio vero animae solum ut ulterior conditionatus fructus cum sacramento coniungitur. 'Et si in peccatis sit, remittentur ei'. Consequenter mysterium Poenitentiae sanat animam, mysterium benedictionis olei corpus."[80]

His simplicioribus quatuor sententiis addendae sunt *peculiares quorundam opiniones,* qui ad commodius solvendas difficultates, in quas illae sententiae impingere videntur, *plures vel omnes ex supradictis effectibus proponunt ut aeque principales,* saltem secundum diversam considerationem vel relate ad diversum subiectum.

Et imprimis ipsa opinio *Bellarmini,* ut dictum est supra (p. 61), necnon sententia *Suaresii* quae nonnisi apparenti simplicitate gaudet (cf. infra, p. 97 sq.), reduci possunt ad quandam sententiam mixtam.

Estius († 1613) tamen hanc explicite proponit, scribens: "Posset tamen meo judicio melius responderi; primarium ejus effectum *non simplicem esse, sed ex pluribus aggregatum;* nimirum ex isto [i.e. remissione venialium, quam proponunt scotistae] et duobus sequentibus [i.e. abstersione reliquiarum peccati et confortatione animi]; quod satis et ratio institutionis ejus requirit, et verba Concilii Tridentini indicant."[81]

Laurentius Berti († 1766) omnes spirituales effectus, unumquemque sub aliquo ordine vel ratione, proponit ut principales, scribens: "Hi... effectus, si attendantur singuli in suo ordine, praecipui ac primarii aliqua ratione sunt omnes. Sanatio enim spiritualis est id, cujus gratia hoc sacramentum fuit institutum; atque in hoc sensu subscribendum est s. Thomae. In eadem sanatione debet primum tolli, quidquid est spiritualis infirmitatis origo, et ita prius absterguntur peccatorum reliquiae, ut censent s. Bonaventura, Scotus, Durandus. Si finis habenda sit ratio; virtus gratiae, in quantum corroborat adversus insidias daemonum, proximumque mortis periculum, erit pariter effectus primus. Hac autem distinctione facillime diluentur argumenta superius posita [pro sententiis s. Thomae et Scoti]."[82]

Amandus Hermann († 1700) omnes prorsus effectus, etiam ipsam corporalem sanitatem, ut principales proponit, ita tamen ut unusquisque dicatur principalis inadaequate et relate ad hunc vel illum infirmum: "Dico ... : Effectus principalis Unctionis, ut habet rationem huius determinati sacramenti, est: liberare a venialibus, alleviare infirmum, et curare infirmitatem infirmi, si sit expediens, ita ut

[80] *De sacramentis et ritibus orthodoxae ecclesiae* Irussicc (Charkov 1904) 18, apud Kern, *ibid.* 217.
[81] *In quatuor libros Sententiarum commentaria* (Parisiis 1680) III 288.
[82] *De sacramento Extremae Unctionis,* c. 10. *De theologicis disciplinis* (Bassani 1792) VIII 34 sq.

quilibet ex his sit principalis, licet inadaequatus effectus eius."[83]

Lugo (f 1680) videtur proponere ut effectum principalem utramque sanitatem seu confortationem animae et corporis; attamen nonnisi transeunter hoc dicit in suo tractatu *Dc Poenitentia,* scribens: "Sacramentum unctionis ex sua institutione respicit peccata solum sub conditione, ut constat ex verbis lacobi. . . Datur [vero] primario, et absolute ad confortandum mentem, et corpus, tamquam utriusque medicina".[84]

His accensendi sunt aliqui moderni moralistae, qui tamen videntur rem potius superficialiter expedire, utpote extra propriam provinciam loquentes. Ita *Génicot-Salsmans:* "Delere reliquias peccatorum: quo nomine veniunt spiritualis debilitas quae ex peccatis in anima remanet, et debitum poenarum temporalium ex iisdem contractum. . . Hic effectus primarius est" (n. 419). *Noldin-Schmitt:* "Horum effectuum alii primario et principaliter, alii per se quidem, sed solum secundario intenduntur. Primus ex supra nominatis (confortatio animae) ad effectus primarios pertinet, de secundo (abstersione peccati [venialis] et poenarum) idem dicendum videtur; tertius et quartus (remissio peccati mortalis et sanatio corporis) omnibus consentientibus effectus secundarios extremae unctionis constituunt" (n. 430). *Vcrnieersch:* "Effectus primarius seu principalis est restauratio integritatis spiritualis, quod infert confirmationem animi debilitati, et exstinctionem poenarum debitarum pro peccatis; effectus secundarius est remissio culparum tam venialium quam mortalium" (ed. a. 1948, n. 603).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Principalis cflcctus huius sacramenti non est sanitas corporalis.

Probatur.

Sententia theologorum orientalium, quae contrarium asserit, nihil solidum habet quo fulciri possit sive ex Scriptura, sive ex Traditione, sive ex ipsa natura seu indole huius sacramenti; quinimmo, ex tribus his radicibus eius confutatio confici queit.

1. *Quoad Scripturam,* ex textu *Marci* 6. 12 sq. in quo proponitur tantum effectus corporalis sanationis, nihil in favorem illius sententiae deduci potest, tum quia probabilius in eo non agitur de sacramento

[83] *Tractatus theologici in 4 Sent.,* tr. S, q. 4.
[84] *De Poenitentia,* disp. 13, sect. 3, n. 79, *Disputationes scholasticae* IV (ed. J. B. Fournials, Parisiis 1892) 722.

instituto sed tantum de allusione et praeparatione sacramenti adhuc instituendi, quae quidem apte fieri potuit per signum solius materialis sanationis cum per materialia soleant spiritualia innui ac praeparari, tum quia etiam si in eo ageretur de ipso iam instituto sacramento, qua ratione inde deduceretur corporalem sanationem esse principalem effectum sacramenti, eadem ratione cum Protestantibus contra ipsos Orientales deduci posset eam esse unicum effectum, cum de nullo alio mentio fiat.

In ipso autem textu *Iacobi* 5. 14 sq., etsi certe agatur etiam de corporali sanatione, non tamen certo constat quo verbo ea significetur, utrum priori verbo "salvabit," an posteriori "alleviabit," an utroque, ad modum unius cum spirituali et secundum se principaliori sanatione (cf. supra, p. 19 sq.). Ceterum, etiam si cum quibusdam doctoribus admittatur effectum corporalem prius significari (verbo scilicet "salvabit") quam spiritualem ("alleviabit"), non inde sequitur ipsum esse primarium seu principalem, cum ageretur de sola materiali et accidentaria mentionis prioritate; nec id deduci potest ex ipso contextu subiecti cui iuxta Apostolum mederi debet, scilicet hominis corporaliter infirmi, nam hoc ostendit quidem conditionem subiecti cui medendum est necnon generalem indolem remedii adhibendi, scilicet corporalem simul ac spiritualem aliquam sanitatem, sed non necessario principalitatem unius sanitatis prae altera, quinimmo ex hoc ipso quod in adiutorium iubetur Ecclesiae ministrum advocari, ipsius spiritualis sanationis principalitas indirecte proponitur.

2. *Traditio,* etiam attentis solis duobus primis periodis (saec. 2-4 et saec. 5-8; cf. supra, p. 20-29) quae praecesserunt schisma orientale, tam signanter et insistenter spiritualem effectum una cum corporali proponit ut, ex comparatione textuum, illius principalitas non difficulter detegatur. Et, ut maneamus in solis documentis ecclesiae orientalis, praecipua et clariora documenta de hoc sacramento in prima periodo sunt tria testimonia orientalia, scilicet Origenis, Chrysostomi et Sacramentarii Serapionis; iamvero in duobus prioribus est sermo de solo spirituali effectu remissionis peccatorum, in tertio autem, in quo fit sermo de utraque sanitate tum corporali tum spirituali, haec manifeste extollitur ("In sanitatem et integritatem animae et corporis et spiritus"; cf. totum textum in tom. 1, p. 112); in eadem periodo Irenaeus, Eusebius Caes. et Athanasius nonnisi spiritualem effectum proponunt. In secunda periodo Hesychius solum spiritualem effectum proponit ac magnifice extollit ("Maxime animae passiones sanat"); Victor Antiochenus utrique affectui idem momentum tribuit, et similiter Mandakuni loquitur tum de "dono curationis" tum de "dono gratiae"; Cyrillus vero Alex, et Procopius Gazaeus ideo de sola cor-

porali sanatione loquuntur quia intendunt fideles avertere a superstitioso recursu ad magicas artes pro beneficio illius sanitatis obtinendo.

In ipsa tertia periodo (saec. 9-12), iam vigente schismate, *Theophylactus* (saec. 11) vix non solum spiritualem effectum proponit (cf. in p. 31). Ipsa forma sacramentalis "Pater sancte," in usu apud Graecos saltem inde ab hac remota aetate, utrique effectui corporali et spirituali aequum momentum tribuit (cf. in tom. 1, p. 511), imo in ipso eius initio refert prius effectum spiritualem quam corporalem ("Animarum et corporum medice"), etsi subinde ordinem invertat ("Sana ab infirmitate et vivifica per gratiam"), et reliquae orationes liturgiae Graecae, incertae originis, spiritualem effectum amplissime extollunt (cf. in p. 35). imo quaedam nonnisi hunc effectum explicant. Ipsi posteriores libri symbolici ecclesiae orientalis manifeste contradicunt doctrinae supradictorum ipsius doctorum; ita *Confessio Orthodoxa Petri Moghilae* habet: "Commoda quae proveniunt ex hoc mysterio Apostolus lacobus expressit: remissionem peccatorum sive salutem animae, deinde corporis sanitatem, quamvis non semper corporis, animae vero remissio peccatorum semper fit in poenitente."[85]

Praeterea, Traditio effectum huius sacramenti proponit generaliter ut quoddam complementum effectus sacramenti Poenitentiae et quandam praeparationem ad gloriam (inter ipsos orientales vide Irenaeum, Eusebium Caes., Athanasium. Hesychium, liturgiam Graecam); quod quidem vix quadrare potest cum opinione iuxta quam hoc sacramentum esset principaliter ordinatum ad conferendam corporalem sanitatem. Ut dictum est supra (p. 39 sq.), inaniter doctores orientales traditionalem doctrinam de effectu praeparationis ad gloriam negare vel attenuare conantur (cf. in p. 6); ceterum, ipsi saltem admittunt Extremam Unctionem esse complementum Poenitentiae et ita etiam eam passim appellant (ita inter alios Dyovuniotis, Maltzew et Malinovskij).

Praeterea, Traditio proponit sanitatem corporalem ut effectum *conditionatum;* iamvero id non convenit saltem principali effectui sacramenti, quod habet efficaciam simpliciter et absolute. Inepte autem doctores schismatici reponunt eam conditionem esse dispositionem subiecti, quae conditio non repugnat principali effectui sacramenti, cum sit communis et necessaria conditio efficacitatis omnium sacramentorum; nam Traditio potius eam conditionem refundit in connexionem corporalis sanitatis cum salute animae, prout subjacet divinae dispositioni et cognitioni.

Ceterum, ipsi doctores orientales alias etiam conditiones, praeter subiecti dispositionem, apponunt huic effectui; unde vix apparet quo-

[85] Apud A. Malvy et M. Viller, *La Confession Orthodoxe de Pierre Moghila. Texte latin inédit* ("Orientalia Christiana," n. 39, Paris 1927) 70.

modo sibi convincant exinde non infirmari eorum sententiam iuxta quam corporalis sanatio est principalis effectus huius sacramenti. Ad rem *Spdcil:* "Sanitatem corporalem non semper restitui per sacramentum iuxta Filaret per se intelligitur et ipsa experientia comprobatur. Ratio est saepe in defectu dispositionis necessariae in subl-ecto, maxime in defectu fidei et in duritia cordis; sic enim ipsa ss. Eucharistia indigne manducantibus et bibentibus in indicium est. Concedunt tamen neque subiecto rite disposito sanitatem corporis semper conferri. Quod quidem ex arcanis rationibus soli Deo notis accidere censet Georgopulos; alii autem ad sapientiae Dei consilium appellant, qui optime noverit, cui sanitas, cui infirmitas prosit, neque per s. unctionem hominum mortalium naturalem constitutionem et sortem violenter mutare neque pignus immortalitatis iis conferre voluit. Sanitatem corporalem nonnisi conditionate conferri difficultatem aliquam facere contra sententiam sanationem hanc pro effectu principali habentem, sentiunt illi theologi et ipsi; nam praecise inde, quod remissio peccatorum a s. lacobo extremae unctioni conditionate tantum attribui videtur, comprobare consueverunt, ut vidimus, effectum remissionis principalem esse non posse. Quam difficultatem tamen sufficienter sese putant solvere, si rationes modo notatas proponant, cur Deus infirmos per s. euchelaeum non semper sanet. Addunt aliqui Deum semper sanare, si hoc necesse est, vel si hoc sine miraculo fieri potest, vel si s. unctio tempestive administratur; et iis qui non sanantur, per sacramentum hoc alleviationem quandam aut semper aut saepius saltem obtineri."[86]

3. *Ratio ipsa sacramentalis* excludit sanitatem corporalem a dignitate principalis effectus, considerata tum indole effectus sacramentalis tum propria efficacitate sacramenti ex opere operato.

Effectus enim et finis omnis sacramenti est salus et sanctificatio animi, cum sacramentum sit essentialiter signum practicum gratiae, nec ideo potest quilibet alius effectus in sacramentali consideratione concipi aut in sacramentalem ordinem ingredi nisi prout ordinatur ad gratiam et dependenter ab ea. adeoque secundarie. Unde assumere aliquid corporale ut principalem effectum alicuius sacramenti, est pervertere totum ordinem sacramentalem a Deo statutum et totam doctrinam sacramentalem a Traditione propositam.

Praeterea, sacramenti efficacia est necessaria, seu ex opere operato, semel quidem supposita congrua subiecti dispositione; talis autem efficacitatis effectus principalis nequit esse id quod non semper datur per sacramentum imo saepe frustratur, qualis est sanitas corporalis,

[86] *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unclidfye* ("Orientalia Christiana/' n. 74, Romae 1931) 98.

sed potius esse debet id quod semper per sacramentum confertur, scilicet sanitas spiritualis. Inepte autem theologi orientales conantur adducere varias rationes quare, etiam stantibus bonis subiecti dispositionibus, corporalis effectus frustretur, nam, quidquid sit de talibus rationibus quas etiam doctores catholici assignant, de facto talis effectus est frustrabilis et quampluries frustratur, nec ideo esse potest principalis ipse effectus ad quem necessaria sacramenti efficacitas ordinatur.

Conclusio 2. Principalis effectus hujus sacramenti non est remissio peccatorum, sive generice, sive mortalium, sive venialium.

Probatur 1. *QUOAD PECCATA IN GENERE.*

1. *Scriptura* duos alios effectus, scilicet salvationem et alleviationem, proponit absolute, etsi modo quodam indeterminato (‘Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus”), remissionem autem peccatorum proponit conditionate tantum (“Et si in peccatis sit, remittentur ei”). lamvero principalis ac specificus effectus nequit esse aliquid conditionatum, cum omnis causa ad proprium effectum simpliciter ordinetur, seu absoluto quodam nexu cum ipso vinciatur et necessaria relatione ad ipsum referatur.

Nec valet excipere cum Scotistis ea verba Scripturae non esse conditionalia sed assertiva (Si in peccatis sit = Quamvis sit in peccatis, vel cum sit in peccatis). Nam, ut alibi diximus (tom. 1. p. 81; cf. hic, p. 20), hanc interpretationem excludit tum textus, quia quando particula “si” in Scriptura adhibetur assertive lectio graeca habet *A* cum verbo indicativo, non vero «ἐ» cum subiunctivo, ut in textu Iacobi; tum contextus seu implicita oppositio cum duobus aliis effectibus ab ipso Cone. Trid. his explicitis conditionalibus verbis expressa: “Delicta, si quae sunt adhuc expianda, abstergit”; tum ipsa subiecta materia, cum non necessario homo sit in peccatis sed possit esse sine ullo peccato etiam veniali in momento quo suscipit hoc sacramentum.

Nec etiam valet conditionalem vim verborum Iacobi subtiliter eludere, eam transferendo ad aliud obiectum, dicendo nempe quod conditio refertur non ad existentiam sed ad essentiam seu qualitatem peccatorum, ita ut illa verba non significent: “Si existunt peccata, remittentur ei” sed: “Remittentur ei peccata, non quaelibet, sed quae sint relicta seu non remissa per alia sacramenta.” Nam, res in idem reincidit, quia, cum non sit necesse ut quaedam peccata irremissa relinquantur ab aliis sacramentis, ipsa existentia horum irremissorum peccatorum incerta est ac ideo Extrema Unctio nequit ad ipsorum remissionem referri nisi tanquam ad conditionatum effectum.

2. *Traditio* quidem constanter et emphatice remissionem peccatorum proponit (cf. supra, p. 37 sq.), sed hinc non sequitur principalem effectum sacramenti esse remissionem ipsorum peccatorum prout distinguitur a remissione seu abstersione reliquiarum peccatorum, secus etiam sequeretur principalem effectum esse remissionem quorumlibet peccatorum, sicut in sacramento Poenitentiae, nec tantum peccatorum quae relinquuntur post alia sacramenta, ut volunt adversarii, nam Traditio non distinguit inter peccata et peccata, sed loquitur modo generico de peccatis, imo quandoque modo extensivo de omnibus peccatis (v.g. *Liber Ordinum:* "Peccatorum omnium remissio"). Oportet igitur verba Traditionis accipere, iuxta diversum contextum, quandoque de remissione ipsorum peccatorum, quandoque generaliter de remissione tum peccatorum tum ceterorum quae cum peccatis connectuntur atque sub ea ratione peccata dicuntur. Ceterum non minus emphatice Traditio adhibet generaliores expressiones quae utrumque sensum complectuntur vel etiam magis directe referuntur ad solas peccati reliquias ("Evacuatio omnis aegritudinis mentis," "Mundatio ab omni sorde et contagione peccati," "Plena interior sanitas," "Perfecta liberatio a peccatis"; cf. supra, p. 38).

Cone. Trid. remissionem peccatorum habet ut effectum conditionatum, adeoque non ut principalem; inepte autem contrarium infertur ex eo quod Concilium refert primo loco remissionem peccatorum. Praeterea *Catechismus Cone. Trid.* explicite remissionem peccatorum generice sumptam excludit a ratione effectus principalis, qua parte ab hac ratione excludit remissionem mortalium.

Forma quidem sacramentalis, in usu in Ecclesia latina, refert solam indulgentiam delictorum, sed inde non sequitur remissionem ipsorum peccatorum esse principalem effectum, tum quia secus etiam sequeretur principalem effectum esse remissionem quorumlibet peccatorum nec tantum eorum quae sint relicta post alia sacramenta; tum quia, ut constat ex ecclesiastico et theologico usu vocis peccati, non necessario ea verba ("Indulgeat . . . quidquid deliquisti") sunt accipienda de ipsis solis peccatis potius quam etiam de reliquiis peccatis;[87] tum quia nec in forma graeca nec in aliis antiquis formulis latinis remissio peccatorum explicite refertur, adeoque inepte principalis effectus diiudicatur ex eo tantum quod explicite exprimitur in forma sacramentali; tum quia, ut alibi explicatum est cum S. *Thoma* (in tom. 1,

[87] Accepta causa pro effectu, peccatum dici solet etiam quidquid ex peccato relinquitur. *Apostolus, Rom.* 7, pluries ipsum fomitem scu concupiscentiam peccatum appellat. *Cone. Trid.,* sess. S, can. 5, loquens de magis propria ratione peccati, ab ea excludit concupiscentiam. includit vero "quidquid [hominem] . . . ab ingressu caeli remorctur" *(Denz.* 792). S. *Thomas, Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 2, absque scrupulo aut acquivocationc, ait: "Extrema Unctio aliquo modo quantum ad illa tria [maculam, poenam et reliquias peccati] remittit peccatum" (cf. ipsam, ob. 2, cui respondet).

p. 549 sq., et in tractatu *De Poenitentia* III 525-528), propria significatio formae sacramentalis accipienda est proportionaliter ad materiam sacramenti ex qua sensus formae determinatur (3 p., q. 84, a. 3: "Oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur proportionaliter materiae sacramenti"), materia autem huius sacramenti est unctio seu medicatio infirmi, ac ideo verba ipsius formae latinae "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti" accipiunt formalem sensum indulgentiae seu remissionis medicativae, quae primo et per se refertur ad abstersionem reliquiarum peccati (quae proinde est principalis effectus expressus in ipsa forma sacramenti qua tali), cum de ipso peccato non fiat proprie medicatio seu curatio, ut notat S. Thomas, sed suscitatio, veluti a quadam morte spirituali.

Ex quo manet divulsum praecipuum argumentum quod plures theologos commovisse videtur ut sententiam Scoti sequerentur vel adaptarent.

Pariter ex dictis sub hoc et praecedenti numero manet soluta *prima ac complexa ratio* quae ex variis auctoritatibus adducitur ab adversariis contra praesentem Conclusionem (cf. supra, p. 53 sq.).

3. *Ratio theologica* non uno modo nostram Conclusionem corroborat. *Primo* quidem, hoc sacramentum est institutum ad modum medicationis, seu non ad auferendum ipsum vulnus vel morbum peccati, sicut Poenitentia, sed ad curandam infirmitatem seu debilitatem quae ex vulnere resultat. Id ostendit ipsa materia, seu unctio, qua sacramentalis significatio completur, iuxta Cone. Tridentini verba: "Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis iungitur, repraesentat" (cap. 1, *Denz.* 908). Unctio enim olei in curationibus corporalibus non adhibetur ad ipsum vulnus seu morbum auferendum, cum ad hoc sit inefficax et impotens, sed ad perficiendam curationem et alleviandam infirmitatem per virtutem olei quod est lenitivum et suaviter curans, mollificando asperitates corporis, alleviando eius gravitatem, mitigando ejus dolores atque illud leniter exhilarando (cf. dicta in tom. 1, p. 339-344).

Secundo, ad remittenda peccata post Baptismum commissa principaliter ordinatur aliud sacramentum, scilicet Poenitentia.[83] Ergo principalis effectus Extremae Unctionis nequit esse remissio peccatorum, secus frustra duo sacramenta ad eundem effectum et finem instituta essent. Nec valet dicere Extremam Unctionem esse institutam non quidem ad remittenda peccata simpliciter sed ad remittenda peccata relicta seu non remissa per Poenitentiam; nam, cum Poeni-

[83] Cf. tractatum *De Poenitentia* I 215 sqq.

tentia peccata remittenda respiciat generaliter et inconditionate atque ad ea remittenda ordinetur etiam postquam irremissa relicta fuerint, etsi per accidens contingat ut hoc vel illud subiectum non possit Poenitentiam iterum suscipere, Extrema Unctio nequit peccata relicta remittere, nisi veluti extraordinarie ac secundarie, atque ideo nequit illorum remissionem respicere ut effectum principalem. Ceterum, si accidentaria illa impossibilitas suscipiendi sacramentum Poenitentiae valeret secundum se ad fundandam necessitatem alterius sacramenti, cuius principalis effectus sit remissio relictorum peccatorum, sequeretur quod etiam pro peccatis quae contingeret per Extremam Unctionem non remitti aut post eam in eadem infirmitate committi, instituendum esset aliud sacramentum, et simili ratione fieret processus in infinitum.

Tertio, principalis effectus est ille quo deficiente sacramentum nequit unquam applicari. lamvero Extrema Unctio potest conferri etiam ubi desit omne peccatum, ut homini qui morti iam proximus baptizatus est, item viris sanctissimis qui, praeter quam per sacramenta absolutionis et viatici, per ardentissimam charitatem omnem culpam abluerint, necnon illis quibus per praedicta sacramenta moraliter certum esse potest omnia peccata remissa esse. Nec valet opponere peccata remissa adhuc habere rationem obiecti remissibilis ac ideo posse iterum remitti per Extremam Unctionem sicut possunt iterum remitti per Poenitentiam,[89] nam, praetermisso primo casu, scilicet de eo qui immediate ante Extremam Unctionem baptizatus est cuique proinde nec Extrema Unctio nec Poenitentia potest sub ulla ratione remittere peccata commissa ante Baptismum, sacramentum Poenitentiae habet indolem sententiae absolutoriae ac iudicialis quae potest iterum ferri in eandem causam, Extrema vero Unctio habet indolem medicinae et curationis nec potest morbus iam curatus iterum curari; quod si dicatur morbum peccati, iam essentialiter curatum per Poenitentiam iterum per Extremam Unctionem sicut per Poenitentiam curari posse quoad restantem secundariam infirmitatem, quae sunt reliquiae peccati, iam fit gressus ad aliud obiectum, de quo hic quaestio non est, scilicet ad abstersionem reliquiarum peccati (distinctam a remissione ipsius peccati) quam ultro concedimus esse proprium ac principalem effectum Extremae Unctionis.

Dices (et haec est *secunda* ratio ab adversariis superius, p. 54, invocata): Ex duobus effectibus alicuius sacramenti, ille dicendus est principalis ex quo alter dependet; iamvero abstersio reliquiarum peccati (quomodolibet reliquiae intelligantur et prout distinguuntur ab ipsis peccatis) dependet ab ipsa remissione peccati, cum nequeant

[89] Cf. tractatum *De Poenitentia* I 218-225; III 367.

reliquiae auferri nisi prius peccata auferantur; ergo remissio peccati est principalis effectus huius sacramenti.

Rcsp. Haec ratio peccat aequivocatione inter dependentiam materialem et dependentiam formalem. Materialiter quidem loquendo, abstersio reliquiarum peccati dependet a remissione ipsius peccati et eam praesupponit, formaliter vero loquendo res contrario modo possunt se habere ac de facto se habent in Extrema Unctione. Hoc enim sacramentum primo et principaliter ordinatur ad auferenda non ipsa peccata sed eorum reliquias; cum autem has nequeat auferre nisi prius ipsa peccata sint deleta, ideo ex eadem primaria intentione supponit quod haec ablata sint per propria sacramenta, scilicet Baptismum et Poenitentiam, sed, cum iterum possit contingere ut peccata nondum fuerint remota per ista sacramenta, ideo ex secundaria et suppletiva intentione exigit ut ipsa eadem gratia sacramentalis, quae tendit ad auferendas reliquias peccati, prius removeat peccata nondum remissa ut sic possit abstergere reliquias; in quo casu remissio peccati pendet formaliter, tanquam medium a fine, ab ipsa abstersione reliquiarum. Ad rem S. *Thomas:* "Contra . . . debilitatem [relictam ex peccatis] homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. . . Et ideo . . . lacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur" *{Suppi.,* q. 30, a. 1).

Probatur 2. *PARTICULARITER QUOAD PECCATA MORTALIA.*

Generalibus rationibus allatis in praecedenti probatione, adde sequentes:

1. *Catechismus Cone. Trid.,* explicans mentem Concilii, explicite negat principalem effectum Extremae Unctionis esse remissionem mortalium: "Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantum et Poenitentia vi sua hoc efficiunt" (p. 2, c. 6, q. 14).

2. Ut constat ex ipsa unctione, quae, ut ait *Cone. Trid.* (cap. 1), "aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat," principalis effectus, ob quem hoc sacramentum est institutum, est *spiritualis sanatio seu medieatio.* A peccato autem mortali non datur proprie sanatio seu medicatio, sed potius suscitatio, cum medicatio supponat vitam in subiecto quam peccatum mortale aufert in ordine gratiae. Unde principalis effectus Extremae

Unctionis non est remissio peccati sed abstersio alius infirmitatis quae ex peccato manet in subiecto, etiam remoto peccato. Ad rem S. *Thomas:* "Principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati; ut, sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et extrema unctio est quaedam spiritualis sanatio seu medicatio. Sicut autem corporalis medicina praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale et mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae" *(Suppi.,* q. 30, a. 1).

3. Deletio peccati mortalis nondum per claves remissi (potius quam peccati venialis, vel mortalis iam confessi et remissi) est principalis effectus sacramenti Poenitentiae; ergo non Extremae Unctionis, nisi velimus confundere duo sacramenta aut ponere frustraneam institutionem duorum sacramentorum eiusdem indolis ac finalitatis (cf. dicta superius, p. 85).

4. Si remissio peccati mortalis esset principalis effectus Extremae Unctionis, ipsa esset sacramentum mortuorum, nam ex principali praecise effectu desumitur a theologis communis et antiqua illa distinctio sacramentorum vivorum et mortuorum. lamvero inde ab antiquo Extrema Unctio refertur inter sacramenta vivorum ac pro sacramentis mortuorum habentur tantum Baptismus et Poenitentia.

5. Si remissio mortalium esset principalis effectus Extremae Unctionis, sequeretur hoc sacramentum non posse conferri nisi existentibus in peccato mortali, quod fuerit relictum post alia sacramenta, et ita, aliter ac fert Ecclesiae praxis, non posset suscipi ab homine qui in periculo mortis baptizetur, nec a viris sanctissimis qui omni mortali culpa careant, nec ab illis quibus, post susceptam moraliter certam absolutionem, nulla est peccati mortalis conscientia.

Probatur 3. *PARTICULARITER QUOAD PECCATA VENIALIA*.

Generalibus rationibus allatis in probatione prima, adde sequentes:

1. Tum a *lacobo* tum a *Cone. Trid.,* remissio peccatorum proponitur conditionate, seu sub conditione quod existant peccata in subjecto hoc sacramentum suscipiente, ut dictum est supra (p. 83). lamvero, id nequit referri principaliter ad peccata venialia, quippe quae sint veluti necessaria conditio humanae vitae ac fragilitatis, ut ipse lacobus fatetur in eadem epistola (3. 2) inquiens: "In multis enim offendimus omnes." Inepte autem Scotistae posttridentini (cf. supra, p. 54)

recurrunt ad verba *Catechismi Cone. Trid.:* "Hoc Sacramento gratia tribuitur, quae peccata, et in primis quidem leviora, et, ut communi nomine appellantur, venialia remittit." Nam principalitas, quam Catechismus remissioni venialium attribuit, est tota respectiva ad remissionem mortalium prout haec est mere conditionalis remissio; aliis verbis, Catechismus non significat remissionem venialium esse principalem effectum Extremae Unctionis, sed hoc sacramentum prae primis venialia quam mortalia remittere, cum mortalia primario remittantur per Poenitentiam nec nisi conditionate per Extremam Unctionem, dum venialia per omnia sacramenta remittuntur, ope nempe sacramentalis gratiae quae impellit ad actum charitatis quo directe ipsa delentur.

2. Ad delenda venialia ordinantur plura media, in particulari omnia sacramenta, et signanter sacramentum Poenitentiae, ut ostensum est in tractatu *De Poenitentia* IV 533 sqq. Unde nulla est specialis ratio quare Extrema Unctio principaliter ordinetur ad delenda venialia.

Haec ratio duplicem videtur pati instantiam, deductam ex supradictis (p. 53 sq.) argumentis quibus Scotistae suam sententiam fulcire conantur.

Primo opponi potest, alia media, inclusa ipsa Poenitentia, non habere remissionem venialium ut directum et *principalem eflectum;* unde manet locus pro aliquo sacramento quod ad hoc principaliter ordinetur, sicut Baptismus ordinatur ad remissionem originalis et Poenitentia ad remissionem mortalium.

Attamen, imprimis de Poenitentia dici potest quod principaliter ordinetur etiam ad remissionem venialium, non quidem sub ipsa specifica ratione venialium quae est manifeste secundaria (ut dictum est in tractatu *De Poenitentia* I 216 et 225) sed sub generica ratione peccati in qua venialia conveniunt cum mortalibus (cf. *ibid.* 215 sq.; et IV 508). Praeterea ac praecipue, ne fiat iterum instantia, dicendum est cum S. Thoma nullum sacramentum esse institutum directe ac principaliter ad delenda venialia, quia ut fuse explicatum est in tractatu *De Poenitentia* IV 508 sqq., peccata venialia non delentur per meram infusionem gratiae, quae est immediatus effectus omnis sacramenti, sed per peculiarem ardorem actus charitatis ad quem excitandum ordinantur uno vel alio modo omnia sacramenta (cf. *ibid.* 535 sqq.) necnon ipsa sacramentalia (cf. *ibid.* 548 sqq.). Ad rem S. *Thomas:* "Ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiae. Unde cum in quolibet sacramento novae legis gratia infundatur, nullum sacramentum novae legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur [etiam] per quaedam sacramentalia, puta per aquam benedictam et alia huiusmodi" (3 p., q. 65, a. 1, ad 8). "Omnia

sacramenta novae legis sunt instituta ad conferendam gratiam. Non autem requiritur ad remissionem peccatorum venialium novae gratiae infusio, ut dictum est. Et ideo nec extrema unctio nec aliquod sacramentum novae legis est principaliter institutum contra peccata venialia, licet per ea peccata venialia remittantur, sed est instituta extrema unctio ad reliquias peccatorum tollendas" *(De Malo,* q. 7, a. 11. ad 14).

Secundo, opponunt Scotistae (ut Hyquaeus et Frassen), alia media non habere ut effectum remissionem venialium *prout dandam huic subiecto,* i.e. homini incapaci eliciendi actum poenitentiae ac sese disponendi ad eam remissionem, ut patet de ipso sacramento Poenitentiae quod requirit in subiecto contritionem et confessionem; ergo relinquitur locus alteri sacramento, cuius principalis effectus sit remissio venialium in illa circumstantia. Ad rem *Hyquaeus:* "Objicitur . . . quod hoc Sacramentum non est unicum medium et necessarium ad remissionem venialium. . . Respondetur . . . : Non est unicum medium quoad peccata venialia, quae non cadunt sub poenitentia per contritionem et confessionem, nego. . . Licet ergo poenitentia habeat efficaciam ad remittenda venialia, limitatur ejus efficacia ad actus poenitentis, prout comprehenderunt ipsa peccata, et per confessionem subduntur clavibus tanquam materia absolutionis; aliter autem virtus Poenitentiae Sacramenti non extenditur ad venialia".00

Attamen, haec ratio tribus laborat defectibus, duobus in antecedenti et uno in ipsa consequentia. Et primo quidem supponit sacramentum Poenitentiae non simpliciter ordinari ad remittenda venialia sed eius efficaciam limitari ab hac circumstantia defectus dispositionis in subiecto; iamvero hoc est purum sophisma, confundens influxum dispositionis sive conditionis cum influxu causae, seu arguens ex defectu conditionis ad defectum virtutis in ipsa causa. Secundo, falso supponit remissionem peccati venialis fieri posse ex aliquo opere operato sine dispositione subiecti, dum e converso, ut ostendimus in praefato loco tractatus *De Poenitentia,* dispositio subjecti seu actus fervoris charitatis non solum requiritur sed est ipsa immediata causa qua venialia etiam ex opere operato sacramentorum diluuntur. Tertio, etiam dato et non concesso antecedente, ipsa consequentia est falsa, quoniam remissio venialium potest in ea circumstantia fieri per Extremam Unctionem tanquam secundarius tantum effectus.

3. Si Extrema Unctio ordinaretur principaliter ad remissionem venialium. requireret in subiecto actualem dispositionem quia, ut dictum

Commentarius in Scotum, In 4 Seni., dist. 23, q. un., *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vives 1894) 27.

est in tractatu *Dc Poenitentia* IV 508 sqq., sine actuali displicentia, formali aut virtualiter contenta in actu charitatis, venialia remitti non possunt. Ex quo sequeretur tum quod homo non habens praedictam actualem displicentiam, sacramentum susciperet infructuose et, si scienter, sacrilege, cum frustraretur efficacitas sacramenti, tum quod non posset sacramentum licite ministrari homini sensibus destituto, ob eandem rationem. Utrumque autem falsum est. ut constat ex ipsa Ecclesiae praxi; nunquam enim Ecclesia significavit praedictam actualem dispositionem in suscipiente requiri aut monuit fideles vel ministros de obligatione eam habendi vel de ea inquirendi, atque fideles in statu gratiae, praesertim post susceptam absolutionem et viaticum, censentur tuto quaerere ac fructuose suscipere Extremam Unctionem quin de ulteriori bona dispositione solliciti sint; pariter, moribundis sensibus destitutis administratur hoc sacramentum, et quidem absolute,[91] nec tantum conditionate sicut datur absolutio sacramentalis ob incertitudinem actualis dispositionis in subiecto.

4. Si Extrema Unctio ordinaretur principaliter ad remissionem venialium, sequeretur eam posse conferri etiam sanis, sicut aeque sanis ac moribundis confertur Poenitentia. *Haec tamen ratio patitur instantiam,* quia si simpliciter valeret, probaret etiam, contra Thomistas, Extremam Unctionem non ordinari principaliter ad abstergendas reliquias peccati seu debilitatem animi ex peccatis relictam, quippe quae adest et indiget curari etiam in sanis.

Unde respondent Scotistae principalem effectum Extremae Unctionis esse remissionem venialium non simpliciter et secundum se, sed *ut conferendam huic subiecto,* seu in hoc statu et hac circumstantia infirmi ad mortem.

Attamen, ut iam notavimus supra (p. 85 sq.). haec circumstantia est accidentaria nec ullatenus sufficiens ad fundandum nexum principalis effectus inter Extremam Unctionem et venialium remissionem, cum haec ex una parte fieri possit per Extremam Unctionem tanquam secundarius effectus et ex alia parte retineat suum strictiorem nexum cum sacramento Poenitentiae quod manet in omni circumstantia jugiter ordinatum ad remittenda quaelibet peccata. Et confirmatur ex eo quod si ob eam circumstantiam remissio venialium evaderet principalis effectus Extremae Unctionis, pariter ob eandem necessitatis rationem etiam remissio mortalium evaderet principalis effectus, quod quidem admittunt aliqui theologi, supracitati in opinione Bellarmini, sed explicite negant ipsi Scotistae.

[91] Cf. *Rilualc Romanum,* tit. 5, c. 1, n. 11.

Ceterum si quaeratur a Scotistis quae sit ultima ratio quare Extrema Unctio esset instituta ad remittenda venialia in ea praecisa ac sola circumstantia mortis, respondent indeterminate ac communiter id esse quia hoc sacramentum est ordinatum ad inducendam immediatam dispositionem ad gloriam, ac ideo ad removenda impedimenta gloriae, ac ideo ad *conferendam finalem venialium remissionem,* per quam nempe homo sit immediate dispositus ad ingrediendum paradisum.

Attamen haec ratio ad plura absurda necessario conducit.

Primo enim, ex ea sequeretur quod vel hoc sacramentum confert confirmationem in gratia, imo et impeccabilitatem, vel quod non est administrandum nisi homini incapaci peccandi venialiter (Scotus: "Non debet conferri nisi infirmo qui non potest amplius peccare"), adeoque quod debet conferri post mortem, aut saltem absolvi in ipso instanti mortis, aut saltem conferri solis moribundis sensibus destitutis de quibus nulla est spes ut ad sensus revertantur, aut saltem illis qui sunt in ultimo prorsus mortis articulo ac moraliter certo morituris. Iamvero priora consectaria sunt absurda, tria vero postrema adversantur tum praxi tum etiam explicitis documentis Ecclesiae de conferenda Extrema Unctione infirmis etiam sensibus non destitutis, imo procurandi ut sacramentum administretur eo tempore cum illis integra mens et ratio viget, nec expectandi extremum mortis articulum.[02]

Secundo, ex ea ratione sequeretur corporalem sanitatem numquam esse nec posse esse utut secundarium effectum huius sacramenti, cum ipsa opponatur primario effectui qui est finalis remissio venialium, quam nequit consequi nisi qui de facto moritur, eo quod ipsa vita sit conditio peccandi venialiter. Unde qui consequitur principalem effectum, scilicet finalem remissionem venialium, nequit eo ipso consequi secundarium, seu sanitatem corporalem, qui vero de facto corporaliter reconvalescit, non accipit praedictum principalem effectum nec etiam consequenter accipere potest secundarium ipsum effectum, quippe qui dependet a principali nec potest sine principali conferri, ita ut ipsa corporalis reconvalescentia nequeat tunc esse effectus sacramenti.

His aliisque consequentiis commoti, moderniores Scotistae (ut

*' Confer inter rccentiora documenta, *Benedictum* A'F, Litt. apost. "Sodalitatem," 31 maii 1921 (.4.45 13. 342); *Pium XI,* Litt. apost. "Explorata res," 2 febr. 1923 (.445 15. 103). *Rituale Romanum,* tit. 5, c. 1, n. 1, monet: "Omni studio ac diligentia [hoc sacramentum l periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo." Idem monet *Catcchismus Cone. Trid.,* p. 2, c. 6, n. 9.

Hyquaeus, Mastrius et *Frassen)* sententiam sui magistri emollire vel reformare conati sunt.

Quidam videntur illud Scoti assertum "Non debet conferri nisi infirmo qui non potest amplius peccare" sic velle reformare: "Non debet conferri nisi infirmo qui potest amplius non peccare" ita ut finalis venialium remissio, taliter sit effectus sacramenti, ut possit tamen frustrari.

Attamen haec distinctio vana est, tum quia, in casu saltem hominis adhuc viventis, cui sacramentum confertur, non potentia peccandi et potentia non peccandi ad idem reducuntur, tum quia in homine adhuc vivente neutra datur, ac ideo redeunt omnia inconvenientia super allata.

Alii ut, *Frassen,* docent finalem remissionem venialium, ut principalem effectum Extremae Unctionis, non esse intelligendam simpliciter et absolute, sed quatenus assequibilem in eo statu infirmitatis in quo subiectum non potest eam assequi per aliud medium. Et ad instantiam quod inde sequeretur Extremam Unctionem non posse conferri nisi homini sensibus destituto et morti iam proximo, respondet Frassen, negando sequelam quia sacramentum convenienter, iuxta Ecclesiae documenta, potest dari homini habenti integram mentem "ut suscipiens, propter majorem suam dispositionem, uberiorem Sacramenti effectum consequatur, et majori cum reverentia istud recipiat. . . [In quo casu Sacramentum daretur homini] capaci iterum peccare venialiter . . . [nec ideo] afferret finalem remissionem peccatorum, quia peccata illa post ejus receptionem commissa non remitterentur illius virtute, sed per alia media, nempe per Poenitentiam et Confessionem et Sacramentalem Absolutionem, quam potest suscipere, si adhuc sufficienti ratione donetur, ut peccare possit; quamdiu enim homo peccare potest, tamdiu et poenitere."[03]

Attamen, haec explicatio, quantum capimus, apertam involvit contradictionem aut est inconfessa reiectio ipsius Scoti doctrinae quam defendere intendit. Si enim principalis effectus huius sacramenti est finalis remissio venialium, ipsum nequit conferri homini adhuc viventi et ideo adhuc capaci peccandi (utut sensibus destituto, qui possit usum rationis resumere), nisi forte res ita disponatur ut terminus sacramenti coïncidât cum instanti mortis; si vero dicatur effectum esse tantum probabilem et attentatam finalem remissionem, sacramentum nequit conferri nisi sensibus destitutis et iamiam morituris, et praeterea inepte sacramento tribuitur incertus effectus, futurus ac pendulus a physicis subiecti circumstantiis. Nihil ergo aliud manet nisi contra Scotum explicite fateri principalem effectum

n *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, *Scotiis Academicus* X (Romae 1902) 621.

non esse ipsam finalem venialium remissionem, sed tantum remissionem venialium ut acquirendam in eo statu in quo per alia media acquiri non potest.

Ad quam quidem sententiam videtur tandem descendere *Hyquaeus* scribens: "Responsio [Scotistarum] aliter interpretari debet de curatione finali peccatorum, quae supersunt poenitentiae, viatico, et aliis remediis. Quod si postea peccaverit infirmus venialiter aut mortaliter, non remittitur virtute Sacramenti, sed per alia media, quia si compos est peccati, erit et poenitentiae. . . Ex hac [autem] ratione non conficitur [remissionem venialium] non esse primarium [effectum], nam gratia Sacramentalis, quaecunque illa sit, ordinatur ad liberationem a peccatis ... ; tamen non derogat libertati, quin homo sui compos peccare possit, neque hoc derogat efficacitati Sacramenti."[9']

Attamen, per hanc explicationem fit simplex regressus ad indeterminatam Scotistarum rationem supra relatam ac reiectam (p. 90).

Conclusio 3. Principalis effectus huius sacramenti non est mera alleviatio seu confortatio animi contra difficultates illi occurrentes in periculo mortis.

Probatur ex sensu Traditionis et ex sacramentali indole effectus Extremae Unctionis.

Alleviatio seu confortatio animi, qualiter intelligitur a patronis contrariae sententiae, nominatim a Suaresio illius fundatore, nihil aliud est quam complexus auxiliorum gratiae actualis quibus adiuvatur infirmus in extrema necessitate, seu quibus praecipue moventur supernaturales animi vires ad eliciendos proprios actus, v.g. fidei et spei, in ea frequentia ac intensitate qua infirmus indiget ne superetur a contrariis copulatis agentibus, scilicet tum ab anxietate et timore circa praeterita peccata et imminens Dei indicium, tum a peculiaribus daemonis tentationibus, tum etiam ab ipsa (si qua admittatur) interna animi debilitate seu pronitate ad malum et difficultate ad bonum, relicta ex peccato et nunc indirecte aggravata ab ipsa infirmitate et aggravatione corporis (cf. dicta in p. 63 sq., 71 sq.; item varios auctores citatos in p. 73-76).

lamvero totum hoc reducitur ad *aliquid extrinsecum* (seu ad auxilium gratiae actualis movens animam illique adiacens), quod proinde nec congruit cum genuino Traditionis conceptu de proprio fine et effectu huius sacramenti consistente in *interiori animae cura-*

[9'] *Commentarius in Scolum, ht 4 Sent.,* dist. 23, q. un.. *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivès 1894) 28.

tione et sanatione, nec satisfacit propriis et immediatis exigentiis huius sacramenti *in sua ratione sacramentalitatis.*

Ergo praedicta alleviatio seu confortatio nequit esse principalis seu formalis effectus Extremae Unctionis, sed est secundarius tantum et consequens effectus.

Ad minorem.

Primo, sententia de principali effectu Extremae Unctionis, consistente in alleviatione et confortatione per extrinseca auxilia gratiae actualis, non congruit sensui Traditionis de interiori animae curatione et sanatione per hoc sacramentum.

In ipsa *Scriptura* effectus huius sacramenti primo loco ac signanti generalique expressione salvatio seu sanatio vocatur ('Oratio fidei salvabit infirmum"); quae quidem vox (σωξ«ι-= salvare) quamvis in triplici sensu spiritualis, corporalis vel utriusque sanationis accipi possit et a discrepantibus exegetis accipiatur, tamen probabilius primum sensum vel saltem tertium exprimit, ut constat tum ex contextu ipsius Iacobi eam in priori sensu iugiter adhibentis (cf. in art. 1, tom. 1, p. 76 sq.), tum ex interpretatione Traditionis frequentissime loquentis de spirituali animae sanatione per hoc sacramentum collata.

Traditio ipsa, proprium hujus sacramenti effectum non solum generalibus expressionibus animae sanationis, sanitatis, salutis, curationis exhibet (cf. supra, p. 36 et auctoritates ibi relatas), sed etiam conceptum in eis involutum saepe tam emphatice proponit ac determinat ut internam physicamque eius rationem necessario prodat, quae longe omnino absit ab indole solius extrinseci auxilii gratiae actualis.

Praecipuae expressiones, iam superius (p. 37 et 38) et Patribus collectae, sunt: Mentis et corporis sanitas; Non solum corporis sed etiam animae sanitas (qui quidem parallelismus est valde expressivus); *Plena interius* exteriusque sanitas; Sanitas et *integritas* animae et corporis et spiritus: Medicina corporis et animae languorum; *Evacuatio omnis aegritudinis* mentis et corporis; Refectio mentis et corporis; *Mundatio ab omni sorde et contagione peccati; Curatio interiorum vulnerum;* Renovatio cuiuscunque quod terrena fragilitate *corruptum est;* Sanatio animae passionum: *Mitigatio* illecebrosae sensuum motionis: *Extinctio* aestus libidinis; *Dissolutio* tormenti cupiditatum. Inepte autem quis vellet has similesque expressiones referre ad generales effectus gratiae communis quae pariter ac in ceteris sacramentis, praeter gratias actuales in Extrema Unctione confertur; nam in eis insistenter describitur proprius effectus seu propria gratia sacramentalis unctionis infirmorum.

Inter Ecclesiae documenta, *Cone. Florentinum,* loquens directe de

proprio ac specifico effectu uniuscuiusque sacramenti, effectum Extremae Unctionis brevi hac et aptissima assertione cum ipso S. Thoma proponit: "Effectus est *mentis sanatio" (Denz.* 700; cf. 695). *Cone. Trid.* in cap. 1 proprium effectum seu gratiam huius sacramenti reponit in spirituali quadam *animae unctione* ("Nam unctio [externa] aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat," *Denz.* 908), nec nisi subinde in cap. 2 proponit, quasi ex aequo ac globatim, omnes quatuor physicos ac morales effectus in quos "huius gratiae unctio" protenditur, scilicet remissionem peccatorum, abstersionem reliquiarum peccati, alleviationem ac confortationem animi, sanitatem corporis (cf. supra, p. 9sq.). *Catechismus Cone. Trid.* (supra cit., in p. 16) effectum interioris sanationis, quae "animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et a ceteris omnibus peccati reliquiis liberat," videtur proponere ut proprium ac principalem; nam, prius loquitur de infusione gratiae, ratione cuius homo liberatur a peccatis quaeque potius refertur ad collationem gratiae communis; subinde proponit praedictam sanationem animae a languore et infirmitate, quasi exhibens propriam et distinctivam gratiam sacramentalem; tandem loquitur de moralibus consectariis huius sanationis quae reducuntur ad animi alleviationem et confortationem et inter quae praecipue extollit adiutorium contra ultimas daemonis tentationes.

Ex quibus omnibus apparet moralem effectum confortationis animi, praecipue contra daemonis impugnationes, utut emphatice ac insistenter exhibitum in documentis Traditionis et Ecclesiae, esse secundum se secundarium et consequentem relate ad ipsam interiorem ac physicam animae sanationem. Ex quo soluta manet secunda ex duabus rationibus supra relatis (p. 72) in favorem sententiae adversariorum.

Secundo, haec sententia non satisfacit propriis exigentiis huius sacramenti in sua ratione sacramentalitatis.

Nam *imprimis* proprius et specificus effectus cuiuslibet sacramenti, seu id quod directe et immediate constituit ipsam proprie dictam gratiam sacramentalem, debet esse aliquid omnino *peculiare ac distinctivum,* ut possit sacramentum in se specificare et ab aliis distinguere. Tamvero mera animi alleviatio seu confortatio qua talis, non est quid peculiare et specifice distinctivum, cum potius sequatur vires et indolem gratiae communis, utut intrasacramentaliter collatae, nec ipsa congruitas et abundantia, secundum quam concipitur conferri in hoc sacramento, valet eius speciem mutare, cum congruitas proveniat ex extrinsecis circumstantiis et plus aut minus speciem non mutet.

Praeterea, proprius et specificus effectus sacramenti *confertur certe et infallibiliter* subjecto capaci et non ponenti obicem. Iamvero alleviatio et confortatio animi per gratias actuales non confertur homini sensibus destituto, cui tamen, tanquam subiecto capaci ac disposito, applicatur sacramentum (cf. infra, p. 496 in nota).

Praeterea, proprius et specificus effectus sacramenti *confertur illico ac immediate* cum sacramentum absolvitur. Iamvero alleviatio et confortatio per gratias actuales non sic datur, saltem tota simul, cum infirmus ea indigeat toto tempore quo durat infirmitas et maxime in ultimis vitae instantibus, nec omnibus indistincte auxiliis omni tempore ipse indigeat, sed modo uno, modo altero, prout uno vel altero languore vel anxietate vel tentatione deprimitur. Nec valet opponere quod immediate datur ius ad omnia necessaria auxilia, subinde pro tempore et necessitate conferenda; nam, ut mox dicetur, gratia proprie et directe sacramentalis non consistit in iure ad auxilia, nec in ipso auxilio gratiae actualis, sed in aliqua realitate habituali.

Praeterea, gratia sacramentalis, quae est specificus effectus uniuscuiusque sacramenti, consistit directe et immediate in quodam intrinseco modo ipsius gratiae communis ac ideo una cum ista suscipitur interius in ipsa anima ad eam habitualiter perficiendam. Ergo effectus principalis huius sacramenti non est supradicta alleviatio et confortatio seu complexus extrinsecorum auxiliorum gratiae actualis. Antecedens probatum est in tractatu *De sacr. in genere* (art. 12, p. 222-225) contra ipsum Suaresium, qui ceteroquin consequenter ad generalem suam doctrinam de gratia sacramentali consistente in auxilio gratiae actualis, assumit animae confortationem ut specificum et principalem effectum Extremae Unctionis (cf. in p. 73 sq.). Ceterum, idem generale antecedens confirmatur ex hac ipsa particulari quaestione de proprio effectu huius sacramenti, qui, iuxta traditionalem sensum tum Patrum tum ipsorum theologorum, est quaedam animi curatio et sanatio; nemo enim theologus sincere putabit, nisi per voluntariam et tropicam fictionem, animam sanari per hoc tantum quod extrinsece confortetur.

Ex dictis satis ostenditur praecipuus defectus sententiae Suaresii et modernorum, et quare derelinquenda sit, utpote quae minus cohaereat cum sensu traditional! quam ipsa praecedens sententia Scotistarum et aliorum, qui saltem conantur assignare aliquem effectum quo anima interius sanetur. Ceterum, ipsa non fundatur in solidis positivisque rationibus; unica enim ratio quae Suaresium impulit ad hanc opinionem introducendam seu, ut ait, ad “recte explicandam” sententiam S. Thomae, est tota negativa, scilicet difficultas concipiendi interiorem animi debilitatem ex peccatis relictam et consequenter

internam physicamque animi curationem, ex qua quidem difficultate, in Conci, seq. dissipanda, inepte arguitur negatio ipsius rei, in traditione theologica passim affirmatae. Xec gaudet antiquorum patrocinio et auctoritate, atque inepte a quibusdam ex suis patronis confunditur cum sententia S. Thomae et Thomistarum (cf. supra, in p. 63 sq., 71 sq.), quod videtur alienum a mente ipsius Suaresii (cf. in p. 72). Nec gaudet theologica ac scientifica unitate, sed potius ab ipso Suaresio (cf. *ibid.}* affertur ut mixta quaedam sententia, colligens in se elementa ceterarum, ut ceteroquin constat ex ipsa varietate et diversitate auxiliorum quae invocantur: neque extrinseca circumstantia infirmitatis, ad quam varia confortationis et alleviationis auxilia referuntur ac diriguntur, valet eis plusquam accidentalem unitatem conferre. Sola autem gaudet commoda illa facilitate, quam non raro moderni doctores in theologicis suis compromissis magno pretio comparare malunt.

Conclusio 4. Principalis scu specificus effectus hujus sacramenti est "abstersio reliquiarum peccati" (Cone. Trid.), seu sanatio "debilitatis et ineptitudinis quae in nobis relinquitur ex peccato" (Suppi., q. 30, a. 1) et "in ipsa mente existit" (ibid., ad 2) quaeque nihil aliud est quam quaedam animi "pronitas ad malum et difficultas ad bonum" (C. Gent. 4. 73) ab ipso praeterito peccato generata.

Probatur 1. *EX IPSA EXCLUSIONE ALIARUM THEOLOGORUM SENTENTIARUM.*

Ut probatum est in tribus conci, praec., principalis effectus huius sacramenti non est sanitas corporalis, nec remissio peccatorum (sive generice, sive mortalium, sive venialium), nec alleviatio et confortatio per gratias actuales; ergo est abstersio reliquiarum peccati, intellecta de sanatione interioris debilitatis animi.

Consequentia patet ex eo quod non alii, praeter istos, a variis theologis de facto proponuntur principales effectus, nec ulli alii cum aliqua specie probabilitatis proponi possunt.

Mixtae ipsae sententiae quae a quibusdam theologis dubitanter quidem ac iluctuanter proferuntur (cf. in p. 78 sq.), eo ipso concidunt quo unus vel alius inter plures principales effectus ab eis propositos, ab ipsa ratione principalis effectus per superius dicta exclusus manet. Ceterum, hae sententiae ex ipsa sua admixta indole falsae esse demonstrantur.

Cum enim effectus principalis sit ille ex quo sacramentum specificatur. nequit unum et idem sacramentum habere duos vel plures

distinctos principales effectus, sicut non potest unum a pluribus specificari. lamvero quatuor saltem supradicti effectus, i.e. sanatio corporalis, remissio peccatorum, abstersio reliquiarum et confortatio, sunt manifesto inter se distincti, ut constat ex immediatis eorum obiectis, nec possunt nisi accidentaliter uniri sub generalioribus rationibus sanitatis infirmi (tam corporalis quam spiritualis), remotionis delictorum (tam quoad ipsa peccata quam quoad reliquias) et alleviationis animi (tam a physico pondere praedictorum delictorum quam a morali pondere afflictionis et tentationum), quamvis haec ipsa eorum connexio permittat ac fundet rationem secundarii effectus in ceteris qui a principali distinguuntur. Nec valet cum quibusdam (ut Berti et Hermann) assignare huic sacramento plures principales effectus veluti successive et inadaequate, ita ut unus sit principalis in uno ordine seu consideratione et alius in alio ordine, vel unus pro uno subiecto et alius pro alio, iuxta diversas circumstantias et indigentias. Nam cum sacramentum sit semper unum et idem, quocumque scilicet modo consideretur vel cuilibet subiecto applicetur, nequit non semper eundem principalem effectum respicere ac producere, quamvis diversa dispositio subiecti influat in gradum efficacitatis eius et diversa subiecti conditio vel indigentia possit influere etiam in ipsam existentiam secundariorum effectuum ita ut uni subiecto detur aliquis secundarius effectus qui alteri non confertur, ut patet de eo qui non sit in peccato, saltem mortali, aut non prematur anxietate et tentationibus, aut cui non expediat corporaliter sanari.

Unde verum manet principium quod simpliciter et absque dubitatione assumit S. *Thomas* ad initium suae discussionis de proprio effectu huius sacramenti: “Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit” *{Suppi.,* q. 30. a. 1).

Remissio autem poenae temporalis vel remotio pravorum habituum, quas quis posset cogitare ut principalem effectum Extremae Unctionis, hanc rationem certissime habere non queunt.

Remissio quidem poenae temporalis, quae latiori sensu dici potest reliquia peccati, istius remissionem sequitur in pluribus sacramentis, signanter in his quae peccata directius respiciunt, scilicet Baptismo, Poenitentia et Extrema Unctione, sed nullius sacramenti proprius ac principalis effectus esse potest, cum sacramenta principaliter ordinentur ad physicum effectum sanctificationis in ipsa anima producendum, negative per remotionem maculae peccati et positive per infusionem gratiae, dum reatus poenae temporalis est quidam moralis defectus, per cuius praesentiam anima physice non foedatur et per cuius remotionem physice non perficitur. *Praeterea,* propria ipsa

indoles Extremae Unctionis idipsum ostendit; nani hoc sacramentum principaliter ordinatur ad spiritualem animi curationem et sanationem, poena autem non est aliquis animi morbus qui sanari possit, sed tantum reatus seu ligamen quod solvi indigeat. *Praeterea,* in documentis sive antiquae Traditionis (cf. in p. 42, 43 sq.) sive Ecclesiae (cf. in p. 12 et 17), vix occurrit directa mentio remissionis poenae temporalis, quod manifeste ostendit ipsam non esse principalem effectum. *Tandem,* inter ipsos moderniores theologos qui tot excogitarunt sententias de principali effectu huius sacramenti, nullus cogitavit de proponenda remissione poenae temporalis, saltem simpliciter et absolute, etsi quidam visi sint eam miscere inter varios ac copulatos principales effectus;[95] immerito autem pro contraria sententia quandoque adducuntur quidam moderni qui, ut *Kern,* docent Extremam Unctionem ordinari ad remittendam totam poenam temporalem, nam hi loquuntur adhuc de secundario effectu cuius tantum exaggerant amplitudinem, vel illogice loqui videntur de primario fine ut distincto a primario effectu, ut constat ex dicendis in art. 17 (p. 178. 180).

Remotio pravorum habituum,[96] qui propriori quodam sensu dicuntur reliquiae peccati, non solum nequit esse principalis effectus Extremae Unctionis, sed nec est ullatenus eius effectus, utut secundarius, quamvis, ut dictum est in tractatu *De Poenitentia* IV 105-109, gratia sacramentalis, sicut ceteroquin omnis gratiae infusio, indirecte conferat ad progressivam illorum remotionem ex opere operantis contrariorum actuum virtutum. Et evidens ratio est ipsa communis experientia, quoniam post susceptam gratiam, sive extrasacramentalem sive sacramentalem, sive per alia sacramenta sive per ipsam Extremam Unctionem, homo earundem inclinationum influxum adhuc experitur, "ut patet post convalescentiam"[97] in ipso subiecto Extremae Unctionis, nec nisi per exercitium contrariarum virtutum pedetemptim ab illis liberatur.

Nihilominus neque hoc abfuit ab imaginatione quorundam theologorum ut remotionem pravorum habituum dicerent effectum, saltem secundarium, huius sacramenti. Suarez testatur: "Alii per reliquias [Extrema Unctione abstergendas] intelligunt pravos habitus ex peccatis relictos."[98] Subinde huius sententiae decisivus patronus se

"Ita *De Sainte-Beuve, Génicot, Noldin,* et *Vertneersch* suprarclati (p. 61, 79). Refert etiam Suarez inter sententias de proprio effectu huius sacramenti: "Alii . . . per reliquias peccatorum reatum poenae temporalis intelligunt" (Disp. 41, sect. 1, n. 9).

"Quinam sint tales habitus et quomodo distinguantur, dictum est in tractatu *De Poenitentia* IV 90, 105 sq.

" *Suppi.,* q. 30, a. 1, ob. 2.

"Disp. 41, sect. 1, n. 9.

constituit *De Sainte-Beuve* (t 1677), quem secutus est unus vel alter modernus, ut *Liebermann*™ et *Oswald'*

De Sainte-Beuve praefatam S. Thomae rationem sic sibi obicit ac resolvere conatur: "Dices. . . Habitus vitiosi non tolluntur nisi per actus contrarios; et experientia docet quod non omnes, qui percepta Unctione restituuntur pristinae sanitati, exuuntur illis. — Respondeo hominem qui post Unctionem rite susceptam ex hac vita discedit, exui vitiosis suis habitibus vi Sacramenti in ipso mortis instanti operantis talem effectum; eum vero cujus sanitas reparatur per Unctionem, aut iis non exui, quia Sacramentum non est productivum istius effectus, nisi pro tempore exitus: aut si vim habeat illum operandi, etiam pro alio tempore, quia non operatur illum nisi ratione dispositionis subjecti; consequens esse inunctos ejusmodi non habuisse tantum dispositionis quantum necesse est ad ponendum illum effectum."[2] At, haec explicatio, ex mero arbitrio quaesita ad fulciendam opinionem quae nullum habet fundamentum sive in patristica et theologica traditione sive in ipsa experientia et ratione, dupliciter peccat: primo quatenus postponit effectum sacramenti ad instans mortis, quod est contra proprium et immediatum modum operandi sacramentorum; secundo, quatenus inconstanter derelicta hac ipsa responsione ac recurrens ad influxum dispositionis, asserit omnes homines qui post Extremam Unctionem convalescunt et praecedentes pravas inclinationes experiuntur, sacramentum non suscepisse cum ferventi dispositione, quod quidem facile ex ipsa experientia plurium piissime inunctorum confutari potest, interim praetermisso quod, si extinctio pravorum habituum penderet a bona subiecti dispositione, non apparet quare ista non influeret magis vel minus, iuxta suum gradum, ac ideo habitus pariter non extinguantur magis vel minus.

Unde simpliciter dicendum est cum S. *Thoma:* "Reliquiae . . . peccati non dicuntur hic [in quaestione de abstersione reliquiarum per Extremam Unctionem] dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati; sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, *qua sublata, et eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum" {Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 2).

Probatur 2. *EX IPSA RATIONE SPIRITUALIS SANATIONIS,* quae competit huic sacramento tanquam proprius finis et effectus.

Nemo quippe negabit hoc sacramentum ordinari primo, per se ac

" *Institut, theol.,* t. 2, 1. 6, p. 4: Dc Extrema Unctione, §3.
'*Die dogmatische Lehre von den heiligen Sacramenten,* Bd. 2, 6. Theil, § 2, n. 2.
'*Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 5, a. 2, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 105,

directe ad aliquam veram spiritualem sanationem animi; hoc enim constanter docet Traditio inde ab Apostolo, hoc quoque constanter affirmarunt et affirmant passim theologi, hoc solemniter fert ipsum Cone. Florentinum ("Effectus est mentis sanatio"), hoc significatur in ipsa materia seu ritu unctionis, nam "quia sacramentum efficit quod significat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus; adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis" *{Suppi.,* q. 30, a. 1; cf. Cone. Trid., cit. in p. 96), hoc tandem implicite effertur in duabus illis tritis appellationibus quae a theologis huic sacramento tribuuntur: "Complementum Poenitentiae et praeparatio ad aeternam gloriam."

lamvero spiritualis sanatio dicit necessario remotionem alicujus morbi spiritualis. Morbus autem spiritualis nequit esse nisi aut ipsum peccatum, quod est triplex; originale, mortale et veniale, aut aliqua sequela peccati quae, sicut peccatum ipsum, interius animam afficiat et infirmam reddat. Inter varias autem sequelas peccati, quae sunt: reatus poenae, spiritualis debilitas (seu pronitas ad malum et difficultas ad bonum), habitus pravi, morales anxietates ac tentationes, corporalis infirmitas et languores, tantummodo spiritualis debilitas et habitus pravi habent rationem morbi interius animam afficientis, qui proinde curari seu sanari dici possit; nam reatus poenae non est morbus curandus sed ligamen solvendum, morales vero anxietates et tentationes non sunt proprie morbus, seu habitus animi, sed actus et passiones, corporalis tandem infirmitas est morbus solius corporis. Ergo proprius ac principalis effectus Extremae Unctionis nequit esse nisi remotio vel peccati originalis, vel peccati mortalis, vel peccati venialis, vel pravorum habituum, vel praedictae debilitatis animi.

lamvero ipse non est remotio peccati originalis, cui ordinatur Baptismus, nec remotio peccati mortalis cui ordinatur Poenitentia, nec remotio peccati venialis cui nullum sacramentum directe ordinatur, nec remotio pravorum habituum cui nullum opus operatum ordinatur. Ergo est remotio praedictae animi debilitatis.

Paucis verbis: inter varias sequelas peccati sola debilitas animi est verus morbus qui per speciale sacramentum sanari dici possit, ita ut. sicut Poenitentia sanat ipsum morbum peccati, ita Extrema Unctio sanat morbum reliquiae peccati, perficiens et complens spiritualem curationem inceptam per sacramentum Poenitentiae.

Cui quidem conclusioni facile acquiescerent plures adversarii, praecipue inter patronos sententiae Suaresii, nisi agitarentur inani scrupulo ac difficultate circa *EXISTENT!AM ET INDOLEM PRAEDICTAE ANIMI DEBILITATIS,* de qua loquuntur S. Thomas et

Thomistae. Restat igitur ut de ea breviter agamus ad complementum hujus quaestionis et ad pleniorem determinationem propriae gratiae sacramentalis Extremae Unctionis, in qua sub principali illo ac specifico effectu coordinantur, tanquam secundarii ac dependentes, omnes alii ex septem effectibus qui a theologis huic sacramento tribuuntur.

Et quidem, quod existât in homine, quantumvis per Poenitentiam a peccatis actualibus justificato, quaedam moralis "debilitas et inepti-tudo" *{Suppi.,* q. 30, a. 1) consistens in quadam "pronitate ad malum et difficultate ad bonum" (C. *Gent.* 4. 73), sicut existit sic dictus 'domes peccati" in homine per Baptismum a peccato originali regenerato, nemo est qui neget, imo passim theologi remotionem huiusmodi debilitatis inter varios effectus Extremae Unctionis adnumerant. Sola igitur quaestio esse potest de illius essentia, ex qua quaestione indirecte dependet ulterior quaestio an et quomodo praedictae debilitatis sanatio sit principalis effectus huius sacramenti.

Quidam igitur theologi praedictam debilitatem intelligunt non ut aliquid physicum et absolutum, sed tantummodo ut aliquid morale et relativum (cf. supra, p. 63 sq., 71), scilicet ut quandam inferioritatem et disproportionem in qua vires animi inveniuntur ad operandum bonum, in comparatione tum cum pravis habitibus inclinantibus ad malum tum cum exterioribus agentibus pariter uno vel alio modo avertentibus a bono, ut sunt in infirmo recogitatio peccatorum et Dei iudicii, tentationes daemonum et ipsa aggravatio corporis naturaliter aggravantis animam. Dicunt autem se non valere intelligere quid in anima physice post remissum peccatum relinquatur nisi habitus pravi, ex qua praedicta moralis debilitas praecipue resultat. Inde concludunt per Extremam Unctionem nonnisi hanc moralem debilitatem auferri, ope nempe auxiliorum gratiae actualis, quae praefatam disproportionem complet; et in hoc quidem Suarez et plures moderni reponunt ipsum principalem effectum huius sacramenti.

lam *Durandus* (supra cit., p. 59 sq.), in hoc sensu accipiebat eam alleviationem, explicite excludens sensum S. Thomae, etsi eam haberet tantum ut secundarium effectum, praerequisitum ad inducendum principalem effectum remissionis venialium. Subinde *Suarez* (cit. in p. 73) eundem conceptum clarius resumit: "Haec sententia [S. Thomae] videtur pati easdem difficultates, quas praecedentes. Nam imprimis non apparent, quae sint hae reliquiae . . . praeter fomitem, et phantasmata, vel habitus pravos. Ex peccato enim originali, seclusa poena et culpa, nihil aliud relinquitur nisi fomes; ex *actualibus vero nihil nisi phantasma, vel habitus,* et ab his provenit, vel pronitas ad malum, vel torpor ad bonum, *et si quid aliud fingitur, voluntarium est, nec facile explicari poterit- quid illud sit."* Idipsum sentiunt moderni

defensores sententiae Suaresii (cf. in p. 73), etsi rem explicare non curent, imo, ut diximus supra (p. 71 sq.), confundant opinionem Suaresii cum doctrina S. Thomae.

In nostra igitur ac S. Thomae sententia, praedicta debilitas, in animo relicta post peccatum, concipitur praeprimis ut aliquid physicum et absolutum, distinctum ab ipsis habitibus pravis, quod utique etiam fovetur et moraliter aggravatur ab ipsa mala inclinatione istorum habituum, ubi sint, necnon ab exterioribus supradictis agentibus et difficultatibus, quibus homo subicitur sive in statu mortalis infirmitatis sive in ipso vitae decursu. Et ea quidem est animi debilitas, quam gratia Extremae Unctionis principaliter curat et removet, etiam non remotis nec diminutis ipsis habitibus pravis; cetera vero accessorie et secundarie se habent.

PRAECIPUA PUNCTA SENTENTIAE S. DOCTORIS HAEC SUNT:

1. Ipsum peccatum originale consistit in quadam habituali deordinatione seu "inordinata dispositione proveniente ex dissolutione illius harmoniae in qua consistebat ratio justitiae originalis, sicut etiam aegritudo corporalis est quaedam inordinata dispositio corporis, secundum quam solvitur aequalitas in qua consistit ratio sanitatis. Unde peccatum originale *'languor naturae'* dicitur"[3] *(1-2, q. 82, a. 1;* cf. q. 85, a. 3, ubi S. Doctor explicat quatuor vulnera relicta in natura ex peccato originali). Praeterea, ablato peccato originali per gratiam Baptismi, manet in iustificato sic dictus *jomes peccati,* "qui est inordinatio partium inferiorum animae et ipsius corporis," cujus ratio est quia per gratiam non reparatur tota supradicta deordinatio peccati originalis, sed tantum quantum ad superiorem partem animae, seu mentem *(1-2, q. 81, a. 3, ad* 2). Ille autem fomes seu concupiscentia est quaedam proclivitas ad bonum concupiscibile inordinate appetendum: "Dum homo a Deo recessit [per peccatum originale], incurrit in hoc quod feratur secundum impetum sensualitatis; et unicuique etiam particulariter hoc contingit, quanto magis [per peccata actualia] a ratione recesserit, ut sic quodammodo bestiis assimiletur" *(1-2, q. 91, a. 6).*

Hic igitur fomes, secundum S. Thomam, est quaedam partialis *infirmitas et debilitas* naturae, relicta ex totali languore seu infirmitate quae fuit peccatum originale, atque consistit in quadam pronitate ad malum. Idque confirmat S. Doctor in *Suppi., q. 30, a. 1* (ubi de effectu Extremae Unctionis), loquens de "quadam debilitate et ineptitudine quae in nobis relinquitur ex peccato *actuali vel originali."*

[3] Ut refert Petrus Lombardus, *Sent.,* l. 3, dist. 30, c. 8.

2. *Ex peccato actuali,* tanquam ex quodam morbo, homo incurrit triplex detrimentum: "Primum . . . est deordinatio mentis [seu macula peccati et reatus culpae], secundum quod mens avertitur ab incommutabili bono, scilicet a Deo, et convertitur ad peccatum. Secundum autem est quod reatum poenae incurrit. . . Tertium est quaedam *debilitatio naturalis boni:* secundum quod homo peccando redditur *pronior ad peccandum, et tardior ad bene agendum" (C. Gent. 4. 72).*

Hanc debilitatem naturalis boni sic S. Doctor explicat in *1-2, q. 85, a. 1:* "Bonum naturae humanae potest tripliciter dici. Primo, ipsa principia naturae, ex quibus ipsa natura constituitur, et proprietates ex his causatae, sicut potentiae animae et alia huiusmodi. Secundo, quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem, ut supra habitum est, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturae. Tertio modo potest dici bonum naturae donum originalis iustitiae, quod fuit in primo homine collatum toti humanae naturae. — Primum igitur bonum naturae nec tollitur nec diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturae, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos fit quaedam inclinatio ad similes actus, ut supra habitum est. Oportet autem quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Unde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonum naturae quod est inclinatio ad virtutem."

Ibid., a. 3 illum effectum S. Doctor magis determinat, per quatuor vulnera de genere illorum quae sequuntur ex ipso peccato originali: "Quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis [in a. 1] patet, etiam ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis [praeterquam ex originali] consequentia, inquantum scilicet per peccatum et ratio hebetatur, praecipue in agendis; et voluntas induratur ad bonum, et maior difficultas bene agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit."

Inde in homine habetur duplex debilitas, sive ineptitudo, sive pronitas ad malum et tarditas ad bonum, altera nempe relicta ex peccato originali et altera superaddita ac relicta ex peccato actuali, vel, si placet, duplex gradus eiusdem debilitatis, quatenus "reliquiae peccati originalis . . . sunt per actualia peccata quodammodo confortatae" *{Suppi., q. 32, a. 4, ad 2).*

3. Haec animi debilitas, ex peccato actuali relicta, non est idem ac dispositio vel habitus vitiosus qui ex peccato etiam relinqui contingit. Id explicite affirmatur a S. Doctore: "Reliquiae autem peccati non

dicuntur hic [in quaestione de effectu Extremae Unctionis] dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati; sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existons, qua sublata, et eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum" *(Suppi., q. 30, a. 1, ad 2).* Quod si in 3 p., q. 86, a. 5, ipsos etiam habitus vitiosos vocat reliquias peccati, hoc nomen ibi in peculiari sensu assumit, ut supra notavimus (p. 49).

4. Haec debilitas est aliquid physicum et interius animae. Nam prorsus assimilatur fomiti peccati *(Suppi., q. 30, a. 1,* nuper cit.), qui est aliquid physicum; vocatur "debilitas naturalis boni" *(C. Gcnt. 4. 72,* nuper cit.); dicitur "existens in ipsa mente"; assimilatur ipsis habitibus vitiosis, cum dicitur ipsa auferri dum manent isti habitus *(Suppi., q. 30, a. 1, ad 2,* nuper cit.); dicitur causari in ipsis potentiis animae, sicut causatur privatio virtutum in eisdem et privatio gratiae seu macula peccati in essentia animae: "Peccatum per actum potentiarum commissum est; et ideo in ipsis potentiis praeter privationem virtutum alii etiam defectus[1] ex peccato causantur, sed non in essentia animae, praeter defectum gratiae; et ideo non oportet quod si per adventum gratiae ad essentiam animae, macula, quae nihil aliud erat quam gratiae privatio, tollitur, etiam a potentiis omnes alii defectus tollantur" *(In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3, ad 2).*

5. Haec debilitas residet non in ipsa essentia animae, sed in ejus facultatibus quia per has peccatum committitur (loc. proxime cit.). In hoc sensu S. Doctor emphatice ait: "Quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens" *(Suppi., q. 30, a. 1, ad 2,* nuper cit.). Mens hic stat pro utraque facultate intellectus et voluntatis prout sunt unum copulatum principium quo anima dirigitur in bonum; ad intellectum practicum refertur hebetudo et ad voluntatem pronitas ad malum, de quibus sermo est in loco *In 4 Sent., dist. 14,* nuper citato (ob. 1). Notat autem S. Doctor, *1-2, q. 109, a. 2, ad 3,* quod "magis est natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni quam quantum ad cognitionem veri."

6. In quo haec debilitas consistat S. Thomas explicat sequentibus expressionibus: "*Infirmitas* peccati" *(Suppi., q. 30, a.* 7), "Spiritualis infirmitas" *(ibid.),* "Infirmitas animae" *(C. Gcnt. 4. 73),* "Defectus valetudinis pristinae" *(3 p., q. 65, a. 1), "Debilitas" (Suppi., q. 30, a. 1),* "Quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens" *(ibid.),* "Quaedam debilitas et *ineptitudo" (ibid.),* "Spiritualis infirmitas . . .

[1] I.c. reliquiae peccati, quas ibidem, ob. 1, S. Doctor dicit esse "pronitatem ad malum, hebetudinem, et hujusmodi."

[ratione cuius homo] *non habet perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae" (ibid.),* "Quaedam debilitatio naturalis boni, secundum quod homo peccando redditur pronior ad peccandum et tardior ad bene agendum" (C. *Gent. 4. 72), "Pronitas ad malum et difficultas ad bonum" (ibid. 4. 73),* "Pronitas ad malum, *hebetudo* et hujusmodi" *(In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3, ob. 1).*

Unde iuxta S. Thomam reliquiae peccati, quarum abstersio est principalis effectus Extremae Unctionis, sunt quaedam physica infirmitas, relicta a morbo peccati in intellectu et voluntate, consistens in quadam debilitate seu amissione pristini vigoris ad actus gratiae, quae producit hebetudinem in intellectu practice et ineptitudinem in voluntate quatenus haec fit pronior ad malum et tardior ad bonum.

Si quis autem quaerat ulteriorem illius explicationem, videtur satis impertinenter se gerere, sicut si quaereret ampliorem explicationem illius pronitatis ad malum et difficultatis ad bonum in qua. iuxta omnes doctores, ipse fomes consistit qui est reliquia originalis peccati, aut si in inferiori ordine naturae, quaereret clariorem explicationem illius manifesti languoris qui manet in sensibilibus membris et facultatibus post ablatam corporalem infirmitatem quique per remedia convalescentiae curatur.

Ceterum ex hac ipsa duplici comparatione cum spirituali morbo peccati originalis et cum naturali corporis infirmitate, desumi potest, ad mentem S. Thomae (nuper cit.) aliorumque doctorum (cf. Albertum M. et Valentiam supra cit., in p. 64 sq., 69) quaedam analogica elucidatio huius languoris ac debilitatis quae ex peccato actuali in anima relinquitur. Sicut enim per naturalem infirmitatem, tamquam per inordinatam corporis dispositionem, solvitur quodammodo aequilibrium materialium virium et humorum, et per originalem culpam soluta est superior illa virium animae harmonia in qua justitia originalis consistebat, ita per quodlibet actuale peccatum solvitur quodammodo ac relaxatur transcendentale illud ligamen quo voluntas, per intellectum directa et illustrata, a proprio rationali bono connaturaliter vincitur et inclinatur, et ipsum experimentum illiciti obiecti ac indebiti usus libertatis fit intellectui inordinata lux quo hebescit et voluntati violentum pondus quo premitur, trahit enim sua quemque voluptas.

Huius igitur debilitatis ac languoris sanatio convenienter assumitur pro specifico ac principali effectu in sententia thomistica. Quae quidem sententia harmonice connectitur cum generali doctrina de proprio effectu sacramentorum, praeformata in priori tractatu *De sacramentis in genere* 223, ubi diximus omnia sacramenta esse ordinata non solum ad perficiendam quomodolibet et sanctificandam animam, sed etiam ac peculiariter ad reparandum in ea vulnus peccati originalis, ope

nempe variarum gratiarum sacramentalium, quarum unaquaeque ordinatur ad reparandum aliquem defectum ex illo peccato proveniente. Quamvis enim gratia sacramentalis Extremae Unctionis non reparet directe ipsum fomitem seu debilitatem relictam a peccato originali, sanat tamen subsequentem debilitatem ex peccatis actualibus consecutam, per quam, ut ait S. Thomas *(Suppi.,* q. 32, a. 4, ad 1), ipse fomes "quodammodo confortatur" et originale vulnus expanditur, ac pro tanto hoc ipsum vulnus indirecte tangit ac curat ex quo tanquam ex radicali infectione provenit ut voluntas ad inferiora deprimatur.

Nec huic sententiae obstat quod homo talem debilitatem habeat et ab ea sanari indigeat in toto vitae decursu, nec tantum in mortis periculo, et tamen Extrema Unctio ordinetur ad particulare auxilium quo homo indiget et ad particularem defectum quem ipse contrahit in illo periculo.

Nam, omisso quod haec ratio solvenda est in omni sententia, ex duplici copulato motivo apparet hoc remedium pro solis infirmis morti propinquis convenienter institui debuisse. *Primo* enim, convenit ut praefata debilitas et infirmitas auferatur ad limina aeternitatis ut possit tunc perfici ac compleri, iuxta leges divinae providentiae quae solet imperfecta ad perfectum adducere, sacramentalis animi sanatio incoepta per Baptismum et Poenitentiam, qua ratione Extrema Unctio habetur ut verum complementum Poenitentiae et ut quaedam appendix duorum sacramentorum mortuorum.5 *Secundo,* convenit ut remedium contra talem debilitatem daretur non omnibus hominibus morti propinquis, sed solis infirmis, nam ob intimam unionem et mutuum influxum corporis et animae, corporalis infirmitas solet ipsam animam ita aggravare ut inde foveatur deletrix vis ipsius spiritualis debilitatis, seu pronitas ad malum et difficultas ad bonum, in eo ipso decisivo momento quo homo maxime indiget spirituales vires suas colligere, nec potest facile ad supremam sui sortem se disponere sive ex opere operantis sive etiam per auxilium operis operati aliorum sacramentorum.

Pariter huic sententiae non obstat quod ex ea sequatur hominem, inunctum ac subinde reconvalescentem, manere perfecte sanatum a spirituali infirmitate ac debilitate. Nam, praeterquam quod ipse retinet fomitem originalis peccati necnon vitiosos habitus vel dispositiones

'Ad rem S *Thomas:* "Et quidem huiusmodi infirmitates spirituales per poenitentiam sunt curandae, prout poenitens per opera virtutis, quibus satisfaciendo utitur, a malis retrahitur et ad bonum inclinatur. Sed quia homo, vel per negligentiam, aut propter occupationes varias vitae, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia huiusmodi, praedictos defectus in se perfecte non curat, salubriter ei providetur, ut per hoc sacramentum praedicta curatio compleatur" (C. *Gent.* 4. 73).

quas forte prius acquisierit, eam ipsam spiritualem sanationem mox paulatim iterum amittit per commissionem novorum peccatorum, saltem venialium, quatenus nova peccata novam inducunt debilitatem et infirmitatem, quam auferet iteratum sacramentum si contingat novus casus mortalis aegritudinis (cf. *Suppi.,* q. 33, a. 1).

Nec principalitati huius efiectus sanationis debilitatis animi obstat eius secundaria indoles ac dependentia relate ad effectum remissionis ipsorum peccatorum quae est primaria sanatio, praerequisita ad absterSionem reliquiarum peccati. Nam, ut iam diximus (p. 86 sq.) respondentes huiusmodi obiectioni in qua fundabatur secunda sententia Scotistarum et aliorum, ea dependentia est hic materialis et impertinens, non vero formalis et sacramentalis, nec valet magis exigere quam quod ipsa peccatorum remissio sit secundarius, conditionatus et praeparatorius effectus eiusdem sacramenti.

Nec valet tandem opponere difficultatem concipiendi quomodo ceteri omnes Extremae Unctionis effectus (sive nempe tres illi a Concilio Tridentino explicite propositi: remissio peccatorum mortalium, alleviatio et confortatio animi, sanitas corporalis, sive tres alii a theologis determinati: remissio venialium, remissio poenae temporalis et praeparatio ad gloriam), tam varii inter se et a praedicta sanatione debilitatis disparati, possint ad eam reduci aut sub ea ita convenienter colligi ac ordinari ut dicantur ab eodem sacramento necessario causari. Nam, abstrahendo quidem ab ipso modo quo unusquisque illorum effectuum per hoc sacramentum producatur, de quo sermo erit in articulis sequentibus (12-18), praedicta connexio et subordinatio non difficulter cum S. Thoma *{Suppi.,* q. 30, a. 1, corp, et ad 2; *C. Gent.* 4. 73, supra cit. p. 66) perspici valet.

Cum enim hoc sacramentum per se tendat ad conferendam gratiam sanativam praedictae debilitatis quae est peccatorum reliquia, necessario praeexigit ut *peccata ipsa tam mortalia quam venialia* per eandem gratiam culparum deletivam auferantur, si quae ex ignorantia vel impotentia adhuc in eadem anima supersint. Sanatio deinde languoris, ut quaedam levatio ponderis aggravantis animam, hanc consequenter *alleviat,* et ut quaedam restitutio pristinae valetudinis, eam necessario confirmat ac roborat contra morales exteriorum agentium difficultates et impugnationes. Ita alleviata ac roborata, anima de his ipsis difficultatibus et aerumnis, quas necessario patitur, facile ac fructuose thesaurizat in satisfactionem et extinctionem *temporalis poenae,* "quia eandem poenam levius portat fortis quam debilis" *{Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 2), simul abbrevians sibi tempus Purgatoriae expiationis. *Praeparatio autem ad gloriam* ex omnibus praedictis ac copulatis effectibus consurgit, et signanter ex abstersione sive pecca-

torum venialium, sive debilitatis ac languoris animi, sive poenarum temporalium, nam ad haec tria gloriae impedimenta Purgatorii purificatio ordinatur. *Sanitas tandem corporalis* cum spirituali sanatione eodem vinculo connectitur quo binae ipsae infirmitates, eiusdem peccati geminae reliquiae, inter se intime connectuntur. Sicut enim stipendia peccati mors, ita corporales infirmitates, mortis ipsius cognatae, peccati reliquiae computantur; et ideo, sicut ex infirmitate animi, quae est peccatum, interdum ad ipsum corpus infirmitas derivatur, id divino iudicio dispensante, ita convenit ut ex spirituali animi sanatione, quam hoc sacramentum operatur, interdum corporalis sanatio derivetur, si id non officiat spirituali ipsi sanitati.

Ceterum de his omnibus fusius ac singillatim dicetur in sequentibus articulis (12-18).

ART. 12. Utrum Sanatio Debilitatis Animae Consistat In Interiori Ac Physico Effectu.

STATUS QUAESTIONIS

Absoluta in duobus art. praec. quaestione de ipsa existentia septem effectuum huius sacramenti et de eorum ordine seu praelatione, restat ut per septem sequentes articulos inquiramus de modo quo singuli conferuntur, pro data occasione discutientes plures controversias vel ambiguitates quae apud theologos occurrunt in hac materia.

Et ut ab ipso principali ac specifico effectu exordium capiamus, ex dictis in art. praec. (p. 106) patet hanc animi debilitatem, cui sacramentum primario medetur, intelligendam esse non tantum moraliter et relative, ut eam accipiunt Suarez aliique moderni, qui propterea hunc sanationis effectum potius supprimunt vel cum effectu spiritualis alleviationis (de quo infra, in art. 16) confundunt, sed physice et absolute, seu pro aliqua debilitate et languore ipsi animae inhaerente, eam tamen probe distinguendo ab ipsis habitibus pravis qui sunt etiam quaedam physica reliquia peccati et cum quibus eam fere confundere videntur aliqui pauci doctores, ut De Sainte Beuve, Liebermann et Oswald (cf. supra, p. 101).

Sic autem accepta, quidam etiam Thomistae videntur docere eam physicam debilitatem sanari *moralitcr* tantum, quatenus per gratias actuales confortationis et roborationis impeditur ne illius influxus praevaleat. Ita forte intelligendi sunt *Gonet, Billuart* et quotquot inter modernos" docent gratiam sacramentalem nihil, aliud addere ad

' Ita. ut videtur, *Dickamp* ct *Daffara.* Cf. quae dc *Gonet* et *Billuart* diximus supra (p 70).

gratiam communem quam specialia auxilia gratiae actualis contra proclivitatem ad malum et torporem ad bonum, in quo vix differunt a sententia Suaresii hanc sanationem debilitatis animi reponentis in ipso effectu alleviationis seu confortationis animae. Communiter vero Thomistae aliique ipsis consentientes (cf. supra, p. 64-71) videntur loqui de physica sanatione, seu remotione praedictae debilitatis, etsi quidam confuse loquantur idque potius supponant quam dicant; nec eidem sententiae necessario contradicunt Scotistae aliique doctores qui negant remotionem illius debilitatis esse principalem effectum sacramenti, nam aliud est non esse principalem effectum et aliud non esse effectum.

Quamvis haec quaestio resoluta fuerit in ultima Conclusione art. praec., placuit tamen presentem brevem articulum inde veluti excerpere ut praefatum doctorum discrimen indigitetur sub forma quaestionis de modo quo effectus per sacramentum conferatur.

CONCLUSIO

Sanatio debilitatis animae non fit tantummodo extrinsece ac moraliter, sed etiam interius ac physice, ita nempe quod ipse interior ac physicus animae languor removeatur.

Probatur.

Eatenus enim ea sanatio dicenda esset fieri extrinsece tantum ac moraliter, seu per meram collationem exteriorum auxiliorum gratiae actualis roborantis ac confortantis, quatenus vel non daretur ipsa interior ac physica debilitas animae relicta ex peccato, ut volunt fautores sententiae Suaresii, vel ipsa non posset aut non indigeret ab anima removeri. Atqui ex una parte ea physica debilitas datur, ut ostensum est in art. praec. (p. 103 sq.), et ex alia parte, ipsa potest ac indiget ab anima removeri, sicut inducta est per peccatum. Ergo sanatio debilitatis animae fit non mere extrinsece ac moraliter. sed interius ac physice, ut fusius ac sufficienter explicatum est ibidem, congruenter cum traditional! conceptu de vera animae sanatione per hoc sacramentum operata, cui quidem conceptui non satis videtur congruere tum sententia Suaresii tum etiam illogica positio supradictorum Thomistarum.

ART. 13. Utrum Remissio Peccatorum Mortalium Per Hoc Sacramentum Fiat Tantummodo Per Accidens Et Suppositis Quidem Conditionibus Attritionis Et Bonae Fidei *{Suppi.,* q. 30, a. 1; *C. Geni.* 4. 73).

STATUS QUAESTIONIS

De hac praecipua reatus remissione *duo quaeruntur* satis apta ad intelligentiam propriae indolis huius sacramenti et satis aliunde vivaciter a modernis disputata, *primo* scilicet an remissio mortalium fiat tantum per accidens, sicut per alia sacramenta vivorum, non vero per se; *secundo,* an ceteroquin in utroque casu (sive fiat per accidens sive per se) ad eam remissionem requirantur in subiecto duae conditiones vel dispositiones, nimirum tum attritio, sicut in ipsis sacramentis mortuorum, tum bona fides, sicut in ceteris sacramentis vivorum quae per accidens valent peccata mortalia remittere.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

PRIMAM QUAESTIONEM quod attinet, ex dictis in art. 11 constat remissionem mortalium per hoc sacramentum non fieri per se ac primario, ut forte putarunt quidam theologi ibidem relati (cf. p. 61-63) qui dixerunt talem remissionem esse effectum primarium Extremae Unctionis. Inter ceteros theologos qui eam habent ut effectum secundarium, ulterius quaeritur utrum nihilominus ipsa sit adhuc effectus per se, an tantum per accidens.

Quaestio sic in terminis ponitur a theologis modernioribus: Utrum haec remissio fiat tantum *per accidens,* sicut etiam in omnibus aliis sacramentis vivorum, ratione nempe ipsius infusionis gratiae communis et absentiae obicis seu conscientiae peccati (cf. tractatum *De sacr. in genere* 229-233), an etiam *per se,* aliter ac in ceteris sacramentis vivorum, ratione nempe ipsius gratiae sacramentalis qua talis, vel, si placet, ex eo quod ex ipsa Christi institutione hoc sacramentum sit secundum se ad hunc etiam effectum ordinatum, quamvis de secundaria intentione.

Antiquiores theologi, usque saltem ad Cone. Trid., hanc quaestionem non ita proponunt, sed quaerunt an in hoc sacramento remissio mortalium sit effectus secundarius seu consequens, hoc tamen nomine intelligentes id quod posterius vocatum est effectus per accidens, ut clare constat ex paritate quam instituunt inter remissionem mortalium per Extremam Unctionem et eandem remissionem per Eucharistiam aliaque sacramenta vivorum. Cui quidem quaestioni omnes affirmative respondent, sive nempe *Scotistae* docentes effectum principalem (seu per se) esse remissionem venialium, effectum vero secundarium (seu per accidens) esse remissionem mortalium, sive *Thomistae* docentes effectum principalem (seu per se) esse abstersionem reliquiarum peccati seu debilitatis animi, effectum vero secundarium (seu

per accidens) esse remissionem utrorumque peccatorum tam mortalium quam venialium.

Scotistae quidem minus distincte de hoc secundario effectu loquuntur (ipsi *Bonaventura, Scotus* et *Richardus a Mediavilla,* necnon eis consentiens *Durandus,* ne verbum quidem de eo habent in ipsa tractatione de Extrema Unctione), quod quidem mirum non est, cum, interpretantes verba lacobi "Et si in peccatis sit, remittentur ei" de sola remissione peccatorum venialium tanquam de ipso principali sacramenti effectu, in hanc tantum remissionem mentem dirigant. Inde tamen non sequitur eos negare remissionem mortalium esse secundarium seu accidentalem effectum eiusdem sacramenti, quinimmo plures id implicite docent ex eo quod in quaestione de sacramentis in genere vel de Eucharistia *(In 4 Sent.,* dist. 9) admittunt primam gratiam conferri suscipientibus sacramenta vivorum in bona fide seu absque peccati conscientia.

S. *Thomas* de remissione mortalium per Extremam Unctionem explicite loquitur, eam assimilans earundem remissioni quae fit per Eucharistiam aliaque sacramenta vivorum. Sic in *Suppi.,* q. 30, a. 1 (cit. in p. 67), ait: "Hoc sacramentum non datur [principaliter] contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale et mortale: sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem. . . Sed *quia hoc robur* [quod per sacramentum confertur] *gratia jacit,* quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; *sicut etiam de Eucharistia et Confirmatione* supra dictum est." Item in *C. Gent.* 4. 73 (cit. in p. 66 sq.): "Contingit . . . quod homo omnium peccatorum [mortalium] quae commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possint per poenitentiam singula expurgari. Sunt etiam quotidiana peccata [i.e. venialia], sine quibus praesens vita non agitur. A quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari, ut nihil inveniatur in eo quod perceptioni gloriae repugnet. Et ideo addit lacobus quod, 'si in peccatis sit, dimittentur ei.' Unde manifestum est quod hoc sacramentum est ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad percipiendam gloriam praeparatur." Ex quibus sequitur S. Doctorem remissionem mortalium habere ut merum effectum per accidens atque Extremam Unctionem in hoc simpliciter assimilare ceteris sacramentis vivorum; nec contrarium eruitur ex eo quod in secundo textu S. Doctor illum effectum deducat sive ex verbis lacobi in quibus agitur de ipsa institutione sacramenti sive ex fine praeparationis ad gloriam et consummationis totius spiritualis

curationis, ad quem hoc sacramentum ordinatur, nam haec non necessario arguunt rationem effectus per se.

Eodem modo loquuntur thomistae praetridentini. Ita *Capreolus* (cit. in p. 68) ait Extremam Unctionem tollere "culpam, poenam, reliquias peccati; directe tamen ordinari ad tollendum tertium praedictorum, indirecte autem et per accidens ad alia duo." *Ferrariensis (Comm, in C. Gent.* 4. 73) loquitur de remissione mortalium tanquam de "effectu consequenti vel secundario," adducens eandem rationem infusionis gratiae quae peccata non compatitur. Magis explicite *Doni. Soto* distinguit inter effectum per se seu proprium (i.e. principalem ac specificum) et effectum accidentarium, et hunc dicit esse remissionem mortalium in Extrema Unctione sicut in aliis sacramentis vivorum: "Effectus proprius huius sacramenti non est remissio culpae originalis vel mortalis. . . Extrema unctio praesupponit spiritualem vitam . . . atque adeo *non est instituta ut per se directe* tollat mortem originalis vel mortalis culpae, sed hoc est ei accidentarium, sicut omnibus sacramentis, si peccatum mortale sine obice inveniat."[7]

Post Cone. Trid., *Bellarniinus* aliique doctores qui novam sententiam introduxisse visi sunt, iuxta quam principalis effectus Extremae Unctionis esset ipsa remissio peccatorum mortalium non secus ac venialium, similiter effectum per se intelligunt effectum principalem, effectum vero per accidens effectum secundarium, ut patet ex eorum verbis citatis in art. 11 (p. 61-63). Sic *Bellarniinus* de remissione mortalium ait: "Omnia quidem sacramenta [vivorum] id efficiunt, sed per accidens, hoc autem sacramentum per se. et proprie hoc facit, quia ad hoc peculiariter est institutum in fine vitae"; *De Sainte Beuve:* "Quaerunt theologi . . . utrum remissio peccatorum sit proprius [i.e. principalis] effectus Unctionis infirmorum. Negant eorum aliqui, maxime e schola S. Thomae, sustinentes eam esse effectum dumtaxat per accidens. . . Sit propositio: Remissio peccatorum est effectus proprius Unctionis infirmorum. . . Quod . . . [peccata] remittantur per se, et non solum per accidens . . . probo. . . Scriptura significat . . . remissionem peccatorum esse effectum extremae Unctionis speciali quadam ratione, qualis ratio non convenit ceteris Sacramentis vivorum, puta Confirmationis aut Eucharistiae, quae tamen conferunt per accidens remissionem peccatorum. Ergo Extrema Unctio eam confert per se, et non solum per accidens." *Tournely:* "Quaeres ... an Sacramentum extremae Unctionis peccata per se, ac directe, an vero per accidens dumtaxat remittat. Rcsp. 1. Dominicum Soto . . . cum aliis nonnullis Thomistis in ea esse opinione, per Unctionem primario,

[7] Dist. 23, q. 1, a. 2, tertia conclusio. *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Vcnctiis: Apud I. M. Lenum 1575) I 1062 sq.

directe, ac per se, ut dicitur, non dimitti peccata quoad culpam, sed per accidens dumtaxat. . . Resp. 2. Sacramentum extremae Unctionis per se, ac primario, seu vi suae institutionis, remittere peccata."

Suarez vero primus, ut videtur, introduxit *ingeniosam distinctionem effectus principalis et effectus secundarii in ipsum effectum per se.* Commotus scilicet magna asseverantia et constantia, qua peccatorum remissio in tota Traditione huic sacramento prae ceteris tribuitur, distinxit inter effectum per se primarium, effectum per se secundarium et effectum per accidens, ac docuit remissionem peccatorum esse effectum Extremae Unctionis non per se primario, seu ex primaria intentione institutionis (talis enim effectus est alleviatio seu confortatio), nec tamen mere per accidens, sicut in ceteris sacramentis vivorum, sed medio quodam modo seu *per se secundario,* vel ex secundaria intentione propriae institutionis. Ad rem ipse: "Ad omnia peccata delenda [tam venialia quam mortalia] est aliquo modo ordinatum hoc sacramentum, non tamen per se primo ... ; nec etiam omnino per accidens, quomodo probabile est omnia sacramenta habere hunc effectum remittendi peccata non ponentibus obicem, quatenus ex se habent conferre gratiam; sed medio quodam modo, scilicet ex secundaria intentione propriae institutionis. Cum enim hoc sacramentum per se primo ordinetur ad praeparandum proxime hominem ad introitum gloriae [per alleviationem nempe et confortationem], et ad hanc praeparationem maxime necessaria sit peccatorum remissio, quamvis hoc sacramentum per se primo non sit propter illam, illa tamen non est omnino exclusa ab intentione instituentis, sed speciali etiam intentione hoc remedium procuravit, ut si fortasse casu aliquo acciderit, peccatum aliquod non esse dimissum, per hoc sacramentum deleretur."[8]

Hanc distinctionem, utpote facilem et commodam, susceperunt subinde non pauci theologi, praecipue inter modernos. Ita *Coninck, Lugo, Wirceburgcnses, Billuart* (a quo videntur pendere quidam moderni thomistae, ut Ilugon, Zubizarreta et Daffara), 5. *Alphonsus* (a quo pendent frequentes moderni Moralistae), *De Augustinis, Schell, Schmitz, Kern, Einig, Billot, Pcsch, Tanquerey, Paquet, IL Mazzella, Hermann, Otten, Ilugon, Lcrcher, Van Noort-Vcrhaar, Spac'd, Hervé, Cappello, Zubizarreta, Daffara, Piolanti, Gougnard, Verhamme, Sold, De Letter* (saltem inclinat),[10] et theologi practici: *Ballcrini-Palmicri,*

'In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 41, sect. 1, n. 16, *Opera omnia* XXII (cd. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 833.

'In n. 731 ait sententiam quae tenet mortalia per se remitti ab Extrema Unctione cssc "probabiliorem et communiorem," sed in unum aggregat sive auctores qui tenent hunc esse etiam effectum principalem, ut Tournely, sive alios qui dicunt hunc esse tantum effectum secundarium, ut Suarez.

'"Extreme Unction and the Power of the Keys," *The Irish Theological Quarterly* 20(1953) 76-82.

Lehmkuhl, Bucccroni, Noldin-Schmitt, Aertnys-Danien, Vermeersch, Prümmcr, Merkelbach, Conte a Coronata, Regatillo.

LUGO: "[Dico] quando per extremam unctionem causatur prima gratia cum attritione, effectum illum *non quidem esse juxta primariam intentionem illius sacramenti, non tamen esse efjectum per accidens,* sed juxta intentionem Christi instituentis illud ad tollendas reliquias peccatorum, hoc est, quod superest, sive culpae, sive poenae, juxta mensuram dispositionis. Ne tamen aequivocatio fiat in illa voce 'per se', distinguendus videtur duplex sensus, quem potest habere, nam si per illud 'per se', intelligatur *id quod primario intenditur,* fateor, non causari per se, primam gratiam ab extrema unctione, quia primario intenditur perfecta sanitas a peccatis jam remissis quoad culpam saltem gravem : Si vero illud 'per se' significet id quod non intenditur ut medium praecise, et propter aliud sed ratione sui, in hoc sensu prima gratia datur per se ab illo sacramento, quia non intenditur propter aliud, nempe ut detur augmentum gratiae, sed propter sanitatem perfectam spiritualem, quae complectitur sanitatem a culpa non remissa, et a reliquiis culpae prius remissae. Et in hoc sensu dicimus, *si eucharistia dat primam gratiam, debere illam dare per se,* quia non est medium necessarium ad dandum augmentum gratiae, quod eucharistia per se intendebat, licet dici posset, quod daret illam, *non ex primaria intentione, sed ex secundaria,* quatenus magis intendit, quod recipiatur in statu gratiae, ex suppositione tamen, quod id non obtineatur, intendit etiam dare primam gratiam, si habet virtutem conferendi illum effectum."[11]

Notetur tamen Lugonem satis differre ab aliis patronis huius sententiae ac nonnisi verbaliter hanc sustinere, nam omnem sacramenti effectum habet pro effectu per se nec ullum in hac quaestione statuit discrimen inter Extremam Unctionem et cetera sacramenta vivorum, docens quod "si Eucharistia dat primam gratiam, debet illam dare per se."

BILLUART: "[Extrema Unctio] remittit peccata, si quaedam reperiantur, non solum ex ratione generica sacramenti, quatenus confert gratiam incompossibilem cum peccato, quod est commune omnibus sacramentis; sed *etiam ut videtur ex sua ratione specifica* et institutione, non quidem primaria, sed secundaria; dicit enim Iacobus, et post ipsum Tridentinum . . . , [hoc sacramentum] esse institutum ad remissionem peccatorum si quae sint. Primum asserit Auctor [S. Thomas], secundum non negat."[12]

S. *ALPHONSUS:* "Utrum . . . peccata mortalia huic infirmo remittantur per se vel per accidens? Prima sententia . . . dicit remitti per accidens; quia, cum hoc sit sacramentum vivorum, non potest nisi per accidens mortalia delere. Et huic sententiae videtur favere D, Thomas, dicendo quod hoc sacramentum remittit peccata, sicut Eucharistia et Confirmatio, quae certe per accidens remittunt. Secunda vero sententia, probabilior et communior . . . dicit Extremam Unctionem remittere mortalia *per se, etsi consequenter.* Ratio est, quia licet hoc sacramentum sit vivorum, tamen ex institutione divina peccata remittit, ut patet ex verbis Apostoli . . . et confirmatur ex Tridentino."[13]

BILLOT: "Verbis Iacobi . . . assignatur effectus quem Extrema Unctio *per se et ex proprio fine* inducit, nam de effectibus per accidens mentio fieri non debet quando propria alicuius sacramenti natura atque indoles explicatur. Innuitur tamen dictum effectum non esse simpliciter et absolute regularem: 'si in peccatis sit', inquit, 'remittentur'. Quod nonnisi inepte diceretur de baptismo et poenitentia, quoniam haec duo sacramenta ad hoc ipsum fuerunt principaliter et primario

"*De sacramento Eucharistiae,* disp. 12, sect. 1, n. 16, *Disputationes scholasticae* IV (cd. J. B. Fournials, Parisiis: Vivès 1892) 33 sq.

: *Tractatus de Extrema-Unctione,* diss. un., a. 4. *Cursus theologiae* (Parisiis 1904) X 16.

" *Theologia moralis* (ed. L. Gaudé, Romae 1909) III 740.

instituta, et ideo in subiecto sive baptismi sive poenitentiae status peccati, non accidentaliter tantum, sed de lege etiam ordinaria supponitur. Dicendum igitur est quod ipsa peccati macula non cadit sub virtute purgativa sacramenti Extremae Unctionis, nisi quando aliquo saltem modo rationem habet 'reliquiae', id est quando relinquitur post sacramentum Poenitentiae pro posse infirmi adhibitum ac susceptum."[14]

KERN: "Non sine acerbitate olim disceptatum est, utrum Extrema Unctio primam gratiam per se an per accidens causet. Verum non videtur posse esse lis nisi de verbo. Conveniunt enim omnes, eam esse sacramentum vivorum ideoque ex primaria voluntate Domini supponere statum gratiae. Si igitur dicitur effectus per se ille, ad quem sacramentum primario ordinatur, s. Unctio non per se, sed per accidens primam gratiam causât. Attamen remissio peccati mortalis ope supernaturalis adiutorii vere est a Domino intenta, hic effectus etiam fuit ratio et motivum institutionis illius, quare expresse in fontibus revelationis commemoratur. Quamquam vero plurimis theologis valde probabile videtur, etiam alia sacramenta vivorum peccatoribus non ponentibus obicem conferre primam gratiam, tamen non affirmant, illa etiam ideo esse instituta, ut primam gratiam causarent, hunc effectum etiam fuisse rationem et motivum, cur Christus Ecclesiae daret e. gr. sacramenta Ordinis et Matrimonii. Igitur supposita veritate huius sententiae *alia sacramenta vivorum remissionem peccatorum mortalium non efficiunt secundum specificam suam rationem,* sed secundum genericam suam efficaciam, quatenus Dominus voluit, ut communem suum effectum, gratiam sanctificantem, semper efficiant, si obex non resistat; quare nunquam conferunt gratiam, ut deleant peccata gravia, sed e converso quia ob alios fines conferunt gratiam, stricte per accidens peccata delent. Videtur autem minus convenire usui termini 'per accidens', ut dicatur causa effectum aliquem producere per accidens, ex cuius intentione fuit constituta. Unde praeferendum est, ut Extrema Unctio dicatur causare remissionem peccatorum gravium *per se secundario."*[18]

I%V *NOORT-VERHAAR:* "Quoad modum autem, quo hoc sacramentum mortalia dimittit . . . certum est ab una parte, hoc sacramentum non esse principaliter seu primario institutum ad remittendas culpas mortales; est enim sacramentum vivorum. Ab alia parte videtur dicendum, hoc sacramento mortalia *non remitti per accidens tantum,* sicut de aliis sacramentis vivorum docet sententia probabilior. Alia sacramenta vivorum nullo modo sunt instituta ad delenda mortalia. Extrema Unctio reapse ad hunc finem instituta est, licet secundario tantum. Igitur si alia sacramenta, secundum sententiam probabiliorem, aliquando gravia peccata remittunt, id est praeter proprium eorum finem, ideoque mere per accidens; Extrema Unctio vero ea remittit ex suo fine secundario. Ergo *per se quidem, sed secundario."*[16]

OTTEN: "Extrema Unctio per se et absolute confert gratiam secundam . . . ; attamen etiam *per se* sed conditionate confert gratiam primam, *in casu nempe ubi reliqua sacramenta vivorum eam conjerrent per accidens.* . . Ad auferenda peccata ex primaria Christi voluntate instituta sunt sacramenta baptismi et poenitentiae . . . , simul [tamen] ex secundaria Christi voluntate ad hunc effectum etiam institutum est sacramentum extremae unctionis. . . Hoc [autem] . . . extremae unctioni [prae ceteris sacramentis vivorum] peculiare est, quod in casu necessitatis non mere per accidens, sed per se remittit peccata mortalia, quae forte expianda maneant."[17]

SPACIL: "Dicendum est fontes [revelationis] non solum docere remissionem

"*De Ecclesiae sacramentis* II (cd. 7, Romae 1930) 259 sq.
" *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 182 sq.
"*Tractatus de sacramentis* II (Hilvcrsum in Hollandia 1940) 117.
"*Institutiones dogmaticae* VI (Chicago 1925) 247 et 260.

peccatorum mortalium in extrema unctione certiorem esse quam in aliis sacramentis vivorum, sed eos remissionem hanc vere extremae unctioni attribuere, ut ex solo textu Iacobi facile videri potest. Quare theologi catholici communius tenent peccata mortalia in hoc sacramento non solum ex generali ratione et ob indolem gratiae habitualis, sed *ex propria sacramenti institutione, subordinate tamen ad sacramentum poenitentiae, seu per se ex secundaria intentione* deleri; ideoque non regulariter, sed in certis circumstantiis tantum. Principale argumentum petitur praecise ex testimonio S. Iacobi, qui sine dubio de proprio fine sacramenti loquitur et remissionem peccatorum sacramento ipsi attribuit. Qui modus remissionis etiam misericordiae Dei magis consentit."[18]

HUGON: "Remissio peccati est effectus secundarius, quem hoc sacramentum producit, *non tantum per accidens, sed et ratione suae institutionis.* Omnia enim sacramenta vivorum possunt per accidens remittere peccatum, sed Extrema Unctio speciali modo remittit, *quasi per se* et ratione suae institutionis. Id colligitur ex verbis S. Jacobi . . . et Cone. Trid. . . . et ex notione ipsius sacramenti: Nam sacramentum quod est totius Christianae vitae consummativum debet per se removere obicem qui hunc finem impedit. Atqui Extrema Unctio est 'sacramentum consummativum', teste Concilio Tridentino. Ergo per se removet obicem peccati, si illum in subjecto inveniat; ac proinde Extrema Unctio, licet sit sacramentum vivorum, utpotc medicatio, quae vitam supponit, *dici potest etiam secundario sacramentum mortuorum,* quatenus ex sua institutione remittit culpam, si illam inveniat, dummodo adsit in subjecto vera attritio."[10]

CAPPELLO: "Num extrema unctio primam gratiam per se, an per accidens conferat. Quaestio est potius de verbis, quam de re. Si effectus per se ille dicitur, ad quem sacramentum primario ordinatur, extrema unctio non per se, sed per accidens primam gratiam causât. Attamen inter hoc sacramentum et cetera magnum datur discrimen. Nam ratio et motivum institutionis huius sacramenti fuit etiam remissio peccati mortalis ideoque in fontibus divinae revelationis expresse memoratur; dum e contra, alia sacramenta vivorum, licet gratiam primam interdum conferant obicem non ponentibus, nihilominus remissio peccatorum mortalium non fuit ratio et motivum institutionis eorumdem. Quare cetera sacramenta vivorum primam gratiam conferunt secundum genericam tantum suam rationem; extrema unctio, contra, eam confert secundum specificam suam rationem. Minus exacte dici videtur causa effectum aliquem producere per accidens, ex cuius intentione fuit constituta; rectius dicendum, in tali casu effectum per se produci. Quare accuratior terminologia haec videtur, scii, ut extrema unctio dicatur conferre gratiam primam *per se, at secundario."*[20]

FR. .1 *P. SOLA:* "Apprime notandum est, non esse identificandum 'primario, per se, proprie' 'secundario, per accidens, improprie'. Fieri, enim, potest ut aliquid intendatur per se, sed non primario. Sic in nostro casu, Extrema Unctio proprie, primario et per se confert gratiam secundam; est. enim. Sacramentum vivorum; *secundario tamen, sed etiam per se,* aliquando confert gratiam primam. . . Effectus secundarius ille est qui intenditur ab ipso Sacramento, sed non ea principalitate ut necessario obtineri debeat. Non tamen est effectus per accidens (hic, enim, non intenditur per se, sicut habetur in illis sacramentis vivorum, ut Eucharistia, quae per accidens, possunt remittere peccata). . . Saepe discrepantiae inter auctores catholicos pendent a modo loquendi; identificant, enim, aliquando (saltem de facto) notiones 'primario' et 'per se', 'secundario' et 'per accidens'; quod, ut notavimus, perperam fit. . . Quoad remissionem mortalium peccatorum, S.

"*Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 209.

Tractatus dogmatici III (ed. 14, Parisiis 1948) 655.

'*Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 110.

Bonaventura. Scotus. Durandus pluresque alii ante Tridentinum. aiebant non esse effectum per se Sacramenti Extremae Unctionis, sed tantum per accidens. . . *Valor theologicus* [/Zrem]. Est de fide definitum Extremam Unctionem abstergere reliquias peccatorum, alleviare infirmum, et concedere condicionatam sanitatem corporis. *Remissionem peccatorum mortalium esse effectum per se Extremae Unctionis est doctrina certa et communis* [???]: esse effectum secundarium, est commune. [*]

Attamen praedicta Suaresii ac modernorum distinctio et doctrina *pluribus aliis doctoribus displicet,* qui cum antiquioribus Thomistis et Scotistis docent remissionem peccatorum mortalium esse *efiectum per accidens* huius sacramenti, non secus ac ceterorum sacramentorum vivorum. Ita inter Thomistas praecipue *Gonet* et *Salmanticenses,* inter Scotistas praecipue *Hyquaeus, Mastrius, Frassen* et *Monte]ortino;* quibus addendi sunt *Vasquez, Serarius, Tanner, Holzmann, Sporer, Mazzotta;* ex modernis accensendi sunt *Lépicier, Pègues, Diekamp, Boyer, Garrigou-Lagrange, Lahitton, Piscetta-Gennaro* quatenus, etsi non soleant explicite loqui de effectu per accidens, sed tantum de secundario vel consequenti, tamen ex una parte tacent de illa Suaresii distinctione effectus per se primarii et secundarii, quae facta est tam communis ac veluti classica inter modernos, et ex alia parte quoad hunc effectum assimilant Extremam Unctionem cum aliis sacramentis vivorum eumque, sicut S. Thomas, deducunt ex ipsa ratione infusionis gratiae quae peccata mortalia non compatitur.

VASQUEZ, intelligens de solis venialibus verba Cone. Trid. "Delicta, si quae sint adhuc expianda . . . abstergit." scribit: "Constat nomine peccatorum [Concilium] aliud intelligere, quam reliquias, nec de mortalibus hoc est intelligendum. ut *per accidens* in attrito, qui se putat contritum remittantur, hic enim effectus est sub opinione, et *assignari deberet in reliquis omnibus,* cum tamen non assignetur, loquitur ergo de effectu per se huius sacramenti Concilium et dicit esse remissionem peccati venialis huius sacramenti rem. hoc est effectum."[22] Ut notatum est in tractatu *De sacr. in genere 227,* Vasquez soli Extremae Unctioni inter sacramenta vivorum concedit hunc effectum remittendi per accidens peccata mortalia; neque hoc ut certum habet sed. ut hic ait. tanquam "sub opinione."

GONET: "Extrema Unctio per accidens . . . peccata [mortalia] remittit. Quare *jalstim est quod ait Suarez,* proprium esse huic Sacramento remittere peccata, non quidem per se primo, sicut convenit Baptismo et Poenitentiae, sed per se secundo. Sacramentum enim vivorum, quale est apud omnes Sacramentum Extremae Unctionis, non tribuit neque per se primo neque per se secundo, sed tantum per accidens primam gratiam: ergo neque per se primo, neque per se secundo, sed per accidens tantum, remittit peccatum."[23]

SALMANTICENSES: "Sacramenta non causant per se nisi quod directe significant. . . Causare . . . aliquid per accidens non provenit unice, et adaequate

De Extrema Unctione ("Sacrae theologiae summa," edita ab hispanis patribus S.J., t. IV, tract. 4, Matriti 1951) 558-560.

3 In 3 p., q. 87, a. 3, dub. 2, *Commentaria ac disputationes in tertiam partem* (Lugduni 1631) III 91.

a *De sacramento Extremae Unctionis,* disp. 2, a. un., §2, n. 14, *Clypeus theologiae thomisticae* VI (Parisiis: Vivès 1876) 709.

ex aliqua indispositione [intellige: conditione] subjecti: sed ex eo etiam quod causalitas non exercetur conformiter ad institutionem specialem, et finem proprium sacramenti. . . Certum est Extremam unctionem, in quocumque eventu, aut necessitate adhibeatur, *non causare primani gratiam per se* . . . hoc est, secundum suam particularem significationem, et differentiam: quippe quod est sacramentum viventium, et peculiariter ordinatur ad reparandum vires gratiae, quam in subjecto supponit. Ergo solum potest praestare effectum conferendi primam gratiam, et justificandi ex conceptu aliquo communi, nempe quia est sacramentum legis gratiae, de cujus generali ratione est esse causativum gratiae, abstrahendo ab eo, quod sit prima, vel secunda. Sed manifestum est hanc ipsam communem rationem sacramenti legis gratiae participare *etiam in omnibus aliis viventium sacramentis.* Ergo qua ratione sacramentum Extremae unctionis causât aliquando primam gratiam, eadem etiam ratione caetera viventium sacramenta possunt illam aliquando causare. . . Motiva [autem], quae responsio [adversariorum] repraesentat, ut salvet esse quasi privilegium solius Extremae unctionis inter sacramenta viventium, quod aliquando causet primam gratiam, nullius fere momenti sunt, ut quae facile queant aliis viventium sacramentis applicari."[2]

HYQUAEUS: "Peccatum mortale non deletur per hoc Sacramentum directe, sed *tantum per accidens,* quatenus dans gratiam supposita dispositione poenitentis requisita, tollitur mortale. *Neque enim intelligo quod dicit Suarez,* hoc Sacramentum delere mortale, non per accidens, neque per se, ex primaria institutione, sed medio quodam modo, quatenus scilicet institutum est ad tollendum impedimentum gloriae, ut ad ipsam gloriam disponit, ex fine tollere impedimentum peccati mortalis et venialis.

"Hoc non intelligo, quia finis extrinsecus non dat efficaciam medio, sed medium ipsum se habet ut causa, per quam acquiritur finis; talis ergo est efficacia Sacramenti, qua medium institutum est ad finem, qualem habet ex institutione. Quidquid autem habet ex institutione, causât per se et ex opere operato. Unde si non haberet efficaciam ad delendum mortale ex propria institutione, illud non deleret, nisi per accidens, accedente bona fide, *eo modo quo caetera Sacramenta, quae dicuntur vivorum,* illud tollunt. *Si autem ex propria institutione habet illam efficaciam, jam per se simpliciter tollit,* quia gratia sacramentalis, ut datur ad finem tollendi impedimenti, habet annexam hanc virtutem tollendi impedimentum, neque aliter Poenitentia aut Baptismus tollunt de facto peccatum per se, nisi quia dant gratiam ad tollendum hoc impedimentum salutis per se; quod autem non tollunt ipsum peccatum in eventu et de facto, per accidens est, et ex statu subjecti, nempe si insit in peccato, quia ad veritatem Sacramenti sufficit per se dare gratiam quae per se remissiva est peccati.

"Caetera etiam Sacramenta dant gratiam, cui annexa est sublatio impedimenti peccati mortalis, si ipsa gratia non habet obicem peccati in subjecto. Peto ergo an peccatum mortale sit obex gratiae hujus Sacramenti? si non sit obex, ergo habet per se annexam remissionem ejus ex efficacia Sacramenti, ac proinde potest accedi ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, non secus ac ad poenitentiam et Baptismum. Si autem peccatum mortale notum statuit obicem gratiae, quae datur in unctione, prout de facto statuit, sequitur quod huic gratiae non sit specialiter talis remissio, nisi ut est annexa gratiae, verbi gratia Eucharistiae per accidens. Unde quod dicatur hoc Sacramentum disponere ad gloriam, intelligi debet secundum mensuram et modum suae institutionis, et non aliter.

"Dices haec sententia est magis pia et fundata in divina misericordia, et commendat efficaciam et reverentiam Sacramenti, magisque inducit homines ad ejus receptionem et ministrandi sollicitudinem. Respondetur, non debere ita commendari efficaciam ejus, ut contemnantur media salutis necessaria, ut est poeni-

[u] *De sacramentis in communi,* disp. 4, dub. 7, n. 108 sq. et 116sq., *Cursus theologicus* XVII (Parisiis 1881) 368 sq., 375.

tcnlia de mortalibus, quia hoc perniciosum esset, et pietati et saluti animarum; neque ultra regulas praescriptas Scripturae et Conciliorum, in quibus expresse disponuntur media salutis necessaria, praesumendum est de divina misericordia, sed sectanda sunt toto conatu quae sunt certa. Nam S. z\ugustinus sub finem vitae ita commendavit poenitentiam, ut dixerit, neminem, quantumlibet sancte vixerit, debere egredi ex hac vita sine poenitentia, neque unquam legimus dari aliquam tertiam naufragii tabulam inter sacramenta. Sufficit autem ut hoc Sacramentum remittat per accidens mortale ad reverentiam ejus et utilitatem etiam in hoc specialiter commendandam."[25]

FRASSEN: "Sacramentum hoc licet non ordinetur per se ad remissionem peccatorum mortalium, *ex vi suae propriae institutionis,* nihilominus illa remittit per accidens, quando videlicet infirmus habet ejusmodi peccata, quae bona fide et invincibiliter ignorat; quamvis enim hoc Sacramentum ordinetur dumtaxat per se ad conferendam secundam gratiam, idest, ut gratiae sanctificationis augmentum conferat supponatque hominem a peccato mortali per Sacramentum Poenitentiae, aut perfectam Contritionem jam purgatum; nihilominus *secundario etiam et per accidens* primam interdum gratiam conferre potest et peccata mortalia delere, si forte Confessio Sacramentalis citra culpam invalida fuit, et alias infirmus se in statu peccati mortalis esse invincibiliter ignoret, et de illis saltem in genere attritus sit. . . Per consequens directe et per se dicetur esse Sacramentum vivorum; ex accidenti tamen, ac veluti indirecte poterit dici quoque remedium et antidotum mortuorum, *ut de aliis quatuor Sacramentis* suo loco dictum est. Et hoc etiam Doctor noster [Scotus] expressit loco citato supra, dum ait, quod nullus est capax istius Sacramenti digne, nisi sit in gratia; istud enim Sacramentum, non est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantum Baptismus et Poenitentia; quibus verbis significat Doctor, haec tantum duo Sacramenta per se ordinari ad remissionem peccati mortalis, alia autem quinque indirecte solum et per accidens, quatenus scilicet gratia habitualis, quam efficiunt, ut sunt Sacramenta, est incompossibilis cum peccato mortali."[20]

MONTEFORTINO: "Effectus primarius Unctionis Extremae est gratia habitualis, quatenus habet per se annexam remissionem venialium peccatorum; per accidens vero et indirecte mortalium. . . Quia [enim] accidere potest, ut quis putet se omnia facienda fecisse, quo digne poeniteret, et arbitretur se sufficienter dispositum unctioni invisibili recipiendae, et interim non sit ita, nec coram Deo justificatus appareat, in hoc casu Unctionis Extremae Sacramentum, *sicut et Eucharistia,* delet quoque culpam letalem *indirecte et per accidens,* quatenus bona fides suscipientis facit, ne Sacramentum sibi sit mortiferum ob suam indispositionem, quae si ipsum non lateret, rite, et ut oportet disponeretur."[27]

LEPICIER[23] loquitur sicut S. Thomas de remissione mortalium tanquam de effectu "ex consequenti seu secundario," idque deducit ex eo quod, si sit bona fides, gratia, quae infunditur ad conferendum robur spirituale, secum non compatitur peccatum, *sicut accidit etiam in Eucharistia et Confirmatione.* Quae ratio et comparatio ostendunt hunc doctorem talem effectum habere pro accidentali, etsi hac expressione non utatur.

PEGUES eandem rationem et comparationem exhibet: "La plénitude des forces ne peut être rendue à l'âme que par une communication spéciale de la grâce. . . Quand cette grâce est causée par le sacrement de l'Extrême-Onction. elle exclut, du

[1] *Commentarius in Scotum, In 4 Sent.,* dist. 23, q. un., *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivès 1894) 31 sq.
[2] *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, conci. 1, *Scotus Academicus* X (Romae 1902) 622.
[3] *Suppi.,* q. 30, a. 1, *Joannis Duns Scoti Summa Theologica* (Romae 1903) VI 356 sq.
[4] *De Sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 68 sq.

même coup, si besoin était, tout ce qui serait une présence de péchés dans lame A moins que le sujet ne fût volontairement impénitent, il bénéficie nécessairement de la loi miséricordieuse qui fait produire à tout sacrement de la loi nouvelle ou directement [Baptême et Pénitence], ou indirectement [les autres sacrements] la rémission des péchés."[20]

DIEKAMP ubi de Extrema Unctione remissionem mortalium vocat "effectum ex consequenti," ubi vero de sacramentis in genere illam relate ad omnia sacramenta vivorum vocat simpliciter "effectum accidentalem," scribens: *"Omnia sacramenta vivorum,* s. Eucharistia non excepta, *per accidens* ad modum sacramenti mortuorum operantur, inquantum scilicet in homine peccato mortali onerato, si tamen bona fide putat se esse in statu gratiae, et attritus sacramentum suscipit, gratiam sanctificantem reparant. . . St. Thomas hunc *effectum accidentalem* sacramentorum explicite propugnat (3, q. 72, a. 7; 79. a. 3, etc.)".[30]

BOYER,[31] etsi tantum loquatur de effectu "secundario, id est ex consequenti," illum tamen ut accidentalem habere videtur, cum provocet cum S. Thoma ad rationem infusionis gratiae quae peccatum non patitur. Ceterum signanter tacet de supradicta distinctione Suaresii, etsi sit tam communis inter modernos.

GARRIGOU-LAGR.1.V*GE,*[2'] etsi remissionem mortalium vocet tantum effectum "secundarium," tamen in eodem contextu, assimilans illi remissionem venialium, dicit hanc non fieri "per se" per Extremam Unctionem quia ita fit per Poenitentiam. Unde idem sentit de remissione mortalium.

LAHITTON remissionem mortalium ut accidentalem effectum aequivalenter proponere videtur, cum scribit: "Ad licite recipiendam E. Unctionem, homo debet esse in statu gratiae, sed *per accidens* sufficit attritio. Primum constat ex eo quod *per se* et regulariter, E. Unctio est sacramenti Poenitentiae complementum, ideoque supponit peccata jam remissa. Secundum constat quia effectus remissionis peccatorum enuntiatur, licet conditionate, in textu Jacobi. . . Ex hoc vides quod E. Unctio veluti medium tenet inter sacramenta vivorum et mortuorum, de utrisque participans. Hinc, si doctrina de attritionis sufficientia ad fructuose suscipienda, in certis casibus, sacramenta vivorum, est solum probabilior, certa evadit quoad fructuosam E. Unctionis receptionem."[33] Unicum discrimen quod hic invocatur, inter Extremam Unctionem et cetera sacramenta vivorum quoad remissionem mortalium, est gradus probabilitatis et certitudinis in eadem doctrina. Ceterum, idem auctor, tractans de sacramentis in genere, simpliciter statuit: "Sacr. vivorum primam gratiam per accidens causant in peccatoribus."[34]

SECUNDAM QVAESTIONEM quod attinet, scilicet *de dispositionibus vel conditionibus in subtecto requisitis* ad hoc ut Extrema Unctio possit hunc secundarium effectum producere, theologi fere conveniunt in exigendo duas conditiones, *primo* scilicet attritionem,[35] saltem habi-

" *Commentaire français littéral de la Somme Théologique* XIX (Toulouse 1930) 576.
Theologiae dogmaticae manuale IV (juxta ed. 9 versionem latinam secundam curavit A. Hoffmann, Parisiis 1946) 391 ct 26.
ll *De Pacnitcntia et de Extrema Unctione* (Romae 1942) 412 sq.
; *De Eucharistia. Accedunt de Poenitentia quaestiones dogmaticae* (Torino 1943) 405.
ll *Theologiae dogmaticae theses* IV (Parisiis 1932) 225.
" *Ibid.* 59.

P. De Letter, S.J., *loc. cit.* (supra, in p. 115), videtur exigere perfectam contritionem. saltem existimatam. Sic saltem ipse interpretatur doctrinam S. Thomae, sequens aliunde mentem unius vel alterius moderni thomistac (nominatim *De Vooght* et *Dondainr),* qui eandem Angelici interpretationem profert in quaestione de dispositione requisita ad ipsam sacramentalem absolutionem, quam dicit esse perfectam ipsam contritionem. De qua quaestione confer (ut omittamus ampliores referentias, quae hic

tuaient (qua maior nequit haberi in homine proprie ac vere sensibus destituto); *secundo,* bonam fidem, vel, si placet, impotentiam physicam aut moralem acquirendi statum gratiae per actum perfectae contritionis aut per sacramentum Poenitentiae, quae potest contingere vel ex eo quod quis sit sensibus destitutus, vel ex ignorantia status peccati (ut si quis invalide receperit absolutionem), vel ex ignorantia indebitae dispositionis seu solius attritionis (ut si quis putet se esse contritus et sit tantum attritus). Non desunt tamen discordantes voces.

Primae ac principali conditioni refragatur *H. Schell*™ quatenus docet proprie dictam attritionem non requiri in moribundo qui ea sit incapax, sed sufficere intentionem suscipiendi sacramenta Ecclesiae, vel virtualem aversionem a peccato quae continetur in generali voluntate habituali hominis catholice viventis nec peccato obdurationis contra Spiritum S. inquinati. In quo casu Extrema Unctio peccata delet tanquam quoddam "sacramentum naturae" per se efficax independenter a Poenitentia. *Ratio* est *tum* quia Extrema Unctio est sacramentum distinctum et independens a sacramento Poenitentiae, quod non explicaretur si attritio semper ac simpliciter exigeretur; *tum* quia in

essent extra locum) tum ipsum De Letter, "Two Concepts oi Attrition and Contrition," *Theological Studies* 11 (1950) 3-33, tum H.-F. Dondaine, O.P., "Bulletin de Théologie. Théologie de la Pénitence," *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques* 36 (1952) 656-674.

In hoc altero loco advertimus non leviter excitatam fuisse auctoris iram contra attritionismum quem nos ("thomiste," ut ait, "d'intention") defendimus in nostro tractatu *De Poenitentia II.* Suggerit autem cl. auctor (p. 657 sq.) nos non satis advertere rccentiorem progressum opinionum ("Malgré scs immenses lectures, il sc trouve cà et là dépassé par les travaux modernes") et. peculiariter in hac quaestione de contritione, laborare quadam lamentabili "myopia" (sit venia verbo), non distinguentes inter attritionismum S. Thomae et attritionismum Scoti quem sequi et ipsi S. Thomae tribuere ridemur, Quibus liceat haec breviter (utut extra locum) adnotare. 1) Recens paucorum opinio de necessitate perfectae contritionis in justificatione sacramentali non videtur nobis ita solida aut ita clara (ipse Dondaine ibidem, p. 661, adhuc fatetur: "Nous aimerions revenir sur ce point, car nous avons eu de la peine à nous faire entendre"), ut possit sibi ius civitatis reclamare intra pacificos saltem muros currentis disciplinae, idque ratio fuit quare maluimus eam sub silentio praeterire in scholastico opere quod edidimus (nec ullum quod sciamus huiusmodi generis opus eam opinionem adhuc defendere aut suggerere suscepit). 2) Sufficientia attritionis, quatenus saltem excludit necessitatem perfectae contritionis ad constituendum validum et efficax sacramentum, est solide fundata ac firmata sive in traditione theologica sive in ipsa doctrina Tridentina; logice etiam ipsa deducitur saltem ex principiis S. Thomae, nec est merus foetus Scoti, nisi velimus dicere communem ipsam scholam Thomistarum. saltem posttridentinorum. sub influxu eiusdem inexplicabilis "myopiac," ad Scoti sequelam transiisse aut Scoti principiis inquinatam esse. 3) Sufficientia attritionis cum sacramento ad iustificationem, nnn necessario contradicit necessitati actus perfectae contritionis ante ipsam infusionem gratiae; potest enim quis dicere quod sacramentum cum attritione producit gratiam, simul tempore ac prius natura producendo ipsum actum contritionis, et hoc sensu faciendo de attrito contritum; potest etiam alius dicere, adhuc in iisdem thomisticis principiis, in justificatione sacramentali actum contritionis ita una cum gratia produci, ut eam subsequatur in ordine efficientiae et simul tamen eam praecedat in ordine causae materialis seu dispositionis. Quae omnia cl. auctor ex ipso nostro opere *De Poenitentia* non difficile collegisset, si illud attente legisset.

'*Kalholischr Dogmatik* III (Paderborn 1893) 629 sq. Cf. eius verba extensive citata apud Kern, *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 172-174.

Poenitentia ideo attritio semper requiritur quia est pars ipsius sacramenti, dum in Extrema Unctione est mera requisita dispositio, a qua proinde impossibilitas dispensat, dummodo non inveniatur in subjecto supradicta positiva ac radicalis indispositio peccati contra Spiritum S.; *tum* quia non congruit divinae misericordiae ut desit remedium salutis pro subiecto incapaci eliciendi actum attritionis, nec apparet quomodo potestas principis huius mundi revera dici possit simpliciter Christo subiecta si in praedicto casu deficiat remedium victoriae et salutis.

Similem quandam opinionem deprehendebat *Suarez apud aliquos doctores sui temporis,* scribens: "Inquirere . . . potest aliquis quanta attritio necessaria sit ad effectum hujus sacramenti. Quidam enim putant majorem hic requiri, quam in poenitentia, quia hoc sacramentum per se non est ita efficax ad effectum hunc, sicut poenitentia. Ita Palud., in 4 dist. 23, q. 1, art. 3, conci. 3. *Alii e contrario minorem hic sufficere putant,* quia attritio non est ita intrinseca sacramento huic, sicut poenitentiae. Dico tamen eandem omnino requiri, loquendo per se, de collatione talis effectus, sicut supra dixi in simili comparatione inter baptismum et confessionem. Quia necessaria est attritio supernaturalis, absoluta, efficax et universalis de omnibus peccatis mortalibus commissis, et si has conditiones habeat, sufficit, quantumvis remissa sit; ergo in hac dispositione non potest inaequalitas cum ratione aliqua exigi aut cogitari."[37]

Secundae conditioni refragatur unus vel alter theologus modernus, negans bonam fidem simpliciter requiri, seu docens quod "infirmus . . . , quamvis sciat se esse in statu peccati mortalis, non tenetur, si confiteri nequit, elicere actum contritionis perfectae pro suscipienda Unctione, sed sufficit si saltem habitualiter est attritus";[38] aliis verbis requiritur bona fides quantum ad impotentiam suscipiendi sacramentum Poenitentiae non vero quantum ad inconscientiam status peccati et absentiae actus perfectae contritionis. *Ratio* est quia hoc sacramentum per se et ex propria institutionis intentione ordinatur, utut secundarie, ad remittenda mortalia; unde mera attritio sufficit, cum voto suscipiendi sacramentum Poenitentiae, in casu quo istud suscipi non queat.

Hanc sententiam in terminis citatis tenet *Van-Noort-Verhaar* (eam tribuens ipsi Billot), benigne aspicit *Paquet,*[20] et "improbabilem omnino dicere non audet" *€appello* 0

Solet ipsa tribui *Billot ut principali auctori* (ita a Paquet, Kern.

Op. cit. (supra, in p. 115), n. 26, p. 836. I

" Van Noort-Vebiiaar, *op. cit.* (supra, in p. 117) 117 sq.

* *Commentaria in Summam Theologicam D. Thomae, De Sacramentis,* secunda pars (Qucbcci 1903) 246.

Loc. cit. (supra, in p. 118).

Van Noort-Verhaar et Cappello); attamen hic auctor eam in terminis non profert, sed potius ambigue loquitur; nam in prima parte textus mox citandi videtur loqui de solo casu hominis sensibus destituti, etsi in ultima parte ita assertionem suam generalizet ut inde ansam praebeat suspicandi ipsum revera tenere eam opinionem quae ei tribui solet. Scribit enim: "Contingere potest ut infirmus in mortali exsistens non sit amplius capax suscipiendi in re Poenitentiae sacramentum. puta si sensibus destitutus nequeat, confiteri. Quod si nihilominus sit habitualiter saltem attritus, ea attritione quae omnem peccandi voluntatem excludat/1 adhuc quidem cum sacramento iustificari potest, sine sacramento non potest. Ad hanc igitur iustificationis gratiam conferendam, Unctionem Extremam habere efficaciam, incunctanter asserimus. Et licet de aliis etiam sacramentis ut supra dictum est, idem sentiendum sit, differt tamen ab aliis unctio infirmorum in duobus. Primo in hoc quod de aliis sacramentis nonnisi probabiliter id affirmatur, de hoc autem sacramento certissime. Secundo in hoc quod alias, iustificationis effectus habetur veluti per accidens, id est *supposita bona fide suscipientis qui se existimat in statu gratiae, cum non sit;* hic autem habetur per se et ex proprio fine sacramenti, *non secus ac in duobus sacramentis mortuorum* quae sunt baptismus et poenitentia."[2]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Remissio peccatorum mortalium per hoc sacramentum fit non per sc sed per accidens, scilicet eodem modo ac per alia sacramenta vivorum, etsi certiori ratione.

Probatur 1. *EX RATIONE EFFECTUS PER SE.*

Effectus per se sacramenti est effectus directus ac specificativus, qui nempe semper datur per validum sacramentum, obice non obstante, et, quo deficiente, deficit sacramentum; id patet ex ipsa ratione perseitatis, qua nequit cogitari magis formalis ac directa ratio, nisi velimus arbitrarie pervertere sensum notionum vel ludere verbis. Atqui talis non est remissio peccatorum mortalium, ut ex se patet. Ergo ipsa non est effectus per se, adeoque est effectus per accidens.

Xec valet cum adversariis confugere ad *distinctionem inter cficotum*

"'Tuta, quia antequam sensibus et usu rationis destitueretur, elicuit actum interiorem attritionis qui usque nunc habitu perseverat, in quantum non fuit actu contrario retractatus. Eiusmodi autem actus includit propositum non peccandi de caetero. et ex conscouenti votum saltem implicitum sacramenti Poenitentiae, sine quo nulli unquam fideli contingit iustificatio."

[2] *Dr Ecclesiae sacramentis* II (Romae 1930) 259.

per se primarium et effectum per se secundarium, qualiter habetur in sacramento Poenitentiae inter remissionem mortalium et remissionem venialium. Nam ex ipsa comparatione utriusque sacramenti apparet eorum discrimen et explicatur etiam nostrum argumentum. Effectus enim per se sacramenti Poenitentiae non est ipsa remissio peccati mortalis prout distinguitur a remissione venialis, sed est remissio peccati ut sic ac veluti in confuso; cum autem ratio peccati conveniat sive culpae mortali sive veniali, et quidem principaliter mortali et secundarie veniali, ideo utriusque peccati remissio est effectus per se illius sacramenti, saltem in secundo gradu perseitatis, et ita ut remissio peccati mortalis sit effectus per se principalis et remissio venialis sit effectus per se secundarius; sive enim remittatur mortale, sive remittatur veniale, fit vere remissio peccati, quae est effectus per se, Poenitentiae, in primo gradu perseitatis.43

Talis autem distinctio applicari nequit inter sanationem reliquiarum peccati, seu debilitatis animae ex peccatis relictae, et remissionem peccatorum, prout sunt effectus Extremae Unctionis. Nam effectus specificativus ac per se huius sacramenti est ipsa sanatio praedictae debilitatis prout distinguitur a remissione peccatorum, non vero aliqua ratio communis quae inveniatur in utroque effectu quaeque principaliter conveniat praedictae sanationi animae et secundarie remissioni peccatorum. Tdque patet tum ex ipsa confessione adversariorum, qui nequaquam loquuntur de aliqua communi ratione sed de ipsa animae sanatione, distincta a peccatorum remissione, tanquam de effectu principali ac specificativo; tum ex eo quod nulla possit huiusmodi communis ratio proprie assignari: generalissima enim ratio curationis animae ab omni spirituali morbo, in qua quodammodo conveniunt abstersio reliquiarum peccati et remissio ipsius peccati, non est proprie una ratio, sive unitate univoca, sive unitate analoga (sicut unum sunt peccatum mortale et peccatum veniale), cum reliquiae peccati nihil habeant in communi cum ipso peccato sed tantum se habeant ut eius effectus, et quidem adiacens et heterogeneus; tum quia si haec ipsa generalis ratio curationis ab omni spirituali morbo assumeretur ut specificus et per se effectus sacramenti, sequeretur quod principalis effectus non sit abstersio reliquiarum sed ipsa remissio peccati, seu principalis morbi (sicut principalis effectus Poenitentiae est remissio mortalium), quod tamen negant ipsi adversarii.

Probatur 2. *EX SENSU THEOLOGICAE TRADITIONIS.*

Antiqui doctores, a saec. 8 ad saec. 13, passim ac insistenter praerequirunt receptionem *sacramenti Poenitentiae,* vel saltem actum

° Ct dicta in tractatu *Dc Poenitentia* I 215 sq., 225 sq., 228,

poenitentiae seu contritionis, ante susceptionem Extremae Unctionis, et posteriores theologi fere omnes (si nempe excipiatur unus vel alter, contra quem agetur infra in Conci. 2) dicunt ad susceptionem huius sacramenti requiri per se *statum gratiae* nec nisi *bonam fidem* ab hoc excusare. lamvero id non sufficienter explicaretur si Extrema Unctio ex sua ipsius institutione esset per se ordinata ad remittenda peccata mortalia, etsi de secundaria intentione seu in solo casu quo non fuerint remissa per Poenitentiam; sicut enim Poenitentia non praerequirit statum gratiae vel bonam fidem eo quod sit praecise instituta ad remittenda peccata, pari ratione id non requireret Extrema Unctio, etsi in sua particulari ac restricta provincia. Unde logice procedunt praedicti pauci theologi moderni in suo, utut falso, asserto quo docent sufficere attritionem etiam cognitam ut talem.

Theologi, cum agunt de sacramentis in genere, communiter docent Extremam Unctionem esse *unum ex sacramentis vivorum,* quae quidem definiunt per hoc quod sunt per se instituta pro solis vivis et causant per se solam secundam gratiam nec nisi per accidens primam gratiam. Hoc autem non congruit sententiae adversariorum qui, cum agunt particulariter de Extrema Unctione, dicunt hoc sacramentum per se remittere peccata mortalia, etsi secundario; ex hoc enim sequeretur Extremam Unctionem esse sacramentum mortuorum eamque per se causare primam gratiam, etsi secundario seu in solo casu peculiaris necessitatis infirmi cui contigerit peccata mortalia nondum fuisse remissa. Scimus quidem quosdam adversarios ad hanc sequelam quasi reluctanter et ambigue descendere, dum omni modo sese torquent ut possint tribuere Extremae Unctioni quandam secundariam vel attenuatam rationem sacramenti mortuorum, inde parturientes hybridum quoddam sacramentum quod sit. iuxta casum, vivorum simul ac mortuorum." sed ex hoc ipso manifeste ambiguitatem et labilitatem suae positionis ostendunt.

Ratio autem, quam adversarii ex ipso sensu Traditionis et Ecclesiae afferunt, scilicet explicita et constans attributio remissionis peccatorum huic sacramento in ipsis verbis lacobi, in multis Patrum et doctorum testimoniis, in ipso Cone. Trid. et in ipsa formula sacramentali, non magis probat quam certitudinem huius effectus, et quidem maiorem quam relate ad alia vivorum sacramenta, non vero ipsum modum quo hic effectus producitur, scilicet quod producatur per se.

" *Wirceburgenscs:* "Sacramentum mortuorum secundum quid et cum particula restringente ad certos casus." *Billot:* "Extrema Unctio est annumeranda, per se loquendo lie. non simpliciter et sub omni respectui inter vivorum sacramenta"; *Lehmkuhl:* "Extrema Unctio Iest l secundarie sacramentum mortuorum"; *llugon:* "Extrema Unctio, licet sit sacramentum vivorum, dici potest etiam secundario sacramentum mortuorum"; *Lerchtr:* "Unctio quasi medium locum inter sacramenta vivorum et mortuorum tenet." Similia dicunt *Bucccroni, Priinintcr, Conte a Coronata,* et alii.

Ex verbis Iacobi et Cone. Trid. nihil deduci potest nisi quod, si adhuc sint peccata mortalia, haec per hoc sacramentum remittuntur; imo ex ipsa conditional! ratione huius remissionis deduci potest ipsam non esse effectum per se, quemadmodum deducitur eam non esse effectum principalem. Idque satis indicat *Catechismus Cone. Trid.* (cit. in p. 16 sq.) cum ait tantummodo Baptismum et Poenitentiam, non vero Extremam Unctionem, "primario loco" et "vi sua" remissionem mortalium efficere; si enim Extrema Unctio hanc remissionem non efficit "vi sua," eam efficit vi alterius, seu non per se et ex propria ordinatione, sed per accidens et ex concomitanti ratione ipsius gratiae, quam per se producit quaeque est incompossibilis cum mortali peccato. Emphatica ipsa verba *Traditionis* de remissione peccatorum per hoc sacramentum intelligenda sunt cum grano salis et iuxta contextum tum particularem tum generalem; nam ipsa expressio "remissio peccatorum" est de se ambigua et assumere potest tum sensum valde generalem cuiuslibet defectus cum peccato connexi, tum unum vel alium sensum particularem ipsius peccati, vel reliquiarum peccati, vel poenae temporalis; ceterum, si indiscrete vis verborum premeretur, sequeretur remissionem peccatorum esse non solum effectum per se sed etiam principalem, ut quidam theologi de facto deduxerunt[d]. Pariter inepte ab adversariis invocantur verba formae sacramentalis ("Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti"); nam, si haec nimis premerentur, sequeretur remissionem peccatorum esse etiam effectum principalem, quod tamen ipsi adversarii negant contra alios doctores hanc conclusionem inepte deducentes, ut ostendimus supra (p. 84 sq.).

Probatur 3. *EX ADAEQUATA DISTINCTIONE INTER EXTREMAM UNCTIONEM ET POENITENTIAM.*

Si Extrema Unctio remitteret peccata per se, utut secundario et in aliquo particulari casu, non adaequate distingueretur a Poenitentia, nec esset merum complementum sed potius supplementum Poenitentiae. seu quoddam subrogatorium et vicarium sacramentum remissionis pro peculiari casu necessitatis infirmorum, ac ita periret universalis et simplex ordinatio sacramenti Poenitentiae ad remittenda peccata post Baptismum commissa.

Sic concidit theologica ratio quam adversarii solent in suum favorem invocare ex hoc ipso quod Extrema Unctio sit per se complementum Poenitentiae: confundunt enim complementum cum supplemento. Extrema Unctio est per se merum complementum Poenitentiae, quatenus spiritualem curationem incoeptam per hoc sacramentum ulterius perficit, abstergendo nempe reliquias peccati seu animi spiritualem

[d] Cf. dicta in p. 37 sq.. 84.

debilitatem; nonnisi vero per accidens ipsa, sicut cetera vivorum sacramenta, esse potest etiam supplementum Poenitentiae, auferendo scilicet ipsa peccata ratione collationis gratiae sacramentalis quae est incompossibilis cum culpa mortali.

Probatur 4. *EX PARITATE CUM CETERIS SACRAMENTIS VIVORUM.*

Primo, in Traditione Patrum et in documentis Ecclesiae Extrema Unctio *parificatur Eucharistiae* quoad effectum remissionis peccatorum; nam etiam de Eucharistia Patres frequenter aiunt eam vivificare mortuos, expellere morbos spirituales (Cyrillus Alex., *In Joan.* 4. 47), abstergere omnem spurcitiam (Damascenus, *De fide orth. 4.* 14), *Cone. Trid.* in ipso can. 5 sess. 13 docet eam remittere peccata ("Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire, A.S."), *Liturgia* in oratione pro vivis et defunctis (Postcommunio) habet: "Purificent nos . . . Deus, sacramenta quae sumpsimus; et . . . praesta; ut hoc tuum sacramentum ... sit ablutio scelerum ... sit . . . remissio omnium delictorum." lamvero, Eucharistia nonnisi per accidens remittit mortalia, fatentibus ipsis adversariis qui nihil amplius ex praedictis documentis deducunt. Ergo idipsum de Extrema Unctione dicendum ac concludendum est. Nec magis deduci potest ex eo quod testimonia de remissione peccatorum per Extremam Unctionem sint frequentiora fortasse ac signantiora, tum quia magis vel minus non mutat speciem, tum quia proprius ac specificus effectus Extremae Unctionis, seu abstersio reliquiarum peccati, magis accedit ad rationem remissionis peccatorum, cum sit quoddam illius complementum, ac ideo facile potuit sub generali ac confusa expressione remissionis peccatorum comprehendi.

Secundo, in traditione posteriorum theologorum Extrema Unctio *parificatur aliis sacramentis* sub communi appellatione et notione sacramenti vivorum, quibus competit per se conferre secundam gratiam et nonnisi per accidens primam gratiam peccatorum remissivam. Ergo etiam Extrema Unctio, sicut cetera, nonnisi per accidens remittit peccata mortalia, et inconsequenter se gerunt adversarii aliter sentientes, ut supra dictum est. Propterea, ut ostensum est supra (p. 112 sqq.), *antiqui theologi* simpliciter et absque distinctione pacificant Extremam Unctionem ceteris sacramentis vivorum, nominatim Eucharistiae, quoad effectum remissionis mortalium, assignantes etiam communem rationem, seu proximum fundamentum, unde talis effectus procedit, scilicet ipsam gratiae infusionem quae praesentiam mortalis

peccati non compatitur; nonnisi autem post Cone. Trid., praecipue opera Suaresii. introductum est discrimen inter Extremam Unctionem et cetera sacramenta vivorum et vulgata est commoda illa sed parum apta distinctio, qua quidam moderni tantopere delectantur, inter effectum per se primarium et effectum per se secundarium sacramenti Extremae Unctionis.

Tertio, Nullus est casus, inter eos in quibus theologi communiter dicunt Extremam Unctionem remittere peccata mortalia, in quo cetera etiam sacramenta vivorum ea remittere non possint. Hoc autem satis evidens signum est praedictum effectum pariformiter, seu eadem secundaria et accidentali ratione, omnibus sacramentis vivorum competere. *Septem quidem casus* adduci solent in quibus Extrema Unctio remittit relicta peccata mortalia.

Primus casus est si infirmus ex ignorantia vel oblivione, vel physica aut morali impotentia, omiserit quaedam peccata in praecedenti confessione. Attamen, hic casus est ineptus, quia, cum agatur de peccatis commissis ante confessionem fructuose susceptam, ea omnia remissa manent per ipsam absolutionem nec quidquam relinquitur quod remitti possit sive per Extremam Unctionem sive per alia sacramenta vivorum.

Secundus casus est si infirmus post suscepta sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae incidat in peccatum mortale et id ignoret.'® lamvero. in hoc casu etiam alia sacramenta vivorum, nominatim Eucharistia, auferunt peccata mortalia.

Tertius casus est si infirmus praedicta duo sacramenta non rite susceperit, puta ob defectum sufficientis dispositionis seu contritionis vel ob defectum ministri qui fortasse invalide absolverit, idque ignoret putans se justificationem accepisse. lamvero, in hoc casu etiam alia sacramenta vivorum abstergunt peccata mortalia.'7

'® Casus possibilis csl: Potest enim accidere ut quis vel ob causam physicam, puta mentis perturbationem ex vehementia morbi, vel ob causam moralem, puta ob ineptum iudicium circa gravitatem alicuius culpae aut quia agitur de voluntario indirecto ex negligentia seu omissione, non sit conscius de statu peccati aut de eo non cogitet. De hac ultima causa scribit *Garrigou-Lagrange* : "Praesertim propter voluntarium indirectum, ncgligentiae seu omissionis, aliquis potest esse 'in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet' (3 p.. q. 79. a. 31. Sic S. Paulus dicit I Cor. IV. 4: 'Nihil enim mihi conscius sum. sed non in hoc justificatus sum'. In commentario in hanc Epistulam S. Thomas dicit: 'Id est: non habeo alicujus peccati mortalis conscientiam. . . Sed non in hoc justificatus sum: id est, non sufficit ad hoc quod me justum pronunciem. quia possunt aliqua peccata in me latere, quae ignoro, see. illud: Ps. "Delicta quis intelligit?" et in libro Job, IX, dicitur: "Et si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea"'. Unde S Paulus concludit ibidem 'Qui autem judicat me, Dominus est'" *(of> cit.* [supra, in p. 1'21 201).

': Peculiariter de Eucharistia scribit S. *Thomas:* "Potest . . hoc sacramentum operari remissionem peccati . . etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius con-

Quartus casus est si infirmus sit sensibus destitutus, habens simul et peccatum mortale et attritionem habitualem ex praecedenti actu attritionis relictam, in quo casu sacramentum Poenitentiae non prodest, iuxta thomisticam et communiorem sententiam (cum prorsus desit materia sacramenti seu actus poenitentis, etsi soleat dari absolutio conditionata sub praesumptione alicuius imperceptibilis actus contritionis et confessionis), prodest vero iuxta omnes sacramentum Extremae Unctionis ob impossibilitatem recipiendi sacramentum Poenitentiae vel eliciendi actum contritionis iustificativae. lamvero, in hoc casu etiam alia sacramenta vivorum abstergunt peccata mortalia, si quando tali infirmo sensibus destituto conferantur.

Quintus casus est si infirmus, incidens in peccatum mortale post susceptam absolutionem vel quomodolibet existens in peccato mortali idque sciens, elicit actum doloris quem ipse putat esse perfectam contritionem quaeque tamen de facto est mera attritio. lamvero, in hoc casu non solum Extrema Unctio sed etiam cetera sacramenta vivorum remittunt peccata mortalia, ratione nempe contritionis putativae seu bonae fidei quae obicem expellit.

Sextus casus est si infirmus, constitutus in peccato mortali, sciat cum morali certitudine actum doloris, quem elicere conatur, non esse nisi imperfectam attritionem, nec possit iterum confiteri ante susceptionem Extremae Unctionis, puta ob periculum iacturae proprii honoris inhaerens ipsi immediatae iterationi confessionis vel quia sacerdos iam unctiones incoeperit aut ianiiam sit incoepturus. In hoc casu, potius problematico et minus practico, utut non impossibili, quem auctores explicite non proponunt, dubium videri potest an Extrema Unctio fructuose suscipiatur ac consequenter remittat peccata mortalia. Affirmativa quidem responsio probabilis videri potest ex eo quod, etsi non habeatur proprie bona fides, adest tamen bona dispositio voluntatis quae, copulata cum conatu procurandi perfectam contritionem et cum morali impossibilitate eam eliciendi, aequivalet bonae fidei quantum ad eius sacramentalem efficaciam, cum ipsa bona fides ex morali impossibilitate eliciendi perfectam contritionem vim suam derivet; potest enim et hic accommodari theologicum effatum “Facienti quod in se est. Deus non denegat gratiam [sacramenti]” vel illud “Voluntas pro facto reputatur.” Attamen probabilius respondendum est negative quia, etsi habeatur bona voluntas seu conatus perfectae contritionis, deficit tamen proprie dicta bona fides seu inconscientia de absentia requisitae contritionis, hic autem defectus videtur esse pro-

scientiam ct affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote ct reverenter accedens, conscquetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati” (3 p., q. 79, a. 3).

prius obex sacramentorum vivorum quae, utpote pro solis vivis per se instituta, nonnisi ab eo qui se reputat vivus, scienter et volenter suscipi debent. Ceterum, quomodolibet res iudicetur quoad Extremam Unctionem, eodem modo et ob eandem rationem indicanda erit quoad cetera vivorum sacramenta.

Septimus casus est si infirmus, sciens ac volens, suscipit Extremam Unctionem cum sola attritione nec conetur elicere actum perfectae contritionis, ita ut nec praedicta bona fides nec impotentia interveniat. Si in hoc casu Extrema Unctio remitteret peccata mortalia, ut quidam pauci admittunt, haberetur discrimen inter ipsam et cetera sacramenta vivorum, quibus ab omnibus theologis denegatur vis remittendi peccata in praedictis conditionibus; attamen id communiter a theologis etiam Extremae Unctioni denegatur, et merito quidem, ut ostendetur in sequenti Conclusione. Ac proinde hic casus non est ad rem.

Ex dictis igitur sequitur nullum esse essentiale discrimen inter influxum Extremae Unctionis et influxum ceterorum sacramentorum vivorum quoad remissionem mortalium peccatorum. In omnibus scilicet haec remissio fit per accidens et ex consequenti, seu non tam vi sacramenti quam vi gratiae per sacramentum productae, vel, ut alii dicunt, non iuxta specificam rationem huius vel illius sacramenti sed juxta genericam rationem sacramenti. Totum discrimen est in certitudine doctrinae vel, si placet, in soliditate fundamenti ex quo haec generalis doctrina de accidentali remissione peccatorum mortalium per sacramenta vivorum deducitur; nam quoad Extremam Unctionem ea multo certior est, cum ex ipsis fontibus revelationis et ex Ecclesiae documentis de ipsa Extrema Unctione immediatius ac firmius deducatur, quoad cetera vero sacramenta minus certa est ac potius per rationem theologicam ex doctrina de generica efficacitate sacramentorum in non ponentibus obicem cum solida probabilitate eruatur, ut in tractatu *De sacr. in genere* 299-233 ostensum est.

Conclusio 2. Remissio peccatorum mortalium per Extremam Unctionem non fit nisi sub duplici conditione attritionis et bonae fidei.

Probatur 1" pars, *quod nempe requiritur attritio.*

1. Sine poenitentia nequit, saltem de facto seu in praesenti ordine Providentiae, fieri iustificatio seu remissio peccati, ut ostensum est in tractatu *De Poenitentia* I 478-484, IV 10-15 et docetur a Cone. Trid. (sess. 14, cap. 4 de contritione); attritio autem est minimum

cogitabile in linea verae poenitentiae, ut dictum est in eodem tractatu II 27.

Ceterum generalis voluntas catholice vivendi et intentio suscipiendi sacramenta, quae invocatur a *Schell,* nullo modo attritio vocari possunt; nam attritio, iuxta Cone. Trid. *{ibid.)* est sola voluntas repugnans peccato, cuius absentia stare potest cum utraque illa generali intentione catholice vivendi et sacramenta suscipiendi, ac propterea in eodem tractatu *De Poenitentia* II (Index analyticus, v. Intentio) diximus intentionem suscipiendi sacramentum Poenitentiae non sufficere sive ad eius fructum sive ad eius valorem. Nec absentia sic dicti peccati in Spiritum S. quidquam confert ad convertendam praedictam generalem voluntatem in quandam attritionem seu dolorem de ceteris peccatis quibus homo inquinatur quibusque adhaeret donec ea in seipsis non retractaverit.

Ex hoc capite, quatenus opinio Schell dissonat a praedicta doctrina *Cone. Trid.* declarantis necessitatem contritionis et hanc definientis per odium peccati et propositum non peccandi, non immerito a quibusdam theologis iudicatur *non tuta* aut etiam *erronea.* Sola notionum confusio et affirmationum varietas, quibus tota doctrina huius auctoris scatet, ipsum excusare potest a praedicta censura, qui ceteroquin suam ipsam sententiam laudabiliter retractavit.

2. Nisi vera attritio in Extrema Unctione requireretur ad remissionem peccatorum mortalium, hoc sacramentum sub hac saltem ratione superaret ipsa sacramenta mortuorum Baptismi et Poenitentiae essetque sacramentum mortuorum per excellentiam.

3. *Tres rationes a Schell adductae* (supra, p. 123) nihil ei prosunt. *Primo,* ex eo quod Extrema Unctio sit sacramentum distinctum ac independens a Poenitentia non sequitur in ea non requiri attritionem, sicut id non sequitur quoad ipsum Baptismum. Ceterum, quoad hunc effectum remissionis culpae Extrema Unctio necessario dependet tum ab actu poenitentiae, sicut Baptismus et ipsum sacramentum Poenitentiae, cum sine actu poenitentiae iustificatio fieri non queat, tum a sacramento Poenitentiae, secus ac Baptismus, quia remissio peccati post Baptismum commissi est principalis et specificus effectus sacramenti Poenitentiae, nec nisi secundario fieri potest ab Extrema Unctione quae ideo exigit in subiecto votum illius sacramenti. *Secundo,* ratio quare in sacramento Poenitentiae exigatur attritio non est tantum quia haec est pars constitutiva sacramenti, sed etiam quia sine attritione seu poenitentia nequit homo iustificari, ut patet in ipso Baptismo in quo requisita attritio nullatenus est pars sacramenti. *Tertio,* divina Providentia per institutionem sacramentorum et per generalem colla-

tionem gratiae sufficientis, quae omni facienti quod in se est non denegatur, sufficienter consuluit omnium saluti; quod autem in aliquo casu homo constituatur de facto in impossibilitate fructuose suscipiendi hoc sacramentum, per accidens est ac refunditur tum in culpam ipsius subiecti quod ad talem impossibilitatem indirecte saltem se disposuit tum in ordinarium cursum causarum naturalium quem ordo sacramentorum non supprimit nec impedit. Similis casus angustiae accidere etiam potest habenti attritionem et tamen sacramentum ipsum sive Extremae Unctionis sive Poenitentiae suscipere, aut perfectam contritionem elicere, non valenti, ut dictum est in tractatu *De Poenitentia* II 230.

Ceterum, ut ibidem addidimus, convenit divinae Bonitati ut in utroque casu, saltem ubi peculiaris bona voluntas subiecti non defuerit, res ita disponat ut ipsum ad iustificationem quomodolibet adducatur sive per opus operantis contritionis sive per opus operatum sacramenti, puta, ut infirmus qui, ob defectum attritionis, Extremam Unctionem valide et infructuose susceperit, usum rationis recuperet quamdiu sufficit ut eliciat sufficientem attritionem ad recuperandum statum gratiae per sacramenti reviviscendam.

Et in hoc sensu, veluti opinando potius de influxu divinae Bonitatis quam affirmando influxum ipsius sacramenti, admitti potest sequens animadversio, qua *KER.V* suam impugnationem sententiae Schell emollire conatur: "Quamvis sententia modo excussa minime possit admitti, tamen censeo, verum et pium esse motivum, quod *Schell* ad eam asserendam induxit, atque existimo, eum non pauca adducere momenta digna, quae a theologis serio perpendantur. Consideremus casum, quem maxime prae oculis habet. Aliquis homo, qui generatim religiose vixit, ex infirmitate graviter est lapsus, sed statim sibi proposuit sinceram et rectam confessionem. At priusquam propositum exequeretur et etiam priusquam attritionem eliceret, inopinato apoplexia tactus vel alius morbi insultu occupatus usu rationis, secundum cursum naturae irreparabiliter est privatus. Sola Extrema Unctio ei administratur, de cuius valore ob animi dispositionem aegroti habitualem dubitare non licet. Igitur *ab Ecclesia efficaciter est repositus in manu misericordiae infinitae ideoque per se habet ius ad indulgentiam divinam.*[43] Non ponit per habitualem affectum ad peccatum impedimentum, quin percipiat influxum miserentis Dei, cui alioquin non deest potentia eum iuvandi. Nonne durum est dicere, talem hominem ob solam culpam theologicam nondum actu retractatam nullum prorsus fructum ex sacramento piissimae misericordiae divinae percipere et sine ulla spe salutis aeternae damnationi esse addictum, idque quamvis supernaturale remedium maxime ob necessitates, quae in hora mortis hominem Christianum urgere possunt, a Redemptore et Salvatore animarum sit institutum? Multo magis pietati congruit opinari. Deum talem hominem suae misericordiae per validam susceptionem sacramenti ad hoc ordinati commissum non abicere, sed speciali suo

[*'] Ut sequitur ex toto contextu videtur hic Kcrn loqui dc vero iure ad auxilium (puta ad lucidum intervallum obtinendum), fundatum seu collatum ab ipso sacramento. In quo quidem dissidendum nobis est. Nam sacramentum valide et infructuose susceptum confert quidem ius ad fructum sacramenti (in hoc casu ad remissionem peccatorum), supposita tamen dispositione seu remoto obice qui est defectus attritionis, non vero confert ius ut auferatur obex, seu ut Deus det infirmo lucidum mentis intervallum cumque sic adiuvet ad eliciendam attritionem.

influxu cursum morbi ita dirigere, ut aegrotus usum rationis recipiat, quantum requiritur, ut sufficientem actum doloris adiuvante gratia elicere valeat. — *Concilium provinciale Eboracense* celebratum a. 1466 statuit:'" 'Si contingat eis [aegrotis] phrenesi vel quacunque alienatione mentis laborare, si ante alienationem erant de sua salute solliciti, consulimus, nihilominus eis hoc sacramentum fiducialiter ministretur. Credimus enim et experimento didicimus, quantumcunque phrenetico, si tamen sit praedestinationis filius, ipsius susceptionem vel ad habendum dilucidum intervallum vel saltem ad spirituale gaudium sive commodum, utpote ad augmentum gratiae, profuturum.' Cum etiam ad habendum spirituale gaudium vel commodum, quo obtineatur augmentum gratiae, requiratur ut homo mentis sit compos, 'dilucidum intervallum', quod phreneticus ope Extremae Unctionis sub indicata a memorata synodo condicione consequitur, nequit esse nisi lacullas acquirendi statum gratiae et per eum beatitudinem aeternam "50

Probatur 2" pars, *quod nempe requiratur etiam bona fides, nec sufficiat attritio.*

Si sola attritio sufficeret nec requireretur bona fides, Extrema Unctio esset proprie et simpliciter sacramentum mortuorum, non minus quam Baptismus et Poenitentia, simulque detraheretur absolutae necessitati sacramenti Poenitentiae quoad omnia peccata post Baptismum commissa. Neque hoc essentiale discrimen inter Poenitentiam et Extremam Unctionem salvatur dicendo quod per Extremam Unctionem remissio mortalium cum sola attritione fit tantum ex secundaria intentione et in solo casu necessitatis, in quo non possit suscipi Poenitentia, et quidem fit cum voto istius sacramenti: nam quod fiat de secundaria aut primaria intentione, vel semper aut in uno casu, rem essentialiter non mutat, cum agatur de plus et minus, quousque non adhibeatur alterum medium, quod manet praeter sacramentum ad statum gratiae acquirendum, scilicet perfecta contritio, prout exigitur a ratione sacramenti vivorum; votum autem sacramenti Poenitentiae inane esset, cum adsit facultas acquirendi iustificationem per aliud medium perfectae contritionis quae quidem influit ex ipso voto sacramenti.

Ratio autem ab adversariis invocata, quod nempe hoc sacramentum per se, etsi secundario, sit ordinatum ad remittenda mortalia, negata est supra in Conci. 1 (p. 125), ubi tamen contra adversarios illius partis admisimus (p. 12 7) quod si ea ratio concedatur, scilicet Extremam Unctionem non per accidens sed per se remittere haec peccata, facile ex ea sequeretur non requiri bonam fidem in suscipiente hoc sacramentum cum vera attritione, et adversarios praesentis Conclusionis logice in suam sententiam descendere. Imo, ex eadem ratione contra hos ipsos videtur ulterius sequi quod nec requireretur ipsum votum sacramenti Poenitentiae; nam si Extrema Unctio per

"Harduin, Coll. Cone. IX, 1479.
Dr sacramento Extremae Unctionis (Ratisbonae 1907) ISI sq.

se ordinatur ad remittenda mortalia, etsi secundario et in particulari casu, ex suo iure id facit, nec ideo est unde mendicare debeat ordinem et votum alterius sacramenti.

Ex dictis igitur sequitur quod ad hoc ut Extrema Unctio remittat peccata mortalia requiritur: primo, vera et *proprie dicta attritio,* saltem habitualis (seu aliquando iam elicita, nec subinde retractata); secundo, *bona fides,* quo nomine intelligitur impotentia eliciendi perfectam contritionem aut suscipiendi absolutionem, vel inconscientia de statu peccati aut de defectu perfectae contritionis,51 iuxta dicta superius (p. 130 sq.) ubi de secundo, tertio, quarto, et quinto casu; tertio, *votum sacramenti Poenitentiae,* cui voto necesse est satisfacere, data opportunitate, per confessionem ipsorum peccatorum per Extremam Unctionem remissorum, non secus ac satisfaciendum est voto eiusdem sacramenti contento in actu perfectae ac iustificantis contritionis.

ART. 14. Utrum Remissio Peccatorum Venialium Per Hoc Sacramentum Fiat Mediate Tantum, Nec Ad Eam Requiratur Attritio *{Suppi.,* q. 30, a. 1, corp, et ad 2; 3 p., q. 65, a. 1, ad 8; *De Malo,* q. 7, a. 11, ad 14).

STATUS QUAESTIONIS

Sicut relate ad remissionem mortalium, ita et hic duae a theologis agitantur quaestiones, altera de ipso modo remissionis, utrum scilicet fiat immediate an mediate, altera de requisita dispositione, utrum scilicet requiratur attritio an sufficiat inferior quaedam dispositio.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM theologi eodem modo logice dividuntur ac in quaestione de modo quo peccata venialia remittuntur per ipsum sacramentum Poenitentiae, quam agitavimus in tractatu *De Poenitentia* IV 498 sqq. (cf. praecipue 502-506).

PRIMA SENTENTIA (sat communis extra scholam thomisticam), quam tenent *Suarez, Vasquezfi- Tanner, Lugo, Clericatus, Silvius,*

”Quidam, ut *Kern (op. cit.* [supra, in p. 117] 176), *Cappello* ct *Lerchcr* addunt ignorantiam seu errorem circa obligationem eliciendi actum perfectae contritionis (ut si infirmus veram existimet sententiam adversariorum eamque in praxi velit applicare). Attamen, ex una parte error circa requisita ad fructum sacramenti non valet illorum defectum compensare (sicut si quis erronee putaret solam attritionem in aliquo casu sufficere ad iustificandum extra sacramentum, non ideo iustificaretur) et ex alia parte non licet sacramentum exponere infructuositati.

u Ut dictum est in tractatu *De Poenitentia* IV 504, in quaestione de remissione

Laureatus, et quidam inter Scotistas, ut *Ilycpiaeus, Montejortino* et *Mastrius* (iuxta mentem quidem Scoti et congruentius cum sua doctrina de effectu principali Extremae Unctionis consistente in ipsa venialium remissione; quibus tamen refragantur alii Scotistae, sequentes potius doctrinam Bonaventurae, de qua infra), docet Extremam Unctionem *remittere venialia immediate,* sicut remittit mortalia, quatenus nempe influxus sacramenti terminatur immediate ad ipsam deletionem venialium, non vero ad solam productionem vel excitationem actus contritionis aut charitatis, quo mediante venialia deleantur. Ad hanc sententiam reducitur quaedam emollita ac hybrida opinio moderna, a *Kern* introducta et a *Kilkcr, Spicii* et *Cappello* amplexa, iuxta quam Extrema Unctio remittit quidem venialia immediate, sed, si ob defectum dispositionis nequit immediate remittere, tollit ea mediate, seu producendo ipsam requisitam dispositionem.

SUAREZ: "In modo . . . explicandi hanc sententiam est diversitas inter . . . auctores. Nam quidam eorum asserunt hoc sacramentum non delere peccata venialia, nisi excitando actum displicentiae, vel amoris, qui sit sufficiens forma, vel dispositio ad expellenda talia peccata, quia cum sint actualia, et per conversionem voluntatis commissa, non possunt nisi contrario motu deleri. Eatenus ergo sacramentum hoc institutum dicitur ad remittenda haec peccata, quatenus virtute illius, et ex opere operato datur homini sufficiens auxilium, quo possit elicere motum expellentem venialia peccata. Ita fere Dur., Bonav., et insinuat Viguer., in Summ., c. 16, § 5, vers. 4. Alii simpliciter asserunt sacramentum hoc remittere haec peccata *per se et immediate,* dummodo homo non habeat obicem, id est, complacentiam actualem, vel virtualem in tali peccato, etiamsi non habeat dispositionem per se sufficientem ad expellendum tale peccatum, nec sacramentum illam excitet, quia satis est quod gratiam conferat, ex divina institutione ordinatam ad hunc effectum remittendi tale peccatum. Et qui ita sentiunt, magis consequenter loquuntur, ut recte significavit Palud., dist. 23, q. 4, n. 7, et ibi Capr., quaest, 1, art. 3, ad 2, 4 et 5, contra 2 conclusionem. Et facile intelligi potest ex his quae supra diximus de remissione venialium peccatorum, et in sequentibus etiam exponemus."[53]

Inferius autem haec addit: "Unde obiter colligo . . . [quod] quando per hoc sacramentum peccata venialia remittuntur, *id non fit fier solani excitationem devotionis, sed immediate per efficaciam ipsius sacramenti.* Alioqui oporteret ibi intervenire aliquam mutationem interioris actus imperfecti, et per se insufficientis ad remissionem peccati venialis, in alium perfectiorem, qui per se sufficiat; haec autem mutatio est aeque conficta, et easdem difficultates habet, de quibus sufficienter dictum est supra in generali disputatione de remissione venialium peccatorum ex opere operato; ubi etiam exposuimus, quae dispositio necessaria sit ad hanc remissionem, et an omnia, vel aliqua tantum venialia peccata per sacramenta tollantur, quae omnia ad hoc sacramentum applicari possunt."[84]

Quae autem docet in illa generali disputatione (Disp. 12, sect. 1) ad quam remittit, retulimus in tractatu *De Poenitentia* IV 502 sq.

venialium per sacramentum Poenitentiae *Vasquez,* cum *Arauxo* et probabiliter cum *D. Soto,* proponit quandam sententiam mediam quae tamen ab ista non essentialiter differt.

"In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 41, s. 1, n. 2, *Opera omnia* XXII (ed. C. Bcrton, Parisiis: Vives 1866) 828.

"*Ibid.,* n. 21, p. 835.

LUGO: "Videatur *Vasquez* in praesenti art. 3, dub. in, ubi bene probat cum communiori sententia, *hunc effectum provenire immediate ab hoc sacramento,* et non solum quatenus excitat actum fervoris, vel devotionis in aegroto; concilia enim et sacra Scriptura, quae tribuunt huic sacramento remissionem peccatorum, non aliter videntur eam illi tribuere, quam sacramento baptismi, et poenitentiae, quae immediate eam causant, neque etiam experimur illum fervorem actualem excitari semper in aegroto suscipiente illud sacramentum; imo cum saepe contingat. subjectum esse incapax actualis devotionis propter amentiam, vel phrenesim, carebit hoc sacramentum suo effectu, quem principaliter ejus forma significat. Dicendum ergo omnino est, per illud sacramentum remitti venialia, si praecesserit detestatio formalis, vel virtualis; et quidem omnia; ut verba ipsa significant, dum dicitur 'Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti', etc."[55]

CLERICATUS: "Circa hunc effectum duo sunt valde notanda, et tamquam dignissima scitu studiosorum memoriae figenda. Unum est. quod hanc remissionem venialium operatur sacramentum Extremae Unctionis ex opere operato, quod est dicere, absque ulla cooperatione ipsius infirmi, ita ut sicut Baptismus ex opere operato et ex sui institutione delet culpam originalem in pueris absque ulla dispositione subiecti tunc existentis in infantili aetate, ita servata proportione faciat hoc sacramentum Extremae Unctionis. Et ideo quamvis detur phreneticis, amentibus et aliis, qui usum rationis perdiderunt, remittit eis peccata venialia. *etsi nullum actum doloris tunc eliciant;* sufficit enim, quod in eis non habeant complacentiam formalem, et hoc ex maiori Dei misericordia, ut bene disserit et probat *Mastrius* disp. VI, η. 70."[56]

HYQUAEUS: "Circa modum remissionis aliqui docent hoc Sacramentum remittere venialia inquantum excitat ad eorum detestationem formalem, aut virtualem. Ita D. Bonaventura. Durandus, Viguerius in Summa, cap. 16. Alii dicunt remitti virtute hujus Sacramenti etiam *immediate sine ulla dispositione,* quod magis conforme est veritati et Doctori [i.e. Septo]."[57]

MONTEFORTINO: "Pro constitutis in vitae extremo, et plerumque sensibus destitutis, nec reflectere valentibus ad alia media, per quae pertingere quaeant ad veniam consequendam de culpis levioribus, saluberrimum fuit. Christum instituisse hoc Sacramentum pro finali venialium abolitione, independenter ab intentione suscipientis, si sit in statu gratiae, et praecise ex opere operato principalem effectum suum causaturum,"[58]

KERN: "1. Peccata venialia hominis, qui simul habet mortalia, vi sacramenti *immediate remittuntur,* si de utrisque est saltem habitualiter attritus. Probatur. Peccata venialia hominis, qui simul habet mortalia, non remittuntur propter solam attritionem. . . Sola [enim] . . . attritio extra sacramentum non disponit sufficienter ad justificationem. . . [Attamen tali homini sub conditionibus supra . . . expositis [i.e. attritionis et bonae fidei vi s. Unctionis remittuntur mortalia. Ergo a maiore venialia. . .

"2. Etiam peccata venialia homini iusti vi sacramenti *immediate remittuntur,* si de illis elicuit attritionem, quae forte per se solam non sufficiat ad consequendam eorum veniam. Probatur. Est quaestio controversa, num attritio etiam remissa extra sacramentum proxime disponat ad condonationem quorumvis peccatorum venialium. Unde affirmamus: si iustus per suam attritionem nondum assecutus sit remissionem venialium saltem omnium. Extrema Unctio eum immediate purgat

[55] *De Poenitentia,* disp. 9. sect. 3, *Disputationes scholasticae* IV (d. J. B. Fournials. Parisiis: Vives 1892) 638.

[56] *Decisiones sacrant., De Extrema Unctione,* decis. 82. n. 5.

[57] *Commentarius in Scotum, In 4 Sent.,* dist. 23, q. un., *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivès 1894) 22.

[58] *Suppi.,* q 30, a 1, ad 3. *Ioannis Duns Scoti Summa Theologica* (Romae 1903) VI 358.

ab omnibus, ad quae explicite vel implicite attritio extenditur. Ratio est aperta. Nam cum talis attritio satis praeparet iniustum, ut remedium s. Unctionis exerere possit suam efficaciam purgandi peccata levia, multo magis proxime disponit iustum. Alias dicendum esset, statum gratiae esse impedimentum, quominus sacramentum conferat bonum, ad quod per se ordinatur.

"3. *Si Extrema Unctio peccata venialia ob dejectum dispositionis non immediate tollit, ea, quantum est ex ipsa, tollit producendo dispositionem necessariam.* Probatur. . . Accidere potest, ut sacramentum offendat impedimentum in subiecto, quominus aboleat peccata quaedam venialia [scilicet defectum sufficientis attritionis]. Jam vero finis Extremae Unctionis est perfecta sanitas animae. Ergo habet in se vim et efficaciam disponendi et praeparandi animam ad tam felicem statum ideoque habet vim et efficaciam removendi omnia obstacula, quae animam egressam e corpore a beatitudine retardarent. Huiusmodi autem obstacula sunt peccata venialia, ad quorum abolitionem anima infirmi ante s. officium non est disposita. Ergo sacramentum, quantum est ex ipso, producit dispositionem necessariam. Praeterea docet Concilium Tridentinum. gratiam Spiritus sancti, quae in s. Unctione datur, aegroti animam alleviare et confirmare magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda et labores levius ferat et tentationibus daemonis facilius resistat. At profecto tanta divinae misericordiae fiducia, ex qua sequitur patiens tolerantia gravissimorum dolorum, qui non raro graviter decumbentem cruciant, et fortitudo, qua vincuntur vehementissimae etiam daemonis tentationes. *vix non ipsa est virtualis saltem attritio, et psychologica fere necessitate secum trahit alios actus,* e gr. dilectionis perfectae Dei. doloris et detestationis omnium offensarum divinae bonitatis, cum quibus venia peccatorum semper coniungitur. Quare sententia s. Bonaventurae de modo, quo venialia in sacramento delentur [cf. infra], restricta per duas antecedentes assertiones omnino est tenenda."[50]

CAPPELLO eandem sententiam amplectitur et sic resumit: "Vera sententia sive doctrina haec est. Extrema unctio: Γ *delet immediate* peccata venialia infirmi. qui simul habet mortalia, si de utrisque est saltem habitualiter attritus: 2° *delet immediate* peccata venialia hominis iusti. si de illis elicuit attritionem quae forte per se solam non sufficiat ad consequendam eorum veniam; 3° *si ob defectum dispositionis non tollit immediate peccata venialia, ea, quantum ex ipsa est, tollit producendo dispositionem necessariam.*

"Ratio primi est. ejuia attritio in sacramento disponit sufficienter ad iustificationem. ita ut vi extremae unctionis remittantur etiam peccata mortalia. Porro si haec peccata tolluntur, a fortiori tolli debent peccata venialia. Ratio secundi, quia si attritio sufficit pro iniusto ad veniam peccatorum obtinendam, multo magis proxime disponit iustum ad consequendam veniam peccatorum venialium: secus dicendum foret, statum gratiae esse impedimentum, quominus sacramentum conferat bonum, ad quod per se ordinatur. Ratio tertii, quia finis extremae unctionis est perfecta sanitas animae. Quare vim et efficaciam in se habet disponendi et praeparandi animam ad felicem statum gloriae ideoque vim atque efficaciam habet removendi omnia obstacula, quae animam e corpore egressam a beatitudine retardent. Huiusmodi autem obstacula sunt peccata venialia. Ergo sacramentum, quantum ex ipso est. producit, si forte desit, necessariam dispositionem."[00]

SPACIL eandem sententiam, cui manifeste favet, sic compendiatur. "Longe maior pars theologorum catholicorum tenet peccata venialia condonari in s. unctione *immediate*. Et aliqui nullam particularem conditionem seu dispositionem . . . assignant. . . Quidam putant sufficere desiderium remissionis et meram non

De sacramento Extremae Unctionis (Ratisbonae 1907) 186-1S8.

Tractatus canonico-moralis de sacramentis, III: *De Extrema Unctione* (ed 2. Taurini 1942) 112 sq.

complacentiam de peccatis illis. . . Sed contra est, quod aliquis motus attritionis ad quodcunque peccatum remittendum requiritur. . . Quare ceteri theologi tenent requiri veram attritionem, ut peccata venialia per extremam unctionem deleri possint. In illo autem qui sola venialia habet sufficit attritionis quidam gradus remissus, minor scilicet quam qui requiritur ad peccatum veniale per attritionem solam delendum; secus enim vis sacramenti quoad hunc effectum nimis deprimeretur. Ceterum conceditur *aliquando peccata venialia in hoc sacramento remitti etiam mediate,* quatenus scilicet actus dispositionis ad remissionem necessarii per sacramenti alios effectus excitantur, praesertim per alleviationem et fiduciam a s. unctione causatam, quam merito Kern censet esse iam virtualem attritionem et psychologica necessitate ad actum attritionis ducere."[01]

SECUNDA SENTENTIA (communior praesertim in schola thomistica) docet Extremam Unctionem, non secus ac ipsum sacramentum Poenitentiae, remittere peccata venialia *tantummodo mediate* (secus ac mortalia), scilicet excitando actum contritionis vel charitatis, qui est immediata et propria causa deletionis venialium; hanc autem mediatam remissionem nequaquam esse ex opere operantis sed ex opere operato, quia ipsum opus operantis seu actus charitatis, per quem peccata delentur, producitur seu excitatur per opus operatum sacramenti.

Ita extra scholam thomisticam: *Bonaventura, Scotistae, Durandus, Dionysius Cartusianus, Arcudius* (quibus ex parte adiungi possunt *Kcrn, Kilker, Cappello* et *Spdcil,* quatenus in supradicta eorum sententia media id admittunt cum restrictione), intra scholam vero thomisticam: S. *Thomas, Paludanus, Petrus Soto, Joannes a S. Thoma, Gonet, Salmanticenses, Billuart, Hugon, Lcpicier, Diekamp, Piolanti,* quorum tamen aliorumque sententia praecipue quaerenda est in generali quaestione de remissione venialium tam per sacramenta (etiam Poenitentiae) quam per sacramentalia, quam exposuimus in tractatu *De Poenitentia* IV 505 sq.

S. *THOMAS, Suppi.,* q. 30, a. 1: "Quia hoc robur [quo abstergitur reliquia peccati, seu animi debilitas] gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia et confirmatione supra dictum est." S. Doctor hic assimilât remissionem venialium remissioni mortalium tum quoad factum remissionis tum quoad secundariam rationem effectus, non vero quoad modum quo utraque fit. Inferius in resp. ad 2, inquit: "Extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria [i.e. maculam, poenam et reliquias peccati] remittit peccatum. Quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, *facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio,* sicut etiam in Eucharistia et confirmatione potest accidere."

Proprium discrimen inter immediatam remissionem mortalium et mediatam remissionem venialium S. Doctor explicite tradit in variis locis (citatis in tractatu *De Poenitentia,* IV 510-512) ubi agit de modo quo venialia remittuntur tum generaliter per sacramenta et sacramentalia tum particulariter per Eucharistiam.

[01] *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana." n. 74, Romae 1931) 212 sq.

In 3 p., q. 65, a. 1, ad 8 et in Qu. disp. *De Malo,* q. 7, a. 11, ad 14 (supra cit., in p. 89 sq.), S. Doctor ait "nullum sacramentum novae legis institutum esse directe contra veniale," quia "omnia sacramenta novae legis sunt instituta ad conferendam gratiam" et "ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiae"; ex quo sequitur Extremam Unctionem non delere venialia immediate seu causando gratiam, sicut delet mortalia, sed mediate per aliquid subsequens, quod, ut S. Doctor explicat in pluribus locis citatis in supradicto tractatu *De Poenitentia,* nihil aliud est quam fervor charitatis excitatus per gratiam ipsam sacramentalem: "Omnia ista [i.e. sacramenta et sacramentalia] causant remissionem peccatorum venialium, *inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae,* qui est detestatio peccatorum vel implicite vel explicite" (3 p., q. 87, a. 3, ad 1); "Sunt . . . quaedam quae causant remissionem peccati venialis inquantum *inclinant voluntatem ad ferventem charitatis actum* . . . ; et sic per sacramenta novae legis venialia peccata remittuntur" *(De Malo,* q. 7, a. 12).

BONAVENTURA, In 4 Sent., dist. 23, a. 1, q. 1, ait venialia per Extremam Unctionem remitti quatenus "illud sacramentum est ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quendam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima" (cf. integrum textum supra cit. in p. 56 sq.).

Superius in dist. 21, pars 1, a. 1, q. 2, solutio et ad 3, agens generaliter de remissione venialium, ait: "Omnia illa, sive sacramenta sive sacramentalia, ut Eucharistia et Unctio et Baptismus et aquae aspersio et episcopalis benedictio . . . faciunt ad venialium deletionem, *non per propriam naturam, sed per eam naturam qua gratiam gratum Jacientem ad hunc actum adiuvant et vigorant.* Si quaeras: quomodo adiuvant ? dicendum quod in talibus ut plurimum est humiliatio et devotio, quae est actus gratia informatus, repugnans ipsi veniali peccato, quod fervorem caritatis et devotionem, quantum est ex se, diminuit. Vel ea ratione qua est in eis poenalitas, quae repugnat inordinatae delectationi, prout illa poena iuncta est ordini gratiae. Et sic potest responderi quod quamvis venialia valde congrue per poenitentiam deleantur, possunt tamen per gratiam aliter adiutam deleri. . . Ad illud quod obicitur, quod veniale se compatitur cum gratia etc., dicendum quod verum est quod se compatitur quantum ad inhaerentiam ; et ideo *gratia non delet per sui essentiam vel inhaerentiam ;* et propter hoc oportet ei addi aliquod adiutorium, vel liberi arbitrii vel alicuius alterius poenalitatis vel sacramenti, ratione cuius effectus vel actus gratiae repugnat veniali. Quamvis enim gratia secundum essentiam stet cum veniali, tamen *caritas ad fervorem excitata consumit culpam,* sicut fornax ignis modicam aquae guttam."[82]

DURANDUM citavimus in art. 11 (p. 59 sq.).

GONET sic breviter et apte resumit sententiam aliorum thomistarum de generali et unico modo quo quaelibet sacramenta, inclusa Poenitentia, remittunt venialia: "Dico . . . nec Sacramenta, nec sacramentalia. remittere peccata venialia *ex opere operato* immediate, sed *mediate tantum,* quatenus scilicet ex meritis Christi funde Sacramenta efficaciam derivant], vel ex orationibus Ecclesiae [unde Sacramentalia efficaciam habent], a Deo obtinent digne ea recipientibus, auxilia quaedam supcrnaturalia ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant [et] retractentur. . . Ratio . . . id suadet, cum enim venialia opponantur fervori charitatis, et ejus privationem causent, nullaque privatio possit tolli, nisi per positionem formae oppositae: Sacramenta, vel sacramentalia, non possunt aliter remittere peccata venialia, quam obtinendo ex meritis Christi, vel ex orationibus Ecclesiae, auxilia supernaturalia, quibus homo applicetur a Deo ad eliciendos actus ferventes charitatis vel poenitentiae, per quos talia peccata formaliter aut virtualiter retractentur. Ex quo patet differentia inter peccata mortalia et venialia, et ratio cur per Sacramenta, peccata mortalia et

[82] *4 Sent.,* dist. 21, pars 1, a. 1, q. 2, *Opera theologica selecta,* IV: *Liber IV. Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 538.

remittantur ex opere operato immediate, non autem venialia; quia nimirum Sacramenta causant immediate gratiam habitualem, cui macula mortalis privative opponitur; non autem actualem charitatis fervorem, cui opponitur peccatum veniale."[03]

LEPIC!ER (cui accedit unus vel alter) sequentia verba profert quae modo aliquatenus inepto veram doctrinam referunt: "Quoad peccatorum venialium remissionem, dicendum est, ea utique per extremam unctionem remitti, eo videlicet pacto quo per sacramenta vivorum remittuntur, scilicet non directe, nec ex opere operato, sed indirecte, attento nempe fervore caritatis eius qui sacramentum illud suscipit, sicut dictum est de sacramento Eucharistiae."[01] Inepte fit sola mentio sacramentorum vivorum et inepte dicitur remissio non fieri ex opere operato. Iuxta mentem auctoris seu in sensu thomistico dici debet: Extrema Unctio, sicut alia sacramenta tam vivorum quam mortuorum, non exclusa ipsa Poenitentia, remittit venialia ex opere operato sed indirecte seu mediate.

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, de requisita nempe subiecti dispositione ad hoc ut Extrema Unctio remittat peccata venialia, duplex est theologorum sententia:

PRIMA SENTENTIA docet non requiri attritionem etiam habitualem, sed sufficere *absentiam actualis vel habitualis complacentiae* in peccatis quae remitti dicuntur. Ita *Suarez,*[05] *Mastrius, Clericatus* (supra cit., in p. 138), *Montejortino* (cit. ibidem), *Silvius, Laureatus,* quibus accensendi sunt *Thomistae* communiter (etsi plures de hac re directe non occupentur).

Magnum tamen est discrimen inter priores theologos et Thomistas tum quoad rationem quam afferunt quare attritio non requiratur, tum quoad influxum quem tribuunt sacramento. Nam illi theologi primo dicunt ideo attritionem non requiri quia secus cum attritio ex se sola (ut putant) sufficiat ad delenda venialia, nihil relinqueretur delendum per sacramentum: secundo, docent sacramentum immediate delere venialia (ut patet ex dictis supra circa primam quaestionem), ex quo sequitur venialia in sacramento deleri absque ullo actu poenitentiae, quod falsum et impossibile est, ut probavimus in tractatu *De Poenitentia* IV 444 sqq. (cf. 430 sq.). Thomistae vero, primo docent ideo attritionem non requiri quia peccata venialia non delentur.

De Poenitentia, disp. 4, a. 3, n. 59 et 61, *Clypeus theologiae thomisticae* VI (Parisiis: Vivès 1876) 564.

"*De sacramento Extremae Unctionis et ‡ sacramento Ordinis* (Romae 1928) 70.

Hic auctor in Disp. 12, sect. 1, n. 9, cit. in tractatu *De Poenitentia* IV 501, praeter absentiam complacentiae in peccato requirit etiam *voluntatem seu desiderium recipiendi sacramentum eiusque effectum,* quam voluntatem dicit cum Soto cl Ledesma considerari posse ut quandam virtualem retractationem peccati, ct sic aliquatenus videtur accedere ad secundam sententiam mox referendam de necessitate attritionis. Sed reapse nihil differt ab aliis qui loquuntur^ de sola absentia complacentiae, quoniam praedictum desiderium, ccteroquin implicitum in voluntate omnis hominis christiane viventis, nullo modo vocari potest acquivalens vel virtualis contritio, cum habeat disctinctum prorsus obiectum, aliud enim est intentio suscipiendi sacramentum ct aliud intentio operandi ad destructionem peccati in qua omnis contritio consistit. Ceterum ipse Suarez nullam peculiarem vim facere videtur in illa sua additione.

sicut mortalia, per ipsam infusionem gratiae cui oportet hominem disponi per actum poenitentiae, sed per fervorem charitatis qui in seipso continet formalem vel virtualem poenitentiam; secundo docent sacramentum remittere venialia non immediate sed mediante ipso actu fervoris charitatis causato seu excitato ab ipso sacramento, et ideo, etsi non praerequiratur attritio seu actus poenitentiae in subiecto, tamen remissio venialium fit per actum poenitentiae, formaliter vel virtualiter contentum in fervore charitatis causato per sacramentum. Et in hoc quidem sensu intelligendi sunt auctores thomistae cum dicunt ad remissionem venialium per ipsa sacramenta vivorum requiri positivam dispositionem actualis vel virtualis displicentiae seu contritionis, loquuntur nempe tantum de immediata causa remissionis etiam intrasacramentalis, non vero de ipsa dispositione in subiecto requisita ad hoc ut sacramentum Extremae Unctionis vel alia sacramenta vivorum (nam in Poenitentia requiritur attritio, et quidem actualis, utpote pars sacramenti) deleant venialia mediante excitatione illius actus poenitentiae qui est immediata causa remissionis.

SECUNDA SENTENTIA docet non sufficere absentiam complacentiae in peccato sed *requiri attritionem saltem habitualem.* Ita *Vasquez, Lugo, Kern, Kilker, Otten, Spdcil, Cappello,* quorum plures supra citavimus (p. 136-139).

Ratio istorum fluit ex duplici praeoccupatione: nam ex una parte tenent sacramentum Extremae Unctionis remittere venialia immediate, non vero mediante excitatione actus charitatis, et ex alia parte docent remissionem quorumlibet peccatorum, etiam venialium, non fieri nisi adsit actus poenitentiae; inde logice asserunt hunc actum (seu saltem attritionem habitualem) requiri ut dispositionem subiecti ad remissionem venialium per sacramentum. Cum autem quibusdam videatur attritionem, saltem in homine iusto, per se solam sufficere ad delenda venialia, distinguunt dicentes in homine peccatore, cui per Extremam Unctionem delentur venialia simul cum mortalibus, requiri plenam attritionem (quae sine sacramento non sufficit ad remittenda mortalia, nec ideo venialia, cum eis coniuncta et ante ea irremissibilia), in homine vero iusto sufficere quendam remissum gradum attritionis qui. etsi ex se solo non valeat remittere venialia, cum sacramento tamen valet (cf. Kern, Cappello et Spacil supra cit., in p. 138-140).

Colligendo autem in unum quae a variis auctoribus dicuntur de utraque quaestione huius articuli, tres habentur sententiae: quidam (Suarez, Mastrius, Clericatus, Montefortino, etc.) dicunt quod, stante sola negativa dispositione non complacentiae in peccatis venialibus, sacramentum ea immediate remittit ita ut a primo ad ultimum nullus

interveniat actus poenitentiae; alii (Vasquez, Lugo, Kern etc.) dicunt quod, stante positiva ac requisita dispositione attritionis saltem habitualis de peccatis venialibus, sacramentum ea immediate remittit ita ut actus poenitentiae interveniat tantummodo antecedenter seu ex parte solius dispositionis; alii (Thomistae) docent quod, stante sola negativa dispositione non complacentiae de venialibus, sacramentum ea remittit tantum mediate, i.e. mediante actu poenitentiae seu fervoris charitatis, ita ut actus poenitentiae interveniat non necessario ex parte praeviae dispositionis ad influxum sacramenti sed ex parte ipsius causae remissionis, qua mediante influit ipsum sacramentum.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Remissio peccatorum venialium per hoc sacramentum, non secus ac per cetera sacramenta tam vivorum quam mortuorum, inclusa ipsa Poenitentia, non fit immediate sed mediate tantum, seu media excitatione fervoris charitatis qui solus est propria et immediata causa deletionis venialium.

Probatur.

Ut fuse probatum et explicatum est in tractatu *De Poenitentia* (art. 93-95, IV 423 sqq.), immediata causa remissionis peccati venialis nequit esse nisi peculiaris fervor actus charitatis (in quo contritio de venialibus formaliter vel virtualiter continetur), quia contrarium nonnisi per contrarium aufertur et contrarium peccati venialis non est ipsa gratia sanctificans sed solus fervor charitatis, cum ipsa macula peccati venialis non consistat in privatione gratiae sed in privatione solius fervoris charitatis. Cum igitur immediatus effectus omnis sacramenti, inclusa ipsa Poenitentia, non sit ipse fervor charitatis (qui infundi non potest utpote subsequens effectus ipsius formae gratiae), sed sola infusio gratiae (cum qua compossibile est peccatum veniale seu absentia fervoris charitatis, etsi non sit compossibile mortale peccatum), nullum sacramentum potest immediate remittere peccatum veniale, sicut remittit mortale per ipsam infusionem gratiae, sed omne sacramentum tam mortuorum quam vivorum remittit venialia mediante praedicto fervore charitatis, seu causando gratiam eamque excitando ad illum fervorem eliciendum.

Nec inde sequitur hanc remissionem esse tantum ex opere operantis, seu non proprie sacramentalem et ex opere operato; nam sacramentum ex opere operato influit in illud ipsum opus operantis quo venialia immediate delentur; immediatus enim effectus sacramenti est auxilium excitans gratiam, sacramentaliter infusam, ad eliciendum actum fer-

voris quo venialia delentur, vel, si placet, est ipsa gratia sacramentalis non nude sumpta sed ut actuosa, seu ut impulsa ad eliciendum praedictum actum fervoris. Cf. dicta in eodem loco tractatus *De, Poenitentia* (IV, peculiariter 471-478, 495-498, 508-520, 535-547), ubi etiam obiectiones Suaresii dedimus ac solvimus (502 sq., 514-522).

Inde sequitur quod in homine sensibus destituto, in quo excitatio fervoris charitatis per gratiam sacramentalem fieri non potest, peccata venialia de facto non delentur, nisi arbitrarie dicatur hanc excitationem fieri posse subinde cum infirmus ad sensus redierit, quod stare non videtur cum immediata efficacitate sacramentorum ex opere operato. Exinde tamen inepte inferretur frustranee aut illicite sacramentum conferri sensibus destitutis, nam hic agitur de secundario sacramenti effectu.

Conclusio 2. Ad remissionem peccatorum venialium per Extremam Unctionem non requiritur, sicut in sacramento Poenitentiae, subiecti attritio, nequidem habitualis, sed sufficit absentia complacentiae in illis peccatis.

Probatur.

Eatenus attritio in Extrema Unctione requireretur, quatenus vel dispositio subiecti esset pars sacramenti, sicut in Poenitentia, nam pars sacramenti debet esse aliquis actus positivus adeoque non mera absentia contrarii actus, qualis est absentia complacentiae de peccato, vel sacramentum remitteret immediate peccata venialia, sicut remittit mortalia, nam tunc immediato influxui sacramenti deberet praemitti aliquis actus poenitentiae cum sine poenitentia nullius peccati remissio fieri queat. Atqui ex una parte dispositio subiecti non est pars ipsius sacramenti Extremae Unctionis, sicut est Poenitentiae, et ex alia parte Extrema Unctio (sicut ceteroquin omne sacramentum tam vivorum quam mortuorum) non remittit venialia immediate sed mediante ipso actu formalis vel virtualis poenitentiae, ab ea causato seu excitato, qui intervenit ut ipsa immediata et propria causa remissionis. Ergo nulla est ratio quare in hoc sacramento requiratur dispositio attritionis ad effectum remissionis venialium; quod quidem valet etiam de ceteris sacramentis praeter Poenitentiam, ut iam notavimus in tractatu *Dc Poenitentia* IV 544.

Paucis: In sacramento Extremae Unctionis ad remissionem venialium requiritur quidem actus poenitentiae, sine quo nullius peccati remissio contingit, sed ille actus invenitur non necessario ex parte dispositionis ad influxum sacramenti sed ex parte ipsius effectus sacramenti qui est simul immediata causa ipsius remissionis, imo ideo

non requiritur ex parte dispositionis quia invenitur ex parte ipsius causae remissionis.

Ex dictis in utraque Conclusione patet defectus utriusque sententiae quam impugnamus (cf. supra, p. 143 sq.). Communis defectus est in eo quod, faciendo sacramentum immediatam causam remissionis venialium, assimilatur haec remissio cum remissione mortalium et confunditur ipsa utriusque peccati formalis indoles et discrimen.

Praeterea, in priori sententia *Suaresii,* negata necessitate attritionis etiam in ratione dispositionis ad sacramentum, sequitur remissionem venialium fieri sine ullo actu poenitentiae. In altera vero sententia, iuxta explicationem *Kern* et aliorum modernorum, duo sunt captu difficilia. Primo enim, in homine justo fingunt quendam remissum gradum attritionis qui ex se solo non valeat et cum sacramento valeat venialia remittere (cf. supra, p. 144); iamvero, si attendatur gradus appretiationis, omnis attritio debet esse appretiative summa, secus vera attritio non est nec ideo ullatenus confert, etiam cum sacramento, si vero attendatur gradus intensionis vel extensionis seu durationis, nulla attritio requirit specialem gradum ut sit suo modo efficax seu salutaris, ut explicatum est in tractatu *De Poenitentia* II 88-96; unde inanis est illa distinctio. Secundo, asserunt quod in casu quo ob defectum dispositionis peccata venialia nequeunt tolli immediate per sacramentum, tolluntur ab eo mediate seu per productionem ipsius requisitae dispositionis. lamvero, hoc dupliciter intelligi potest: vel ita quod per sacramentum producatur sufficiens attritio, qua posita, ipsum sacramentum immediate remittat venialia, et tunc haberetur unicus et inauditus casus in quo sacramentum ordinaretur ad producendam ipsam dispositionem in subtecto ad hoc ut possit in eo subinde producere suum effectum, dum in sana philosophia omnis causa praesupponit subiectum dispositum; vel ita quod per sacramentum producatur talis dispositio quae ipsa sit immediata causa deletionis venialium (puta fervor charitatis vel quomodolibet aliquis sufficiens motus contritionis), ut dicimus in nostra sententia, et tunc ex una parte inepte fingitur duplex modus operandi eiusdem causae seu eiusdem sacramenti, cum unitas sacramenti desumatur ex unitate effectus sive influxus, et ex alia parte illogice denegatur sacramento immediatus influxus in deletionem venialium, posita enim sufficienti dispositione, utut per ipsum sacramentum, nihil prohibet quominus sacramentum ipsum deleat venialia, eo saltem modo quo accedenti ad sacramentum Poenitentiae cum perfecta contritione, quae de se valet peccata delere, haec remittuntur etiam per ipsam absolutionem, ut explicatum est in tractatu *De Poenitentia.* Ceterum, hacc Kern explicatio procedit ex generaliori opinione, quam emphatice

et exaggerate premit, iuxta quam oportet ut Extrema Unctio, utpote immediata praeparatio ad gloriam, removeat omnia istius impedimenta; cuius exaggerata ratio ex sequentibus articulis (15 et 17) patebit.

ART. 15. Utrum Remissio Poenae Temporalis Per Hoc Sacramentum Fiat Tantummodo Indeterminate Ac Mediate *(Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 2; *In 4 Sent.,* dist. 5, q. 2, a. 1, q. 1, sol. et ad 2; 3 p., q. 67, a. 2. corp, et ad 3; q. 84, a. 1, ad 1).

STATUS QUAESTIONIS

Iuxta dicta in art. 10, omnes theologi admittunt Extremam Unctionem habere quomodolibet hunc effectum, vere nempe ac proprie loquendo seu ex opere operato, nam ex opere operantis vix contingit aliquam gratiae infusionem fieri, sive extrasacramentaliter sive sacramentaliter, absque aliqua poenae remissione, ratione saltem actus contritionis vel boni actus animi qui eam infusionem comitatur quique, utpote poenalis, est eo ipso satisfactorius, ut constat ex dictis in tractatu *De Poenitentia.*

Quaestio nunc est de modo quo hic effectus operis operati producatur. *Quae quidem quaestio duplex esse deberet:* primo scilicet, utrum remissio poenae producatur *immediate,* sicut in Baptismo et Poenitentia, an tantum mediate, sicut in art. praec. diximus fieri remissionem venialium, scilicet mediante collatione auxiliorum impellentium ad eliciendum bonos actus satisfactorios, per quos immediate poena deletur; secundo, utrum remissio poenae fiat *totaliter* (seu utrum Extrema Unctio ex sua institutione, quamvis de secundaria intentione, ordinetur ad tollendam totam poenam), sive id fiat immediate (ut in Baptismo) sive mediate, modo praedicto, an tantum partialiter (vel potius indeterminate) sive iterum id fiat immediate sive mediate. Ad quam distinctionem non attendentes, aliqui theologi moderniores cum quodam strepitu et cum non parva confusione, alteram tantum quaestionem disputandam susceperunt, aliis affirmantibus Extremam Unctionem poenam temporalem totaliter delere, aliis id negantibus, quibusdam ut de more inter utramque opinionem ambigue fluctuantibus, quibusdam denique placide tacentibus ac si nulla esset controversia. Quoniam autem ex una parte doctores affirmantes appellent et ipsi ad antiquiorem theologorum traditionem, quam se feliciter effodisse gloriantur, et ex alia parte sive ipsi sive eorum impugnatores. tam varia proferant ut difficile dixeris quid proprie sibi velint, utilius erit nonnisi duas modernorum opiniones, invicem oppositas, continuo

exhibere, remissa ad ipsam Conclusionem, ubi de sensu Traditionis, expositione doctrinae praecedentium doctorum a saec. 13 ad saec. 19 inclusive.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

PRIMA SENTENTIA.

Circa initium igitur praesentis saeculi *nova vel saltem magis determinata quaedam sententia nata est,* iuxta quam Extrema Unctio ordinatur, etsi de secundaria intentione, *ad remittendam totaliter poenam temporalem,* dependenter tamen a congrua dispositione subiecti.

Eam primo introduxit *Kern* a. 1907, in suo opere *De sacramento Extremae Unctionis,* tanquam genuinam sententiam antiquorum theologorum de novo restauratam,[*] ac secuti sunt, cum aliquo clamore reinventae veritatis, *Pohle-Preuss* (inclinat),[07] *Otten,*[™] *Kilker,*[**] *Lcrcher* (infra cit.), *Cappello*[0] et *Daflara* (infra cit.), necnon quidam scriptores articulorum in Encyclopediis et Ephemeridibus, ut *P. J. Toner*[l] *F. Tecklenburg,*[2] *II. T. E. Richards,*[1] *W. F. Feld,*[™] *A. Gits,*[™] *J. McCarthy*™ et *A. Vehamme:*[l] Ceterum quidam ex his doctoribus, ut Pohle, Lercher, Daffara, Toner et Verhamme, minus clare aut decisive hanc sententiam proponunt.

His addi solet unus vel alter auctor de cujus tamen sententia non satis constat, nisi quod videatur superficiali quadam et ambigua indulgentia hanc opinionem aspicere. Solet imprimis a quibusdam afferri *Noldin* sed omnino inepte, cum contrariam sententiam manifeste doceat. Scribit enim: “Cum sacramentum institutum

[*] *Kent* fatetur suum tractatum de Extrema Unctione eo praecise consilio scripsisse ut moderni theologi ad eam antiquorum sententiam considerandam adducerentur: “Votum pro viribus inducendi theologos, ut doctrinam antiquae Scholae de fine Extremae Unctionis serio perpendant eiusque veritate perspecta studiose illustrent, maxime me permovit, ut hunc tractatum conscriberem idque lingua latina, cum nequeamus infitias ire, libros dogmaticos germanico sermone compositos exteris theologis plerumque parum innotescere” *(De sacramento Extremae Unctionis* [Ratisbonae 1907]), p. V sq.

[**] *Dogmatic Theology,* IX: *The Sacraments* IV (St. Louis 1918) 26-29.

[0] *Institutiones dogmaticae* VI (Chicago 1925) 249 et 261.

[1] *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 32-34.

[2] *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 117-120.

[3] “Extreme Unction, “*The Catholic Encyclopedia* 5 (New York L1909J) 729.

[4] “The primary effect of Extreme Unction,” *The* [American] *Ecclesiastical Review* 55 (1916) 291-299; quem impugnat quidam sub pseudonyme *“Catechist,” ibid.* 299 sq.

[5] “Extreme Unction and the beatific vision,” *ibid.* 668-673; quem impugnat quidam sub pseudonyme *“Vicarius,” ibid.* 56 (1917) 189-191.

[6] “Why be anointed,” *ibid.* 84 (1931) 484-491; “Is Purgatory inevitable?,” *ibid.* 88 (1933) 581-589; quem impugnat quidam sub pseudonyme *“Sacerdos,"* eam opinionem vocans periculosam (“Wc venture to say that, in view of the increasing laxity of morals, it is a dangerous opinion”), *ibid.* 85 (1931) 69 sq.

[7] “Purgatory and Extreme Unction,” *The Irish Ecclesiastical Record* 68 (1946) 104-108.

[8] “Extreme Unction and the remission of temporal punishment,” *The Irish Ecclesiastical Record* 67 (1946) 255-259.

[9] “De effectibus sacramenti Extremae Unctionis,” *Collationes Brugenses* 46 (1950) 20 sq.

sit ad removenda ea, quae impediunt immediatum transitum ad gloriam coelestem, dicendum est ipsum, quantum ex se est, tum peccata venialia tum poenas peccatorum delere. Omnes quidem docent hoccc sacramentum conferre remissionem poenarum temporalium, cum institutum sit ad abstergendas reliquias peccatorum, inter quas numerantur etiam poenae temporales; *at quoad modum et mensuram remissionis* non omnes eodem modo loquuntur. Ex sensu ecclesiae omnino dicendum videtur hoc sacramentum ex opere operato immediate quidem *non omnes poenas remittere, sed secundum mensuram, quam determinavit Christus instituens sacramentum,* dummodo adsit necessaria dispositio suscipientis; dein vero hoc sacramentum ex opere operato conferre gratias actuales, quibus infirmus sibi comparare possit remissionem omnium poenarum temporalium, quae retardant introitum in gloriam aeternam (eliciendo actus salutares, acquirendo indulgentias)."[78] Cum majori ratione adducitur *Vermeersch,* qui scribit: "Effectus primarius seu principalis est restauratio integritatis spiritualis, quod infert confirmationem animi debilitati, et extinctionem poenarum debitarum pro peccatis."[78] Haec quidem verba nonnisi ambigua sunt, sed in nota auctor, veluti ad explicationem sui textus, citat Kern dicentem Extremam Unctionem habere virtutem abstergendi omnem reatum poenae.

Unus vel alter, ut *Pcsch, Van Noort-Verhaar* et *Piolanti,* dum docent totalem vel partialem poenae remissionem pendere a dispositione subiecti (quod quidem in recto sensu, contrario Kern opinioni, intelligi potest), simul ambigue se referunt ad ipsum Kern; quo videntur istius opinionis a communi sententia discrimen non satis perspexisse.

Haec sententia, demptis quibusdam exaggerationibus praedictorum articulistarum qui ita loquuntur ut videantur Extremam Unctionem prorsus Baptismo assimilare quoad hunc effectum totalis remissionis poenae, ad haec quatuor puncta reducitur, iuxta explicitam ipsius fundatoris Kern declarationem, quem fere repetunt alii, signanter Kilker et Cappello: 1. Extrema Unctio ex vi suae institutionis est ordinata ad auferendam, propria vi et ex opere operato, totam poenam pro peccatis debitam, non secus ac Baptismus est ordinatus ad eandem totam poenam et Poenitentia ad partem eiusdem poenae auferendam. 2. Primum requisitum ad hunc effectum est ipsa praecedens remissio peccatorum, cum non possit poena remitti nisi prius culpa remittatur, quod quidem convenit etiam Baptismo et Poenitentiae. 3. Alterum requisitum est quod etiam habeatur in infirmo peculiaris quaedam dispositio ad percipiendum totaliter hunc sacramenti effectum, secus remissio poenae fit tantum partialiter, iuxta gradum dispositionis; et in hoc differt Extrema Unctio a Baptismo, qui, supposita sola deletione peccatorum, ratione solius requisitae attritionis, semper totam poenam remittit. 4. Cum praedicta peculiaris dispositio non sit tam difficulter ab infirmis assequibilis, nequit dici sacramentum totalem illum effectum obtinere tantummodo in casibus relative raris, sed potius, iuxta finem ipsum a Christo institutore intentum, dicendum est id sat frequenter saltem contingere, ita ut

[78] *Summa theologiae moralis* (ed. 26, Oeniponte 1940) III 447.
[78] *Theologia moralis* III (ed. 4 a Creusen recognita, Romae 194S) 388 sq.

non difficile sit Purgatorium vitare et immediate post mortem ad caelum evolare.

Si autem ab his auctoribus quaeratur ut determinent *minimam dispositionem necessariam* ad hoc ut sacramentum reapse obtineat totalem illum effectum, ita ex omni parte se vertunt ut nihil determinate concludant, aut ita loquuntur ut tandem incidant in id quod vitare contendunt ne eorum opinio videatur piissimis saltem auribus offensiva, scilicet in aequivalentem assimilationem Extremae Unctionis cum Baptismo quod attinet ad hunc effectum. *Kern* ipse exigit debitam praeparationem ad suscipiendum sacramentum, devotionem in eius susceptione et cooperationem auxiliis divinis, datis per sacramentum intuitu perceptionis praedicti effectus. Idem repetit *Cappello. Daflora* exigit perfectam dispositionem in suscipiendo sacramento et fidelem cooperationem praedictis gratiis actualibus; quo aggravat easdem conditiones a Kern propositas. *Kilkcr* exigit ut infirmus habeat omni modo requisitam dispositionem et devotionem, sed quia hoc nimis generaliter aut excessive sonat, in nota cum quodam auctore morali commendat has dispositiones: vivam fidem et fiduciam in Christum, ardentem amorem in Deum, contritionem saltem imperfectam, magnam conformationem voluntati divinae infligenti mortalem infirmitatem, huiusque acceptationem. *Lcrchcr* exigit maiorem dispositionem quam requiratur in Baptismo (adeoque plusquam simplicem attritionem) sed tamen minorem quam requiratur in Poenitentia ad eundem effectum totalis remissionis poenae obtinendum. *Richards* loquitur de congrua dispositione ("Proper disposition") nec aliud addit. *Tecklenburg* loquitur de congrua receptione sacramenti ("If properly received"), additque nullam esse rationem quare dicendum sit hanc afferre dispositionem esse aliquid peculiariter difficile ("Nor is there any reason to suppose why such a disposition should be particularly difficult to obtain"). Tandem, *Feld,* ulterius ac logice procedens, clare affirmat sufficientiam solius attritionis ("The soul of the man who dies after receiving Extreme Unction, at least with attrition, or imperfect contrition, goes straight to heaven"), ita inducens perfectam paritatem cum Baptismo; quod si subinde, ob impugnationem illius affirmationis factam a quodam innominato sacerdote conatur eam emollire, requirens aliquam devotionem et cooperationem gratiis actualibus per hoc sacramentum collatis, in eandem sententiam ineptiori via iterum incidit, dicendo congruam subiecti dispositionem ad totalem poenae remissionem, ubi deficiat, causari per ipsum sacramentum, dummodo subiectum attulerit aliquod congruum fundamentum dispositionis ("We are firmly convinced that its [i.e. of the Sacrament] efficacious operation will indeed bring

about these better dispositions [which are required for the total remission of temporal punishment], provided only that suitable foundation of preparation has gone in advance").

Rationes, allatae pro hac sententia (quam dicunt esse traditionalem doctrinam a theologis posttridentinis deperditam), ad sequentes fere reducuntur:

Primo, ipsa rei *convenientia.* Valde enim congruum est tum benignitati Christi tum ordini sacramentali ab ipso instituto, ut, quemadmodum condidit Poenitentiae sacramentum ad hoc ut homo evadat infernum, sic instituerit aliquod sacramentum ut homo possit evadere Purgatorium.

Secundo, sacramentalis ratio Extremae Unctionis prout est *complementum Poenitentiae.* Quid enim proprie restat post remissionem culpae, cui ordinatur Poenitentia, nisi remissio poenae, quae proinde sit peculiariter per Extremam Unctionem complenda?

Tertio, verba *jormae sacramentalis:* "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti." Vox enim "delicta" etiam reatum poenae comprehendit.

Quarto, verba *Cone. Trid.:* "Sacramentum extremae unctionis . . . non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus" (*Denz.* 907). Cum enim Extrema Unctio dicatur consummatio non solum sacramenti Poenitentiae seu remissionis, sed etiam totius vitae Christianae inquantum haec est continuata quaedam poenitentia et expurgatio, hoc sacramentum debet hanc purgationem perficere per completam poenarum remissionem, ita ut, sicut Baptismus hominem in hanc vitam introduxit plene liberum ab omni peccato et poena, ita Extrema Unctio, quasi novus ac ultimus Baptismus, eum in eadem prorsus conditione educit ex hac vita et introducit in aeternitatem.

Quinto (et haec est *maxima ratio* quae illis theologis invicta videtur), sensus traditionis *theologorum, praecipue antiquorum,* signanter et constanter affirmantium hoc sacramentum esse pro immediata dispositione ad gloriam, ita ut homini nihil iam maneat quod eum prohibeat ab introitu caeli; cuius affirmationis immediata conclusio est hoc sacramentum ordinari etiam ad totalem poenae remissionem, cum quilibet poenae reatus a caelo prohibeat. Quod si, aiunt, quamplures theologi posttridentini ab hac conclusione oculos averterint eamque hucusque negaverint, ratio fuit tum praeoccupatio defendendi ac maxime inculcandi contra Protestantes existentiam et necessitatem Purgatorii, tum iansenisticum plurium rigorem quibus certe arridere minime potuit tam facilis modus remissionis totius poenae, tum

defectus sufficientis cognitionis supradictae doctrinae antiquorum theologorum, quae, attente considerata, non parvum stuporem producit. "Fateor . . . *inquit Kern,* me quoque obstupuisse, cum perscrutando opera magnorum doctorum saeculi XIII. inveni, eos finem proximum sacrae Unctionis infirmorum reponere in perfecta sanitate animae cum dispositione ad continuam consecutionem beatitudinis, nisi sanitatis restitutio magis expediat."[80]

His fere rationibus propositis, et maxime ultima, quam per longam seriem testimoniorum prosequitur (cf. infra, art. 17, p. 182-191), *Kern* concludit: *"Projecto jelices essent theologi, si omnes veritates, quas defendere tenentur, tanto pondere argumentorum possent probare!"*[31]

KERN: "Principes theologorum medii aevi uno ore docent, sacramentum Unctionis continere plenitudinem gratiae, qua aegrotos liberet ab omnibus veris animae malis eisque tribuat eximia dona divina, quibus praeparentur ad immediatum introitum gloriae. Experientia teste non solum homines laid, sed etiam sacerdotes multum mirantur, si audiant, sacramentum exeuntium a Christo Domino Ecclesiae esse datum, ut eius ope fideles post mortem a poenis purgatorii praeservati statim in coelestem patriam transferantur. Fateor, me quoque obstupuisse, cum perscrutando opera magnorum doctorum saeculi XIII. inveni, eos finem proximum sacrae Unctionis infirmorum reponere in perfecta sanitate animae cum dispositione ad continuam consecutionem beatitudinis, nisi restitutio sanitatis magis expediat."[82]

Praeviam ac fundamentalem thesim sic statuit: "*Finis Extremae Unctionis est perfecta sanitas animae cum immediato eius introitu in gloriam,* nisi restitutio salutis corporalis hominis naturaliter morituri magis expediat."[83] Hanc propositionem subinde per 33 solidas paginas probat supradictis rationibus, et praecipue ultima, quas sic in fine compendiatur:

"Complectamur tandem paucis omnia hoc capite dicta. Doctrina, finem primarium Extremae Unctionis esse perfectam sanctificationem animae e corpore migraturae, qua idonea et parata fiat, ut sine poenali mora admittatur ad visionem Dei, multum commendatur consideratione benignitatis et misericordiae piissimi Dei et Salvatoris nostri, 'qui omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat' et 'abundantia pietatis suae et merita supplicum excedit et vota'. Eandem doctrinam Patres pro numero et brevitate testimoniorum suorum satis innuunt, maiore vero claritate antiqui libri liturgici indicant; semper autem lex supplicandi habita est lex credendi. Magni doctores Scholae, finem s. Unctionis infirmorum esse immediatum introitum animae in gloriam, tradiderunt tamquam veritatem plane certam et fundamentalem; eandem persuasionem produnt ecclesiae orientales medii aevi, praesertim per solemnes suos Ordines ministrandi mysterium s. olei. Traditionem priorum saeculorum auctoritas oecumenici Concilii Tridentini eximie confirmavit. Quare doctrinam Concilii sequentes non paucae synodi recentioris temporis et plurimi theologi insignes scholarum in aliis quaestionibus sibi adversarum firmiter propugnant, supernaturalem medicinam a b. Jacobo commendatam habere vim et virtutem conferendi animae christiani graviter infirmi perfectam sanitatem spiritualem, cum qua connexum est ius post mortem con-

Op. cit. (supra, in p. 148), p. V.
Ibid. 114.
Ibid. p. V.
Ibid. 82.

tinuo ingrediendi in regnum gaudii aeterni. Profecto felices essent theologi, si omnes veritates, quas defendere tenentur, tanto pondere argumentorum possent probare!

"Ex dictis clare cernitur, quantum beneficium sacerdotes populo Christiano impertiant, si eum sedulo instruant de beato fine s. Unctionis, si cum periculo decumbentes mature permoveant, ut recipiant coeleste antidoton contra omnia vera mala praesentia et in futuro timenda, et si eos doceant, quomodo debeant cooperari cum gratiis sacramentalibus, ut percipiant plene pretiosos omnes fructus, quos dulcissima misericordia Redemptoris eis offert sub olei symbolo eo fine, ut cursu feliciter consummato statim ad Patris amplexum admittantur."**

Ortus contrariae sententiae multorum theologorum posttridentinorum quatuor affert sequentes rationes:

"Doctrina communis Scholae de fine Extremae Unctionis poterat videri firmiter stabilita, postquam gravissimum pondus ei addidit auctoritas Concilii oecumenici. Nihilominus haec doctrina post Concilium a multis theologis neglecta, in dubium vocata vel aperte negata est. Ad explicandum hoc factum primo aspectu mirum conditiones temporis complures rationes suppeditant.

"Est primo antagonismus contra Protestantismum. Cum ex theoriis protestantium quivis praedestinatus statim a morte transeat in coelum, theologi catholici adigebantur, ut multum inculcarent existentiam et necessitatem purgatorii. In defendenda autem veritate non pauci eo usque progrediebantur, ut assererent, rarissimum esse casum quo homo sine purgatorio perveniat ad gaudium aeternum. Hi non poterant affirmare, Christum Dominum instituisse Extremam Unctionem eo fine, ut animas immediate introducat in gloriam; hoc enim affirmare idem fuisset ac dicere, Dominum medium ineptum elegisse ad finem intentum. . .

"Altera ratio, cur veritas thesi asserta a quibusdam theologis in dubium vocata vel negata sit, est *rigor iansenisticus.* Notum est, quam intolerabile onus iansenistae poenitentibus imposuerint ad obtinendam absolutionem in tribunali Poenitentiae. Non poterat theologis magis minusve infectis per errores Jansenismi arridere doctrina, secundum quam misericordia divina morientibus tam suave medium paravit ad eliminandas non tantum culpas, sed et omnes poenas. . .

"*Tertia ratio* est *dejectus cognitionis doctrinae antiquae Scholae.* Theologi enim, qui affirmant, Extremam Unctionem ex ipsa dispositione divina ordinari tantum ad partem poenae remittendam, nullo verbo produnt, se nosse suam oppositionem ad firmam persuasionem s. Thomae aliorumque magnorum magistrorum mediae aetatis. Unde cum decisiones tridenlinas considerarent seiunctas a praecedente theologia, non videbant, eas contrarias esse suis opinionibus.

"Quarta et forsitan non minima ratio, quae tamen cum prioribus cohaeret, sunt *revelationes privatae,* quae in quaestionibus theologicis multum dependent ab influxu opinionum, quae quovis tempore vigent. Sane in vita celeberrimae Mechtildis Magdeburgensis narratur, eam accepisse revelationem, plures animas Christianas immediate evolare ad coelum quam pereant. Talis revelatio, ni fallor, frustra quaeretur post ortum Protestantismum. Igitur quaestio theologica rationibus theologicis est solvenda."[85]

Transiens subinde ad particularem thesim de totali remissione poenae, eam dicit immediate inclusam ac probatam in supradicta thesi fundamentali de immediata praeparatione ad gloriam quae sit finis Extremae Unctionis; adeoque non aliud addit quam explicationem conditionum in subiecto requisitarum ad hoc ut sacramentum talem effectum de facto producat:

"Extremam Unctionem habere virtutem abstergendi omnem reatum poenae temporalis, toto c. I. libri II. est probatum. Nam testimonia Traditionis ibidem allata hanc veritatem vel expressis verbis enuntiant vel implicite indicant, cum

** *Ibid.* 113 sq.
[85] *Ibid.* 105-108.

finem primarium sacramenti assignant immediatum transitum animae in beatitudinem aeternam. Manet igitur perscrutandum quid ex parte infirmi requiratur, ut plenam indulgentiam totius poenae temporalis assequatur.

"1. Manifesto non potest dici, per s. Unctionem digne susceptam semper immediate abstergi totum reatum poenae. Saepe enim deest dispositio necessaria pro remissione omnium peccatorum venialium, sine qua non conceditur relaxatio totius poenae. Sed neque potest cum solida ratione affirmari, vi sacramenti simul cum culpa semper remitti totam poenam temporalem, quae ei est debita, ideoque remissis omnibus peccatis nullam unquam superesse poenam luendam. Contradicit enim imprimis sensus Christianus. Si homo post vitam pessimis flagitiis foedatam tandem in articulo mortis per s. Unctionem cum sola attritione justificatus statim moriatur, nemo, qui sensu catholico regitur, facile sibi persuadebit, nullam ei esse purgatorii poenam subeundam propter peccata mortalia remissa. Praeterea rationes, ob quas Dominus Baptismo contulit efficaciam auferendi simul cum culpa totam poenam, non valent pro Extrema Unctione, quae neque est regeneratio spiritualis nec mystica mors et resurrectio cum Christo nec insertio in Ecclesiam, sanctum Christi corpus. Immo decet, ut filii Dei — est enim Extrema Unctio per se sacramentum vivorum — qui non possunt amplius plenam satisfactionem praestare per opera poenitentiae, saltem cooperando gratiis, quas piissima misericordia eis ope ritus s. olei largissime offert, se positive dignos faciant plena indulgentia Patris.

"2. Cum sacramentum ad hoc sit institutum, ut animam Christiani morti appropinquantis ad immediatum introitum gloriae disponat ideoque ex specifica sua ratione habeat vim abstergendi omnem reatum poenae temporalis, *omnes infirmi, qui plenum fructum s. Unctionis nanciscuntur, plenam poenarum relaxationem consequuntur. Plenum autem s. Unctionis fructum nanciscuntur, qui illam cum debita praeparatione et devotione in eo statu morbi percipiunt, quo cum auxiliis intuitu eius sibi oblatis cooperari adhuc valent, et qui hanc cooperationem de facto plene praestant.* — Quot animae vi doni piissimae misericordiae perfecte purgatae immediate evolaverint in coelum, est mysterium miserentis Dei, qui non delectatur in perditionibus nostris nec in tormentis, quae animae ei in aeternum coniunctae patiuntur in flammis purgatorii.

"Ceterum cum benignissimus Salvator Extremam Unctionem primario ideo instituerit, ut fideles suos non solum ab inferno, sed etiam a purgatorio praeservaret. *vix pium fuerit opinari, sacramentum plene suum finem non obtinere nisi in casibus relative raris.* Tali opinione optimo Domino nostro attribuitur ratio agendi Cordi eius piissimo parum consentanea. Quis enim credat, eum medicinam pretio sanguinis sui comparatam una ex parte essentialiter ordinasse ad hoc. ut animae hominis morituri perfectam sanitatem et in hac plenam dispositionem ad immediatam consecutionem visionis divinae tribuat, ex altera parte eandem medicinam tam exigua efficacia instruxisse, ut exceptis paucis animabus specialiter electis vix liceat aliis sperare fore, ut eius ope a purgatorio praeserventur, si illud digne suscipiant et pro viribus cum eius donis cooperentur?"[80]

LERCIIER: "Unctio per se vim habet totam poenam temporalem ex opere operato delendi, dummodo in recipiente adsit sufficiens dispositio pro hoc effectu obtinendo. Saltem nulla est ratio suspicandi, hanc vim delendi lege divina antecedente ad partem poenae limitatam esse. Quaeritur, quanta debeat esse dispositio recipientis pro obtinenda remissione poenae totius. Ceteris paribus non tanta, quanta requiritur in suscipiente sacramentum pacnitentiae ad obtinendum eundem effectum. Unctio enim ex propria institutione supponit recipientem periculose aegrotantem, et a elementissimo Redemptore expectandum est, quod pro tali subjecto minorem dispositionem constituerit. Attamen requiritur maior quam in suscipiente baptismum. Dispositio, quae in baptismo sufficit ad delendam culpam, sufficit etiam ad

[80] *Ibid.* 189 sq.

delendam lotam poenam respondentem. Quia enim primarius effectus baptismi est gratia regenerans, faciens novam creaturam, abolet omnia debita vetera, dummodo recipiens attritionem de omni culpa mortali elicuerit, et omnem affectum ad culpam venialem deposuerit. Idem in unctione locum habere saltem demonstrari nequit; nam finis primarius est gratia confortans pro extremo agone, et hic finis integre sine totali remissione poenae obtineri potest. Fieri ergo potest, ut infirmus habeat sufficientem dispositionem ad hoc, ut per unctionem ei remittatur omnis reatus culpae quin eadem dispositio sufficiat ad delendum omnem reatum poenae."87

Inferius hic auctor, ad excludendam absolutam paritatem inter Extremam Unctionem et Baptismum, sese refert ad *Straub* quem dicit "doctrinam veterum accurate excussisse." sed non advertit Straub aliquid plus docere ac praecise simpliciter impugnare opinionem Kern. ad quam et ipse Lercher satis propinque accedit, etsi fortasse discrimen opinionum non sufficienter advertat.

Ceterum *in nova ac tertia editione* (a. 1949) operis Lercher, a professoribus facultatis theologicae Oenipontanae funditus retractata (quaestiones De Extrema Unctione curavit ac retractavit *J. Umberg),* textus non leviter reformatus est. ita ut Lercher opinio apparere possit contraria sententiae Kern. Nihilominus ea satis incerta nec valde cohaerens adhuc videtur. Supprimitur nempe prima ac praecipua pars citati textus ("Unctio per se vim habet totam poenam temporalem ex opere operato delendi" etc. usque ad verba "limitatam esse," inclusive), quae omnino quadrat cum sententia Kern, et, introducta distinctione inter finem proximum seu effectum et finem remotum, asseritur totalem poenae remissionem esse tantum finem remotum sacramenti, finem vero proximum seu effectum esse perfectam sanationem aegroti, quae inter alia includit etiam confirmationem animi ad delendas omnes poenas temporales (p. 250 coli, cum 258), atque ut huius explicationis adversarius inducitur ipse "J. Kern, quatenus ex eius opinione Unctione immediate etiam omnes poenae temporales delentur" (p. 250).

P.4FF.4Æ.4.· "Ex . . . sententia [S. Thomae. *C. Gent.* 4. 73. de sacramento Extremae Unctionis consummativo totius spiritualis curationis] quae invenitur etiam in maximis theologis scholasticis (Alberto M., Bonaventura. Scoto. Durando, etc.), Extrema Unctio apparet ut revera magnum maximeque beneficum sacramentum, sanctificationem hominis perficiens, a culpa et a poena illum perfecte emundans. Si quis igitur cum perfecta dispositione illud sacramentum receperit et gratiis actualibus, quas confert, fideliter cooperatus fuerit, nullum dubium esse potest, secundum S. Thomam. quin a peccatis omnibus liberatus et a poenis eis debitis, statim post mortem caelum ingrediatur. Sic Extrema Unctio vitam spiritualem consummat, id est plene perficit. Non est tamen hoc intelligendum quasi Extrema Unctio per se et primario ad delenda peccata et poenas ordinetur, sed hunc effectum obtinet secundario et ex consequenti, ut dictum est. in quantum debilitatem tollit in sacramentum suscipiente, ita ut possit 'mensuram suae satisfactionis' quae ideo non minuitur, levius et citius complere (cf. *Suppi,* q. 30. a. 1 ad 2). *Hoc sensu plene justificatur doctrina, a quibusdam modernis proposita (Pohle, Kern* . . .) de perfecta sanitate animae collata per Extremam Unctionem.

TECKLENBURG: "Extreme Unction, if properly received, *intends to eliminate purgatory* for the recipient, intends to guarantee him the immediate beatific vision after death. . . It does seem self-evident that xve should have a means of so disposing oneself for death that entrance into heaven becomes immediate. *Nor is there any reason to suppose why such a disposition should be particularly difficult to obtain.* In the sacrament of Penance, ordinarily not all punishments arc remitted The Council of Trent (XIV Scss.) tells us that Penance will cleanse us perfectly

' *Institutiones theologiae dogmaticae* IV (cd. 2, Ocnipontc 1935) 591.
"*De Sacramentis et De Novissimis* ({Taurini] 1944) 581.

only if accompanied 'magnis fletibus et laboribus.' This sacrament is therefore not available for our purpose. One might say that we have the plenary indulgence and the apostolic benediction. I answer that these depend too much upon the disposition, the piety and exertion of the patient. A plenary indulgence presupposes remission of all sins, and in so trying a need it is altogether too uncertain a thing. We must have a sacrament; nothing less will do."[80]

FELD: "The best of authorities assure us that, while Confession is God's merciful invention to save such souls from hell, *Extreme Unction is the merciful sacrament designed by Him to enable them to escape the fires of purgatory.* Fej, *the soul of the man who dies after receiving Extreme Unction, at least with attrition or imperfect contrition, goes straight to heaven.* . .

"Extreme Unction remits the temporal punishment due to sin. It certainly may happen, and in fact does often happen, that, while the guilt of a man's sin is taken away by a sincere confession, much of the atonement for these sins, nevertheless, is still due the infinite justice of God by reason of the imperfect disposition of the penitent. . . Numbers of [Catholics . . . come to their deathbeds, their souls still laden with a debt of atonement that ought to have been canceled long before, when health, and strength, and perhaps easy opportunity would have rendered the task not so difficult of execution. Were there no saving remedy at hand in the emergency, a long and severe purgatory' must inevitably await such persons upon their entrance into eternity. But the ever merciful God here comes to the rescue in the sacrament of Extreme Unction.

"Let us take notice how this sacrament will here step into the breach, so to speak, and squarely meet the emergency; and it will best serve our purpose to draw upon a concrete case. We have before us, then, a man who is supposed to be on his deathbed. The priest pays him a visit and finds him sincere, well-disposed, and able to make his confession. In as far as he has mortal sin upon his conscience, this confession on his part is of obligation and he makes it, finishing with an act of imperfect contrition directed to all of his sins, mortal as well as venial. We are accordingly justified in believing that the guilt of this man's sins has been removed, so that Extreme Unction is in order, *and if duly administered to the sick man, its proper effect in his case will manifestly be, not to remove his sins but rather the relics of the sins of his entire life* — the only obstacle still remaining between himself and heaven; *in other words to blot out the full debt of temporal atonement* that attaches to his soul and is due the divine justice. It is after this fashion that Extreme Unction prepares the sick person for immediate entrance into heaven."[00]

"This brings us to the vital question of disposition. What degree of preparation, then, are we to exact from our dying penitents, if we would have them derive from the reception of Extreme Unction the splendid fruits which are undoubtedly attributed to this sacrament? We shall here make use of an example which, in our opinion, should be fairly representative of many like cases incident to pastoral experience. . .

"We have before us. then, a man who is seriously ill. He is sincere, we are supposing; and would like to do what he can to put his spiritual affairs in order, and so get ready for the next world. He is extremely weak but fully conscious. In so far as he has some mortal and venial sins that burden his conscience, he makes a good confession; concluding it with an act of imperfect contrition that takes in all of his sins mortal as well as venial. This attended to, the priest gives him the Holy Viaticum. Then follows Extreme Unction, which the dying man receives *with all due reverence and devotion, endeavoring to correspond with the graces*

'' "The primary' effect of Extreme Unction," *The* [/bnerican] *Ecclesiastical Review* 55 (1916) 292 ct 295.

•' "Why be anointed," *The* [.-imencan] *Ecclesiastical Review* 84 (1931) 487 sq.

of the sacrament as well as his enfeebled condition will allow. What are we to think of the above case? Does it offer us a satisfactory basis for the complete and successful operation of the sacrament of Extreme Unction, one that should secure for our penitent all the glorious fruits that are so profusely and enthusiastically contributed to the last anointing by great and learned theologians? *Father Kern,* whose work on Extreme Unction is justly regarded as a classic, speaks as follows; 'They secure the entire fruits of the anointing who, while they are still in a state of consciousness, receive the sacrament with reverence and devotion, and cooperate fully with the graces thereof.' *Father Felix Cappello,* another great authority, concurs with these sentiments entirely.

"In the absence of any supernatural enlightenment in this particular instance, therefore, and in harmony with the above teaching, we should be inclined to say that *the situation of our dying penitent is satisfactory.* By this we do not mean to affirm that he could not have even a livelier faith than he has, more devotion, and perhaps greater contrition; but we are wisely leaving a little something for the sacrament to do. We are firmly convinced that its efficacious operation *will iniced bring about these better dispositions, provided only that some suitable foundation of preparation has gone in advance.* If all the wonderful things which our great theologians and learned doctors tell us about the 'disposing power' of Extreme Unction are not just mere pious exaggerations but sober truths, and if, as the Council of Trent declares, 'This sacrament has been regarded by the Fathers as that which gives the finishing touch not only to Penance but to the whole Christian life,' then it would seem but reasonable to conclude that the less perfect sentiments and dispositions of our dying friend *will be transmuted into the better and higher ones* that should bring him to immediate and eternal rest.

"St. Thomas, we are sure, would be fully in accord with the views we have just expressed. In dealing with dying penitents, as a matter of fact, *he is far more lenient and would require much less of them by way of preparation, than do the theologians we have quoted above;* and this even where there is question of the fuller fruits of the last anointing. His words are well-nigh startling in their significance and fairly take our breath away; and were it not that the church has accepted him as her official Doctor, so to speak, and encourages us to follow his teachings, we might be inclined to receive his statements on Extreme Unction, as we shall now give them, with a smile of incredulity and a shrug of the shoulder. These are his words: 'This sacrament is for the very purpose of procuring the immediate Beatific Vision for those who, because of negligence, shortness of time, or similar deficiencies, do not sufficiently care for themselves.'[91] The words just quoted testify clearly that, according to the holy Doctor's teaching, *it is the function of this sacrament to make much of a little — of a very little in fact;* and hence to transform the less perfect disposition of those who are in their last agony, into the better and higher ones that should lead them to immediate and eternal rest. . .

"In all fairness to Father Kern, however, we believe that, in enumerating the dispositions needed to secure the entire fruits of the last anointing, the state of preparedness he lays down *should not be taken in an exclusive sense.* When, for example, he says: 'They secure the entire fruits' of the anointing, he could hardly be taken to mean 'only they.' And when he uses the words 'cooperate fully,' he surely would not wish to exclude *all those who do what they can,* even though the degree and amount of their cooperation are far from being objectively perfect."[92]

VERHAMME: "luxta s. Albertum Magnum, s. Bonaventuram, s. Thomam, Scotum aliosque Scholasticos, extrema unctio infirmo reddit perfectam animae sanitatem, qua in gloriam coelestem introire proxime paratus sit. Quare *ex opere operato remittit, non modo peccata, sed etiam omnem poenam temporalem debitam*

[91] *Contra Gent.,* Lib. IV, c. 73.
[92] "Is Purgatory inevitable?," *The [American] Ecclesiastical Review* SS (1933) 586-5SS.

pro peccatis, ita ut infirmus, *nisi dejectu contritionis obicem ponat,* nulla re a perceptione gloriae impediatur et non modo ab inferno, sed etiam a purgatorio liberetur. . . Per plura saecula theologi communiter docuerunt extremam unctionem omnem auferre reatum poenae temporalis. Quidam extremam unctionem, quod hunc effectum attinet, plene baptismo assimilarunt."3 Recentius multis visum est extremam unctionem partim dumtaxat delere reatum poenae temporalis.

"Quidam, doctrinam veterum tenentes, hanc *ea explicant ratione qua jam ab omnibus recipi posse videtur.* Scribit nempe *J. Kern.:"'* 'Cum sacramentum ad hoc sit institutum, ut animam christiani morti appropinquantis ad immediatum introitum gloriae disponat idcoquc ex specifica sua ratione habeat vim abstergendi omnem reatum poenae temporalis, omnes infirmi, qui plenum fructum s. Unctionis nanciscuntur, plenam poenarum relaxationem consequuntur. Plenum autem s. Unctionis fructum nanciscuntur, qui illam cum debita praeparatione et devotione in eo statu morbi percipiunt, quo cum auxiliis intuitu eius sibi oblatis cooperari adhuc valent, et qui hanc cooperationem de facto plene praestant'. Itaque iuxta illos extrema unctio non statim aufert omnem reatum poenae temporalis, sed partem dumtaxat, iuxta dispositiones suscipientis. At infirmo, nisi status morbi obicem ponat, confert gratias actuales quibus, labores infirmitatis ac mortem ipsam in spiritu poenitentiae suscipiendo, *pro peccatis adaequate, modo tempus detur, satisfacere valeat aut quibus forte iuvetur ad indulgentias plene lucrandas.* Itaque sacramentum valet infirmum disponere ad immediatum introitum in gloriam; hoc tamen reipsa efficit cum eo tantum qui, sacramentum cum fide et devotione suscipiens, cum gratia *ita cooperatur ut pro peccatis plene satisfaciat aut eorum plenam remissionem aliunde accipiat.'*[7] Pie creditur multos bonos christianos hunc effectum sacramenti plene consequi. Et utinam fideles, huius mirabilis effectus edocti, sacramentum eo suscipiant tempore quo adhuc habeant opportunitatem remissionis poenae temporalis assequendae!"90

Sententia huius auctoris minime clara est. Ex una enim parte satis clare significat se adhaerere sententiae Kern. contra multos recenliores quibus visum est per sacramentum nonnisi partialiter poenam tolli, et ex alia parte ita loquitur ut, praecipue circa finem textus, labatur in istorum sententiam, referens possibilem remissionem totius poenae ad influxum operis operantis subiecti quod subsequitur opus operatum sacramenti. Videtur igitur non attigisse proprium opinionum discrimen.

SECUNDA SENTENTIA.

Praefata paucorum modernorum opinio plures theologos refragantes invenit. Quidam, ut *Billot, Tanquerey, Lcpicier, Ilugon, Hervé, Boyer, Zubizarreta, Abdrzuza,* et doctores Morales satis communiter, eam nequidem commemorare dignantur; alii, ut *Straub, Dickamp* et *SpdciT'* eam explicite impugnant.

Ex praedictis prioribus auctoribus, qui de ea sententia silent, alii (ut Billot et Boyer) omnino tacent de ipso effectu remissionis poenae; alii (ut Hervé, Bucceroni, Piscetta-Gennaro) illum mere commemorant

" Cf. *Pseudo-Egbertum* lEboraccnscml, *Poenitentiale,* lib. 1, p. 2, c. 15.

"Op. cit., 190.

** "Haec dicta sunt praescindendo ab indulgentia plenaria, quam infirmus forte in articulo mortis lucratur, et qua plenam consequitur remissionem poenae temporalis".

J'"De effectibus sacramenti Extremae Unctionis (I)," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 20 sq.

" Adde supradictos (in p. 14S, in notis) humiliores auctores, sub pseudonymis *"Catechist,'l "Vicarius"* et *"Sacerdos"* impugnantes Tccklcnburg, Richards et Feld.

nec ullam addunt distinctionem aut determinationem; alii (ut Lépicier, Zubizarreta, Abarztiza, Merkelbach, Prummer, Aertnys-Damen, Regatillo) dicunt non semper totam poenam remitti, sed maiorem vel minorem iuxta gradum dispositionis; alii tandem (ut Hugon, Tanquerey, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt) directe significant poenam nonnisi diminui seu partialiter tolli.

STRAUB: "Nemo audebit affirmare, sacramentum infirmorum ad remissionem poenae vel secundarie ordinari ita, ut ex opere operato unctionis *pariter ac baptismi* illico cum culpa semper poena respondens etiam temporalis tota condonetur. Talem vim unctionis dedocet et ipsam usus ecclesiae sane justus, quo homines etiam uncti, aliter ac baptizati. satisfactionem, nempe in sacramento poenitentiae impositam, perficere adhuc debent. Eodem spectat sollicitudo in impertiendis indulgentiis ct offerendis suffragiis pro hominibus unctis tanta, quantam ecclesia, si pro unctione baptismus infirmorum esset, vix unquam in morem perduxisset. . . Quod si unctio extrema ex institutione sua non habet pariter ac baptismus efficaciam auferendae semper simul cum culpa respondentis omnis poenae, multo minus ad hoc instituta credi potest, ut homo *saltem cooperando cum auxiliis* confortantibus per unctionem recipiendis a poena universa tandem vindicetur. Imprimis modo neque isto neque ullo est unctio instituta ad remissionem poenae plenam tanquam linent principalem. . .

"Neque ex institutione sua unctio per cooperationem hominis aegroti cum gratia sacramentali tendit ad totius poenae remissionem tanquam finem saltem secundarium. Qualis institutio, nedum testimoniis revelationis fulciatur, vix vel cunctanter ah antiquiore [aliquo] theologo proponitur. Nominatim non significat eam s. Bonaventura . . . neque b. Albertus . . . [neque] S. Thomas. . . Ipsum concilium tridentinum a cogitatione veniae perfectae ex indole unctionis per cooperationem cum gratia sacramentali obtinendae se alienum praebet. . . Denique intercedente cooperatione aegroti cum gratia sacramentali deberet pro institutione debita sacramenti extingui tota poena aut etiam ex opere operato aut ex solo opere operantis. Atqui primum non extinguitur ex opere operato. Sane cooperatio illa neutiquam est pars ipsius operis operati sacramenti unctionis, sicut sacramenti pars haberi potest satisfactio in sacramento poenitentiae imposita. . . *Nec cum majore fundamento, immo praepostere et fere monstruose affirmetur, vi ipsius institutionis tinctionem tendere in hunc finem, ut dispositio pro effectu pleno receptioni sacramenti per se praemittenda, si sit manca, saltem per cooperationem cum gratia in sacramento data, i.e., per effectum consequentem sacramentum compleatur.* . .

"Itaque utrum homini huic illive uncto cum culpa poena tota an solum ex parte remittatur, pendebit tum ex dispositionis et cooperationis perfectione tum ex poenae residuae magnitudine; enimvero poena tanta, quanta destruenda respondet dispositioni praeviae, tollitur per sacramentum ex fine suo secundario et opere operato: alia pars poenae adhuc expiandae aufertur pro mensura cooperationis cum gratia sacramentali. quamvis non ex fine, ad quem proprie sacramentum institutum est, et jam dumtaxat opere operantis. Praeterea unctio quatenus ex se tendit ad poenam totam homini complete disposito remittendam [sicut nempe valet generaliter de omni sacramento relate ad proprium effectum [, forsitan effectum plenum ex opere operato habeat [scilicet per reviviscendam sacramenti], si dispositio ante sacramentum imperfecta post per accidens suppleatur, similiter ut culpam venialem ante baptismum perpetratam baptismus ipse praeteritus condonare valet. Etsi similitudo ista dubia est."9"

DIEKAMP: "Nostro tempore quidam theologi (Kern, Pohle. Graber) praecipue provocando ad theologos scholasticos docuerunt effectum essentialem extremae

"De *Ecclesia Christi* (Ocnipontc 1912) 11 309 sq., 319, 321, 324, 325.

unctionis esse animae sanitatem, tam perfectam, ut ipsa ab omnibus peccatis et ab omnibus poenis peccati liberata post mortem statim caelum ingrediatur. Rc quidem vera theologi scholastici magnae auctoritatis, e. g. Albertus Magnus, Bonaventura, Scotus, Durandus hanc opinionem proposuerunt [?]. Etiam ad S. Thomam provocant, quippe qui semel de tam perfecta sanatione et liberatione infirmi per extremam unctionem loquatur, 'ut sic nihil in eo remaneat, quod in exitu animae a corpore eam possit a perceptione gloriae impedire' (C. gent. IV, 73).

"Sed nobis dubitationem affert, quod haec doctrina, quae pro cura animarum tanti momenti est, et ut aiunt, apud theologos scholasticos fuit communis, neque a Concilio Tridentino neque a Catechismo Romano proponitur ac prorsus in oblivionem venire potuit. Quoad S. Thomam notandus est modus, quo Suppi., q. 30, a 1 ad 2 de 'diminutione' reatus poenae temporalis per extremam unctionem loquitur: 'Similiter etiam et reatum poenae temporalis diminuit, sed ex consequenti, inquantum debilitatem tollit, quia eamdem poenam levius portat fortis quam debilis'. Mensura igitur poenarum eadem manet, quas tamen infirmus, cum sacramento roboretur, levius suffert. S. Thomas consequenter addit satisfactionem in sacramento poenitentiae irrogatam etiam post extremam unctionem integram peragi debere: 'Unde non oportet, quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura'. Secundum haec verba etiam illud C. gent. IV, 73 ita explicandum esse videtur, ut dicatur eum solum vi extremae unctionis post mortem statim in caelum introire, qui ista unctione accepta, cum iis gratiis actualibus, quas recipiendi hoc sacramento jus confertur, fideliter cooperatus fuerit, sicque poenas peccatorum expiaverit. Hac restrictione supposita, quam Pohle quoque explicite facit, doctrina a Kern 'iterum inventa' a doctrina communiter proposita vix differt."[00]

SPACIL: "Sunt qui putant per s. unet, infirmorum per se omnes poenas temporales deleri, dummodo debita devotione accipiatur. (Sic praesertim Kern.) Sed communis fert sententia per se partem tantum poenarum remitti, 'prout placet divinae clementiae' (Clericatus), vel melius et accuratius 'secundum mensuram cooperationis et magnitudinem poenae' (Natalis, Becanus, Coninck, Sainte-Beuve, Straub). Illa enim perfecta et plena remissio videtur esse privilegium baptismi et martyrii; et in sacramento paenitentiae etiam per se solum pars poenarum tollitur; et sic explicatur infirmis extremam unctionem recipientibus ab Ecclesia indulgentias applicari pro iisque, si decesserint, s. missas dici, et homines post s. unctionem sanatos olim publicae paenitentiae subiectos fuisse (Schanz). Extremam unctionem esse paenitentiae consummativum eamque certo sensu praeparationem ad gloriam dici posse conceditur; sed inde non sequitur eam per se omnes peccatorum reliquias tollere et omne impedimentum gloriae auferre debere. Aliqui videntur putare poenas temporales per s. unctionem eatenus tantum tolli quatenus homo per sacramentum confortatus eas facilius ferat (Paludanus, Natalis); sed melius dicitur hoc partim ex tali opere operantis, partim ex ipso opere operato sacramenti fieri (Heinrich, Straub)."[1]

Quoad ulteriorem vero quaestionem (cf. dicta in p. 147), *utrum hoc sacramentum partem poenae remittat immediate, an mediate tantum,* dividuntur hi doctores, etsi quaestionem sic in terminis non ponant, aliter ac cum agunt de remissione venialium (cf. supra, p. 136 sqq.), imo pauci sint qui, ut *Straub* et *Spdcil* (nuper cit.), discrimen ipsum explicite notent.

Quidam, ut hi duo doctores, sequentes mentem Suaresii (cf. infra,

[00] *Theologiae dogmaticae manuale* IV (juxta ed. 9 versionem latinam secundam curavit A. Hoffmann, Parisiis 1946) 390 sq.

[1] *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ('Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 224 sq. ■

p. 171.sq.), admittunt influxum immediatum sicut in quaestione de remissione venialium; docent nempe Extremam Unctionem remittere poenam ex opere operato immediate, iuxta gradum tamen dispositionis quam subiectum habet ante receptionem sacramenti, ita ut minori dispositioni correspondent minor poenae remissio et maiori major, eo fere modo quo haec remissio fit in sacramento Poenitentiae et aliter ac in Baptismo in quo tota poenae semper remittitur ubi sit minima dispositio requisita ad efficacitatem sacramenti; reliqua vero pars poenae, quae per sacramentum ipsum non remittitur, potest, inquiunt, partialiter iterum aut totaliter, auferri ex opere operantis quod indirecte adiuvatur etiam per ipsas gratias sacramentales alleviationis, confortationis et roborationis quas infirmus recipit per sacramentum. *Alii,* si saltem eorum mentem interpretari velimus ad tramitem mentis S. Thomae (cf. infra, p. 175), cui ipsi adhaerere solent, docent Extremam Unctionem remittere poenam tantummodo mediate, sicut remittit peccata venialia, seu mediante ipsa gratia sacramentali curationis debilitatis animae et iuxta gradum istius gratiae, ac ita hoc sacramentum distingui quoad hunc effectum sive a Baptismo sive etiam a Poenitentia. Quam sententiam defendemus et explicabimus in Conci. 2.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Remissio poenae temporalis per hoc sacramentum non fit totaliter, sicut in Baptismo, sed partialiter tantum, sicut in Poenitentia, seu potius hoc sacramentum non ordinatur ad remittendam poenam modo quodam determinato, sive totaliter sive partialiter, sed modo indeterminato, ita ut quantitas effectus determinetur iuxta gradum dispositionis in subiecto.

Probatur 1. *Ex necessario discrimine inter Extremam Unctionem et sive Poenitentiam sive ac praecipue Baptismum, quoad hunc eflectum remissionis poenae.*

Si Extrema Unctio ordinaretur ad totam poenam remittendam, superaret quoad hunc effectum sacramentum Poenitentiae (quod, ut patet ex dictis in tractatu *De Poenitentia* III 376 et 383; IV 247–249, non est ordinatum ad totam poenam necessario auferendam) et adaequaret sacramentum Baptismi.

Atqui *primo,* Extrema Unctio nequit quoad hunc effectum superare Poenitentiam, quae, cum sit ordinata directe ad delendum peccatum, potiori iure et magis immediata consequentia secum trahit remissionem alterius reatus poenae, intime connexi cum reatu culpae. Nec valet invocare rationem complementi Poenitentiae, quae adiudicari

solet Extremae Unctioni, nam ea potest ac debet referri tum ad ulteriorem remissionem partis poenae nondum remissae per Poenitentiam, tum ad remissionem relictorum peccatorum tam venialium quam mortalium, tum ac praecipue ad curationem spiritualis debilitatis ex peccatis relictae quae est, ut diximus, proprius ac specificus effectus huius sacramenti. *Secundo,* Extrema Unctio nequit quoad hunc effectum adaequare Baptismum, ut patet tum ex ipsa indole huius sacramenti, quod solum se habet ut totalis renovatio spiritualis vitae et perfecta indulgentia seu remissio, tum ex praxi Ecclesiae exigendi ab inunctis sacramentalem satisfactionem (in praevia nempe confessione impositam), eis concedendi indulgentias in articulo mortis, et pro eis post mortem offerendi sacrificium Missae aliaque suffragia.

Ergo Extrema Unctio non est ordinata ad totam poenam auferendam, et contraria opinio, qua parte necessario ducit ad assimilandam Extremam Unctionem Baptismo quoad hunc effectum, non congruit tum doctrinae traditional! tum sensui Ecclesiae.

Adversarii negant praecipue maiorem huius argumenti, saltem quoad secundam partem seu sequelam, i.e. *quod ex eorum sententia sequatur perfecta paritas cum Baptismo* (nam quoad priorem de superioritate Extremae Unctionis relate ad Poenitentiam, non curant vel eam admittunt), atque assignant disparitatem in eo quod ad totalem remissionem poenae per Baptismum nulla requiritur peculiaris subiecti dispositio, sed sufficit infimus gradus attritionis necessarius ad hoc ut sacramentum sit secundum se fructuosum, ita ut semper ex fructuoso Baptismo sequatur totalis poenae remissio, dum ad totalem poenae remissionem per Extremam Unctionem requiritur, inquiunt, peculiaris dispositio nec sufficit ea quae est quomodolibet sufficiens ad fructuosum ipsum sacramentum, ita ut de facto ex fructuosa Extrema Unctione non necessario sequatur totalis remissio poenae, sed haec fiat tantum partialiter in casu quo peculiaris illa dispositio deficiat.

Attamen, haec explicatio, qua adversarii eludere conantur paritatem cum Baptismo, quam vident theologico ac traditional! sensui facile repugnare, in sana theologia sacramentali incogitabilis est ac constituit praecise *essentialem dejectum huius opinionis* eiusque vulnerabile fundamentum.

Omnino enim arbitrarie ac impertinenter. ne dicatur contradictorie, invocatur necessitas peculiaris dispositionis ad totalem poenae remissionem. si semel dicatur hanc esse effectum ad quem Extrema Unctio ordinatur. Posita enim minima dispositione requisita ad hoc ut sacramentum sit secundum se fructuosum, effectus ad quem de se ordinatur

eo ipso producitur, adeoque totus producitur si ad totum ordinatur sacramentum; quod si effectus nonnisi partialiter, iuxta mensuram dispositionis subjecti producatur, signum est sacramentum ad illum effectum ordinari non secundum illius totalitatem, sed modo generico ac indeterminato, ut contingit in omni sacramento quoad principalem effectum gratiae sanctificantis. Quod quidem absque controversia patet in ipso sacramento Baptismi; hoc enim ordinatur tum ad conferendam gratiam, modo indeterminato, tum ad conferendam remissionem poenae, non tamen modo indeterminato sed totaliter, et ideo, posita eadem subiecti dispositione, primum effectum gratiae confert iuxta gradum dispositionis subiecti, cum illum effectum non respiciat directe secundum aliquem gradum determinatum, alterum vero confert totaliter. cum hunc respiciat totaliter ita ut nullus relinquatur gradus qui possit attemperari gradui dispositionis, nullus enim est gradus ultra totalitatem, cum totalitas omnes gradus includat.

Nec valet fingere unum et idem sacramentum Extremae Unctionis ad duos effectus collationis gratiae et condonationis totius poenae diversimode se habere ac ordinari, ita nempe quod ad primum exigat unam dispositionem et ad alterum aliam seu meliorem dispositionem. Nam haec est arbitraria et inaudita fictio, quae in nullo sacramento verificatur, cum inde solveretur ipsa unitas sacramenti, quod, cum sit una ac simplex causa, agens ad modum causarum naturalium, semel obtenta requisita conditione, influxum suum illico exerit et ad omnes suos effectus simpliciter et indivisibiliter protendit, ut patet in ipso exemplo Baptismi. Ceterum ex praedicta fictione sequeretur quod, deficiente meliori illa dispositione, remissio poenae nullo modo nec partialiter, per sacramentum causaretur (quod tamen non concedunt adversarii), nisi iterum dicatur pro partiali remissione poenae sufficere minorem dispositionem, in quo casu arbitrarie multiplicaretur varietas requisitarum dispositionum non solum pro varietate supradictorum effectuum collationis gratiae et condonationis totius poenae, sed etiam pro varietate graduum iuxta quos secundus effectus condonationis poenae conferendus esset.

Praeterea (e/ *hic est secundus dejectus illius opinionis)* adversarii facile quidem recurrunt ad necessitatem alicuius peculiaris dispositionis ut de facto sacramentum producat totalem suum effectum remissionis poenae, sed cum agitur de ea determinanda nihil reapse concludunt sed potius uno vel alio modo adducuntur ad asserendum oppositum, scilicet sufficientiam merae ac communis dispositionis quae praestatur per ipsum actum attritionis quaeque sufficit ad primum effectum collationis gratiae, sicut in Baptismo, ac ita reincidunt in id

praecise quod vitare conantur, nimirum in aequivalentem assimilationem Extremae Unctionis cum Baptismo quoad effectum totalis remissionis poenae.

Ut enim notavimus supra (p. 150), quidam, ut *Kern, Cappello* et *Dafiara,* pro dispositione ad totalem poenae remissionem requirunt debitam praeparationem et devotionem in suscipiendo sacramentum et simul plenam vel fidelem cooperationem gratiis actualibus collatis per sacramentum; iamvero, haec cooperatio est posterior ipso sacramento nec ideo influere potest ut dispositio ad influxum et fructum sacramenti, debita vero praeparatio et devotio ante susceptionem sacramenti nihil determinatum ac peculiare indicat quod non inveniatur etiam in eo qui cum sola attritione sacramentum suscipit. Similiter *Richards* et *Tecklenburg* nihil addunt quod non conveniat attritioni cum exigunt congruam dispositionem in receptione sacramenti. *Lercher* requirit maiorem dispositionem quam in Baptismo et minorem quam in Poenitentia, adeoque aliquid plus quam attritionem, sed quidnam hoc esse possit, merae divinationi relinquit. *Feld* tandem logice omnino proclamat sufficientiam merae attritionis, ex quo immediate sequitur perfecta paritas inter Extremam Unctionem et Baptismum; ultimum autem effugium ad quod iste auctor recurrit, dicens meliorem, quaecumque sit, dispositionem, quae ad talem effectum exigeretur, causari in subiecto per ipsum sacramentum dummodo praecesserit aliqua congrua praeparatio, multipliciter claudicat et peiorem facit eius positionem. Primo enim, iterum quaeri potest quae sit ea congrua praeparatio, et an sufficiat attritio, adeoque nihil novi affert ista explicatio; secundo, inde sequeretur sacramentum causare ipsam dispositionem quae praeexigitur ad suam ipsius causalitatem. quod, ut dictum est supra (p. 146) contra similem explicationem allatam ab ipso Kern in quaestione de remissione peccatorum venialium, repugnat sanae philosophiae; tertio, sequeretur sacramentum susceptum cum minima aliqua congrua praeparatione, semper de facto remittere totam poenam, cum supponatur capax producendi reliquas dispositiones requisitas ad totalem remissionem; quarto, ob eandem rationem sequeretur congruam praeparationem in subiecto haberi etiam si adsit aliqua bona dispositio inferior attritione (puta desiderium suscipiendi sacramentum eiusque effectum, conatus attritionis, existimata attritio), nam reliqua dispositio requisita suppleri posset per ipsum influxum sacramenti, et sic Extrema Unctio superaret ipsum Baptismum quoad suam efficacitatem relate ad hunc effectum totalis remissionis poenae.

Quomodolibet ceteroquin explicetur peculiaris illa dispositio ab adversariis requisita ultra attritionem, cum ipsa ab eis communiter

concipiatur ut aliquid relative facile, ex eorum opinione sequitur frequenter saltem, ne dicatur frequentissime, infirmos per Extremam Unctionem ab omni poena liberari, ac decedentes coelum immediate ingredi quin Purgatorii expiatione et suffragiis Ecclesiae indigeant. Quae sententia, etiam sic mitigata, non videtur satis congruere cum tam constanti, generali et indiscriminato modo quo Ecclesia sentit de necessitate Purgatorii et applicat suffragia pro omnibus defunctis.

Probatur 2. *EX SENSU TRADITIONIS.*

Opinio iuxta quam hoc sacramentum ordinatur ad totalem poenae remissionem, nullum habet solidum fundamentum in Traditione, seu sive in documentis Ecclesiae, sive in dictis Patrum aliorumque doctorum usque ad saec. 12, sive in ipsa doctrina posteriorum theologorum usque ad saec. 19 inclusive; sed est nova quaedam nec felix inventio, a paucis tantum theologis determinate amplexa et a quibusdam aliis benigno quodam aspectu ac superficiali indulgentia gratificata, quae non videtur sufficientem consensum apud ipsos modernos obtinuisse ut possit sibi pacificum ius civitatis reclamare intra limites solidioris theologiae.

Praefati quidem doctores ad hoc ipsum Traditionis argumentum praecipue confugiunt, at reapse nonnisi fallacem inde soliditatis apparentiam suae opinioni conciliare possunt. Nam si quis recte consideret, tota messis testimoniorum quam adducunt quaeque reducitur ad communem illam ac traditionalem doctrinam iuxta quam Extrema Unctio confert immediatam praeparationem ad gloriam, incasse colligitur et extra chorum profertur, cum, ut explicabitur in art. 17 (p. 182-191), ea doctrina sonet valde generaliter et in varium sensum accipi possit ac ceteroquin debeat, quin inde ulla necessitate eruatur Extremam Unctionem ordinari ad totam poenam remittendam. De hac ipsa autem totali poenae remissione illi theologi nullum proferunt directum testimonium, nec ullam aliam adducunt traditionalem doctrinam vel principium, ex quo ea deduci possit, quinimmo generalis sensus Traditionis et distincta theologorum testimonia illi opinioni aut nullatenus congruunt aut directe adversantur, ut ex sequenti excursu patebit.

Inter Ecclesiae documenta nullum est quod ipsam poenae remissionem per hoc sacramentum explicite commemoret, immo nonnisi probabiliter ea implicite indicari dici potest in *Cone. Trid.* et *Catechismo Cone. Trid.*, ut dictum est in art. 10 (p. 12 et 17), in quibus tamen satis distincte ac diffuse varii effectus huius sacramenti exhibentur. Hoc autem silentium vix convenienter explicari posset si

revera Extrema Unctio ordinaretur ad tam magnum effectum producendum (quem adversarii habent pro principali ipso fine sacramenti), seu ad totalem ipsam poenae remissionem; cum enim ea documenta loquuntur de Baptismo, sollicite hunc effectum commemorare non praetermittunt, ita Cone. Trid.: "Poena temporalis . . . non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati 'Spiritum Sanctum contristaverunt' (cf. Eph 4, 30) et 'templum Dei violare' (1 Cor 3, 17) non sunt veriti" (sess. 6, cap. 14, *Denz.* 807; cf. sess. 5, can. 5, *Denz. 792,* et sess. 14, cap. 8, *Denz.* 904), et Catechismus Cone. Trid.: "In Baptismo non solum peccata remittuntur, sed peccatorum etiam et scelerum poenae omnes a Deo benigne condonantur" (p. 2, c. 2, q. 45).

Praeterea, ex his ipsis verbis Tridentini videtur sequi solum Baptismum ad totalem poenae remissionem ordinari; quamvis enim Concilium directe ibi agat de Poenitentia, tamen generalis ratio quam affert, quare in Poenitentia non semper tota poena remittatur, seu, quod idem est, quare Poenitentia non ordinetur ad remittendam totam poenam, valet pro Extrema Unctione. Inepte autem adversarii provocant ad verba Tridentini dicentis Extremam Unctionem esse consummationem tum Poenitentiae tum totius Christianae vitae (cf. supra, p. 151); multipliciter enim Extrema Unctio dici potest utriusque consummatio, immo et aeternae gloriae immediata praeparatio, quin inde sequatur eam ad totam poenam remittendam ordinari, ut patebit ex art. 17.

In antiqua traditione, ut notavimus in art. 10 (p. 42), vix unquam ipse effectus remissionis poenae explicite commemoratur, nec nisi implicite contentus videri potest in expressionibus de immediata praeparatione ad gloriam, de totali remissione peccati et de perfecta animi curatione ab omni sorde et contagione peccati, ex quibus tamen totalis ipsius poenae remissio nequit necessario deduci. *Egbertus Eboracensis* quidem sic loquitur ut eam implicare videatur cum ait: "scriptum esse [in epistola Iacobi] quod quicunque hanc disciplinam [E.U.] habuerit, anima ejus aeque pura sit post obitum ac infantis qui statim post baptisma moritur," sed haec verba, ab ipso solitarie prolata, considerari possunt ut emphatica expressio effectuum salvationis. alleviationis et peccatorum remissionis de quibus est sermo in textu Iacobi, ut suadet tum ipsa allusio ad hunc textum tum inducta comparatio cum baptismali purificatione infantis qui a nullo poenae reatu absolvitur, nec ceteroquin ea verba maiorem emphasim prae se ferunt quam simile dictum S. Thomae aliorumque posteriorum doctorum. hoc nempe sacramentum hominem tam perfecte emundare "ut nihil inveniatur in eo quod perceptioni gloriae repugnet" (C. *Gent.* 4. 73).

Posteriores theologi a saec. 13 ad saec. 19, etsi satis constanter affirment Extremam Unctionem se habere ut immediatam quandam praeparationem ad ingressum gloriae, cum tamen explicite loquuntur de ipso effectu remissionis poenae nihil significant ex quo deduci possit hanc remissionem esse totalem, quinimo contrarium vel directe asserunt vel implicite proponunt.

Pscudo-llalcnsis et *Albertus M.* (cit. in art. 11, p. 55 sq. et 64 66) de ipsa poenae remissione nihil dicunt, sed occupantur tantummodo de effectu abstersionis reliquiarum peccati quae impediunt transitum ad aeternam gloriam, ita ut Halensis id intelligat de remissione venialium peccatorum (nec refert quod loquatur de ablatione "poenae consequentis culpam," nam hanc poenam ipse definit tantum per "infirmitatem mentis et corporis" et hanc mentis infirmitatem intelligit morbum peccati venialis), Albertus vero intelligat spiritualem animi debilitatem seu "inhabilitatem animi ad movendum" et "pronitatem peccandi."

Bonaventura (cit. ibid., in p. 56 sq.) postquam statuerit Extremam Unctionem principaliter ordinari ad tollenda peccata venialia, quae vocat generaliter ac improprie "poenas spirituales," determinans ipsam vocem poenae prout opponitur culpae, dicit poenam partialiter tolli per hoc sacramentum: "Instituit divina misericordia remedium quo anima curari posset quantum ad remissionem culpae et *etiam partis poenae.*" Praeterea, agens de necessitate Purgatorii, ait nonnisi per Baptismum fieri totalem poenae remissionem: "Dimittit [Deus] culpam et poenam aeternam, ita tamen ut obligatum teneat ad poenam temporalem. Ab hac autem poena non absolvitur in morte, quoniam status post mortem non repugnat punitioni animae . . . ; et ideo, cum non sint taliter alicui remissa peccata quin obligetur ad aliquam poenam, *nisi fiat per baptismalem gratiam,* et ab illa obligatione non absolvitur, et debitor poenae non possit cum debito ingredi caelum, necessarium est esse purgatorium."- Item, agens paulo inferius de indulgentiis, ait quod "meritum Christi . . . operatur *in sacramentis* et potestate clavium; et per hoc remittitur *pars poenae.*"[3]

5. *Thomas* (cit. ibid., p. 66-68), in *C. Gent.* 4. 73 ait: "Per hoc sacramentum . . . curatio [quae fit per Poenitentiam] completur, et [homo] a reatu poenae temporalis liberatur, ut sic nihil in eo remaneat quod in exitu animae a corpore eum possit a perceptione gloriae impedire." Ex his ipsis verbis nequit necessario deduci Extre-

[2] *In 4 Sent.,* (list. 20, p. 1. a. un., q. 1, *Opera theologica selecta* IV: *Liber* /F. *Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 502.
[3] *Ibid.,* p. 2, a. un., q. 2, p. 520.

mam Unctionem remittere poenam totaliter, imo ex toto contextu satis clare colligi potest sensum S. Doctoris esse: Extrema Unctio liberat (quo modo non refert) ab omnibus his quae possunt esse impedimenta gloriae, scilicet tum a peccatis, tum ab infirmitate animi, tum a poena temporali. Scilicet, Extrema Unctio exhibetur a S. Doctore ut totale remedium, non totalitate intensiva. sed tantum totalitate extensiva, quatenus nempe nullum sit ex tribus praedictis impedimentis quod per Extremam Unctionem non tollatur.

Praeterea, potest etiam effectus remissionis poenae in littera S. Thomae intelligi de totalitate intensiva, ita tamen ut tribuatur partim sacramento, partim subiectivis dispositionibus seu operi operantis, quod facile cum sacramento concurrit in casu infirmi, quod quidem videtur S. Doctor innuere circa initium illius capitis, cum ait: "Corporalis infirmitas interdum utilis est ad animae sanitatem: prout homo infirmitatem corporalem sustinet humiliter et patienter, et ei quasi in poenam satisfactoriam computatur" (cf. commentum Ferrariensis, mox citandum).

Ceterum, de modo et gradu, quo effectus remissionis poenae confertur, explicite agit S. Doctor in *Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 2, inquiens illum fieri mediate et partialiter; obicienti enim: "Per extremam unctionem non remittitur peccatum . . . quoad poenam, quia adhuc, si convalescat, tenetur perficere satisfactionem iniunctam" (ob. 2), respondet: "[Extrema Unctio] reatum poenae temporalis *diminuit;* sed *ex consequenti,* inquantum debilitatem tollit, quia eandem poenam levius portat fortis quam debilis. *Unde non oportet quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura."*

Eodem fere modo S. Doctor loquitur ubi de *Eucharistia;* explicitae enim quaestioni "Utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur," respondet: "Si . . . [Eucharistia] consideratur ut sacramentum [non ut sacrificium], habet effectum dupliciter: uno modo, directe ex vi sacramenti; alio modo, quasi ex quadam concomitantia... Ex vi quidem sacramenti, directe habet illum effectum ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum. . . Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae; inde est quod *ex consequenti* per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem poenae; *non quidem totius,* sed secundum modum suae devotionis et fervoris" (3 p., q. 79, a. 5).

Praeterea, S. Doctor tum in *Comm. super Sententias* tum in *Summa Theologica,* agens de Baptismo, soli huic sacramento tribuit totalem poenae remissionem, inquiens non esse aliud medium ad hoc ordinatum.

In 4 Sent., dist. 5, q. 2, a. 1, q. 1: "Baptismus *inter alia sacramenta* est maximae necessitatis: tum quia pueris non potest aliter subveniri; tum quia etiam nec adultis quantum ad remissionem totius poenae". Ibid., ad 2: "Non est simile de poenitentiae sacramento, et baptismo [quantum ad eorum necessitatem]: quia aliquis sine absolutione sacramenti poenitentiae potest salvari in necessitate nec iterum absolutio sacerdotalis a tota poena absolvit; sed in pueris *non est aliquid aliud* per quod possint salvari, nec *quo adulti possint a tota poena liberari.*" Idem prorsus repetit in *Summa Theologica,* 3 p., q. 67, a. 2: "*Inter omnia sacramenta* maximae necessitatis est baptismus . . . quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti *non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi* et quantum ad culpam et *quantum ad poenam.*" Ibid., ad 3: "Poenitentia non est tantae necessitatis sicut baptismus; potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quae non liberat a tota poena, nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cuius effectus *per nihil aliud suppleri potest*" (cf. quae de effectu totalis remissionis poenae per Baptismum habet in 3 p., q. 68, a. 5; q. 69, a. 2 et 8; q. 79, a. 5, ad 1; q. 86, a. 4, ad 3). In 3 p., q. 84, a. 1, ad 1, referens simul proprios effectus Baptismi et Extremae Unctionis, illi tribuit explicite totalem poenae remissionem, huic vero meram perfectam sanitatem spiritualem (seu a peccato et reliquiis debilitatis), nulla facta mentione remissionis poenae: "In illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia . . . adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam; et in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis."

Scotus (cit. in p. 58 sq.) ne verbum quidem facit de ipsa remissione poenae per hoc sacramentum.

Durandus (cit. in p. 59 sq.): "[Effectus principalis huius sacr.] est remissio peccatorum venialium quo ad *culpam* vel quo ad poenam *in toto vel in parte.*"

Gerson, cancellarius parisiensis: "Extrema Unctio rite suscepta delet venialia, immo videtur quod absolvit ab omni culpa coniuncta petitione recipientis, ita quod digne recipiens *etiam ab omni poena Uberetur,* tum virtute sacramenti tum quia petit pie perseveranter pro se et juste."[4] Hic auctor, opinando quidem, dicit totam poenam remitti, sed hunc effectum refert ad duplicem causam, i.e. tum ad sacramentum

[4] *Regulae morales, reg.* 15S.

tum ad bonas dispositiones subiecti concurrentes cum sacramento; unde non solum non dicit per ipsum sacramentum totam poenam remitti sed potius videtur nonnisi partialem remissionem sacramento tribuere.

Quoad *Paludanwn* et *Capreolum,* confer dicenda infra, p. 188-190.

Ferrariensis, commentans praefatum textum S. Thomae in *C. Geni.* 4. 73, scribit: "Ad remotionem huiusmodi debilitatis [animae], sive reliquiarum peccati, sequitur liberatio a reatu [i.e. a reatu poenae]. . . Sed . . . occurrit dubium . . . quia videtur velle Sanctus Thomas hoc loco ab omni reatu poenae temporalis per hoc sacramentum hominem liberari, cum dicat hac ratione ipsum a reatu liberari, 'ut nihil sit in ipso quod eum in exitu animae a corpore, possit a perceptione gloriae impedire'. Ex hoc autem sequitur quod ille qui suscepto hoc sacramento decedit, ad nullam satisfactionem teneatur post mortem, sed statim evolet ad gloriam; et sic non oportebit pro eo fieri suffragia aut orationes; quod non videtur esse secundum Ecclesiae intentionem. . . [Ad hoc dubium] dicitur primo, ut videtur de mente Sancti Thomae articulo praeallegato *[In 4 Sent.,* dist. 15, q. 1, a. 4, q. 1. ad 2, ubi S. Thomas loquitur de remissione poenae ex opere operantis], ad 2, quod non remittitur semper totaliter reatus poenae temporalis, ita quod post mortem homo ad nullam satisfactionem teneatur: sed tunc tantum *quando adest interior dispositio ad remotionem talis reatus, simul cum hoc sacramento, sufficiens.* Est enim hoc sacramentum ad remotionem omnis reatus remanentis post culpam ordinatum, quando in suscipiente est conveniens dispositio. Dicitur secundo, quod semper aliquo modo remittitur reatus: inquantum, remota debilitate quae erat ex peccato, fit levior poena; 'eandem enim poenam levius', inquit Sanctus Thomas, 'portat fortis quam debilis.' "

Ex toto contextu apparet quod totalis remissio poenae, quando fit, dicitur fieri cum sacramento sed non ex solo sacramento; pars quae semper fit, tribuitur ipsi sacramento, et quidem mediate seu consequenter ad remotionem debilitatis animi, reliqua pars tribuitur potius dispositionibus subiecti quae adsunt et operantur "simul cum hoc sacramento."

D. Solo: "Proprius effectus sacramenti extremae unctionis est per gratiam sanare et abstergere peccatorum reliquias . . . (non vero] remittere culpam, vel originalem vel mortalem, vel venialem, *sed neque reatum poenae,* quoniam ipsa sacramenta baptismi et poenitentiae dum delent culpam, remittunt partem poenae, et *reliqua pars non per*

extremam unctionem, sed per ignem purgatorii expurgatur."[1] Hic auctor prima fronte videtur negare ipsum effectum remissionis poenae; attamen, ex contextu apparet eum negare tantum hunc esse effectum tum proprium seu principalem, tum immediatum qualis est relate ad Baptismum et Poenitentiam.

Ruardus Tapper, theologus tridentinus: "Magnum revera beneficium Dei est, quod nobis in alterum saeculum migraturis providit de sacramento et adiutorio, quo purgari possimus *ab omni macula et reatu,* qui ab ingressu regni caelestis et Patris conspectu remorari possit; et iam confessis, absolutis et viatico Eucharistiae munitis adhuc de Extrema providit Unctione, ut ablatis omnibus impedimentis hilariter hinc ad Patrem accedamus."[2] Dicitur Extrema Unctio posse purgare ab omni macula (seu peccato) et ab omni reatu (seu poena), sed affirmatio est nimis generalis ut ex ea quidquam determinatum erui possit; si enim simpliciter accipitur, sequitur etiam hoc sacramentum remittere omnia peccata, absque restrictione, sicut sacramentum Poenitentiae; unde totalis remissio poenae ibi intelligi potest esse effectum sive ipsius sacramenti sive concomitantium subiecti dispositionum.

BELLARMINUS' ne verbum quidem facit de ipso effectu remissionis poenae, sed tantum loquitur de remissione peccatorum et abstersione reliquiarum (seu languoris, torporis et anxietatis animae), ita ostendens parvum momentum quod illi attribuit.

SUAREZ: "Sequitur ... ex dictis, remitti per hoc sacramentum etiam reatum poenae temporalis, ex peccatis prius quoad culpam remissis, relictum Hoc etiam colligo ... ex line praedicto, quia non solum culpa, sed etiam reatus poenae non remissus impedit introitum gloriae; sed hoc sacramentum *institutum est ad tollenda omnia haec impedimenta, quantum in ipso est,* et proxime praeparandum hominem ad gloriam; ergo. . . *Quantum vero poenae per hoc sacramentum tollatur, Deus novit. Non existimo tamen asserendum statim auferri omnem reatum poenae, sicut per baptismum;* nullum enim fundamentum habemus ad hoc asserendum, multumque repugnat veritati et necessitati purgatorii, quo etiam fideles post susceptionem hujus sacramenti diu purgantur, quod tamen ita non esset, si hoc sacramentum statim omnem reatum poenae remitteret; consequenter enim dimittendo culpam, semper dimitteretur tota poena; nihil ergo purgandum relinqueret. *Dico igitur remittere quidem reatum poenae ex opere operato juxta dispositionem et devotionem recipientis, ideoque non semper totum auferre."*[3]

Haec Suaresii verba ambiguitate non carent ob apparentem oppositionem inter primam partem, qua videtur implicite concedere totalem poenae remissionem et alteram partem, qua videtur eam negare, ubi ait: "Quantum poenae per hoc sacramentum tollatur, Deus novit etc." Et in hunc alterum sensum Suaresium intellexerunt communiter posteriores, ut fatetur ipse *Kern,* scribens: "Vix est dubium,

[1] Dist. 23, q. 1, a. 2, conci. 4, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Venetiis: Apud I. M. Lenum 1575) I 1064.
[2] *Explicatio articulorum Lovaniensium,* t. 2, a. 12.
[3] *De sacramento Extremae Unctionis,* c. 8.
[4] In 3 p., q. 84sqq., Disp. 41. s. 1, n. 17, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vives 1866) 833 sq.

haec verba Suaresii fuisse causam non ultimam, cur a non paucis theologis relinqueretur assertio, quam prae aliis firmiter probaverat; ad haec enim verba provocant, ut ostendant, sacramentum ex se non remittere omnem poenam temporalem ideoque non disponere ad immediatum introitum gloriae. At immerito Doctorem eximium testem suae opinionis faciunt [Prosequitur Kern, trahens Suaresium ad suam sententiam]".[0]

Ut iam inuimus supra (p. 160), mens Suaresii logice sic interpretanda est ut Extrema Unctio ordinetur non quidem ad remittendam totam poenam, sed ad remittendam poenam modo generico ac indeterminato, sicut omne sacramentum ordinatur ad producendam gratiam modo indeterminato (cf. supra, p. 163), et hoc sensu dici possit hoc sacramentum ordinari ad remittendam totam poenam "quantum in ipso est," de facto tamen gradus remissionis poenae pendeat a gradu dispositionis, sicut contingit etiam quoad gradum collationis gratiae.

HYQUAEUS scotista Suaresio obicienti quod ex sententia Scotistarum, iuxta quam remissio venialium est primarius effectus Extremae Unctionis quia haec peccata sunt impedimenta gloriae, sequeretur etiam remissionem poenae esse primarium effectum, respondet: "Aliud est impedimentum, quod in hac vita remitti debet, quale est impedimentum peccati, quod per [hoc] Sacramentum tollitur ex Jacobo et Tridentino; aliud vero impedimentum poenae, de qua alia lege statutum est secundum divinam justitiam, ut solvatur hic aut in purgatorio quod superest, solutionem autem habet in specie determinatam ipsa lege; *ideo non subest per se huic Sacramento, sed poenitentiae et operibus satisjactoriis,* quaecunque illa sint."[10] Hic negatur remissionem poenae esse Extremae Unctionis tum effectum primarium, tum effectum per se eo modo quo dici potest esse effectum per se (scilicet immediate) sacramenti Poenitentiae.

DE SAINTE-BEUVE" sua facit verba Ferrariensis supra citata, nec quidquam addit.

GONET"[2] ne quidem verbum facit de effectu remissionis poenae.

NATALIS ALEXANDER: "Non tamen remittitur semper ex omni parte reatus poenae temporalis ita quod post mortem homo nulli poenae obnoxius remaneat."[11]

*

JUENIN: "Non remittit poenam temporalem, quae in hoc saeculo exsolvenda superest pro peccato jam quoad culpam dimisso; alioquin nulla satisfactio esset iis infirmis inungenda, qui post confessionem Extremae Unctionis sacramento donantur. Quod tamen est falsum."[14]

SALMANTICENSES MORALES: "Hujus sacramenti effectus est remissio poenae temporalis pro peccatis debitae, *non quidem omnis,* cum constet etiam illos qui hac unctione suscepta decedunt, solere adhuc in Purgatorio expiari."[15]

BlLLUART: "Non potest intelligi per reliquias peccatorum [quarum abstersio est effectus principalis Extremae Unctionis] . . . reatus poenae temporalis; tum quia contra hunc etiam ordinatur secundario sacramentum poenitentiae; tum quia si remissio hujus reatus foret effectus principalis et primarius extremae unctionis, sequeretur quod infirmus recipiens hoc sacramentum cum debita dispositione, nihil amplius haberet luendum; sacramentum enim infallibiliter operatur suum effectum

* *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 106.
" *Commentarius in Scotum, In 4 Sent.,* dist. 23, q. un., *Scoti Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivès 1894) 29.
" *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 5, a. 2.
"*De sacramento Extremae Unctionis,* disp. 2, a. un.
"*Theologia dogmatica et moralis* (Vcnetiis 1705) I 567.
" *Commentarius de sacramentis,* diss. 7, q. 8, a. 2.
" *Cursus theologiae moralis* (Vcnetiis 1714) I 225.

primarium in subjecto bene disposito."[15] Negatur igitur Extremam Untionem ordinari ad totam poenam remittendam, imo ex hoc ipso deducitur remissionem poenae non posse esse effectum ejus primarium.

5. *ALPIIONSUS* cum *BUSEMBAUM* docet hoc sacramentum "tollere poenas restantes, non vero omnes",[17] citans pro eadem sententia *Laymann* et *Palaum.*

DE AUGUSTINIS: "Secundarius effectus sacramenti Extremae Unctionis est ... poenae temporalis pro peccatis debitae *imminutio* vel etiam, secundum dispositionem subjecti, perfecta relaxatio."[18] In confirmationem inferius refert verba Suaresii supra citata.

GURY-BALLERINI: "Effectus Sacramenti Extremae Unctionis sunt 1° Gratia sanctificans ... 2° Remissio omnium peccatorum ... 3° Abstersio reliquiarum peccati, quae sunt non solum poenae peccatis debitae, sed etiam animi anxietates ... et alia similia. . . Hi autem effectus maiores sunt, quo infirmus melius est animo comparatus."[10]

BALLERINI-PALMIERI: "Questio esse potest de poena temporali, quae propter peccata remissa adhuc debeatur. *Nullum quidem fundamentum habemus, ut credamus omnem poenam huiusmodi remitti,* ait Suarez l. c. n. 11: *at aliquam remitti,* iuxta subjecti dignitatem aut dispositionem, credibile est. . . Sequitur, hunc esse effectum secundarium, quemadmodum et remissio peccatorum et simul patet, haud repugnare ut morituro omnibus sacramentis refecto plenaria Indulgentia ab Ecclesia concedatur."[20]

LEIIMKUIIL: "Peccata venialia etiam quoad culpam ex ipsa hujus sacramenti institutione ejusque fine remitti, facile omnes concedunt: atque idem dici debet de poenis temporalibus post remissam culpam residuis; quas *non omnes quidem,* sed partem saltem pro minore melioreve dispositione aufert. Omnia haec optime explicat Suarez."[21]

SCHMITZ circa finem saeculi elapsi, sic, iuxta viam Suaresii, resumit communem. ut ait. sententiam theologorum: "Conclusio sit: Per extremam unctionem etiam has reliquias scii, reatum poenae remitti. Licet non omnes theologi hanc quaestionem ingrediantur .... tamen qui eam tractant, affirmative respondendum esse putant. . . *Quantum vero poenae per hoc sacramentum tollatur, theologi definire non audent.* Neque vero omnem reatum poenae semper auferri inde sequitur, quod alias suffragia per sacrificia missae e.g. facta saepissime inutilia essent, quod tamen menti ecclesiae alienum est. Itaque dicunt *sacramentum ex sese habere vim omnem reatum poenae dimittendi,* sed de facto poenam dimittere iuxta dispositionem et devotionem suscipientis, quae plus minus perfecta esse potest, ideoque non semper totam auferre."[22]

Ex hoc brevi theologorum excursu usque ad sacc. 19 inclusive, quorum nonnisi paucos inter notiores cuiuslibet aetatis ac scholae citavimus, haec patent quibus adversariorum sententiam communi sensui theologorum adversari comprobatur: *Quidam* ipsum effectum remissionis poenae negare videntur, quae tamen negatio potest cum grano salis intelligi de solo effectu specialiter intento aut immediato

"*Tractatus de Extrema-Unctione, Cursus theologiae* (Parisiis 1904) X 16.
'*'Theologia moralis* (cd. L. Gaudé, Romae 1909) III 739.
"*De Extrema Unctione,* a. 5, *De re sacramentaria* (Romae 1889) II 395.
"*Compendium theologiae moralis* (ed. 10, Romae 1889) II 653 sq.
'"*Opus theologicum morale V* (ed. 2, Prati 1893) 705.
"*Theologia moralis* (ed. 10, Friburgi Brisgoviae) II 401.
"*De effectibus sacramenti Extremae Unctionis* (Friburgi Brisgoviae 1S93) 80.

(Soto, Hyquaeus, Juénin). *Alii,* nec minores theologi, de ipso eodem effectu prorsus silent, quod inexplicabile esset si putarent Extremam Unctionem tam mirabilem efficaciam habere ut sit ordinata ad omnem poenam removendam (Pseudo-Halensis, Albertus M., Scotus, Bellarminus, Gonet). *Alii* explicite vel aequivalenter significant nonnisi partem poenae per hoc sacramentum remitti (S. Thomas, Bonaventura, Xatalis Alex., Salmanticenses morales, Billuart, S. Alphonsus referens etiam Laymann et Palaum, Gury-Ballerini, Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl). *Alii* idem exprimunt sub paulo diversa expressione, scilicet hoc sacramentum non semper remittere totam poenam sed aut totam aut partem iuxta gradum dispositionis (Suarez, De Augustinis, Schmitz qui hanc sententian dicit esse communem theologorum). Pauci qui loquuntur de totali poenae remissione, satis ambigue loquuntur et ex contextu facile intelliguntur de totalitate resultante ex copulatione operis operati sacramenti et operis operantis subjecti (Gerson, Ferrariensis, Tapper, De Sainte-Beuve).

Ceterum, ex dictis superius (p. 148, 158 sq.) constat nec apud modernos doctores, qui scripserunt post ortum novae hujus sententiae, hanc sufficiens suffragium obtinuisse ut possit legitimum jus sibi reclamare inter opiniones theologicas solide probabiles.

Conclusio 2. Remissio poenae temporalis per hoc sacramentum non fit immediate, sicut in sacramento Poenitentiae, sed mediate tantum, sicut ipsa remissio venialium peccatorum, seu mediante ipsa gratia sacramentali curationis debilitatis animae, et iuxta gradum istius gratiae ac curationis.

Probatur ex ipsa propria indole huius sacramenti eiusque specifici effectus, prout distinguitur a sacramento Poenitentiae.

Extrema Unctio non est, sicut Poenitentia, sacramentum aliquod remissionis sed. ut dictum est in art. 11, sacramentum merae curationis illius infirmitatis et debilitatis animae quae relinquitur post consecutam remissionem peccatorum. Unde nullam ex ipsa eius natura prodit exigentiam ad hoc ut ordinetur peculiari aliqua et immediata ratione ad aliquam remissionem faciendam sive reatus culpae sive ipsius reatus poenae, sicut e converso accidit Poenitentiae quae, cum sit directe et essentialiter ordinata ad remissionem reatus culpae, petit sese extendere etiam ad remissionem connexi reatus poenae ut sic consequatur connaturale complementum sui proprii effectus, quod quidem obtinet per hoc quod tres ipsi actus poenitentis, iam de se satisfactorii ex opere operantis, vi absolutionis elevantur ut sint etiam satisfactorii ex opere operato.

Si igitur Extrema Unctio nihilominus ad remissionem poenae ordi-

netur, ut admittunt communiter theologi, id nequit esse nisi aliqua indirecta et mediata ratione, connexa ceteroquin cum ipso principali effectu curationis debilitatis animi, et dependenter ab eo. Cuius ratio sequenti modo explicari potest. Cum enim haec debilitatis curatio sit ultimum quod homini praebeatur in linea sanationis a morbis spiritualibus (tertia nempe sanatio post baptismalem et poenitentialem) cumque ea praebeatur in postrema hominis necessitate ad ipsum limen aeternitatis, convenit ut cum ea et per eam simul compleatur etiam remissio reatus poenae, qui, etsi a proprie dicta morbi ratione procul sit nec a praefata animi debilitate dependeat, tamen una cum ista, tanquam germana proles, ab eodem reatu culpae, utut diversa ratione, procedit.

Huic autem dependenti ac mediatae rationi, influendi modus pariter dependens ac mediatus respondere debet, ita ut, in unum colligendo etiam dicta in prima Conclusione, influxus huius sacramenti in poenae remissionem, sic ad mentem S. Thomae[23] explicari debeat: Extrema scilicet Unctio primo ac immediate producit principalem suum effectum curationis debilitatis animae; mediante autem hac curatione, ulterius procedit in secundarium effectum remissionis tum peccatorum venialium tum poenae temporalis. Hic autem effectus non est tribuendus soli operi operantis, consequenti post sacramentum et indirecte adiuto per auxilia ipsius gratiae sacramentalis, sed est ipse ulterior effectus ex opere operato productus a sacramento, quatenus sacramentum, utpote ordinatum etiam ad utramque illam remissionem, principalem effectum gratiae curationis confert non quomodolibet, sed tanquam gratiam impulsam ad eliciendos actus tum charitatis, quo venialia immediate delentur, tum satisfactionis, quo poena immediate expiatur. Iuxta gradum autem dispositionis sacramento praeviae, iuxta quem subiectum suscipit illam sacramentalem gratiam curationis, recipit quoque, in illa et per illam, impulsum ad satisfaciendum pro poena, ita ut hoc sacramentum tendat in remissionem poenae neque modo partiali neque modo totali, sed potius modo indeterminato et indefinito, non secus ac tendit in productionem ipsius gratiae curationis, ac consequenter, suppositis melioribus ac melioribus subjecti dispositionibus, possit etiam totam poenam delere, cum haec non sit aliquid indefinitum sed habeat aliquam determinatam quantitatem, iuxta numerum et quantitatem peccatorum unde ipsa procedit. Sic itaque contingere potest, et facile credi potest in sanctioribus animabus de facto contingere, ut per hoc sacramentum tota poena non raro remittatur eisque caelorum porta illico aperiatur.

[23] *3 Suppi.*, q. 30. a. 1, ad 2: "[Extrema Unctio] reatum poenae temporalis diminuit; sed *ex consequenti, inquantum debilitatem tollit,* quia eandem poenam levius portat fortis quam debilis."

Hoc modo omnes exigentiae traditionalis sensus ac doctrinae harmonice componuntur, scilicet ex una parte, exaltata ab omnibus huius auxilii ac sacramenti dignitas et efficacitas, et ex alia parte, praedicata alterius vitae purgationis necessitas, una cum potiori illa principalitate quae competit Baptismo et Poenitentiae in propria linea sacramentalis remissionis.

ART. 16. Utrum Alleviatio Et Confirmatio Animae Per Hoc Sacramentum Fiat Mediate, Seu Mediante Ipsa Curatione Spiritualis Debilitatis Et Dependenter Ab Ea.

STATUS QUAESTIONIS

Ut constat ex dictis in art. 10 (p. 12 et 38 sq.), hic effectus alleviationis et confirmationis animae, prout distinguitur ab ipsa curatione spiritualis debilitatis, tria praecipue importat, iuxta sensum Traditionis et Ecclesiae, scilicet: primo, quoddam levamen seu exhilarationem animi; secundo, quandam roborationem et stabilitatem in ipsa anima; tertio, quandam confortationem et tutamentum contra exteriora agentia, quod sese manifestat per actus fiduciae in divinam misericordiam, supportationis laborum mortalis infirmitatis et luctaminis contra tentationes daemorum.

Porro quoad modum quo hic effectus inducatur, quaeri potest an sacramentum id faciat immediate, nempe per actualia gratiae auxilia, animam incitantia ad actus hilaritatis, pacis et firmitatis, an tantum mediate, per ipsam nempe interiorem debilitatis animi curationem seu per gratiam curativam quatenus impulsam ad praedictos actus producendos. Quae quidem quaestio proprium sensum habere non potest nisi in sententia thomistica, explicata in art. 11 et 12, iuxta quam per Extremam Unctionem revera fit praedicta interior animi curatio atque in ea principalis effectus sacramenti consistit, quorum utrumque a pluribus aliis theologis negatur.

CONCLUSIO *affirmativa.*

Probatur.

Ipsa unitas sacramenti, necnon subordinatio aliorum effectuum uni specifico ac principali, petit ut influxus sacramenti ordinate ita procedat. ut primo et immediate terminetur ad principalem effectum ac per illum subinde extendatur ad ceteros secundarios effectus, maxime cum isti in illo connaturaliter fundantur et ab eo veluti connaturaliter fluunt. lamvero principalis effectus huius sacramenti non est ipsa prae-

dicta alleviatio ac confirmatio, sed interior debilitatis animi curatio, ut probatum est in art. 11 (p. 94-110), quam ceteroquin connaturaliter sequitur animi alleviatio et confirmatio. Ergo haec mediante illa per sacramentum confertur.

Sequenti igitur modo res concipienda est. Sacramentum primo et immediate infundit gratiam curativam qua abstergitur infirmitas seu debilitas animi; a pondere huius morbi liberata, levamen quoddam seu exhilarationem anima consequenter experitur, simulque roborationem et stabilitatem necessario assequitur quas ipsa debilitas eiusque gravitas impediebant, necnon eo ipso fortior ac tuta evadit saltem negative ac comparative ad exteriora agentia contraria, quorum impugnationi spiritualis ipsa ac interna debilitas favebat. Ceterum, in hoc veluti connatural! illius sanationis effectu nequaquam sistit vis sacramenti, sed praeterea gratiam illam, debilitatis curativam, producit non quomodolibet sed ut impulsam ad eliciendos actus spiritualis hilaritatis, pacis, fiduciae et firmitatis, quibus anima ulterius ac positive roboratur et confortatur, sive in seipsa sive in comparatione ad exteriora agentia contraria.

ART. 17. Utrum Immediata Praeparatio Ad Gloriam Non Aliter Quam Indirecte Et Indeterminate Dicenda Sit Huius Sacramenti Effectus (Ad mentem: *Suppi.,* q. 29, a. 1, ad 2; a. 4; a. 5; q. 32, a. 2; 1-2, q. 102, a. 5, ad 3; 3 p., q. 65, a. 1, corp, et ad 4).

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA.

De modo quo hic effectus per sacramentum producatur nihil peculiariter dicendum occurreret, nisi *iidem pauci moderni,* quos adversarios habuimus in art. 15 (p. 148 sq.), qui nempe docent Extremam Unctionem ordinari ad tollendam totam poenam temporalem, hic iterum occurrerent, eam opinionem ampliantes in generaliorem quandam doctrinam, iuxta quam Extrema Unctio sit ordinata, *ex sua directa ac primaria ratione,* ad immediatam praeparationem seu dispositionem ad gloriam, ita ut nihil prorsus in homine maneat quod eum prohibeat ab immediato ingressu in paradisum.

Quamquam illorum sententia satis ambigue proferatur et ob hanc ipsam sui ambiguitatem quibusdam aliis theologis visa fuerit vix differre a communi et traditional! doctrina, iuxta quam Extrema Unctio vere dici possit aeternae gloriae praeparatio, tamen reale aliquod discrimen in ea agnoscendum est nec alibi nisi in hoc praeciso puncto, quod hic impugnare intendimus (ad mentem ceteroquin doctorum quos in praefato art. 15 consentientes habuimus, notanter Straub,

Diekamp et Spâcil), scilicet: Extremam Unctionem ita directe ac determinate ordinari ad immediatam dispositionem ad gloriam ut habeat vim eam necessario producendi (sicut omne sacramentum habet vim necessario producendi suum proprium effectum), quatenus, posita aliqua congrua dispositione in subiecto, tollat omne impedimentum immediati ingressus in paradisum, nominatim omne debitum poenae temporalis, vel si praedictam congruam dispositionem non inveniat, tendat ad eam ipsam inducendam ut tandem praefata impedimentorum remotio obtineatur.

Pro cuius sententiae adaequata intelligentia, *legenda sunt quae diximus in eodem art. 15* (p. 148-158) de opinione quae docet per hoc sacramentum auferri totam poenam temporalem; nam iidem sunt patroni, eaedem rationes et eadem tentamina explicationis, imo eadem fere est sententia, cum impedimenta, quae per Extremam Unctionem auferri dicuntur, praecipue ad poenas ipsas temporales ab illis auctoribus reduci soleant. Notatur tamen aliquod secundarium discrimen inter ipsos defensores hujus opinionis. Nam quidam de immediata illa ad gloriam dispositione indifferenter loquuntur tanquam de effectu principali vel de fine principali. Kern vero loquitur tantum tanquam de fine principali (distinguens quidem inter finem proximum, qui esset perfecta sanitas animae, et finem ultimum, qui esset immediatus transitus ad beatitudinem), et in subsequent! quaestione de effectibus huius sacramenti assignat alleviationem et confortationem animi pro principali effectu (cf. art. 11, p. 73-76). Item, quidam nonnisi ad remissionem poenarum suam attentionem convertere videntur cum loquuntur de remotione omnium impedimentorum gloriae, alii vero cum Kern attendunt etiam ad remissionem venialium peccatorum, docentes hoc sacramentum ita necessario tendere ad haec etiam impedimenta removenda, ut, si in subiecto deficiat congrua dispositio, haec per ipsum sacramentum producatur (cf. art. 14, p. 137-140 et 146 sq.).

Praecipuae expressiones quibus *Kern* suam thesim enuntiat, sic sonant: "*Finis* Extremae Unctionis est perfecta sanitas animae cum immediato eius introitu in gloriam, nisi restitutio salutis corporalis hominis naturaliter morituri magis expediat"; "*Finis primarius* Extremae Unctionis est perfecta sanctificatio animae e corpore migraturae, qua idonea et parata fiat, ut sine poenali mora admittatur ad visionem Dei"; "*Finis igitur proximus* Extremae Unctionis, ad quem causandum omnes eius effectus concurrunt, est animae *sanitas perfecta.* Hic finis proximus a Domino semper intenditur ideoque semper etiam attingitur, si s. ritus nullum obicem inveniat"; "*Finis ultimus* sacramenti secundum se spectati . . . [est] *immediatus transitus ad beati-*

tudineni, |qui in caso quo sanitas corporalis, unus ex effectibus sacramenti, producatur] differtur, ut tandem felicius attingatur, si subiectum bene utatur acceptis bonis spiritualibus et restituta valetudine corporis"; "Sacramento exeuntium [Christus] tribuit vim et efficaciam ad tollenda omnia impedimenta, quae animam e corpore migrantem retardarent ab ingressu gloriae." | Ceteras huius auctoris affirmationes necnon eius argumenta notavimus in art. 15 (p. 152-154) ubi de totali remissione poenae temporalis, nam utramque thesim ipse arcte connectit et ad modum unius probat.

CONCLUSIO

Immediata praeparatio ad gloriam dicenda est indirectus tantum ac indeterminatus effectus Extremae Unctionis, quatenus nempe diversimode resultat ex omnibus particularibus effectibus et auxiliis quae per sacramentum et cum sacramento conferuntur.

Probatur 1. *EX IPSA EFFICACITATE SACRAMENTI.*

Si immediata praeparatio ad gloriam, seu actualis remotio omnium impedimentorum ad immediatum ingressum caeli, esset directus ac determinatus effectus vel finis huius sacramenti, semper et infalliBiliter causaretur (seu omnia peccata venialia et omnes poenae temporales semper per Extremam Unctionem auferrentur), obice quidem non obstante seu *data congrua dispositione ad hoc ut sacramentum possit esse quomodolibet jructuosum;* talis enim est propria indoles et efficacitas omnis sacramenti, ut nempe, posita requisita conditione suae causalitatis seu subiecti dispositione, illico totam efficacitatem exerat ad quam ordinatum est.

Nec valet excipere ipsum gradum efficacitatis seu effectus de facto in quolibet sacramento non obtineri nisi secundum gradum dispositionis subiecti. Nam hoc valet tantum de effectu qui possit gradus suscipere quique respiciatur a sacramento non secundum suam totalitatem aut secundum aliquem gradum determinatum, sed modo tantum generico ac indeterminato, ut est effectus gratiae sanctificantis; iamvero effectus immediatae praeparationis ad gloriam per totalem remotionem impedimentorum, non suscipit, qua talis, magis et minus, praecise quia est totalis et, iuxta opinionem adversariorum, respicitur a sacramento Extremae Unctionis determinate et secundum suam totalitatem, non secus ac totalis remissio poenae temporalis respicitur a Baptismo. Unde, sicut posita minima dispositione ad hoc ut Baptismus

''*De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 190") SI sq., 113.

sit quomodolibet fructuosus, remissio poenae temporalis necessario ac totaliter conceditur, etsi ipsa gratiae infusio fiat partialiter tantum et in minimo gradu, seu iuxta gradum dispositionis in subiecto, ita pariter contingere deberet per Extremam Unctionem relate ad omnia impedimenta gloriae.

Nec valet recurrere ad duplicem dispositionem, alteram minorem quae sufficiat ad effectum collationis gratiae et alteram maiorem quae requiratur ad effectum totalis remotionis impedimentorum gratiae per idem sacramentum. Nam, ut iam explicatum est in art. 15 (p. 163–165), ea arbitraria et inaudita duplicatio adversatur ipsi naturae et unitati sacramenti, et ceteroquin ipsi adversarii nequeunt convenienter ac logice explicare quid sit in casu ea melior dispositio, ita ut tandem descendant in desperatam illam aliquorum explicationem, iuxta quam ipsum sacramentum ordinetur ad producendum requisitum gradum dispositionis, ubi desit; quae quidem explicatio non solum continet repugnantiam causae causantis dispositionem praerequisitam ad suam causalitatem, sed etiam ducit ad ipsam conclusionem nostri argumenti, quod scilicet ex opinione adversariorum sequeretur Extremam Unctionem semper et infallibiliter removere omnia gloriae impedimenta.

Confirmatur argumentum. Si Extrema Unctio ordinaretur primario ad immediatam praeparationem ad gloriam, ita ut haec esset directus et determinatus eius effectus:

1. Hoc sacramentum superaret in dignitate et efficacitate cetera omnia sacramenta essetque veluti finis ceterorum. Nam praedictus effectus est tam complexus ac plenarius ut includat uno vel alio modo effectus omnium sacramentorum, quatenus saltem omnes gratiae sacramentales remote ordinant hominem ad gloriam et omnes remotae dispositiones dicunt ordinem ad ultimam et immediatam dispositionem quae formam introducit.

2. Praedicta praeparatio ad gloriam esset non tantum finis principalis, ut vult Kern, sed eo ipso etiam effectus principalis ac specificativus huius sacramenti. Nam, abstrahendo a variis distinctionibus finis (finis operis et finis operantis, finis cuius et finis quo, etc.), saltem in quaestione de efficacia sacramenti id quod est finis sacramenti in intentione, coincidit cum ejus effectu in executione. Unde vana videtur ac confusiva, supradicta Kern distinctio inter finem principalem (perfectam animi sanitatem per remotionem omnium impedimentorum gloriae) et effectum principalem (animi alleviationem et confortationem), nec mirum est eam ab aliis patronis eiusdem sententiae facile praeteriri aut derelinqui, qui immediatam praeparationem gloriae indifferenter vocant principalem finem et principalem effectum huius sacramenti.

3. Ex hoc ipso solveretur simplicitas et essentialis unitas sacramenti. Nam nequit unum atque idem sacramentum directe ac principaliter ordinari ad tam plenarium effectum qui unitate caret et est potius mera aggregatio plurium ac discrepantium elementorum sub una confusa ac negativa ratione praeparationis ad gloriam per remotionem omnium impedimentorum illius.

4. Saltem in hoc plenario et aggregato effectu oportet principalitatem tribuere remotioni principalis impedimenti, seu remissioni mortalium peccatorum nondum deletorum; quod tamen longe est a communi sententia, cui consentiunt ipsi adversari, iuxta quam principalis effectus hius sacramenti est abstersio reliquiarum peccati ut distincta a remissione ipsorum peccatorum, et maxime mortalium.

5. Frequenter saltem, ne dicatur frequentissime aut ordinarie, ipse primarius finis vel effectus Extremae Unctionis frustraretur,[25] et quidem dato non tantum sacramentum valido (in quo nullum deprehenditur inconveniens) sed ipso sacramento fructuoso. Quod quidem idem est ac dicere sacramentum esse fructuosum et tamen non attingere suum proprium finem, ratione cuius est fructuosum, vel, si placet, esse fructuosum secundum minus ac secundarium et simul infructuosum secundum maius ac principale, uno verbo: esse essentialiter mutilum ac monstruosum.

Probatur 2. *EX SENSU TRADITIONALI.*

Ut dictum est in art. 15 (p. 151 sq.), adversarii maxime ad traditionalem appellant doctrinam, a se iterum, ut aiunt, inventam et restauratam, iuxta quam Extrema Unctio ordinatur ad immediatam praeparationem ad gloriam ita ut nihil in homine remaneat quod eum prohibeat ab immediato ingressu in paradisum. lamvero, quam exaggerate ac frustranee in suum sensum traditionalem illam doctrinam trahere conentur, iam constitit indirecte ex dictis in art. 15 (p. 165–174) de sensu Traditionis circa remissionem poenae temporalis per hoc sacramentum et amplius constabit ex sequenti directo excursu circa traditionalem sensum huius generalis effectus praeparationis ad gloriam.

Documenta Ecclesiae nihil habent quod sententiae adversariorum favere possit.

Cone. Trid. (ut iam notavimus in art. 10, p. 16; cf. p. 9) effectum praeparationis ad gloriam non exhibet ut aliquid particulare et

[25] "Ipse *Kern* (cit. in p. 154) non magis audet exigere ab hoc sacramento quam ut plenarium suum effectum obtineat non infrequenter ("Vix pium fuerit opinari, sacramentum plene suum finem non obtinere nisi in casibus relative raris"), ex quo admittit frequentiam frustrationis.

distinctum ab aliis effectibus huius sacramenti, sed ut quandam resultantiam et extensionem ipsius effectus alleviationis et confirmationis animi, consistentem in duplici actu levius ferendi morbi labores et facilius resistendi daemonum tentationibus; praeterea hoc sacramentum vocat "finis vitae firmissimum praesidium" et "non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum." Ex quibus nullatenus sequitur Extremam Unctionem habere vim inducendi immediatam gloriae dispositionem seu tollendi omnia illius impedimenta.

Catechismus Cone. Trid. (cit. ibid., p. 16-18) maxime extollit effectum confirmationis animi contra postremas diaboli impugnationes ad limen aeternitatis ("Quod merito omnium maximum videri potest"), simulque ait "ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad caelum viam haberemus, Extremae Unctionis sacramentum [Christum] instituisse." Ex quibus non solum praedicta sequela non eruitur, sed, si velimus et nos vi verborum indebite adhaerere, potius contrarium erueretur ex ipso diminutivo sensu verborum "Expeditiorem ad caelum viam habere."

Antiqua traditio, usque ad saec. 12, quomodo hunc effectum praeparationis ad gloriam multipliciter acceperit, satis explicatum est in ari. 10 (p. 41). Unde frustra Kern hic cumulat testimonia Patrum ac liturgiarum de perfecta animae sanitate per hoc sacramentum collata et de praeparatione ad gloriam per ipsum procurata, quippe quae in multiplici elastico sensu accipi possint, nec ceteroquin difficile sit ex Traditione similes expressiones colligere etiam circa effectum Eucharistiae (cf. tractatum *De Eucharistia* I, 469; Cone. Trid., sess. 13, cap. 8 circa finem; Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 4, q. 54; S. Thomam, *In 4 Sent.,* dist. 8, q. 1, a. 3, q. 2, ad 3, infra cit., p. 184). De peculiariter emphatico textu Egberti Eboracensis dictum est supra (p. 166).

Inde a sare. 13 apud majores theologos multiplicari incipiunt explicitae affirmationes, iuxta quas Extrema Unctio immediate disponit ad gloriam, aufert omnia impedimenta quae obsunt ne homo post mortem percipiat gloriam, confert ad immediatam evolationem in caelum. Attamen et istae expressiones magnum faciunt fucum et hallucinationem, nam ex ipso suo contextu vel saltem ex connexa doctrina eorundem theologorum facile detegitur eas nonnisi sensum relativum habere. luverit quasdam signantiores citare expressiones aliquorum ex eisdem praecipuis doctoribus qui ab ipso Kern in causam adducuntur.

Albertus *In 4 Sent., dist. 2, a. 2, ad alteram quaestionem:*

'Opera omnia XXIX et XXX (cd. S. C. A. Borgnct, Parisiis: Vives 1894).

"Si est (sacramentum] plenissimae gratiae quoad statum: tunc [patres A.T.] illud nullo modo habuerunt, sicut in confirmatione, quae dat Spiritum sanctum ad robur: et extrema unctio, in qua significatur plena puritas corporis et animae per amotionem omnium impedientium gloriam utriusque partis hominis." Agitur de significatione, potius-quam de ipsa collatione, gloriae tum animae tum corporis; ceterum, etiam si agatur de ipsa effectus collatione, inde nequit colligi imme-diata collatio gloriae animae sicut nequit colligi immediata collatio gloriae corporis. Unde hic textus non tantum non favet adversariis sed potius contra ipsorum opinionem retorqueri debet.

In 4 Sent., dist. 23, a. 1, ad 2: "Istud sacramentum [E. U.] non habuit aliquod sacramentum in lege veteri sibi respondens propter sui perfectionem, et legis veteris imperfectionem. . . Unde in ea decedentes trahebantur ad limbum. Unctio . . . propter hoc quod tollit reliquias [peccati], valet ad immediatam cvolationcm: et ideo non habuit locum in Veteri Testamento nec figura ejus." Ut constat ex dictis in art. IS (p. 167) et art. 11 (p. 64-66), Albertus pro reliquiis peccati non intelligit etiam poenam temporalem sed tantum debilitatem animi; unde si hic textus acciperetur ad litteram, sequeretur hominem cui ablata est praedicta debilitas immediate ingredi caelum, etsi adhuc habeat reatum poenae temporalis; quod quidem est ineptum. Ceterum sensus huius textus illustratur ex praecedenti et ex mox citandis a. 4, 9, 11.

Ibid., a. 3, ad I: "Delibutio gloriae est signatum istius sacramenti, non contentum, nec ab eo solo causatum, sed ab omni gratia sacra-mentali et virtutum et meritorum ... : sed contentum suum causatum et signatum, est lenificativum doloris animae ex reliquiis peccati causati." Gloria dicitur non aliter causari ab hoc sacramento, quam ab omni alio opere operato vel operantis, adeoque non immediate, ad sensum adversariorum; id quod per hoc sacramentum proprie causatur, et in quo ab aliis distinguitur, est remotio debilitatis animi prout est reliquia peccati.

Ibid., a. 4, q. 3, ad 2: "Aliam causam [deprecativae formae] sine praejudicio dico esse magnitudinem rei istius sacramenti: res enim sua est purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immedia-tum transitum ad requiem secundum animam, et glorificationem secundum corpus." Agitur de immediato transitu ad gloriam tum animae tum corporis; si ergo Extrema Unctio esset ordinata ad immediatum ingressum in caelum iuxta interpretationem adversari-orum, esset etiam ordinata ad producendam immediatam resurrec-tionem et glorificationem corporis.

Ibid., a. 9, ad I: "Purgatio reliquiarum secundum quod sunt impedi-

menta immediatae evolationis et glorificationis corporis, est effectus substantialis huius sacramenti." Idem dicitur ac in textu praecedenti.

Ibid., a. 11, ad 1: "Effectus ejus est reliquiarum purgatio secundum quod sunt impedimentum percipiendi stolam animae et corporis." Idem ac in textu praecedenti.

Ibid., a. 14: "Effectus et res hujus sacramenti (sicut dicit Magister) est peccatorum remissio et virtutum ampliatio secundum aliquem modum: quia nihil prohibet idem in genere esse causatum a causis multis secundum diversas species quas habet: unde peccatorum remissio secundum quod conjungitur purgationi originalis, est effectus baptismi: secundum autem quod conjungitur purgationi actualis . . . est causatum poenitentiae. . . Secundum autem, quod tollitur peccatum in reliquiis quae impediunt transitum ad requiem, purgatur in extrema unctione." Hic nulla fit mentio remissionis poenarum, sed tantum peccati et reliquiarum peccati quae, iuxta Albertum, sunt ipsa debilitas animi ex peccato relicta; praeterea, transitus ad requiem constanter ab Alberto intelligitur transitus ad glorificationem tum animae tum corporis ut patet ex quatuor explicitis textibus nuper citatis.[27]

S. *Thomas,* ut dictum est in art. praec. (p. 167-169), non docet Extremam Unctionem esse ordinatam ad totam poenam auferendam, unde nec docet eam ordinari ad auferenda omnia impedimenta gloriae vel ad immediatum ingressum coeli, in sensu adversariorum, adeoque expressiones quae hunc sensum apparenter ferre videntur, aliam explicationem admittere debent, ut ceteroquin patet etiam ex ipso earum contextu. Illud quoque notandum est non deesse apud S. Doctorem similes prorsus expressiones de Eucharistia, cuius tamen effectum adversarii non dicunt esse immediatam praeparationem ad gloriam. Ita, *In 4 Sent., dist. 8, q. 1, a. 3, q. 2, ad 3:* "Quamvis antiqui patres [in A. T.] in via essent, tendentes ad patriam, non tamen erant in statu perveniendi ante Christi incarnationem; et ideo non competebat

[27] "Notabilis est insistentia qua *Albertus M.* ait Extremam Unctionem ordinari etiam ad *glorificationem corporis;* non clare apparet utrum talem ordinationem habeat ut mere materialem, eo nempe solo sensu quod ex ipsa gloria animae, ad quam Extrema Unctio quodammodo ordinatur, aliunde sequatur gloria corporis, an velit huic corporis gloriae tribuere etiam, sicut gloriae animae, aliquam rationem effectus huius sacramenti. Certe eius discipulus S. Thomas omnino silet de ordinatione ad gloriam corporis, ita ostendens hanc esse materialem consequentiam gloriae animae, impertinentem ad hanc quaestionem de sacramenti effectibus. Attamen non defuit unus vel alter inter mediaevales doctores qui praedictam ordinationem proprie et formaliter acceperit; ita *Rotandus Bandinelli* (subinde Alexander III; -f-1181) peculiarem ac distinctum effectum gloriae corporis tribuit huic sacramento, scribens: "Hunc effectum habet, quia per illud quaedam peccata dimittuntur et quaedam gratia Spiritus Sancti confertur, per quam in alia vita habebit quondam fulgorem in corpore, quem non haberet, nisi illam unctionem accepisset" (Apud *M Gietl, Die Sentenzen Rolands, nachmals Papstes Alexander III* [Freiburg i. Br. 1891] 262).

pro tempore illo viaticum esse, quo statim ad patriam perducimur."

In *C. Gent. 4. 73* (extense cit. in art. 11, p. 66 sq.) ter S. Thomas Extremam Unctionem ut immediatam praeparationem ad gloriam exhibet: "Salubriter ei providetur, ut per hoc sacramentum praedicta curatio compleatur, et a reatu poenae temporalis liberetur, ut sic nihil in eo remaneat quod in exitu animae a corpore eam possit a perceptione gloriae impedire. . . Sunt etiam [praeter mortalia ignorata], quotidiana peccata, sine quibus praesens vita non agitur. A quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari, ut nihil inveniatur in eo quod perceptioni gloriae repugnet. . . Unde manifestum est quod hoc sacramentum est ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad percipiendam gloriam praeparatur. Unde et Extrema Unctio nuncupatur." Sensum hujus textus, qui est praecipuus ad adversariis invocatus, explicavimus in art. 15 (p. 167-169), et illustratur etiam ex tenore sequentium textuum.

1-2, q. 102, a. 5, ad 3: "Sacramento . . . Confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum; quia nondum advenerat tempus plenitudinis. . . Similiter autem et sacramento Extremae Unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto." Ex hoc tantum sequitur Extremam Unctionem esse immediatam praeparationem ad gloriam, quatenus homo moriens in novo testamento potest immediate petere coelum, quod non poterat in antiquo testamento.

3 p., q. 65, a. 1: (ubi de septenario numero sacramentorum): "Alia autem [curatio in vita naturali] est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium. Et loco huius in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam." Modus quo homo paratus redditur ad gloriam est ipsa remotio reliquiarum quae iuxta S. Doctorem (cf. art. 11, p. 48 sq.) sunt ipsa animi debilitas.

Ibid., ad 4: "In sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur; in extrema autem unctione praeparatur homo ut recipiat immediate gloriam: quorum neutrum competit veteri testamento. Et ideo nihil potest his sacramentis in veteri lege respondere." Idem est sensus ac in 1-2 nuper cit.

Suppi., q. 29, a. 1, ad 2: "Hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit, cum exeuntibus a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat adhuc tempus perveniendi ad gloriam, quia neminem ad perfectum adduxit lex; ideo illud sacramentum ibi praefigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram

eiusdem generis." Dicitur ideo hoc sacramentum immediate disponere ad gloriam, quia datur morientibus qui in novo testamento possunt immediate in caelum suscipi, quod non poterant in antiquo testamento sed deputabantur ad Limbum. Idem audivimus in duobus locis praecedentibus.

Ibid., a. 4: "Spiritualis curatio quae [per Extr. Unctionem] in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur [i.e. danda per Ecclesiam]." Agitur de curatione perfecta per ablationem reliquiarum peccati seu debilitatis animi (post ipsam ablationem peccati), quae est proprius effectus huius sacramenti.

Ibid., a. 5: "Secunda causa [quare oleum Extremae Unctionis consecretur] est propter plenitudinem gratiae, quae confertur non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias et infirmitatem corporis." Idem est sensus reliquiarum ac in textu praecedenti. Ibid., q. 30, a. 1, S. Doctor has reliquias seu animi debilitatem vocat defectum "perfecti vigoris ad actus vitae gratiae et gloriae," ex quo patet quomodo Extrema Unctio, eas abstergendo, praeparat immediate ad gloriam, conferens nempe vigorem necessarium ad actus gloriae.

Ibid., q. 32, a. 2: "Hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, immediate quasi disponens ad gloriam." Ideo igitur dicitur immediate disponere ad gloriam quia est ultimum sacramentum quod confertur ante mortem, post quam homo potest, nisi aliunde obsit debitum poenae, immediate gloriam recipere.

In 4 Sent., dist. 2, q. 1, a. 2 (ubi de septenario numero sacramentorum): "Est autem duplex perfectio. Una formae ad actum; et hanc quidem perfectionem facit ordo . . . [necnon] confirmatio. . . Alia autem perfectio est *in ordine ad finem,* ad quem per actus pervenitur; et hanc quidem perfectionem quantum ad finem intra facit extrema unctio, quae est *quaedam dclibutio praeparans in gloriam resurrectionis;* quantum vero ad finem extra facit eucharistia, quae membra capiti conjungit. Et quia hic est ultimus terminus nostrae sanctificationis, ideo . . . omnis alia sanctificatio in eucharistiam terminatur." Cum agatur de praeparatione ad resurrectionem, non agitur de praeparatione ad immediate capessendam gloriam; quod etiam excludit comparatio cum Eucharistia, pariter ordinata ad finem, etsi alio modo. Ut constat ex toto contextu (collato cum *Suppi., q. 30. a. 1),* sensus S. Doctoris est: Extrema Unctio supplet in homine defectum alicuius perfectionis (abstergendo nempe reliquias peccati seu animi debilitatem) et sic interius perficit hominem relate ad finem, qui est gloriosa resurrectio, ac ita est quaedam anticipata praegustatio seu delibutio gloriae. H

Bonavcntura (cit. in art. 11, p. 56-58) minus adhuc favet

adversariis. Nam in *Comm. super Sententias* explicite tribuit Extremae Unctioni solam partialem remissionem poenae, etsi totalem remissionem peccatorum venialium "quae retraherent a gloria," et elocet nonnisi per Baptismum totaliter tolli reatum poenae qui ab ingressu coelorum prohibet, per alia vero sacramenta et nominatim per Poenitentiam remitti partem poenae (cf. art. praec., p. 167). Praeterea, in ipso *Brcviloquio* (cit. in art. 11, p. 57 sq.), ubi maxime extollit vim praeparatoriam huius sacramenti ad ingressum coeli, nonnisi molliores expressiones adhibet, scilicet: "Praeparat et disponit ad sanitatem perfectam," "Finis [huius sacramenti] est ad salutem felicitatis perpetuae facilius et expeditius consequendam," "Finis est velocior transitus ad coelum per depositionem oneris venialium et conversionem mentis ad Deum," "[Extrema Unctio] disponit ad celerius evolandum."

Petrus de Tarantasia O.P. (subinde Innocentius V, † 1276): "Non quaelibet sanitas spiritualis est effectus hujus sacramenti, sed ultima et perfecta, quae disponit immediate ad actum gloriae."-§ Ipsa abstersio reliquiarum peccati seu debilitas animae, cum sit ultima curatio animae ab interiori morbo, bene dici potest disponere secundum se ad actum gloriae, etsi adhuc maneat poena luenda ac retardans ab ipsa gloria nam poena non est quidam animi morbus; de facto ab ipso S. Thoma, *Suppi.,* q. 30, a. 1, sic intelligitur cum ait praedictam animi debilitatem esse defectum "perfecti vigoris ad actus vitae gratiae et gloriae."

Scotiis (cit. in art. 11, p. 58 sq.) iterato asserit hoc sacramentum ordinari ad finalem remissionem omnium peccatorum venialium ut nihil retardet hominem a perceptione beatitudinis: "Congruum fuit . . . ordinare aliquod sacramentum, quod efficaciter et de proximo et plene significaret in suscipiente ipsam remissionem finalem omnium peccatorum venialium, per quam introduceretur ad salutem incorruptibilem vitae aeternae"; "Effectus totalis . . . [Extr. Unet., est] plenaria innocentia restituta per remissionem totalem omnium peccatorum venialium"; "totalis remissio et plenaria justificatio ab omni peccato veniali." Attamen, cum Scotus loquatur de sola remissione peccatorum venialium et nullatenus de remissione ipsius poenae, cumque in dist. 20, q. un., et dist. 21, q. 1. contimo supponat, remissis peccatis, non necessario poenam remitti sed restantem poenam esse luendam in Purgatorio,20 sequitur eum non loqui de immediata et ultima dispositione ad ingrediendum coelum, nisi forte dicatur pro Scoto idem prorsus esse peccatum veniale et eius poenam.

In textum Magistri, q. 2, a. 2.
Ita, *In 4 Seni.,* dist. 20, q. un., in fine. "Morions in charitate, debitor tamen poenae

Richardus a Mediavilla O.F.M.: "Effectus principalis hujus sacramenti est peccatorum venialium curatio immediate introducens, nisi sit aliud, quod obstat, ad supereminentem sanitatem vitae aeternae, ad cujus ingressum sufficit conscientia pura."[30] Supponit igitur per Extremam Unctionem non auferri omne obstaculum ad ingressum regni coelorum, sed, remissis per eam venialibus peccatis, posse illum ingressum impediri ratione alicujus obstaculi, seu poenae luendae.

Durandus O.P.: "Extrema Unctio removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam."[31] Cum Durandus etiam dicat principalem effectum Extremae Unctionis esse "remissionem peccatorum venialium quoad culpam vel quoad poenam in toto vel in parte,"[32] adeoque saltem non ut certam habeat totalem poenae remissionem, nequit concludi eum cogitare de remotione omnis impedimenti et de immediato ingressu in gloriam.

Paludanus O.P.: "Per hoc sacramentum imprimitur ornatus disponens ad augmentum gratiae et fervorem charitatis, ut sit homo fortis contra tentationem in morte, et accipiat Spiritum Sanctum ad robur in pugna hac, sicut in confirmatione in pugna corporali persecutionis temporalis. Aliquando autem infirmus jam perdidit usum rationis, lapsus in phrenesim, ita quod peccare non potest; sed stat in eo infirmitas [seu debilitas animi], retardans ab actu gloriae, et *poena debita peccato actuali;* et contra hanc etiam datur. Unde ut pugnans in fine vincat, et vincens *sine alio purgatorio coelum intret,* propter haec duo inungitur. Et haec est duplex infirmitas." "Effectus hujus sacramenti non solum est corporalis alleviatio, sed etiam spiritualis, quae dicitur hilaritas mentis, non actualis, sed habitualis, quia imprimit ornatum disponentem ad gratiam gratum facientem, et cum hoc gratiam sacramentalem, quae est quidam habitus habens specialem effectum ad fortificandum contra pugnam tunc imminentem, et *ad remittendum poenam quae post omnia alia sacramenta impediret ingressum regni; propter quae duo datur hoc sacramentum principaliter;* quia non datur in supplementum contritionis, quae tunc haberi non potest; inde est quod, sicut contritio non totam sed partem poenae deleret, sic et istud sacramentum. Propter quod, sicut sine isto sacramento pro peccatis commissis quorum poenitentiam non fecit, habet aliquid rctardativum a gloria, quia nullus dum est debitor alicujus poenae, potest glorificari." *ibid., dist.* 21, q. 1 "Una conclusio est certa, scilicet quod peccato dimisso in hac vita, poena debita pro ipso potest solvi post hanc vitam . . . quia nullus cum debito poenae beatificatur."

[30] *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 3.

[31] *In 4 Sent.,* dist. 23. q. 2.

[32] *Ibid.,* q. 1, supra cit., in p. 59 sq.

mento vinceretur homo a diabolo, qui cum isto vincit; sic cum isto sacramento *citius intrat coelum,* quam sine isto."[33]

Negari non potest mentem Paludani hic esse dubiam et ambiguam, ut observat ipse Capreolus; videtur enim duos assignare principales effectus Extremae Unctionis, i.e. abstersionem debilitatis animi et deletionem totius poenae temporalis restantis post omnia alia sacramenta, ita ut homo possit evadere Purgatorium. Attenta tamen fidelitate Paludani doctrinis S. Thomae (iuxta quem non datur nisi unus principalis effectus in quolibet sacramento) licet eius mentem interpretari de relativa tantum principalitate, quod attinet ad effectum remissionis poenae, eo vel magis quod cum maiori emphasi ac directius ipse proponit alterum effectum abstersionis debilitatis animi. Pariter modus ac totalitas illius effectus remissionis poenae et consequens evasio Purgatorii explicari potest, ad mentem ipsius Capreoli, de influxu ipsius sanationis debilitatis animi copulato cum influxu operis operantis, in hoc scilicet sensu quod Extrema Unctio sit ordinata ad hoc ut homo, gratia ipsa sacramentali adiutus, possit pugnare ac vincere, seu ita se disponere ut satisfaciendo ex opere operantis possit vitare ipsum Purgatorium; id sonare videntur ipsa verba: "Ut pugnans in fine vincat, et vincens sine alio purgatorio coelum intret," quae ceteroquin in fine textus hanc molliorem expressionem accipiunt: "Cum isto sacramento citius intrat coelum."

Capreolus: "Non apparet ex dictis Petri [Paludani] quis sit effectus principaliter intentus in hoc sacramento. Quia, sicut dicit quod principalis effectus est fortificatio contra pugnam et tentationem diabolicam sibi imminentem, tunc, secundum eum, non deberet dari carentibus usu rationis, sine quo nulla tentatio vinci potest. Si vero dicat quod principalis effectus ejus est remissio peccati venialis quoad poenam, *non videtur: quia ad hoc sufficit sacramentum poenitentiae, quod hunc effectum efficacius et directius conjcrt; tum etiam quia non apparet quod poena debita peccato actuali in hoc saeculo remittatur alicui sine actu liberi arbitrii,* quo caret furiosus. . . Dicitur ergo quod effectus principalis hujus sacramenti est deletio reliquiarum peccati, et [pro tanto] dispositio, et delibutio, et praeparatio ad gloriae susceptionem, modo prius exposito [cf. Capreoli verba citata in p. 68]. . . [Unde] effectus principaliter intentus in hoc sacramento non est fortificatio contra ultimam tentationem, nec remissio venialium quoad culpam *aut poenam, sed praeparatio ad gloriam animae et corporis, per sub-*

[33] Apud Capreolum, *In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1. a. 3, p. 2, ad 5 Durandi contra 2 "cond., *Defensiones theologiae I). Thomae Aquinatis* VI (Turonibus 1906) 461.

lationem reliquiarum peccati inhabilitantium ad gloriae susceptionem, et dedicationem animae et corporis ad gloriam."[34]

Xec alium sensum habent similes expressiones *posteriorum theologorum* quas frustra cumulat Kern. uti *Suaresii, Gonet, Natalis Alexandri;* imo, cum isti aliique communiter doctores negent Extremam Unctionem esse ordinatam ad totam poenam remittendam, ut ostendimus in art. 15 (p. 171 sqq.), satis indicant quid sibi velint cum simul asserunt hoc sacramentum ordinari ad immediatam gloriae praeparationem. *Hyquaeus,* de doctoribus scotistis qui facile praedictum effectum extollunt, haec nervose ait, quae possunt ceteris quoque theologis accommodari: "Respondetur auctores illius responsionis [quod nempe Extrema Unctio auferat peccata venialia prout sunt impedimenta ad immediatam evolationem], quicunque sunt, non ignorasse purgatorium et poenas temporales in eo solvi pro peccatis. Unde illa additio, ut statim evolet homo in coelum, non videtur alicujus Theologi ex proposito data."[35]

Ad rem scribit *Spdcil:* "Praeter . . . effectus hucusque commemoratos aliqui theologi videntur ut specialem effectum s. unctioni tribuere 'praeparationem et dispositionem ad gloriam', vel 'ad felicem statum vitae futurae'. Sic Estius, qui hunc effectum immo ut principalem assignat, sic Suarez, Wirceburgenses, Becanus, quorum duo primi ut effectum principalem habent confortationem animi, tertius abstersionem reliquiarum, omnes tres autem ut effectum secundarium adducunt illam praeparationem ad gloriam. Sed melius quam effectus illa praeparatio scopus vel finis sacramenti dici posset. Praeparationem ad felicem aeternitatem esse scopum extremae unctionis saltem pro iis, qui ea accepta non sanantur, sed moriuntur, vere dici potest; utrum hunc finem s. unctio habeat per se vel solum per accidens, infra dicetur. Ceterum praefati theologi rem ita explicant, ut illa praeparatio habeatur praecise per confortationem alleviationemque et reliquiarum abstersionem. Hoc sensu scribit etiam *Capreolus:* 'effectus principalis est deletio reliquiarum et [sic] dispositio, delibutio, praeparatio ad aeternam gloriam'."[30]

Ex quibus satis patet frustraneo stupore Kern (cf. supra, p. 152) in legendis antiquis auctoribus percussum fuisse ac si aliter ipsi a modernioribus theologis proprium finem et effectum huius sacramenti conciperent. Ceterum ut et simili stupori satisfaciamus, quem et alii fortasse concipiant circa aliquam, sit quae sit, loquendi diversitatem

[34] *Ibid.* 461 sq.

[35] *Comm. in Scolunt, In 4 Seni.,* dist. 23, q. un Cf. reliquam partem huius textus Hyquaei, citatam in art. praec., p. 172.

[30] *Op. cil.* (supra, in p. 160) 22S,

inter antiquiores et recentiores theologos, iuverit notare cum *Straub:* "Ea [S. Thomae et antiquorum doctrina] nihil continet, quod non etiam recentioribus probetur; qui summum eo differunt, quod veritatem unam eandemque sub respectu alio enuntiant. Etenim olim magis potuerint efferre vel apud fideles vel contra gentiles vim beneficam, quae sacramento ex se convenit, nunc *contra protestantes, sive ad tuendam existentiam purgatori?*[1] sive ad propulsandam calumniam gratiae promiscue omnibus sacramentum suscipientibus impertiendae instantius dispositionem pro effectu sacramenti requisitam urgere consueverunt (cf. *concilio trid.,* s. XIV. c. 4. cum s. VII. cn. 6. 7. de sacr.; D. 778. 731. 732), quae cum difficilior pro unctione quam pro baptismo sit, reapse unctio rarius poenam totam, praesertim ubi restat adhuc magna, abolebit. Unde non oportet obstupescere, si diversitate, quamvis vix inventa, loquendi potius quam sentiendi unctio ab illis quasi jure poenam simpliciter extinguere, ab his quasi facto partem quidem poenae ex opere operato tollere affirmetur."[38]

Ex dictis in utraque probatione jacile colligitur quo multiplici sensu immediata praeparatio ad gloriam vere ac iure dicatur esse effectus huius sacramenti, utut indirectus tantum ac indeterminatus.

Primo scilicet, ratione status in quo sacramentum confertur, seu perfectionis novi testamenti, quatenus, cum post Christi Ascensionem aditus regni coelorum fuerit apertus ita ut omnis homo statim post mortem illud ingredi queat, a quo prohibebantur sancti in antiqua lege, sacramentum quod ad mortem disponit, eo ipso etiam ad gloriam immediate praeparat. Quae quidem ratio, frequenter ab antiquis theologis adducta (cf. Albertum M. et S. Thomam supra relatos), quamvis conveniat omnibus sacramentis N.L., tamen peculiariter convenit Extremae Unctioni, utpote sacramento exeuntium.

Secundo, ratione temporis quo sacramentum confertur et subiecti cui confertur, exeuntibus scilicet ex hac vita et ingressuris aeternam. Quamvis enim alia quoque sacramenta eo tempore et subiecto conferri possint, id accidentale est eis, Extremae vero Unctioni essentiale, cum haec sit extremum adiutorium quod ab Ecclesia fidelibus praebetur.

Tertio ac praecipue, ratione ipsius effectus, vel potius ratione omnium effectuum qui per hoc sacramentum conferuntur, etsi signantissime ratione principalis effectus curationis debilitatis animi. Haec enim est tertia et ultima curatio morborum spiritualium, quae per sacramentalem medicinam homini praebetur, post sanationem nempe ab originali vulnere per Baptismum et a morbo actualis peccati per

[1] Cf. objectionem ex hoc ipso ab adversariis confectam quam retulimus in art. praec, p. 151 et 153.

[38] *Op. cil.* (supra, in p. 159) 319.

Poenitentiam, nec ceteroquin queit per aliud remedium aut sacramentum quam per ipsam Extremam Unctionem praeberi; unde aptissime dicitur per eam fieri immediata praeparatio ad gloriam quae est ipsa plenitudo spiritualis sanitatis. Nec refert si forte ab hac gloria immediate capessenda reatus luendae poenae adhuc repellat, nam talis reatus nequaquam est aliquid quod ad modum morbi internam animae integritatem inficiat, sed extrinsecum tantum impedimentum ac veluti legalis quaedam formalitas, quae petitur ab ordine rerum ac solvitur divinae iustitiae ab anima iam perfecte linita et ad gloriam immediate parata.

Nec etiam refert quod ex ipsis peccatis, quae sunt verus animi morbus, quaedam fortasse venialia ob absentiam sufficientis attritionis non fuerint adhuc per sacramentum abluta nec ideo ipsa animi debilitas totaliter remota, ita ut anima adhuc partialiter infirma in purgatorium curanda discedat;[30] nam ut dictum est supra (p. 167 sq.), adhuc in hoc casu verum manet quod Extrema Unctio sit totale remedium, etsi non intensiva, saltem extensiva totalitate, quatenus nullum sit ex tribus gloriae impedimentis, scilicet peccato, infirmitate animi et poena temporali, quod per hoc sacramentum non auferatur, et hoc sensu iterum verificatur quod per ipsam fit immediata ad gloriam praeparatio.

Ceteri quoque Extremae Unctionis effectus, una cum praedicto principali ac dependenter ab eo, suo modo recte dici possunt ad gloriam immediate disponere, tum nempe persoluta deletio relictorum peccatorum, tum condonatio temporalis poenae ad quam, utut mediate et iuxta modum, sacramentalis illa curatio dirigitur, abbreviando saltem purgatoriam moram alterius vitae, tum denique alleviatio et confortatio et in ultimo discrimine confirmatio, quibus anima transitura erigitur dum tendit ad illam gloriam quae est ipsa substantia sperandarum rerum.

Non aliud igitur est immediata gloriae praeparatio quam indirectus aliquis ac indeterminatus effectus, plenarie ac diversimode resultans ex variis omnibus particularibus effectibus et auxiliis, quae per sacramentum et cum sacramento conferuntur.

ART. 18. Utrum Hoc Sacramentum Conferat Ipsam Sanitatem Corporis, Et Quidem Infallibiliter, Etsi Conditionate Tantum Ac Mediate *(Suppi.,* q. 30, a. 2; *C. Gent.* 4. 73; cf. *Suppi.,* q. 32, a. 4, ad 1; *C. Gent.* 4. 58).

[30] Tria enim in Purgatorio cremantur, scilicet ipsa peccata venialia nondum remissa, infirmitas animi ex eis relicta quae nequit removeri nisi prius ipsa culpa recedat, et remanens poena debita pro utrisque culpis mortalibus et venialibus.

STATUS QUAESTIONIS

Ut vidimus in art. 10 (p. 13-16 et 40 so.». Traditio et Ecclesiae documenta hunc effectum corporalis sanitatis explicite proponunt, et quidem tam signanter ut inde plures doctores schismatici sibi persuaserint hunc esse principalem effectum sacramenti et unus vel alter ex ipsis theologis catholicis illum aequiparaverint ipsi spirituali effectui sub communi quadam ratione principalis effectus (cf. art. 11, p. 76-78). Etiam tamen notavimus eosdem fontes illum effectum proponere cum quadam restrictione, seu sub quadam conditionata eventus ratione et cum quadam intima dependentia et nexu cum ipso effectu spirituali. Quod igitur attinet modum quo hic effectus per sacramentum inducitur, tota quaestio reducitur ad congruentem explicationem talis conditionis et talis dependentiae, quibus collatio huius effectus subicitur.

In qua quidem quaestione difficultas ex quadruplici causa peti potest, scilicet sive *ex parte ipsius efiectus,* qui, utpote mere corporalis, est aliquid omnino peculiare ac distinctum a proprio effectu, qui convenit sacramento in genere et qui solus in ceteris sacramentis invenitur, scilicet spirituali animae adiutorio; sive *ex parte sacramenti,* quod influit ex opere operato et infallibiliter. dum corporali effectui nulla proprie dicta infallibilitas sed incertus potius eventus convenire videtur; sive *ex parte conditionis,* quae huic eventui addi solet, scilicet ut corporalis sanitas prosit saluti spirituali, quae conditio videtur aut exaggerata aut diminuta, nam si salus spiritualis accipiatur pro ipsa aeterna salute, effectus corporalis sanitatis esset infallibile signum praedestinationis, si vero accipiatur tantum generaliter pro simplici spirituali utilitate sequeretur frequentissime vel vix non semper hunc effectum conferri, quod est contra ipsam experientiam; sive *ex parte modi conjercndi* hunc effectum, cum enim omnis secundarius effectus debeat conferri dependenter a principali et eo mediante, non videtur quomodo ipsa spiritualis animi curatio possit influere in corporalem sanationem, cum sint effectus omnino disparati ac separati.

Ad quarum difficultatum solutionem tendunt *QUATUOR QUAESTIONES* quas in titulo articuli proposuimus et sub quibus etiam possunt satis congruenter colligi variae nec paucae opiniones a doctoribus prolatae ad explicandum praecipuum difficultatis punctum de incertitudine huius effectus, scilicet:

1. An hoc sacramentum conferat *ipsam corporalem sanitatem,* nec 'intum aliquam virtutem sanativam, habentem relativam ac incertam efficaciam.

2. An illum effectum conferat *injallibiliter* seu ex opere operato et

ad modum sacramenti, non vero fallibiliter seu ad modum alicujus sacramentalis.

3. An tamen illum conferat *conditionate,* seu sub sola conditione spiritualis utilitatis, etsi simul dependenter ab absentia impedimenti ex parte subiecti.

4. An praeterea illum conferat *mediate,* seu mediante ipso principali effectu spiritualis curationis animae, cuius vis valeat supernaturaliter ab anima in corpus influxum suum secundarie protendere.

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

Frustranee quis vellet multiplices theologorum opiniones et explicationes, prout saltem sonant, ad communia quaedam capita reducere, cum unaquaeque ex variis ac dissitis elementis coalescat. Consultius erit aut principales saltem sententias futi S. Thomae, Soti, Valentiae. Suaresii, Kern) modo concreto, prout a suis patronis proferuntur, referre et unam post aliam materialiter enumerare, aut potius communia quaedam sive principaliora elementa ex illis extrahere et sub quaedam capita logice colligere. Hanc alteram methodum eligentes, utpote aptiorem tum ad ipsam intelligentiam variarum opinionum tum ad logicum processum Conclusionum quas haec quaestio ordinate exigit, praefatas sententias colligimus iuxta quatuor distinctas quaestiones nuper enumeratas. Ceterum ex dicendis facile erit varia elementa uniuscuiusque sententiae in unum reconstruere atque quid hic vel ille ex praedictis auctoribus sentiat, complexive intelligere.

PRIMAM QUAESTIONEM quod attinet, an scilicet hoc sacramentum conferat *ipsam sanitatem corporalem,* a communi et affirmativa sententia, unicus fere *Dominicus Soto* dissentit, introducens ingeniosam quandam sed peregrinam explicationem, quam quidam ut erroneam et contrariam doctrinae Tridentini incusarunt.

Ad solvendam scilicet difficultatem quare ille effectus non semper conferatur cum nihilominus sacramentum debeat influere ex opere operato et infallibiliter. distinxit inter virtutem sanativam et ipsam sanitatem, docens effectum sacramenti non esse ipsam sanitatem, sed aliquam determinatam virtutem sanativam. Haec autem virtus, inquit, semper et infallibiliter datur, independenter ab hoc quod expediat ad salutem vel secus, sed ex ea non semper sequitur ipsa sanitas corporalis, sive expediat ad salutem sive non. quia illa virtus est limitata, tantum nempe adiuvans ipsas vires naturae ad recuperandam sanitatem, ita ut. ceteris paribus, facilius sanitatem recuperet qui ungitur quam qui non ungitur, adeoque tanta esse potest vis morbi, ut adiutorium sacramentale non sufficiat, nisi velimus indebite

tribuere sacramento vim ipsam miraculorum, imo possit nonnunquam ars peritissimi medici plus ad sanitatem conferre quam virtus sacramenti. Idque illustratur exemplo effectus Confirmationis, qui est auxilium ad profitendam fidem contra impugnantes, ita ut facilius fidem profiteatur confirmatus quam non confirmatus, quin tamen inde necessario sequatur ut confirmatus reapse profiteatur fidem suam, imo evenire possit ut confirmatus, ratione suae debilitatis spiritualis, deneget fidem, et e converso non confirmatus, ratione solius virtutis fortitudinis, fidem coram tyranno profiteatur.

Ratio huius sententiae est quia ex una parte oportet ut effectus corporalis, utpote sacramentalis et ex opere operato, semper et infallibiliter producatur, et ex alia parte ipsa sanitas corporis secundum se non semper producitur, etiam cum expedit ad salutem animae, ut patet tum ex eo quod de facto multi inuncti post recuperatam sanitatem fiunt peiores, quibus proinde utilius fuisset mori, et e converso multi viri sancti post unctionem moriuntur, qui, si supervixissent, vitam suam amplioribus meritis cumulassent, tum ex eo quod saepe vis morbi tanta est ut non possit absque manifesto miraculo superari nec est de indole sacramenti miracula operari. Verba autem Cone. Florentini: "Effectus est mentis sanatio et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis," quod attinet ad alteram partem de sanitate corporali, accipienda sunt non tanquam doctrina ipius Concilii sed tanquam mera allusio ad sententiam Hugonis a S. Victore aliorumque antiquorum.40

Ad rem *SOTO:* "Effectus secundus et minus principalis huius sacramenti est infirmum ab aegritudine corporali alleviarc. et non numquam servare. . . Contra hanc autem conclusionem arguitur. . . Si virtute sacramenti liberatio heret a corporali morbo, tunc inde . . . exurgeret argumentum, quod est *Lutheri* apud Roffensem in assertione septem sacramentorum. Ait enim quod cum sacramentum, ut theologi profitentur, sit signum efficax sui effectus, si hoc esset sanatio corporalis, infallibili ordine semper sanaret, atque adeo in potestate nostra esset per hoc sacramentum vitas hominum perpetuas facere. Sic solet ille sacramenta irridere. . .

"Ad . . . [hoc] argumentum in quo maior est difficultas, *Hugo* . . . quem *Magister sent,* ac subinde eius interpretes *Bonaventura, Ricardus,* et 5. *Th.* sequuntur, ait quod cum sanitas corporis sit effectus minus principalis huius sacramenti debet insequi naturam effectus principalis, quae est salus animae. Et ideo quando saluti animae sanitas corporalis expedit, sanatur etiam infirmus corporaliter; quando vero non expedit, non sanatur. *Haec 'dero sententia licet tot habeat patronos, inio verba concilii Florentini huc videantur alludere, tamen re vera non videtur usui et naturae sacramenti apta:* nam multi post unctionem sanitatem

'Soto (-f- 1560) suum *Commentarium in quartum librum Sententiarum* (Dc Sacramentis), exaravit ante sess. 14 Cone. Trid. (25 nov. 1551) sed primo edidit Salmanticae a. 1557-1560. Nullam in praesenti quaestione allusionem facit ad verba Cone. Trid. resumentis ipsam doctrinam Florentini; cuius ratio esse potest vel quia iam opus suum mature praelo commiserit, aut quomodolibct illud corrigendi sive opportunitas sive cogitatio ei non occurrerit, vel quia fortasse non putaverit suam doctrinam non satis congruere verbis Concilii ut immutari indigeret.

recuperant, qui postmodum sunt peiores, atque adeo cxpedicntius eis fuisset tunc mori. Et e converso multi tunc moriuntur, etiam in gratia, qui forte si in pristinam sanitatem redirent, pluribus meritis vitam suam exornassent. Item quia si quotiescunque salus corporis ad salutem animi expediret infirmo, esset per sanitatem liberandus, creberrimo opus esset miraculo: quia saepissime tanta est iniquitas morbi, ut citra miraculum non possit sanari: miraculum autem expectare non attinet, ut supra diximus ad naturam sacramenti. Ad haec demum accedit, quod sanitas corporis licet quandoque ad salutem animae conducat, numquam tamen est medium necessarium: et ideo non est ad illum finem necesse, quod per virtutem sacramenti, quae principaliter ordinatur ad salutem animae, recuperetur salus corporis. *Quare concilium [Florentinum] non dixit hoc tanquam articulum fidei, sed ad doctrinam Hugonis alludendo.*

"Rei ergo veritas ex similitudine aliorum sacramentorum est venanda. Diximus enim in materia confirmationis gratiam illius sacramenti habere hanc virtutem, ut propterea quod quis confirmatus est specialius adiuvetur ad profitendam fidem coram tyranno, quam si non esset confirmatus: nihilominus virtus illa non est semper sufficiens, et infallibilem consequens effectum. Nam potest natura meticulosi hominis esse in causa, ut iuvamen confirmationis non sufficiat ei, imo facilius abneget fidem quam alius vir fortis non confirmatus. Pariter gratia eucharistiae est speciale iuvamen contra incursus daemonum, tamen imbecillitas naturae potest esse tanta, ut alius sine illo iuvamine melius resistat. Pari ergo modo *gratia sacramenti extremae unctionis habet virtutem supernaturalem sanandi morbum corporeum.* Itaque ceteris paribus facilius sanitatem recuperat in extremis unctus, quam si non ungeretur, quae quidem virtus causas etiam naturales adiuvat, ut corroborando virtutem naturae, imo et virtutem medicaminum. Sed tanta potest esse infirmitas, ut illud iuvamen non sufficiat. Imo posset nonnunquam ars et solertia peritissimi medici plus ad id conferre, quam virtus sacramenti sicut virtus fortitudinis plus [potest] valere ad propugnandam fidem quam virtus confirmationis. Unde ad formam argumenti quo Lutherus huic sacramento conviciatur, respondetur, quod effectus praecipuus sacramenti est certus ut aliorum sacramentorum, scilicet, infusio gratiae ad remissionem peccatorum quantum ad eorum reliquias. Sed quantum ad secundum effectum respectu salutis corporis, qui non est principalis, hanc prorsus habet certitudinem, quod *ex sua natura semper ad illum effectum iuvat, non tamen eandem habet ordinariam certitudinem quantum ad effectus consecutionem:* nam potest natura morbi adeo invaluisse, ut id non sufficiat.

"Quapropter si aliquando contingit supra istum ordinem hominem pristinae saluti restitui, non erit virtus sacramenti, sed miraculi, quod Deus in bonum fidei et ecclesiae operabitur. Haud enim vana esset consideratio si quis diceret, quod in primitiva ecclesia, ut in confirmatione ad roborandam fidem spiritus sanctus visibili miraculo illabebatur. ita et dum hoc sacramento infirmi ungebantur, multo plures saluti restituerentur, quam modo, ut illo beneficio tum gentiles, tum et ludaei allecti Christianam religionem susciperent."[41]

SECUNDAM QUAESTIONEM quod attinet, an nempe effectus sanitatis corporalis conferatur *injallibiliter,* seu ex opere operato et ad modum sacramenti, communi et affirmativae sententiae pauci doctores adversantur, nominatim *Estins* (t 1613) et *Silvius* (t 1649), eiusdem Duacensis academiae professores, quibus inter modernos accessit *H. Oswald* (t 1903),[42] qui ut reddant rationem quare sanitas corporis non

" Dist. 23, q. 1, a. 2, *In quartum {quem vocant) Sententiarum* (Venetiis: apud I. M. Lenum 1575) I 1065-1067.

° *Die Lehre von den heiligen Sacramenten,* II. Bd., 6. Thcil, Par. 2, n. 4. Eum impugnavit Heimbucher, *Die heilige Olung* (Regensburg 18S8) 38 sq.

semper conferatur, docent Extremam Unctionem hunc effectum conferre non ut sacramentum, sed ut quoddam sacramentale, ipsi sacramento additum, ac ideo non ex opere operato nec infallibiliter.[41]

Ratio est quia effectus conditionatus non congruit sacramento, quod habet efficaciam absolutam et infallibilem, ubi subiectum obicem non ponat. Adducuntur etiam in confirmatione tum verba *Catechismi Cone. Trid.* (cit. in art. 10, p. 13 sq.) quae in hanc sententiam collimare videntur, tum verba *Cone. Trid.* "Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur," in quibus incisum "interdum" videtur infallibilitatem effectus negare, etiam supposita conditione quod salus corporis expediat saluti animae (cf. dicta in art. 10, p. 13-16).

ESTIUS: "Sacra Unctio respectu hujus corporalis beneficii, *non tam sacramentum est,* quippe quae effectum illum non sacramentaliter operetur, *quam sacramentale quiddam,* cujusmodi est aspersio aquae benedictae; ut non aliter sacra unctione impetretur sanitas aut morbi levamen, quam aspersione aquae precibus sacerdotis consecratae tollitur corruptio aëris vel infestatio daemonis. Quae responsio maxime conformis videtur sententiae conciliorum quae conditionem apponunt *Nam sacramenta quidem ut sacramenta, absolutum habent effectum.* Quod si ergo in effectu conditio intelligitur, sacramentum non ut sacramentum operatur, sed alia ratione, qua nimirum operantur et cetera quae precibus ecclesiae in varios usus consecrantur id est per modum orationis publicae; id quod satis aperte indicant haec *catechismi* [romani] verba: 'Quia non semper sequitur ut aegri a morbis convalescant ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet'. Haec ibi. Et hoc videtur innuere *concilium Tridentinum* quando dicit: 'Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti mentis expedierit, consequitur'. Notandum enim illud 'interdum' etiam, 'ubi expedierit saluti animae': Nam sensus est. non semper sed interdum conferri sanitatem corporis; nunquam tamen nisi expediat animae saluti, id est, nisi ad bonum salutare."[44]

SILVIUS: "Cum sacramenta, ut sacramenta sunt, effectum habeant absolutum, et (nisi recipiens obicem ponat) infallibilem haec autem sanitas non promittatur absolute, nec infallibiliter, etsi recipientes sancti sint: ideo *monent aliqui, extremam unctionem non operari hunc effectum ut ipsa sacramentum est, sed ut sacramentale:* quo modo et caetera quae per ecclesiam consecrantur, operantur, per modum scilicet orationis publicae, qua impetretur sanitas corporalis, sicut per aspersionem aquae benedictae tollitur corruptio aëris, aut infestatio daemonis".[45]

TERTIAM QUAESTIONEM quod attinet, an nempe effectus corporalis sanitatis conferatur *conditionalitcr,* et quidem sub conditione expressa a Cone. Trid. i.e. "ubi saluti animae expedierit," *affirmative* respondent fere omnes theologi, tam ante quam post Cone.

u In eandem sententiam inclinare videntur *Vasques, Dronin* et *Juénin,* et in eam necessario ac logice incidere debet infra referenda opinio (p. 200, 215 sq.) *Tanner* et *Silvestri Mauri,* qui dicunt corporalem sanitatem non conferri nisi prout Deo visum fuerit, iuxta generales vel speciales rationes suae providentiae.

"/n *4 Sent.,* dist. 23, § 5, *In quatuor libros Sententiarum commentaria* (Parisiis 16S0) IV 289.

" *In Suppi.,* q. 30, a. 2, *Commentarius in tertiam partem S. Thomae* .4. *et in ejusdem Supplementum* (Duaci: M. Wyon 1622) 123.

Trid., *contra Soto* supra relatum (p. 194 sq.) qui tamen, ut supra dictum est, absolutum effectum sacramenti reponit non in ipsa sanitate corporali sed in aliqua virtute non infallibiliter sanativa. Doctoribus catholicis consentiunt ipsi *Schismatici Orientales,* etsi aliunde illogice sustineant sanitatem corporalem esse ipsum principalem effectum huius sacramenti (cf. art. 11, p. 76-78, 79-83).

In determinanda autem praedicta conditione, variae adduntur discrepantes explicationes, quae ad duo capita revocari possunt:

PRIMA OPINIO praedictam conditionem *per se solam assumit,* seu non aliam addit proprie dictam conditionem. Attamen eam dupliciter explicat, iuxta duplicem sensum vocis "salus animae."

Quidam salutem animae accipiunt determinate ac directe pro *finali salute* (i.e. aeterna beatitudine), secundum eius certam consecutionem seu secundum quod a Deo praevidetur de facto ab hoc infirmo assequendam, ita ut maior gradus beatitudinis sit conditio a qua effectus corporalis sanitatis dependeat. Ex qua explicatione sequitur homines, qui per sacramentum sanantur, esse praedestinatos, ceteros vero ideo non sanari quia secus vel damnarentur vel minorem beatitudinis gradum consequerentur.

Hanc explicationem proponunt, magis vel minus clare aut decisive, *Bcllarminus (De Extrema Unctione,* c. 6), *Serarius, Gotti* et *Gregorius de Valentia,* quibus subscribunt inter modernos *Ballerini-Palmieri.*

VALENTIA (j- 1603) hanc explicationem, quam putat esse communem inter theologos, sic determinate proponit: "Quare in ea [sententia] prorsus persistendum est, et omnino sentiendum, eatenus sanitatem corporis per istud Sacramentum afferri, vel non afferri, quatenus id expedit vel non expedit saluti animae, sicut Concilia declarant. . . Ad illud . . . quod Sotus obicit, quosdam per istud Sacramentum esse sanatos, qui postmodum fuerunt deteriores in fine vitae; Respondeo, nemini posse constare, an tales fuerint etiam deteriores in tine vitae: immo propter explicationem illam Conciliorum putandum omnino est, eiusmodi hominibus (qui scilicet per huius Sacramenti vim, et non aliam ob causam simul concurrentem, convaluerint) *peccata etiam, quae postea interdum committunt in bonum cooperari, ut tandem per poenitentiam adipiscantur salutem animae, et mercedcm in coelis cumulatiorem.* Quod si aliqui re vera post susceptum istud Sacramentum recuperata valetudine deteriores sunt facti, et perierunt: existimari debet, hos non convaluisse per vim huius Sacramenti, sed alicuius alterius naturalis causae simul concurrentis. Sic etiam et illud falsum, aut saltem incertissimum est. quosdam qui per hoc Sacramentum non sanantur, si supervixissent meliores fuisse futuros. Neque enim id aliqua experientia comprobari potest. Quis enim novit quales fuissent futuri?"[40]

BALLERINI-PALMIERI: "Advertebat [contra hanc sententiam] Sotus apud Bellarminum l. c. c. 6.. interdum accidere, ut inunctus convalescat et dein peior evadat ac sic damnetur: obtinuit ergo per sacramentum sanitatem, quae tamen animae non expediebat. *Respondet Bcllarminus,* hunc non vi sacramenti, sed tantum per naturalia remedia recuperasse sanitatem. Addo fieri posse, ut per miraculum

[40] *Op. cit.* (supra, in p. 69) 2024-2026.

sanatus sit; id enim Deus iustis ct sibi notis causis operari potest, etsi praevideat malum exitum sanati: neque enim quicumquc ope miraculi sanantur, certi sunt hoc ipso de sua aeterna salute. At vi sacramenti huius tunc solum sanitas corporis conceditur, cum id Deus expedire novit infirmi aeternae saluti, ut a fide docemur.''[47]

Alii salutem animae videntur accipere determinate pro ipsa *spirituali sanatione animae,* quae est immediatus ac principalis effectus huius sacramenti, nam explicite ac insistenter asserunt salutem corporis non dari nisi quatenus expedit ad illum principalem effectum. Ita S. *Thomas* ("Nunquam inducit secundarium effectum nisi secundum quod expedit ad principalem," *Suppi.,* q. 30, a. 2), *Richardus a Mediavilla* ("Non causatur nisi quatenus expedit ad principalem effectum"), *Serarius, Billmart, Berti,* etc. Attamen, ex ipso contextu satis apparet hos aliosque doctores non id asserere in sensu exclusivo, sed potius in sensu identico vel extensivo, ita ut spiritualem sanitatem intelligant generaliter spirituale bonum animae ad quod fovendum ordinatur peculiariter ille principalis effectus spiritualis curationis. Propterea S. Thomas indifferenter ait: "Quando expedit ad spiritualem sanationem" *(Suppi.,* q. 30, a. 2) et: "Cum expedit ad salutem" (C. *Gcnt.* 4. 73), et Bonaventura, S. Thomae consentiens, generaliter ait: "Si expedit animae" *(Comm, in Sent.)* et distinctius: "[Cum] expedit adhuc vivere ad suorum cumulum meritorum" *(Brcviloquium).* Unde hi auctores adnumerandi sunt in sequenti explicatione.

Alii salutem animae accipiunt generaliter pro *spirituali bono animae,* abstrahendo ab ipso finali exitu salutis aeternae. Scilicet: Extrema Unctio infallibiliter et ex opere operato confert effectum corporalis sanitatis si et in quantum, omnibus adiunctis consideratis, haec prosit spirituali bono animae (quod ceteroquin sua vice ordinatur ad finale bonum gloriae) *considerato hic ct nunc,* vel potius secundum se, et abstrahendo a finali eius exitu seu a modo quo homo hoc spirituali adiutorio sit in posterum usurus. Ceterum, quia ex una parte praedicta aptitudo et conducentia corporalis effectus ad spirituale bonum animae pendet a variis elementis et adiunctis, de quibus solus Deus in sua providentia disponit et in sua scientia indicat, et ex alia parte ipse idem effectus corporalis sanitatis gradus etiam intensitatis ac durationis admittit, nemo, nisi Deus, potest in particularibus casibus indicare quando et in quo gradu talis effectus conferatur, et in hoc sensu dici potest Extremam Unctionem illum conferre quando ad salutem animae confert et iuxta ordinem divinae sapientiae et providentiae, ita ut his ultimis verbis non ulterior conditio addatur sed prior declaretur.

Haec est communior explicatio, tam antiquorum quam modernorum.

[47] *Opus theologicum morale* \ (ed. 2, Prati 1S93) 706.

ut S. *Thomae, Suarez, Gonet, Billuart, Schmitz, Spdcil, Hugon,* eamque amplectuntur communiter etiam defensores secundae opinionis mox referendae, qui tamen aliam etiam addunt conditionem ad infallibilem collationem effectus sanitatis corporalis.

Eam sic apte exhibet *SUAREZ* dum refellit supradictam Soti sententiam: "Persistendum est . . . in communi et sana doctrina proposita. *Et ad objectionem Soti* facillime respondetur, licet salus corporis non sit simpliciter necessaria ad animae profectum, interdum vero esse utilem, et hoc satis esse ut per sacramentum conferatur; eo vel maxime, quod vita est simpliciter necessaria ad meritum; et ideo nihil mirum, quod virtute sacramenti conservetur contra vim morbi acerbissimi. *Quod vero hoc sit aliquo modo miraculosum,* id est, supernaturale, et praeter omnem spem in causis naturalibus nixam, nullum est inconveniens, sed omnino verum, imo hic est unus ex finibus hujus sacramenti; quia vero hoc opus jam non est omnino praeter leges a Deo statutas, sed juxta eas, quae in talis sacramenti institutione includuntur intrinsece, ideo talis effectus jam non censetur miraculosus, sicut nec transsubstantiatio panis, et similes, sicut ipse Soto paulo ante responderat.

"Neque etiam obstat, quod aliqui post receptum hoc sacramentum sanitatem recuperent, qui male postea illa utuntur, tum quia non constat illos recuperasse sanitatem virtute hujus sacramenti; neque enim omnes, qui unguntur, habent desperatam salutem virtute naturali, neque e converso omnes, qui sanantur post unctionem, per sacramentum sanantur; tum etiam quia fieri potest ut sanitas illa pro tunc spiritualem fructum secum attulerit, quem postea supervenientibus aliis occasionibus homo amittat; neque enim necesse est ut salus animae, ad quam Concilium Tridentinum dixit sacramentum hoc esse profuturum, futura sit permanens ac in re ipsa perpetuo duratura; sed *satis est, quod ex illo effectu sacramenti quoad salutem corporis, juvandus sit homo ad salutem et bonum animae, licet forte in eo non sit perseveraturus.* Simili modo respondetur ad aliud membrum de justis, qui moriuntur non obstante unctione, quando amplius fortasse essent profecturi; nam imprimis dicimus hoc esse incertum, et sine fundamento affirmari. Deinde addimus, fortasse aliis rationibus id non expedire illis, quia postea mutarentur, et melius illis est statim evolare.

"Unde ad dilemma factum a nobis, unico verbo respondendum est, *hanc rationem convenientiae seu utilitatis corporalis sanitatis ad bonum animae sumendam esse juxta ordinem divinae sapientiae et providentiae.* Necessarium quippe est illam conditionem intelligi secundum efficaciam, ut ratio probat, id est, ut cum effectu futura sit expediens sanitas corporis ad sanitatem animae; *hoc autem solus Deus ex se praescire potest,* et ideo necesse est ut hoc pendeat ex praescientia, quae licet sit extrinseca, non tamen impertinens ad hos effectus, cum sit eorum causa. Unde Concilium Coloniense anni 1536, p. 7, c. 49, solum hanc conditionem posuit, 'si Deo ita visum fuerit', quae juxta dicta a nobis explicanda est. *Quantus ergo, et qualis esse debeat ille fructus qui speratur, Deus ipse novit, mensuram enim aliquam habet,* ea vero est secundum ordinem a Deo ipso statutum ac praefinitum, nullo enim alio modo praescribi potest."[48]

SECUNDA OPINIO priorem attenuare conatur, *addens ulteriorem conditionem,* aut directe ex parte Dei aut ex parte morbi.

Quidam, ut *Tanner* et *Silvester Maurus,* hanc aut similem addunt conditionem *ex parte Dei:* "Nisi Deo ob universales aut speciales rationes suae providentiae aliter visum fuerit." Inepte autem his accensentur Suarez et quotquot dicunt sanitatem corporalem conferri

[48] In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 41, s. 4, n. 5, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 847.

iuxta consilia divinae providentiae vel prout Deo visum fuerit, nam, ut dictum est supra, hoc intelligi potest ut mera declaratio solius conditionis quod expediat ad salutem animae, prout nempe solus Deus in suis infallibilibus consiliis de illa expedientia recte et certo iudicare potest.

TANNER: 'Omnibus consideratis dicendum existimo, effectum hunc sub ea praecise conditione 'si saluti animae expedierit', non esse infallibilem, sed subintelligendam insuper hanc limitationem: nisi Deo ob universales aut speciales rationes suae providentiae aliter visum fuerit: quod et antiquioribus theologis consonum videtur et apud ipsum etiam Suarez n. 5 insinuatur."40

SILVESTER MAURUS: "Probabilius est, hoc sacramentum non infallibiliter, sed aliquando causare sanitatem corporis, cum ad salutem animae expedierit. Probatur ex Trid. sess. 14, c. 2, in quo dicit: 'sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur'; ergo docet, quod non semper, etiam posita conditione, quod expediat saluti animae. Nec est absurdum, sacramentum quosdam effectus secundarios non causare infallibiliter et semper."50

Alii, hac conditione abiecta, aliam introducunt, quam desumunt *ex parte ipsius morbi* et vi cuius limitant ipsam virtutem sacramenti. Extrema Unctio scilicet infallibiliter confert sanitatem corporalem si haec prosit bono spirituali et si simul morbus non sit talis ac tantus ut eius remotio requireret extraordinarium interventum divinum de genere eius quod habetur in miraculis. Cuius additionis ratio est quia vis miraculosa non congruit indoli sacramentorum nec est intra limites efficacitatis sacramentalis.

Hanc explicationem proposuerunt iam *plures antiquiores,* quorum sensum sic refert et approbat *Tournely:* "Alii et aliam conditionem apponunt, [i.e.] nisi tam gravis sit morbus, ut ordo naturalis, quem Deus invertere ac mutare non tenetur, exigat talis infirmi mortem: qua *duplici conditione* supposita, facile erit intelligere cur virtute, et efficacia nostri Sacramenti non semper convalescant infirmi."51

Eandem resumpserunt quidam moderni, signanter *Billot* et *Kern,* qui tamen eam conditionem emolliunt ac determinant dicentes non quamcunque gravissimam ac mortiferam infirmitatem subtrahi sanativae efficacitati huius sacramenti sed tantum eam cuius curatio requireret *extraordinarium omnino interventum divinum* qualiter requiritur in miraculis proprie dictis. Cui explicationi plus minusve determinate consentire videntur quotquot hac vel simili ambigua expressione utuntur: Extrema Unctio sanitatem corporis confert dummodo ipsa sine miraculo fieri possit; ita, inter alios, *Pesch, Diekamp, Cappello, Piolanti, Verhamme, Ballerini-Palmieri, Génicot-Salmans, Noldin-Schmitt, Piscetta-Gennaro.*

"*De Extrema Unctione,* q. 1, dub. 2, n. 48. Cf. alia eius verba citata in art. 10, p. 13.
Op. theol., t. 3, l. 13, q. 255, n. 5.
"*De sacramento Extremae Unctionis,* q. 4, a. 1, quaer. 7, *Praelectiones theologicae* (Parisiis 1765) IX 439.

Iuverit exponere magis complexam et determinatam *doctrinam Kern* qui, sequens viam breviter indicatam a *Billot,* eam opinionem copulat peculiari explicationi de sanitate corporali connaturaliter resultante ex ipso influxu principalis effectus sacramenti seu confortationis animi. Pro quanto eius dicta intelligere possumus, Kern docet quod animi alleviatio seu confortatio, per sacramentum principaliter et supernaturaliter causata, connaturaliter influxum habet in corpus ita ut ex ea naturaliter ac necessario sequatur quaedam alleviatio ipsius corporis et haec tanta esse possit ut inde ipsa sanitas corporis restituatur, quod tamen nequit accidere quando morbus est valde gravis seu in illis gravitatis circumstantiis in quibus solum proprie dictum miraculum potest morbum removere. Ex quo sequitur Extremam Unctionem tunc tantum habere effectum sanitatis corporalis cum agitur de morbo qui ex natura sua est talis ut possit, citra miraculosum interventum, per ipsam redundantiam spiritualis confortationis removeri. Attamen, quia oportet ut hic secundarius effectus sit subordinatus ipsi principali effectui spirituali, ideo si ipse huic non prodest, non causatur seu impeditur. Unde ratio quare sanitas corporalis ex Extrema Unctione non sequatur, est defectus alterutrius praedictae conditionis, vel nempe quia morbus est talis ut, per naturalem illam ac limitatam redundantiam alleviationis spiritualis in alleviationem corporalem, removeri nequeat, vel quia, etsi per illam removeri possit, tamen saluti animae non prodest ut removeatur, adeoque impeditur.

BILLOT scribit: "Illud . . . [est] observandum: effectum sanationis corporalis, etsi secundario et sub variis conditionibus, vere tamen in Conciliis et Traditione Ecclesiae annumerari inter effectus huius sacramenti. Nec forsitan incongrue diceret quis, effectum hunc dependere ab ipsa alleviatione spirituali quae est effectus primarius et omnino proprius unctionis infirmorum. Bonus enim status spiritus noscitur quam maxime iuvare naturam et artem ad instaurationem valetudinis, convenienter disponendo potentias tam sensitivas quam vegetativas. Atqui constat efficaciam ciusmodi in ordine ad recuperandam sanitatem amplius haberi non posse, si iam corruptum sit convalescentiae principium, transacta scilicet periodo in qua res adhuc in ancipiti est, et pro variis adiunctis ad alterutrum exitum potest determinari. Aliunde vero evidens esse debet, sacramenti virtutem in hac parte prorsus impediri *quoties morbus eousque processit, ut citra miraculum curari amplius non valeat,* cum ad effectus miraculosos medium ordinarium profecto non exsistat. Ergo aberrant qui unctionem infirmorum recipere timent, quasi infallibilem prodromum mortis. Quin imo. ex nimia procrastinatione apponitur obex quominus salubri sacramenti influxu infirmus convalescat.":-

KERN vero praefatam sententiam sic determinate proponit: "*Confortatio . . . animae exercet influxum in corpus, unde consequitur alleviatio corporalis, quae tanta esse potest, ut sanitas restituatur. . . .* Secundum magnos Scholae doctores [Bonavcnturam, Albcrtum M., S. Thomam] relevatio et etiam sanatio corporalis fit ob intimam dependentiam corporis ab anima per redundantiam spiritualis

Dt Ecclesiae sacramentis II (ed. 7. Romae 1930) 256 sq.

confortationis in corpus . . . [quae] doctrina aperte confirmata est per Concilium Tridentinum. . .

"[Attamen] Extrema Unctio habet unum finem proximum adaequatum, ad quem omnes eius effectus particulares tendunt: perfectam sanitatem spiritualem, qua aegrotus ex se sit paratus ad introitum gloriae. Quare gratia sanctificans per sacramentum collata ciusque effectus principalis utpote principia supernaluralia numquam inducunt effectus secundarios, nisi in quantum conferunt ad finem proximum adaequatum utique supernaturalem. Unde *per Extremam Unctionem et proxime per confortationem animae numquam inducitur alleviatio corporis, nisi in quantum confert ad animae sanitatem perfectam.* Ergo omnis dispositio subiecti quae facit, ut relevatio corporalis, quae secum traheret recuperationem sanitatis corporalis, non conferat ad sanitatem perfectam animae, impedit, quominus aegrotus a morbo ope medicinae supernaturalis reconvalescat. . .

"Explicatio [istaj . . . declarat, cur in variis morbis, etiam talibus, quos medici, si praesto essent, facile curarent, Extrema Unctio non liberet a morte: et vicissim non raro restituat, quos medici deposuerunt. In priori casu *agitur vel d› morbis, qui natura sua talcs sunt, ut per redundantiam confortationis spiritualis in corpus removeri nequeant, — vel de morbis, quos curari animae non est utile.* In altero casu agitur de morbis, qui medicaminibus materialibus resistunt, at per affectiones, quas relevatio spiritualis in corpus inducit, superantur. Ex dictis fit quoque clarum, quomodo Unctio infirmorum etiam sanitatem corporalem causet ex opere operato, et nihilominus hic effectus plurimum dependeat a fide et fiducia subiecti, a libera cius cooperatione cum gratiis sacramentalibus et ab orationibus aliorum, praesertim sacerdotum. . . [Nam haec omnia influunt in maiorem fructum ipsius spiritualis alleviationis, et] consequenter eo intensior erit redundantia spiritualis alleviationis in corpus ideoque eo facilius restaurabitur sanitas si locum habeat conditio divinitus statuta, ut expediat ad sanitatem perfectam animae."[53]

Haec Kern sententia aliquatenus coalescit ex sententia Soto et ex sententia Tournely, retinens ex utraque unum elementum et alterum reiciens; cum priori convenit, quatenus ponit virtutem sanativam gratiae sacramentali inditam, differt vero quatenus affirmat eam non dari vel impediri ubi ad salutem non expediat; item cum posteriori convenit, quatenus affirmat sanitatem corporis non conferri in circumstantiis in quibus ipsa nonnisi per quoddam miraculum fieri posset, discrepat vero quatenus affirmat eam conferri posse etiam ubi agatur de gravissimo ac mortifero morbo ad quem avertendum sit commensurata vis redundantiae alleviationis spiritualis in alleviationem corporalem. Idque satis clare admittit *Kern,* cum ad suprarelata verba Tournely (p. 201) observat: "Quae verba, si non in bonum sensum transferantur, enuntiant, s. oleo inunctum tum solum a morte liberari, si eius infirmitas non sit mortifera. . . Verum . . . [in] fontibus revelationis . . de tali conditione nihil continetur. Deinde recte Suarez (dis. 41, s. 4, n. 5) advertit, ope s. Unctionis vitam conservari etiam contra vim morbi acerbissimi [nec id esse miraculosum, quia esset iuxta statutas leges sacramenti]. . . Verum tamen est. Unctionem infirmorum non liberare a morte in circumstantiis, in quibus sanatio morbi esset tam extraordinaria, quam si fieret per miraculum stricte dictum. Sed id non inde venit, quod Deus noluerit medicinam supernaturalem tunc suum influxum in corpus exerere, etiamsi esset ad salutem animae, sed quia, ut Sotus dicit, virtus quam Deus sacramento indidit, ex sua natura tali effectui non est commensurata."[54]

QUARTAM QUAESTIONEM quod attinet, an nempe effectus sanitatis corporalis per hoc sacramentum producatur non immediate,

[53] *Dr sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 205, 207 sq., 212 sq.
[54] *Ibid,* 204 sq.

sed *mediate,* seu mediante ipso principali effectu spiritualis curationis, dividuntur praesertim theologi moderni qui hanc quaestionem explicite movent.

Negant quidam pauciores, ut *Schanz, Oswald, Spdcil* et *Verhamme,* quorum sensus sic exponitur a *Spdcil:* "Melius . . . cum quibusdam recentioribus dicetur sanitatem partim per illam confortationem spiritualem [quae est principalis effectus sacramenti] partim per directum Dei in corpus influxum causari (Schanz, Lehmkuhl, Oswald). Alleviatur scilicet corpus per animae confortationem, *sanitas autem proprie causatîir, quatenus Deus providentia sua vires corporis disponit et dirigit,* pari modo sicut hoc facit, quotiescunque ob preces fidelium aliquod bonum temporale concedit. Neque obici potest, quod sic effectus sacramenti a se separati statuuntur. Omnes enim effectus in eadem gratia sanctificante radicantur, quae sicut ad alia auxilia ius secum fert ita ad hanc gratiam externam sanitatis a Deo concedendam, si saluti animae expediat."[53]

Affirmant vero communius doctores tam antiqui quam moderni, dicentes (explicite vel implicite) sanitatem corporalem produci per quandam resultantiam seu redundantiam ex ipsa spirituali sanitate.

Attamen et hic non parva confusio vel ambiguitas observatur, proveniens partialiter ex ipso modo quo a variis auctoribus concipitur spiritualis curatio quae dicitur principalis effectus sacramenti. Nam ea resultantia tripliciter intelligi potest: *primo modo,* pro naturali, vel, si placet, connatural! sequela spiritualis alleviationis seu confortationis animi, fundata in ipsa naturali unione animi cum corpore, ratione cuius, vigorata et laetificata anima, vigoratur quodammodo et laetificatur corpus, ut ex communi experientia contingit etiam in naturalibus; *secundo modo,* pro supernatural! quadam sequela inducta directe ab ipso Deo, quatenus, etsi spiritualis alleviatio naturaliter et necessario non inferat corporalem alleviationem et sanitatem, tamen Deus suo speciali influxu per sacramentum facit ut alleviatio spiritualis habeat ulteriorem efficaciam in corpus usque ad eius sanitatem; *tertio modo,* pro supernatural! iterum sequela inducta per sacramentum non vi praedicti distincti influxus divini, sed vi ipsius gratiae curativae. quatenus vigor sanativus, per eam animae infusus, sit talis qui connaturaliter et ex propria efficacia pereffluat in ipsum corpus sub forma vigoris corporalis, eo fere modo quo gratia iustitiae originalis tanti erat vigoris ac perfectionis ut produceret in corpus sic dictum donum integritatis quo homo a morte et infirmitatibus praeservabatur.

Primo igitur modo videntur eam resultantiam accipere *Billot* et

Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 222.

Kern, supra citati (p. 202 sq.), quos sequuntur *Otten, Dafjara* et *Lcrchcr-Umberg* (cf. infra).

Secundo modo eam accipiunt *Cappello* et, partialiter saltem, *Lercher.*

Cappello, explicite reiciens'sententiam Kern, quam tribuit etiam Alberto M. et Bonaventurae, scribit: "Sexta sententia tenet, sanationem corporalem fieri ob intimam dependentiam corporis ab anima per redundantiam spiritualis alleviationis et confortationis in corpus. Ita sentiunt vel sentire videntur nonnulli Scholastici medii aevi . . . [ut] Bonaventura . . . S. Albertus M. . . Hanc sententiam recentissime defendit Kern. . . Septima sententia dicit . . . corporalem sanitatem fieri ob intimam dependentiam corporis ab anima per redundantiam spiritualis confortationis in corpus, *ita tamen ut virtute supernatural! i.e. vi ipsius sacramenti id fiat.*. . Sexta sententia, prout exponitur, probabilis non videtur . . . quia recuperatio sanitatis dicitur naturalis, ut expresse docet S. Bonaventura, ideoque aut nullo modo aut nonnisi improprie dici potest effectus sacramenti. . . Manet ultima [i.e. septima] sententia, quam, omnibus accurate perpensis, tenendam proponimus."[56]

Lercher eam resultantiam quodammodo determinat, complicatam hanc afferens explicationem, qua sententiam Kern reformare vel perficere conatur: "Unctio , . . mediantibus causis naturalibus sanitatem confert, et, ut Trident, innuit, mediante fiducia excitata, qui actus supernaturalis est. . . Profecto actus fiduciae vividi multum ad relevationem corporis infirmi conferre possunt. Quid vero, si morbus sanationi mediante fiducia totaliter resistit? quid, si hinc duo homines morbum aequalem habent, mediante fiducia sanabilem, illinc vero uni tantum sanatio corporis ad salutem animae conducit? Qua ratione fit, ut fiducia vim sanativam in iisdem adjunctis modo exserat, modo non? Ut igitur doctrina Trid. de fiducia sub conditione sanante accuratius exponatur et defendatur, alia quoque momenta consideranda sunt: a) eflectus quasi substantialis unctionis est gratia habitualis cum jure ad auxilia actualia confortantia; b) eidem mensurae gratiae et juris satisfieri potest non per unam tantum, sed per series plures auxiliorum, diversas secundum indolem, numerum, ordinem. locum, tempus; c) in actibus fiduciae non solum attendenda est vis naturalis, quam in corpus exserere possunt, sed et vis impetratoria in ordine ad obtinenda varia auxilia specialis divinae providentiae.

"His suppositis concludimus: a) Quoties morbum curari animae expedit, et morbus sanationem mediante fiducia admittit: Deus concedet eam seriem auxiliorum, quibus actus vividiores fiduciae excitentur, b) Si morbus tali sanationi resistit, et tamen eum curari animae expedit: infirmus per actus fiduciae, patientiae et resignationis in divinum beneplacitum impetrabit illa auxilia, quibus Deus media naturalia (e.c. dispositiones medici et aliorum ministrorum) speciali providentia ad sanandum corpus diriget. Nota tamen: in hoc casu opus sanationis totum directe operi operantis (actibus impetratoriis infirmi), et solum indirecte operi operato tribuendum est. Semper igitur verum manet, quod Trid. dicit: gratia sacramentalis in infirmo magnam fiduciam excitat, 'qua infirmus sublevatus . . . et sanitatem corporis interdum . . . consequitur'."[57]

In nova editione tractatus Lercher, a *J. Umberg funditus retractati,* haec quidem verba servantur, sed illius opinio veluti reconvertitur ad sententiam Kern, quae explicite profertur ac prae aliis commendatur: "Modus, quo Unctio corpus sanat, diversimode a theologis explicatur. Maxime commendanda haec est opinio, quam fere proponit Kern ut doctrinam principalium doctorum scholasticorum , . . [Explicatur opinio Kern]."[58]

" *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 125 sq., 128.

Institutiones theologiae dogmaticae IV (ed. 2, Oenipontc 1935) 593.

''*Institutiones theologiae dogmaticae.* IV/2. 2 (ed. 3 retractata, Oeniponte 1949) 261 sq.

Tertio vero modo ea resultantia intelligi potest, et congruentius intelligenda est, in sententia thomistica, proposita in art. 11, iuxta quam effectus principalis huius sacramenti non est mera illa animi alleviatio et confortatio quae provenit ex externis seu actualibus gratiae auxiliis, sed est interna ac physica curatio debilitatis animi per physicum modum gratiae habitualis per sacramentum collatae. Haec tertia explicatio est de mente S. *Thomae,* imo et aliorum antiquorum uti ipsorum *Alberti* 3/. et *Bonaventurac* (cf. infra, p. 228-230), necnon, ut videtur, aliquorum modernorum, ut *Diekamp* et *Piolanti,* quos nobis consentire diximus in supradicta quaestione de interna et physica curatione debilitatis animi; etsi in re praesenti isti ambigue ac timide loqui videantur.50

CONCLUSIO

Conclusio 1. Hoc sacramentum confert ipsam sanitatem corporalem, nec tantum aliquam sanativam virtutem de se frustrabilem, quam Soto defendit.

Probatur 1. *Ex sensu totius Traditionis.*

Omnia Traditionis et Ecclesiae documenta, relata in art. 10 (p. 9 19 et 20-41), loquuntur directe et emphatice de ipsa corporis sanitate, seu de "reconvalescentia a morbo" (Canones Hippolyti. Ambrosius), "sanitate vel sanatione corporis" (Caesarius Arei., Eligitis, Cone. Flor, et Trid., Catechismus Cone. Trid.), "valetudine corporis" (Catechismus Cone. Trid.), "plena exterius sanitate" (Sacramentarium Gregorianum), "evacuatione omnis aegritudinis corporis" (Sacr. Gregorianum et Gelasianum). Unde contraria Soto sententia iam ex hac parte non congruit sensui Traditionis et Documentis Ecclesiae, nec ceteroquin ullum habuit suffragium apud theologos sive ante sive post ipsum Soto.

Probatur 2. *Ex propria efficacia sacramenti.*

Effectus sanativae ac frustrabilis virtutis videtur repugnare propriae ac divinae efficacitati sacramenti. Nam, cum ea virtus sit sanativa tendit ad sanitatem producendam, cum vero sit limitata ac frustra-

Dirkamp: "Sanatio itaque corporis est effectus indirectus hujus sacramenti, inquantutn sanatio spiritualis *per modum causae sanantis in corpus influit*" (cd. 1946, p. 392). *Piolanti-* "Ad modum autem quod attinet, quo s. unctio suum sortitur effectum [corporalem I, mira sententiarum varietas. Prae ceteris probanda videtur doctrina, quae statuit hunc effectum ex opere operato produci, *prr quamdam supernaturaleni redundantiam* alleviationis spiritualis in corpus vi illius necessitudinis, quae intercedit animam inter et corpus'* (ed, 3 [1951] 399 sq.).

bilis, finem suum non necessario attingit; valde autem inconvenienter dicitur sacramentum, seu instrumentum divinae virtutis, finem suum non attingere, ad quem tendit.

Inepte autem Soto invocat paritatem cum effectu Confirmationis, seu roboratione ad confitendam fidem, qui potest frustrari. Nam confessio fidei procedit immediate non ab ipsa sola gratia sacramentali roborativa, sed a voluntate, quae, utut per hanc gratiam roborata, retinet sub ea propriam ac nativam defectibilitatem, ratione cuius potest esse causa frustrationis praedicti cxtrinseci finis sacramenti, quae ideo non ipsi sacramento sed soli voluntati imputari debet; e converso sanitas corporalis pendet tota a sola sacramenti efficacia ac ideo eius frustratio in solum sacramentum refunderetur.

Ad rem *Suarez:* "Indigne [Soto] videtur sentire de sacramento, non plus illi tribuens, quam medicinae, seu arti medici. . . Exempla, quae affert, non sunt similia; nam fortis fidei confessio, vel constans resistentia tentationis est opus humanum pendens ex hominis libertate, quam gratia non tollit; et ideo fieri potest, ut talis effectus non sequatur virtute sacramenti, etiamsi magnum auxilium ad illum praebeat. At vero sanitas corporis naturali modo fit, id est, non libero, et ideo, quod effectus non sequatur, tribui non potest nisi imperfectioni virtutis, quae morbi acerbitatem superare non potest; hoc autem indignum est ut de sacramento dicatur; alioqui cum virtus, quam confert, limitata sit ad certum gradum, nunquam vincere poterit graviorem morbum, etiamsi maxime expediat; quod absurdum est."[00]

Probatur 3. *Ex ineptitudine rationis unde Soto procedit et ex gravi inconvenienti in quod impingit.*

Ratio quare Soto in suam sententiam descendit, est quia sacramentum debet infallibiliter suum effectum producere; sanitas autem corporalis, ait, non semper producitur; ergo non ipsa est effectus sacramenti, sed aliquid aliud. lamvero in hoc argumento fit indebita confusio et assimilatio inter "infallibiliter dari" et "semper dari"; potest enim aliquis effectus infallibiliter dari etsi non semper detur, si nempe sit effectus conditionatus, cuius infallibilis datio pendeat a conditione quae non semper verificatur, conditione quidem se habente non ex parte causae sed ex parte solius effectus; vel, si placet, in eo argumento fit confusio inter sanitatem simpliciter spectatam et sanitatem utilem ad spirituale animae bonum, non enim primo sed altero modo, sanitas est effectus qui semper et infallibiliter per hoc sacramentum confertur.

[00] *Op. cit.* (supra, in p. 200), n. 4, p. 847.

Inepte autem *Soto instat quod,* etiam purificata hac spiritualis utilitatis conditione, sacramentum non semper sanitatem corporis confert, ut patet tum ex eo quod quidam sanantur quibus spiritualiter non prodest, cum postea fiant peiores, et alii e converso non sanantur quibus prodesset, cum maiora merita cumulassent, tum ex eo quod saepe tanta est morbi vis ut removeri non possit absque virtute miraculosa quae sacramento non competit.

Nam de illis qui post unctionem convalescunt non constat eos sanitatem accepisse per sacramentum potiusquam naturaliter et, si per sacramentum acceperint, potuit sanitas ipsis tunc spiritualiter profuisse, etsi posterius spiritualem hunc fructum sua culpa amiserint: de illis vero qui per sacramentum non sanantur ac moriuntur, gratis Soto asserit quod eis sanitas corporalis profuisset, nec id necessario deduci potest ex bonis dispositionibus vitae anteactae quas contingit per mutabilitatem liberi arbitrii facile frustrari. Sanatio autem quorundam gravissimorum morborum requireret quidem magnam virtutem in sacramento, sed inde non sequitur hanc virtutem esse miraculosam cum influeret constanter et iuxta statutum ordinem sacramentalem, dum miraculum proprie dicitur quod evenit praeter ordinem. Ceterum, potest aliquis cum quibusdam theologis concedere quod sacramentum non valeat curare aliquos gravissimos morbos, quin inde sequatur conclusio Soto, sacramentum nempe ordinari non ad ipsum morbum removendum sed tantum ad aliquam virtutem sanativam conferendam; exinde enim non mutaretur sed tantum limitaretur effectus sacramenti ad sanitatem quorundam morborum, vel, si placet, adderetur nova conditio infallibili efficacitati sacramenti, ut scilicet non tantum requiratur quod ex parte subiecti sanatio prosit spiritualiter, sed etiam quod ex parte morbi non tanta sit malignitas ut eius remotio requirat extraordinarium interventum divinae virtutis.

Grave autem inconveniens in quod Soti sententia impingit, est quod non solum immutat proprium effectum Extremae Unctionis, illum divertendo ab ipsa sanitate corporali ad aliquam virtutem sanativam, quod, ut dictum est supra, non congruit sensui traditional! nec Concilio Tridentino, sed etiam illum effectum reddit absolutum, seu non dependentem a conditione spiritualis utilitatis, ita ut semper et omnibus indiscriminatim per sacramentum conferatur, quod quidem pariter eisdem auctoritatibus adversatur.

Propterea a pluribus theologis haec sententia temeraria imo erronea indicatur, ad mentem *Suaresii* scribentis: “Temere locutus est Soto, ne quid gravius dicam; levi enim fundamento a recepta Theologorum sententia recedit; et. quod gravius est, contra expressam doctrinam Conciliorum [Flor, et Trid.] loquitur. Et praeterea id totum, quod

affirmat, gratis et sine ullo testimonio affirmat, quod valde temerarium est in re supernatural!, quae pendet ex divina promissione. Unde enim illi constitit, hoc sacramentum dare semper hoc genus auxilii ad corporis curationem, cum etiam tale auxilium pertineat ad bona inferioris ordinis, quae non semper animae prosunt? Sacramenta vero nihil conferre debent infallibiliter, nisi quatenus ad bonum animae prodesse possunt, cum propter hunc finem primario instituta sint.'"[1]

Attamen, cum Soto eleganter divertat effectum Extremae Unctionis ab ipsa sanitate ad virtutem sanativam, in quo quidem minus clare adversatur Cone. Tridentino, ac non de ipsa sanitate sed de sola virtute sanativa affirmet semper dari, eius sententia non directe opponitur doctrinae Concilii iuxta quam sanitas corporalis non semper datur sed quando expedit ad salutem animae (imo Concilium directe non asserit nisi quod sanitas corporalis datur si expedit saluti animae), nam potest aliquis rem ita concipere ut per sacramentum semper detur virtus sanativa sed ipsa sanitas non semper detur sed quando expedit animae saluti. Et hoc modo sententia Soto nequit dici erronea, cum non directe opponatur doctrinae Concilii; *est tamen temeraria,* tum quia adversatur connaturali sensui totius Traditionis loquentis de sanitate corporali, hanc divertendo ad significandam solam virtutem sanativam; tum quia sine fundamento affirmat hanc ipsam virtutem semper dari; tum quia arbitrarie interpretatur affirmationem Cone. Florentini ac si non contineret doctrinam ipsius Concilii sed meram allusionem ad doctrinam antiquorum, scilicet Hugonis Victorini, Petri Lombardi et S. Thomae; tum quia ab hac ipsa horum aliorumque theologorum communi ac constanti doctrina leviter recedit.

Conclusio 2. Effectus sanitatis corporalis confertur infallibiliter, seu ex opere operato et ad modum sacramenti.

Probatur 1. *Ex paritate cum ceteris eiusdem sacramenti effectibus.*

Iuxta obvium enim sensum documentorum Traditionis et Ecclesiae, sanitas corporalis tribuitur Extremae Unctioni ut eius peculiaris ac proprius effectus, non secus ac alii tres effectus remissionis peccatorum, abstersionis reliquiarum peccati et alleviationis seu confortationis animi. lamvero hi tres effectus conferuntur infallibiliter et ex opere operato. Ergo et sanitas corporalis.

Probatur 2. *Ex ipsa ratione sacramenti.*

Nam, in Ecclesiae documentis, iuxta sensum ipsius Traditionis.

[1] *Loc. cit.* (supra, in p. 207).

Extrema Unctio non proponitur nisi ut sacramentum, i.e. ut unum ex septem Ecclesiae sacramentis, eique qua tali, seu sine ulla determinatione aut conditione diminuente, tribuitur etiam effectus sanitatis corporalis. lamvero, iuxta eadem documenta, omne sacramentum habet efficaciam infallibilem seu ex opere operato. Ergo Extrema Unctio confert hunc suum effectum non aliter ac ad modum sacramenti, seu infallibiliter et ex opere operato.

Probatur 3. *Ex inconvenientibus contrariae sententiae.*

Si Extrema Unctio conferret hunc effectum non infallibiliter nec ex opere operato, sed fallibiliter et ad modum quo operantur sacramentalia:

Primo scinderetur unitas ac simplicitas huius ritus, quippe qui coalesceret ex sacramento et sacramentali, ac duplicem haberet efficacitatem, aliam infallibilem quoad ceteros effectus et aliam fallibilem quoad hunc effectum. Hoc autem non solum arbitrarie prorsus sustineretur ac sine ullo fundamento aut consensu in traditional! theologia sacramentali, sed etiam contradictorium vel monstruosum videtur; nam idem secundum idem, i.e. secundum eandem prorsus materiam ac formam et secundum eandem institutionem et finalitatem adiutorii infirmorum, indueret simul tam disparatas rationes sacramenti et sacramentalis.

Secundo, Extrema Unctio sub ea praecisa ratione causae sanitatis corporalis non exigeret divinam institutionem, imo nec de facto a Deo instituta fuerit, cum sacramentalia sint ecclesiasticae institutionis.

Tertio, frustra in Traditione tantopere commendaretur usus Extremae Unctionis ad consequendum effectum sanitatis corporalis, cum idem obtineri possit etiam per alia sacramentalia, et nominatim per usum olei benedicti.

Probatur 4. *Ex ineptitudine rationis unde adversarii in suam sententiam descendunt.*

Haec enim ratio est quia, aiunt, effectus conditionatus, qualis est corporalis sanitas, opponitur rationi sacramenti eiusque efficaciae absolutae et infallibili. lamvero hic iterum eadem confusio fit, sicut in priori opinione refutata in Conci, praec., inter conditionem ex parte causae et conditionem ex parte effectus; prior quidem conditio repugnat propriae infallibilitati efficaciae sacramenti, non vera altera. Potest enim aliquod sacramentum ordinari ad producendum infallibiliter aliquod determinatum ac limitatum obiectum, in quo nempe contineatur aliqua conditio quae sit veluti ipsius nota determinativa

ac specificativa; hoc accidit uno vel alio modo in omnibus fere sacramentis, et signanter in ipsa Poenitentia quae ordinatur ad remissionem peccatorum non quorumcunque, sed post Baptismum commissorum, ita ut haec temporis conditio ingrediatur ipsum specificum obiectum remissionis poenitentialis et qua talis limitet ac conditionet effectum illius sacramenti; pariter ergo Extrema Unctio ordinatur ad conferendam sanitatem corporalem non quamcunque seu simpliciter, sed quae sit positive utilis ad salutem animae, ita ut si adsit haec positiva ac determinata conditio, infallibiliter ille effectus conferatur, cum ceteroquin, purificata de facto praedicta conditione, non amplius agatur de effectu aut obiecto conditionato, sed absoluto.

Unde conditionata indoles effectus nequaquam obstat infallibili efficacitati sacramenti; huic tantummodo obstaret si conditionatus effectus sanitatis corporalis ita inepte conciperetur ut esset omnino pendulus a libera voluntate Dei, vel, si placet, ab aliqua conditione indeterminata quam Deus determinaret pro libito in unoquoque casu, ita ut, stante eadem conditione, uni subiecto conferret sanitatem et alteri non conferret; in quo casu egrederemur e nostra quaestione, quoniam non amplius ageretur de effectu conditionato. cum deficeret statuta quaedam ac determinata conditio cui Deus certa lege alligaverit efficacitatem sacramenti.

Verba *Cone. Trid.* "Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur" inepte ab adversariis in suum favorem invocantur, tum quia probabiliter in eis agitur de unica conditione, ita ut incisum "Ubi saluti animae expedierit" sit mere explicativum incisi "Interdum" (Sanitatem corporis consequitur interdum, i.e. ubi saluti animae expedient [52]), tum quia, etiam si haec duo incisa sumantur separatim ac distincte (In hoc nempe sensu: Sanitatem corporis consequitur ubi saluti animae expedierit, et tunc quidem non semper, sed interdum), non necessario sequitur salutem corporis non infallibiliter dari sed mere pro libito divinae voluntatis nulli conditioni ligatae, nani potest ibi significari duplex conditio cui infallibilis efficacitas sacramenti ligetur, scilicet tum utilitas salutis animae tum alia ratio quam Concilium non determinat (puta bonum Ecclesiae, vel inconvenientia adhibendi extraordinarium ac miraculosum interventum divinum ubi agatur de morbis incurabilibus, ut quidam theologi interpretantur).

In quo sensu etiam explicari possunt verba *Catechismi Cone. Trid.* invocata ab adversariis (cf. supra, p. 197). Ceterum, ut infra (p. 221) explicabitur, utrumque Ecclesiae documentum convenientius exponitur de unica ac simplici conditione spiritualis utilitatis.

[*] Cf. supra, art. 10, p. 13-16.

Conclusio 3. Effectus sanitatis corporalis confertur conditionate tantum, seu "ubi expedierit saluti animae" (Cone. Trid.) sive spirituali bono subiecti. Et haec quidem conditio est secundum se sufficiens ad infallibiliter ac semper obtinendum talem effectum "dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis" *{Suppi.,* q. 30, a. 2).

Probatur 1" pars, *quod nempe sanitas corporis conjeratur tantum sub conditione quod "saluti animae expedierit" {Cone. Trid.}.*

Sensus Traditionis et Ecclesiae sufficienter patet ex dictis in art. 10 (p. 13-16, 40 sq.). In antiquioribus nempe documentis ea conditio aequivalenter vel implicite affirmatur et quandoque, etsi raro, etiam explicite; a posterioribus vero theologis inde a saec. 12-13 et in documentis Ecclesiae ea explicite ac signate exprimitur ipsis Tridentinis verbis vel simillimis: Hugo a S. Victore: "Si expedit" ("Si tamen expedierit ut in utroque allevetur"), Bonaventura: "Si expedit ipsi animae," S. Thomas: "Quando fuerit opportunum" *{C. Gent. 4.* 58), "Cum expedit ad salutem" (C. *Gent.* 4. 73), "Quando expedit ad spiritualem sanationem" *{Suppi.,* q. 30, a. 2), Cone. Flor.: "In quantum expedit," Cone. Trid.: "Ubi saluti animae expedierit," Catechismus Cone. Trid.: "Si quidem profutura sit," "Si ea ad aeternam gloriam profutura sit," *Cone. Coloniense* a. 1536: "Si Deo ita visum fuerit."

Huic Traditionis argumento notabile suffragium afferunt *theologi schismatici,* qui, etsi sustineant sanitatem corporalem esse ipsum principalem effectum sacramenti, tamen coguntur concedere eam nonnisi conditionate conferri (cf. supra, p. 198).

Ratio autem theologica facile cum S. Thoma deprehenditur. Nam ex una parte sanitas corporalis est effectus Extremae Unctionis non virtute naturali (quasi nempe sequatur ex ipsa virtute olei sicut mundatio corporalis in Baptismo sequitur ex naturali proprietate aquae abluentis), sed virtute supernatural! a Deo indita sacramento, et ex alia parte ipsa est tantummodo secundarius effectus sacramenti quod principaliter ordinatur ad sanationem animae. Iamvero secundarius effectus dependet a principali nec inducitur nisi secundum quod ordinatur ad principalem et prodest ei, ut exigit ipsa recta ratio operandi, quam Deus sequitur in institutione et applicatione sacramentorum. Ergo sanitas corporis per hoc sacramentum non confertur nisi sub conditione quod expediat quomodolibet sanitati animae.

Ad rem S. *Thomas, Suppi.,* q. 30, a. 2: "Corporalis ablutio [in Baptismo] ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem; et ideo semper eam facit. Sed extrema unctio non facit

corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem. Et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis."

Probatur 2" pars, *quod nempe ea conditio, a Cone. Trid. apposita "Ubi saluti animae expedierit," intelligenda sit generaliter de spirituali bono subiecti.*

Sensus huius partis est: Ea conditio intelligenda est non determinate ac directe de ipsa *finali salute animae* secundum eius certam consecutionem, nec etiam determinate et exclusive de ipsa spirituali animae sanatione quae est *immediatus ac principalis eficetus sacramenti,* sed *generice ac complexive de spirituali animae bono ac utilitate,* ita nempe quod, omnibus perpensis causis iuxta infallibilem aestimationem Dei, hic et nunc utilius sit pro spirituali bono subiecti, ut simul cum animae sanatione, corporis etiam sanitatem consequatur.

Et imprimis, ea conditio non est intelligenda determinate ac directe de ipsa *finali salute animae,* ut volunt Valentia aliique doctores supra relati (p. 198), ita nempe quod sanitas corporalis conferatur tantum illis quos Deus novit ea bene usuros et aeternam salvationem consecuturos. Quamvis enim hoc absolute non repugnet, tamen tum arbitrarie tum inconvenienter asseritur.

Prinio, id arbitrarie asseritur, seu sine ullo fundamento in documentis Traditionis et Ecclesiae. Ex hoc enim quod in his documentis dicatur ille effectus conferri si expediat ad salutem animae, minime sequitur quod conferatur tantummodo his quos Deus novit de facto salutem consecuturos, nam omnia Dei dona et omnes effectus sive sacramentorum sive sacramentalium dicuntur vel intelliguntur conferri in ordine ad salutem aeternam, quin tamen inde sequatur ea nonnisi praedestinatis conferri. Ceterum, in iisdem documentis ea conditio non eo tantum modo significatur, sed etiam variis aliis expressionibus quae non referuntur directe ad vitam aeternam sed generaliter ad spirituale bonum animae aut ad unum vel alium modum quo spirituale bonum considerari solet (cf. supra, p. 212).

Secundo, attenta ipsa ratione theologica, id improbabiliter atque inconvenienter asseritur.

Nam imprimis exinde sequeretur omnes qui de facto per sacramentum sanantur, esse certo praedestinatos; cum autem in aliquo casu particulari possit cum morali quadam certitudine seu cum magna

probabilitate constare aliquem infirmum, a medicis prorsus desperatum. reconvaluisse virtute sacramenti, ulterius sequeretur cum eadem morali certitudine dici posse illum infirmum esse praedestinatum; quod quidem non videtur satis congruere *Cone. Tridentino* docenti: "Nemo . . . , quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum" *(Denz.* 805).

Praeterea, in praedicta opinione ex una parte virtus sacramenti indebite deprimitur, nam impeditur quominus proprium effectum corporalis sanationis producat in aliis quam praedestinatis, etiam in casu quo hic sit valde utilis ad spirituale bonum animae, quod quidem non congruit communi doctrinae de salvifica Dei voluntate omnibus hominibus conferente sufficientia auxilia ad salutem; ex alia vero parte virtus sacramenti ultra modum extollitur, nam ei tribuitur ut, eorum saltem qui de facto corporaliter sanantur, aeternam sortem determinet et non raro cum quadam morali certitudine etiam ostendet, ut nuper dictum est.

Praeterea, accidere potest ut infirmus a sua desperata conditione virtute sacramenti convalescat ac subinde, in eandem incidens et iterum unctus, moriatur. Ex priori igitur eventu secundum praedictam opinionem sequeretur quod ille sit praedestinatus; unde nequit ex altero eventu deduci quod ideo iterum non reconvaluerit quia secus damnatus esset, nam, cum esset praedestinatus, etiam si reconvaluisset. damnari non potuisset.

Praeterea, non raro accidit quod aliquis infirmus, a medicis desperatus, post unctionem reconvalescat ac subinde peccaminosam vel etiam infidelem vitam ducat donec sine ullo poenitentiae signo vel cum manifestis impoenitentiae signis moriatur. lamvero, hoc non videtur convenienter explicari posse in sententia iuxta quam corporalis sanitas datur tantum his quos Deus certo novit salutem aeternam consecuturos. Dices fortasse cum *BeUarmino* talem hominem non vi sacramenti fuisse sanatum sed aliqua vi naturali medicis ignota; attamen, inverisimile videtur in omni casu ad huiusmodi effugium recurri posse. Forte respondebis cum *Ballerini* (cit. supra, p. 198 sq.) illum sanatum fuisse per miraculosum interventum divinum; attamen, talis recursus ad miraculum, praeterquam quod sit omnino arbitrarius ac in nullo signo fundatus, incongruum agendi modum videtur tribuere Deo, qui una manu impediret ne sacramentum habeat suum effectum corporalis sanitatis, utpote non profuturum ad salutem, et simul altera manu eundem effectum produceret per miraculosum interventum. Forsitan tamen dices praedictum infirmum, per ipsum quidem sacramentum sanitatem assequutum. actum contritionis iustificantis in instanti

mortis insensibiliter elicuisse ac ita de facto maiorem gloriae gradum obtinuisse quam si immediate post receptam Extremam Unctionem mortuus esset; attamen, id nonnisi divinando et inverisimiliter asseritur. saltem generaliter et quoad omnes huiusmodi casus.

Quod autem supradicta conditio non sit intelligenda determinate et exclusive de ipsa *spirituali animae sanatione quae est immediatus ac principalis effectus sacramenti,* patet tum ex vario ac generaliori modo quo sive documenta Ecclesiae sive ipsi antiqui theologi eam explicant (cf. supra, p. 199), sive ex eo quod effectus corporalis sanitatis non necessario confertur totus simul ac veluti instantanée quando absolvitur sacramentum, sicut confertur spiritualis sanatio, sed solet, saltem partialiter et quoad suum praecipuum complementum, produci pedetemptim post collatum praedictum principalem effectum, cui proinde nonnisi ex parte prodesse potest et. in casu moribundi sensibus destituti, nullatenus prodesse videtur. Ceterum, ut dictum est supra (p. 199), nullus theologus videtur aliter sensisse et illi qui dicunt sanitatem corporalem non conferri nisi quatenus prodest principali effectui sanationis animae, hunc effectum accipiunt generalius et extensive pro spirituali bono animae quae in ea spirituali sanatione includitur et ad quod fovendum ipsa ulterius ordinatur.

Unde reliquum est ut Tridentina conditio: ‘‘Ubi saluti animae expedierit” intelligatur *generice et complexive de spirituali animae bono et utilitate,* ita nempe quod, omnibus perpensis causis iuxta infallibilem aestimationem Dei qui solus de earum indole et influxu iudicare potest, hic et nunc utilius sit pro spirituali bono subiecti, ut simul cum animae sanatione, corporis etiam sanitatem consequatur. Ceterum, hoc spirituale bonum potest, iuxta casus, includere etiam profectum ipsius spiritualis animae curationis per gratiam sacramentalem, si nempe vigili infirmo simul cum ea partialiter saltem conferatur, et pariter idem spirituale bonum ad aeternam salutem ordinatur, non ita tamen ut cum eius certa consecutione infallibili nexu connectatur.

Probatur 3n pars, *quod nempe praedicta spiritualis utilitatis conditio sit secundum se sufficiens* ad infallibiliter ac semper obtinendum effectum corporalis sanitatis, nec alia conditio requiratur, saltem ex parte causae seu propriae efficacitatis sacramenti.

Primo quidem inepte a quibusdam illa alia additur *conditio ex parte Dei: “Nisi ob universales aut speciales rationes suae providentiae aliter visum juerit.”* Haec enim, intellecta ut vera ac nova conditio, ponens in numero cum illa priori “Ubi saluti animae expedierit” ita ut istam insufficientem reddat, facit effectum corporalis sanitatis sim-

pliciter pendulum a libera Dei voluntate, seclusa omni sacramental! lege a se condita, et consequenter evacuat ipsam effectus infallibilitatem necnon efficacitatem ex opere operato in Extrema Unctione, relate ad hunc effectum. Unde haec *Tanner* et *Silvestri Mauri* opinio necessario incidit ac logice reducitur ad opinionem Estii et Silvii, simpliciter negantium infallibilitatem istius effectus, quam sufficienter refutavimus in Conci. 2 (p. 209-211).

Ceterum, ut iam supra (p. 199) notavimus, cum praedicta conditione non sunt confundendae conditionales quaedam expressiones de dependentia huius effectus a voluntate Dei vel consiliis divinae providentiae, quae apud quosdam circumferuntur (ita *Cone. Coloniense.* a. 1536: "Si Deo ita visum fuerit"; *Suarez:* "Haec ratio convenientiae seu utilitatis corporalis sanitatis ad bonum animae sumenda est iuxta ordinem divinae sapientiae et providentiae"); nam in his non agitur de nova conditione, addita Tridentinae conditioni "Ubi saluti animae expedierit," sed de mera istius explicatione, qua nempe significatur solum Deum de hac expedientia certo iudicare posse (Suarez: "Hoc autem solus Deus ex se praescire potest").

Secundo, inepte ab aliis additur illa conditio: *"Si sine miraculo sanatio corporalis fieri potest,"* sive miraculum accipiatur large, pro quacunque nempe sanatione a gravissima et mortifera infirmitate (Tournely), sive accipiatur tantummodo strictius, pro ea nempe tantum sanatione quae requireret talem extraordinarium Dei interventum qualis habetur in miraculo stricte dicto (Kern).

Imprimis enim, nulla huiusmodi restrictio indicatur in documentis Traditionis et Ecclesiae necnon in scriptis antiquorum theologorum, quae constanter et unice appellant conditionem spiritualis utilitatis (cf. supra, p. 212). Nec ea conditio legi potest in Tridentino inciso "Interdum" ("Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur"), tum quia probabile est illud incisum non significare distinctam conditionem a reliquis verbis (ut dictum est supra, p. 13 sq.), tum quia, etiam si accipiatur ut distincta conditio, nihil indicat ibi agi de conditione excludente praedictam vim miraculosam seu extraordinariam. Pariter frustra invocarentur verba prioris schematis Cone. Trid. vel Catechismi Cone. Trid., citata in art. 10 (p. 13 sq.), in quibus innuitur vis miraculosa quae in antiqua Ecclesia adnectebatur sacramento Extremae Unctionis, nam ea verba, satis ambigua, non uno modo explicari possunt, ut ibidem notavimus (p. 15 sq.; cf. infra, p. 221).

Praeterea, praedicta conditio "Si sine miraculo fieri potest" non uno modo claudicat. Et imprimis prout sonat nugatoria est; nam, ut

observant Suarez, Gonet, Billuart, Lépicier, cum miraculum sit id quod fit praeter statutum ordinem, id quod fit per sacramentum seu iuxta statutas leges sacramentales nequit eo ipso esse miraculosum, unde ea conditio "Sanitas fit per sacramentum si sine miraculo ab eo fieri potest" vana est, quia eo ipso quod fiat per sacramentum, necessario fit sine miraculo; unde inepte invocatur ratio quod vis miraculosa non competit indoli et efficacitati sacramentorum. Ceterum, plures adversarii vocem miraculi hic accipiunt non formaliter sed aequivalenter, seu pro tali divino interventu qualis requireretur in miraculo, et quidem dupliciter loquuntur, ut notatum est supra:

Quidam, ut Tournely, accipientes miraculum in sensu largiori videntur excludere ab efficacitate sacramenti eas omnes sanationes, quae nequeunt fieri nisi per aliquam extraordinariam sive excellentem virtutem divinam, uti sunt omnes sanationes a gravissimis ac mortiferis morbis, quae exigunt mutationem cursus naturae. lamvero, praeterquam quod non videtur quid in his curationibus prohibet quominus vocentur vera miracula ubi fiant praeter statutum ordinem, non est unde talis restrictio colligi possit, cum documenta Traditionis sine ulla distinctione loquantur de sanatione a corporali infirmitate et quaedam etiam emphatice loquantur de "evacuatione omnis aegritudinis corporis" (Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum) et de "curatione contra febrium aestum, aegritudinum tormenta, tumores, putredinem ulcerum, dolores viscerum et medullarum, plagas, deordinationem carnis ac sanguinis et materiae" (ad mentem Libri Ordinum; cf. art. 10, p. 40).

Alii, ut Kern, accipientes miraculum in stricto, ut aiunt, sensu, ab efficacitate sacramenti excludunt eas tantum sanationes quae nequeunt fieri nisi per tam extraordinarium Dei interventum qualis habetur in solis miraculis stricte dictis. lamvero, praeterquam quod haec distinctio inter miraculum late dictum et miraculum stricte dictum vix intelligitur (nam quicunque Dei influxus, mutans uno vel alio modo cursum naturae ac aliquid operans praeter statutum ordinem, eo ipso proprie miraculosus est, etsi secundum maiorem vel minorem gradum, prout est supra, vel contra, vel mere praeter ordinem, iuxta tritam miraculorum divisionem), iterum nulla reddi potest ratio unde huiusmodi limitatio deducatur.

Id enim nequit deduci ex sensu Traditionis, cum in ea nulla restrictio significetur, ut nuper dictum est, adeoque contra Kern retorquere licet verba quae ipse profert contra praecedentem explicationem Tournely, inquiens: "Verum hoc ipsum obest ei, quod tantum ad

vitandas obiectiones contra corporalem effectum sacramenti excogitata, minime ex fontibus revelationis est hausta, in quibus de tali conditione nihil continetur.""[3]

Item, id nequit deduci ex eo quod sacramento non competit vis miraculosa. Nam, ut dictum est, eo ipso quod fit sacramentalis, ea vis non amplius est miraculosa seu praeter ordinem, sed juxta statutum ordinem ac legem, utut supernaturalem, ut patet in transsubstantiatione eucharistica.

Item, deduci id nequit ex ipsa magnitudine et excellentia virtutis, quasi efficacitati sacramenti repugnet vel non congruat aequiparari miraculis ac ordinari ad perturbandum ordinem naturae. Nam sicut non repugnat Deum hanc perturbationem inducere modo extraordinario per miraculum ita nec repugnat ut eam inducat modo ordinario per sacramentum, ut patet de eadem eucharistica transsubstantiatione.

Tandem, id nequit deduci ex speciosa illa ratione ad quam quidam recurrunt cum Kern, scilicet ex ipso modo quo sacramentum ab eis dicitur hunc effectum producere, per resultantiam nempe ex alleviatione animae in sanitatem corporis, quae habeat tantum vim limitatam, nec sufficientem ad omnes morbos removendos. Nam iste modus explicandi efficacitatem sacramenti est ineptus et insufficiens.

Etenim, vel agitur de mera naturali resultantia (ut videtur sentire *Kern,* supra relatus, p. 202, 204 sq.), et tunc sanitas corporalis esset effectus naturalis non proprie sacramentalis, nec posset conferri his qui, utpote sensibus destituti, ipsam alleviationem seu confortationem animi non percipiunt, nec posset conferri in multis casibus graviorum infirmitatum, cum ad has removendas communiter saltem impar sit alleviatio et confortatio animi. Vel agitur de supernatural! quadam resultantia, directe inducta a Deo per sacramentum (ut vult *Cappello;* cf. supra, p. 204 sq.), et tunc ex una parte iterum sequitur sanitatem corporalem non posse conferri his qui sunt sensibus destituti, ex alia vero parte ad huiusmodi resultantiam, praecipue ubi agatur de gravissimis infirmitatibus, exigeretur valde intensa animi alleviatio seu confortatio, quam nonnisi arbitrarie vel divinando quis dicet infirmos, qui vi sacramenti reconvalescunt, experiri. Nec ceteroquin ratio reddi posset quare vis illius alleviationis et illius in corpus resultantiae. a Deo supernaturaliter inductae, sit coarctanda ad aliquas tantum, utut graviores, infirmitates. Quod si dicatur id esse quia alleviatio. utut magna ac intense redundans, ex sua ipsa natura nequit habere vim curandi quasdam infirmitates, ubi nempe sit iam corruptum ipsum sanitatis vel convalescentiae principium, iam series infirmitatum. in quarum curationem negatur influxus sacramenti, tantopere

[3] *Op. cit.* (supra, in p. 203) 204.

restringitur ut non amplius vera sit proposita conditio, quod nempe sacramentum sit impotens quotiescunque ad curationem exigitur talis divinus interventus qualis exigitur in miraculis, nam interventum miraculosum multae aliae gravissimae infirmitates requirunt, nec ceteroquin ad explicandam impotentiam sacramenti in supradictis paucis casibus necesse est recurrere ad proprie dictam conditionem limitantem efficacitatem sacramenti praeter conditionem spiritualis utilitatis, sed sufficit id repetere ex impedimento ex parte subiecti quo possit frustrari efficacitas sacramenti, ut mox explicabitur.

Probatur 4ll pars, *quod nempe ex parte subjecti possit intervenire aliquod impedimentum huic efficacitati sacramenti*, iuxta verba S. *Thomae:* "Ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem. Et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis" *(Suppi.*, q. 30, a. 2).

Hoc quidem impedimentum non est intelligendum directe et formaliter de aliquo defectu bonae dispositionis requisitae ad efficacitatem sacramenti, quemadmodum intelligitur relate ad ipsum spiritualem gratiae effectum. Nam ex una parte bona voluntatis dispositio est secundum se disparata, ac ideo impertinens, relate ad formam sanitatis corporalis secus ac relate ad formam gratiae, ut per se patet, et ex alia parte nequit idem sacramentum per diversas ac distinctas dispositiones respicere varios suos effectus, ita ut dispositio quae sufficit ad effectum gratiae non sit sufficiens ad effectum corporalis sanitatis, ut dictum est in art. 15 (p. 163). Unde si quem habeat influxum in effectum corporalis sanitatis praedicta bona dispositio, id nequit esse nisi indirecte et per redundantiam, quatenus eius defectus redundat in defectum ipsius conditionis spiritualis utilitatis, ut mox explicabitur.

Dupliciter igitur intelligi potest adesse impedimentum ex parte subjecti.

Primo nempe physice et ratione morbi.

Sacramentum enim est ordinatum non ad restauranda organa laesa aut ad curandum quemlibet corporis morbum vel defectum, uti lepram, phthisim, et similia, sed directe et per se ad subveniendum mortaliter infirmo ut possit reconvalescere et a morte praeservari per reditum ad pristinam sanitatis conditionem.'" ut patet ex ipso subiecto cui soli sacramentum administrari potest (cf. infra, art. 30-31); unde per sacramentum liberatur homo a morte, sed inde non sanatur a lepra,

" Li.picier *(De sacramento Extremae Unctionis et De sacramento Ordinis* [Romae 19281 57-65) conatur explicare quomodo hoc sacramentum corporalem sanitatem operetur, per comparationem cum modo quo ipsa medicina naturalis operatur.

phthisi aut huiusmodi. Si igitur contingat ut praedicta mortalis conditio infirmi sit ita connexa cum aliqua organorum laesione vel corporis contagione ut ab ea separari non possit, nequit virtus sacramenti suum effectum sortiri, ratione talis physici obicis quo ipse sanativus influxus sacramenti veluti extinguitur, ac si, dum per sacramentum mortalis conditio removetur, eadem per lepram aut phthisim iterato seu continuato inducatur. Ceterum, cum illa connexio possit esse magis vel minus stricta, iuxta diversum nempe gradum laesionis aut contagionis vel diversam indolem morbi, potest effectus sacramenti magis vel minus impediri, ita ut quandoque partialiter conferatur puta per retardationem mortis vel per brevem reconvalescentiam (cf. infra, p. 222 sq.).

Nec absentia praefatae inseparabilis connexionis inter infirmitatem qua talem et contagionem aut organi laesionem, dici potest proprie nova conditio ad infallibilem efficacitatem sacramenti, quae nempe addatur conditioni spiritualis utilitatis, nam ipsa omnino accidentaliter et extrinsece se habet, cum, quantum est ex vi sacramenti, ipsa infirmitas, prout est infirmitas, curatur, sed effectus sacramenti dum producitur extinguitur per concurrentem contrariam causam (puta lepram vel phthisim) quae veluti continuo eandem infirmitatem inducit. Ceterum, potest quis, si velit, eam absentiam concipere ut quandam dispositionem requisitam in subiecto ad hunc corporalem sacramenti effectum; non enim necesse est ut sacramentum eandem specifice dispositionem requirat relate ad diversos eius effectus, si sint toto caelo diversi, sicut sunt in hoc sacramento effectus spiritualis et effectus corporalis, ac ideo, praeter generalem ac spiritualem dispositionem ad omnes eius effectus complexive sumptos, potest Extrema Unctio exigere peculiarem ac materialem dispositionem ad corporalem ipsum effectum, ratione indolis istius. Nec per hoc contradicimus superiori assertioni (p. 219) iuxta quam idem sacramentum non possit varios suos effectus per diversas dispositiones respicere, nam hic non agitur de spirituali et proprie dicta sacramentali dispositione, quae sive in ceteris sacramentis sive in ipsa Extrema Unctione aequaliter respicit omnes eiusdem sacramenti effectus.

Secundo, impedimentum adesse in subiecto intelligi potest etiam *moraliter, seu ratione dejectus moralium dispositionum sive ipsius subiecti sive aliorum,* ita tamen ut iste defectus redundet in defectum ipsius conditionis spiritualis utilitatis atque cum ea in unum coalescat.

Potest enim fieri ut ubi desit peculiaris praeparatio subiecti in receptione huius sacramenti (v.g. specialis actus fiduciae in Dei misericordiam et specialis motus fidei in eam Dei omnipotentiam quae valet

etiam miracula operari) non expediat ipsi spirituali bono subjecti ut simul cum animae sanatione, etiam peculiarem hunc corporalis sanitatis effectum consequatur, puta ne ipse in minorem huius sacramentalis efficacitatis aestimationem deveniat, et ut, hoc scientes, omnes fideles, cum hoc sacramentum suscipiunt, praedictas dispositiones afferre conentur. Potest etiam fieri ut sanatio alicuius infirmi non prosit communitati ecclesiasticae, et ita indirecte nec prosit ipsi individuo prout est membrum Ecclesiae et pars corporis mystici quod vegetat per redundantiam spiritualium bonorum inter varia membra. Tandem dici potest quod ipsa conditio spiritualis utilitatis, cui alligatur collatio huius corporalis effectus, in antiqua ecclesia frequentius verificabatur, quatenus ipsa ratio confirmandi per exteriores ac corporales effectus rudiorem fidem primorum Christianorum reducebatur ad beneficium spiritualis salutis ipsius infirmi.

Et in hoc triplici sensu congrue intelligi possunt variae morales conditiones quae apud quosdam auctores circumferuntur, quasque invenimus etiam in antiquis documentis necnon in Catechismo Cone. Trid. et in priori schemate ipsius Cone. Trid. (cf. supra, p. 13 sq., 15, 40). Nec improbabile est Concilium ipsum omnia praedicta impedimenta, quae ex parte subiecti inveniri possunt, intendisse discrete ac generaliter colligere sub unico elastico verbo “Interdum,” quod addit ipsi conditioni spiritualis utilitatis, cum inquit: “Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur."

Quae hucusque diximus satis apte videtur compendiari *Hugon* sequentibus verbis, quibus fortasse pluribus ex discrepantibus theologis non difficile erit consentire: “Qua virtute, si saluti animae expedit, inducatur corporis sanatio. — Non inducitur virtute naturali, quia effectus naturales causas superat, sed *virtute supematurali,* quam Deus indidit sacramento, quaeque naturales vires adjuvat et elevat, ita ut effectus infallibiliter inducatur, quando expedit ad spiritualem sanationem.— Notanda sunt verba S. Thomae: *‘Et tunc semper cam inducit,* dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis’. Id autem innuit posse semper restitui sanitatem corporis, quoties sacramentum recipitur valide et fructuose, *etiamsi conditio aegroti esset naturaliter desperata, dummodo id requirat salus animae. . .* Licet . . . possit semper produci effectus, *facilius tamen obtinetur,* si sacramentum tempore opportuno ministratur. ‘Theologi recte monent multos fortasse aegrotos ideo hoc effectu privari, quod Extrema Unctio differatur usque ad talem condicionem, in qua sine aperto miraculo sanatio fieri non possit. Ergo monendi sunt fideles, ut potius curent administrandum hoc

sacramentum, quam primum periculum mortis incipit, quia tunc multo major spes est recuperandae vi sacramenti sanitatis.'05"0[5]

Ceterum, pro complemento tam praesentis quam praecedentis Conclusionis, iuverit tres animadversiones adjungere:

Primo nempe, hic corporalis sanitatis effectus non in indivisibili consistit *nec necessario totaliter conjertur,* sed gradus admittit iuxta ipsam morbi naturam et iuxta modum quo curatio morbi ad salutem expediat. Potest enim fieri ut morbus tantummodo modice allevietur. ut inde saltem queat infirmus congruentius ad beatum transitum se disponere; vel ut morbus nonnisi ad breve tempus removeatur, quod facilius continget in infirmitatibus quae, ut lepra vel phthisi, cum laesione organorum connectuntur; vel ut morbus simpliciter quidem extinguatur sed subinde ratione ipsius generalis corporis conditionis iterum atque illico inducatur, ut facile evenit in infirmitatibus cum senio connexis. Inde fit ut multo frequentius quam putetur, corporalis sanitatis effectus, partialiter saltem, per hoc sacramentum conferatur.

Ad rem S. *Thomas:* "Nec praejudicat virtuti sacramenti si aliquando infirmi quibus hoc sacramentum confertur, non ex toto ab infirmitate corporali curantur: quia quandoque, sanari corporaliter, etiam digne hoc sacramentum sumentibus, non est utile ad spiritualem salutem" *(C. Gcnt.* 4. 73). *Suarez:* "Quantus . . . et qualis esse debeat ille fructus [sanitatis corporalis] qui speratur, Deus ipse novit, mensuram enim aliquam habet. . . Eo modo, quo sacramentum hoc restituit sanitatem integram, quando expedit, ita etiam restituit tantum ex parte, si illud et non amplius expediens fuerit."07 *Estius:* "Notandum tamen, sub hac sanatione corporali quamlibet etiam modicam morbi relevationem comprehendi, vehit motum aliquem ad sanitatem. Unde, licet rarius contingat hominem periculose aegrotantem sacra hac unctione restitui sanitati, saepenumero tamen evenit, ut morbi levamen aliquod aegrotus sentiat. Id quod variis de causis ad salutem animae potest conducere."08

Secundo, hic effectus *non necessario instantanée producitur* seu in ipso instanti quo pronuntiatur forma et absolvitur sacramentum, sicut producitur principalis effectus gratiae sanativae, sed saepius infertur paulatim vel interposita temporis mora, iuxta conditionem seu finem ratione cuius confertur, spiritualem scilicet utilitatem. Nec

" Pesch, n. 544.

,z*Tractatus dogmatici,* III *De sacramentis in communi et in speciali ac de Novissimis* (cd. 14, Parisiis 1948) 656 sq.

" *Op. cit.* (supra, in p. 200), n. 5 sq., p. 847.

9 *Comm. in lac.* 5, 14 sq., *ht omnes D. Pauli epistolas, item in catholicas commentarii* (cura J. Holzammer, Moguntiac 1858-1859) III 475.

obstat quod, ut probabitur in Conci, seq., ipse inducatur mediante ipsa gratia sacramentali quae immediate confertur; nam, cum sit ab ista gratia separabilis, ipse etiam modus quo inducitur, iuxta Dei voluntatem et praedictam spiritualem utilitatem attemperari ac disponi potest, et ceteroquin naturae rei congruit ut, cum ille effectus, secus ac gratia, corporalis sit, temporali conditioni sicut ipsum corpus subiciatur.

Tertio, in collationem huius effectus sanationis corporalis influit quoque *connexio quam infirmitas habet cum peccato,* ita ut, iuxta gradum vel modum huius connexionis, variet etiam gradus vel modus quo sanitas per hoc sacramentum confertur.

Tripliciter enim corporalis infirmitas cum peccato connectitur, vel nempe quia omnis corporis infirmitas est remote ac mediate quaedam reliquia originalis peccati, cuius influxus ac indoles protenditur quodammodo in ipsa peccata actualia: vel quia particulariter "ex infirmitate animae, quae est [actuale] peccatum interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino iudicio dispensante" (C. *Gcnt.* 4. 73); vel quia, etiam sine peculiari influxu aut punitione divina, quidam culpabiles animi defectus naturaliter ipsum corpus afficiunt (ut potest contingere ex variis habitibus vitiosis circa facultates corporales). Cum autem secunda connexio sit moraliter intimior, sequitur quod hoc sacramentum praecipue ordinetur ad illas infirmitates curandas quae eo modo cum peccato connectuntur ut sint proprius ab ipso causatae, utpote quaedam poena peccati a Deo directe inflicta: nam earum curatio, cum habeat indolem remotionis poenae, intimius connectitur cum necessaria illa conditione spiritualis utilitatis sine qua sanationis effectus non confertur. Inde intelligitur ex hac etiam parte restringi necessitatem et numerum curationum quae per hoc sacramentum producuntur.

Inepte autem quidam praedictam connexionem enumerant inter conditiones requisitas ad hoc ut effectus sanitatis infallibiliter conferatur. quasi sit ulterior conditio, addenda conditioni spiritualis utilitatis; nam eatenus ea connexio influit in hunc effectum, quatenus influit ac modificat ipsam ac unicam conditionem spiritualis utilitatis, ut dictum est.

Eam connexionem infirmitatis cum peccato exhibent, inter antiquiora documenta, *Bcda, Amalarius Metensis, lonas Aurelianensis ct Cone. Ticinense* (cit. in tom. 1, p. 142, 149-152, 156). Inter mediaevales doctores eam maxime urgent *Albertus M. et S. Thomas,* dicentes: Hoc sacramentum ordinari ad curandas praecipue eas infirmitates quae sunt ex peccato causatae vel inflictae, imo: ad curandas

infirmitates inquantum consequuntur ex peccato, imo: nonnisi ad curandas infirmitates quae procedunt ex peccato. Hae autem expressiones accipiendae sunt, iuxta nuper dicta de varia connexione infirmitatis cum peccato, nimirum: hoc sacramentum non ordinatur ad curandas infirmitates nisi quia (non: nisi quae) sunt connexae cum peccato et praecipue ordinatur ad curandas eas infirmitates quae directe cum peccato connectuntur, tanquam eius poena a Deo inflicta. Unde tertia expressio, quae sola est ambigua et est solius Alberti M., intelligenda est, sicut sonat secunda, in solo sensu affirmativo (i.e. quia sunt connexae vel inquantum sunt connexae cum peccato), non vero in sensu exclusivo (i.e. nisi quae sunt connexae cum peccato), secus adversaretur alteri affirmationi ipsius Alberti M. qui cum S. Thoma ait hoc sacramentum curare "praecipue" eas infirmitates quae causantur ex peccato. *Albertus M.:* "Istud sacramentum secundum habet effectum circa corpus, et *praecipue tunc* quando infirmitas corporis causatur ex infirmitate mentis." "Non est unquam res hujus sacramenti sanitas corporis, *nisi quando* pendet ex infirmitate mentis: et tunc numquam fit in parvulis qui numquam peccaverunt: et ideo etiam propter infirmitatem corporis numquam sunt inungendi." "[Hoc sacramentum] contra omnes morbos ordinatur secundario ... et *secundum quod a peccato animae causantur."*™ *S. Thomas, Suppi.,* q. 32, a. 4. ad 1: "Infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causatae, sicut in adultis. Et contra illas *praecipue* infirmitates hoc sacramentum datur quae sunt ex peccato causatae quasi peccati reliquiae." *C. Gent, 4. 73:* "Conveniens . . . fuit ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, *secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis.* . . Hoc sacramentum sic ordinatur contra infirmitatem corporis *inquantum consequitur ex peccato."*

Etiam *posteriores doctores* de ea connexione loquuntur, etsi non tam insistenter et minus perspicue. Eam inter modernos peculiariter notat *Kern,* qui, minus clare explicata mente antiquorum de hac re, observat: "Ob rationes propositas videtur consentiendum esse, morbos, qui per medicinam salutarem curantur, plerumque aliquo modo habere rationem poenae. At num non possit accidere, ut Deus fidelem aliquem suum servum ex mera charitate sinat incidere in letalem morbum ea intentione, ut crescat virtute et meritis, particeps fiat bonorum spiritualium s. Unctionis, simulque eius virtute sanitati restituatur iam magis proficuae bono spirituali quam longius producta infirmitas, vix cum certitudine decidetur; nec multum nostra interest, hac in re velle penetrare consilia providentiae divinae."7"

"*In 4 Sent.,* dist. 23, a. 4, ad 3; a. 10, ad 2; a. 11, ad 3, *Opera omnia* XXX (ed. 5. C. A. Borgnct, Parisiis: Vivès, 1894) 10, 17, 18.

:0 *Op. cit.* (supra, in p. 203) 21S.

Pariter moderni *Schismatici Orientales* in ea connexione insistunt eamque vario modo interpretantur. Ad rem *Spdcil:* "Quod quaestionem attinet, utrum quaecumque infirmitates vel certae cuiusdam speciei morbi solummodo, et quales per s. unctionem sacramentaliter sanentur, sciendum est theologos orientales fere omnes rationem, cur aliquod sacramentum simul et peccatorum remissivum et sanationis corporalis restitutivum institui poterit et re vera institutum sit, inde repetere, quod dantur certae infirmitates a peccatis causatae tamquam poenae; quem nexum inter peccata et morbos in ipsa revelatione fundari dicunt (provocant ad exemplum paralyticorum apud Io. 5, 14 et Mc. 2, 5). Inde iam concludunt per s. unctionem aut praecipue aut exclusive ea peccata remitti, quae causa praesentis infirmitatis hominis sacramento muniendi extiterunt. . . Et similiter censent per s. euchelaeum eas praesertim infirmitates sanari, quae peccatorum sequelae sunt. Immo aliqui theologi effectum sacramentalis sanationis ad solas has infirmitates ex peccatis provenientes restringunt, testante sic ipso Andrutsos, qui hanc sententiam oppugnat. Et re vera expresse hoc affirmant e. gr. Theophilos Kampanias et Jastrebov. Quae opinio ab Andrutsos reicitur, cum nullo solido argumento fulciatur; immerito autem hic auctor scribit eam influxui theologiae occidentalis deberi."[71]

Conclusio 4. Effectus sanitatis corporalis per hoc sacramentum producitur non immediate, sed mediante ipso principali effectu sanationis spiritualis, seu curationis debilitatis animae, prout restitutio vigoris animae, connaturaliter ac vi sacramenti, redundat in ipsum corpus sub forma vigoris ac sanitatis corporalis.

Probatur 1a pars, *quod nempe effectus sanitatis corporalis producatur non immediate sed mediante principali effectu spiritualis sanationis.*

Id vehementer suadetur ex sequentibus rationibus:

Primo, ex unitate sacramenti et secundaria indole huius effectus. Recta enim ratio operandi, quam Deus sequitur in institutione et influxu sacramentorum, petit ut sicut in ordine finalitatis secundarius effectus non confertur nisi dependenter a principali, ita in ordine efficientiae non conferatur nisi mediante principali. Sic optime servatur tum unitas sacramenti in sua essentiali ratione causae, tum harmonia cum aliis, etsi spiritualibus, effectibus, qui, ut constat ex dictis in articulis praec. (art. 12-17; cf. etiam art. 11, p. 109 sq.), nonnisi mediante principali ab eodem sacramento conferuntur.

Secundo, ex dependentia corporis ab anima et influxu animae in

[71] *Op. cit.* (supra, in p. 204) 99.

corpus. Convenit enim ut Deus, qui in ordine supernatural! ordinem ipsum naturalem aemulatur ac perficit, sacramentalcm suum influxum praedictae dependentiae attemperet, ita ut, cum utramque animae et corporis sanitatem per idem sacramentum conferre statuerit, alteram mediante priori connaturaliter inducat.

Tertio, ex nexu inter infirmitatem corporis et infirmitatem animae. Ob utriusque enim partis connexionem et dependentiam, infirmitas corporis sequitur ex infirmitate animae, sive generaliter quia omnis infirmitas est quaedam reliquia peccati originalis, sive particulariter quia "ex infirmitate animae, quae est peccatum [actuale], interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino judicio dispensante" (C. *Gent.* 4. 73), sive quia quandoque, etiam sine peculiari influxu divino, ex animi morali defectu connaturaliter afficitur et corpus. Apprime autem convenit ut ordo sanationis sequatur ordinem infirmitatis, et sicut infirmitas descendit ab anima in corpus, ita animae spiritualis sanatio sacramentaliter protendatur in corporalem sanationem.

Quarto, ex satis communi et explicito consensu theologorum, qui constat ex dictis superius (p. 204-206), ubi pro hac sententia retulimus S. Thomam, Albertum M., Bonaventuram, Billot, Kern, Cappello. Lercher, Diekamp, Piolanti, quibus non pauci alii moderni addi possunt. Quoad sententiam trium priorum ac praecipuorum doctorum confer dicenda in probatione secundae partis huius Conclusionis (p. 228-230).

Quidam arguunt etiam ex Cone. Trid. quod videtur sanitatem corporalem exhibere ut immediatam sequelam "excitationis fiduciae" seu spiritualis confortationis animae. *Ita praecipue Kern* qui signanter in hoc insistit ut inde deducat etiam peculiarem suam opinionem, in Conci, seq. refutandam, de modo quo fit haec mediata collatio sanitatis corporalis, scilicet per naturalem redundantiam ipsius alleviationis.

Scribit enim: "Haec doctrina [de ipsa naturali redundantia] aperte confirmata est per Concilium Tridentinum. Cude mirum, quod a posterioribus theologis fere est neglecta substitutis opinionibus superius reiectis. Concilium enim docet, ex alleviatione et confirmatione animae per fiduciam misericordiae divinae consequi patientem tolerantiam morbi, victoriam tentationum et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit. 'Res [Extremae Unctionis] gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio . . . aegroti animam alleviat. et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae *fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus* et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis. facilius resistit, et *sanitatem corporis interdum,* ubi saluti animae expedierit, *consequitur'.* Ergo fiducia misericordiae

divinae, qua infirmus sublevatur et confirmatur, sanitatem non per modum impetrationis, sed *per se* adducit aeque ac tolerantiam morbi et victoriam tentationum. Quare optime doctrinae Concilii concordat, quod scribit s. *Bonaventura* (In textum Magistri a. 1, qu. 1 versus finem): 'In hoc sacramento aliquid est *naturale,* aliquid *supra naturam.* Effectus namque, qui est in spiritu, est supra naturam; sed quod ille redundet in carnem, istud *naturale,* est, secundum quod in psalmo dicit homo devotus: "Sitivit in te anima mea etc." et iterum alibi: "Refloruit caro mea etc." ' "T2

Attamen, haec ratio satis solida non videtur etiam ad confirmandam hanc communem doctrinam de mediata resultantia sanitatis corporalis ex spirituali, et multo minus ad confirmandam peculiarem illam Kern opinionem de naturali modo resultantiae. Nam, "excitatio fiduciae" est manifeste impar ad producendam ex sua propria vi corporalem sanitatem: unde quamvis, attenta sola grammaticali verborum constructione, corporalis sanitas videatur connecti proxime cum ea excitatione, logica tamen ratio exigit ut. saltem quoad sensum, connectatur cum priori effectu gratiae unctionis, a qua Concilium deducit ceteros effectus, tum spirituales (i.e. excitationem fiduciae, alleviationem incommodorum morbi et resistentiam tentationibus daemonum) tum corporalem. Ceterum, etiam secundum grammaticalem constructionem, probabiliter sanitas corporalis connectitur non cum excitatione fiduciae sed cum praedicta gratia unctionis, si nempe ad istam referatur vox "qua" (in inciso "Qua infirmus sublevatus etc."), ita ut sensus Concilii sit: "Effectus Extremae Unctionis est gratia, per cuius unctionem fiducia infirmi excitatur ct qua (i.e. per quam) infirmus sublevatus resistit tentationibus et interdum sanitatem corporis consequitur."

Idque confirmatur ex eo quod in priori schemate tridentino corporalis sanitas proponebatur sub distincta quoque ac separata grammaticali constructione; nam. post absolutam ac completam phrasim per verba "facilius resistit," incipiebat distincta periodus "Accedit ad hos effectus quandoque sanitas corporis, etc.," quam citavimus in art. 10 (p. 13).

Unde ex Tridentina illa pericope potest tantum deduci probabilis aliqua confirmatio, non in favorem peculiaris opinionis Kern sed solius communis sententiae de collatione sanitatis corporalis mediante sacramentali gratia unctionis, idque si cum probabilitate, ut dictum est, ad hanc gratiam referatur supradicta particula "qua."

Probatur 2" pars, *quod nempe sanitas corporalis producatur mediante*

:Op. cit. (supra, in p. 203) 207.

ipsa sanatione debilitatis animae, per supernaturalem ac connaturalem resultantiam vigoris animae in vigorem corporis, non vero mediante spirituali alleviatione seu confortatione animae, per naturalem nempe (iuxta Billot et Kern) vel supernaturalem (iuxta Cappello et Lercher) illius redundantiam in corpus.

Primo, veritas huius asserti necessario fluit ex duobus iam decisis, scilicet ex eo quod sanitas corporalis conferatur mediante principali effectu sacramenti, ut probatum est in prima parte, et hic effectus non sit mera alleviatio et confortatio animi sed interior ac physica sanatio debilitatis animi ex peccato relictae, ut fuse ostensum est in art. 11. Unde totum negotium ad hanc secundam quaestionem reducendum est.

Secundo, insufficientia ceteroquin utriusque explicationis adversariorum de praedicta redundantia confortationis animae in corpus, etiam directe ostensa est inter arguendum in praecedenti Conclusione (p. 217 sq.; adde nuper dicta de ratione quam Kern adducit ex Cone. Trid.).

Tertio, supradicta confirmatio, quam ex Cone. Trid. diximus afferri posse in favorem prioris partis Conclusionis, omnino collimat in favorem etiam huius secundae partis; nam gratia unctionis, per quam Concilium asserere videtur conferri sanitatem corporalem, est ipsa physica gratia habitualis collata per sacramentum, quam in art. 11 diximus esse sanativam interioris debilitatis animae.

Quarto, in nostram sententiam collimant dicta et mens S. *Thomae,* nec ab ea ullatenus dissentiunt ipsi *Albertus M.* et *Bonaventura,* quos quidam auctores in sensum adversae sententiae de naturali redundantia confortationis superficialiter interpretantur.

5. *THOMAS* nihil dicit quo ullatenus indicet effectum corporalis sanitatis sequi veluti naturaliter ex ipsa animae alleviatione ad sensum primae sententiae, sed e converso illum effectum directe ac constanter refert ad ipsam vim et efficaciam sacramenti. "Extrema unctio . . . facit corporalem sanationem ex . . . virtute divina" *(Suppi.,* q. 30, a. 2; cf. totum contextum); "Nec praeiudicat virtuti sacramenti si aliquando infirmi . . . non ex toto ab infirmitate corporali curantur" (C. *Gent.* 4. 73); "Per . . . spiritualem medicinam sanatur infirmitas corporalis" *(ibid.).* Praeterea, S. Doctor, aliter ac in secunda sententia, supra relata (p. 205), plusquam extrinsecum quendam nexum ponit inter sanationem animae et sanationem corporis, sicut ceteroquin inter utriusque infirmitatem: "Quia vero corpus est animae instrumentum; instrumentum autem est ad usum principalis agentis: necesse est quod talis sit dispositio instrumenti ut competat principali agenti; unde et corpus disponitur secundum quod congruit animae. Ex infirmitate [autem] . . . animae, quae est peccatum, interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino judicio dispensante. . . Conveniens igitur fuit ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis, *per quam quidem spiritualem medicinam sanatur infirmitas corporalis* aliquando, cum scilicet expedit ad salutem" *(ibid.).*

Iuxta S. Thomam igitur corporalis sanitas causatur ab ipsa eadem spirituali medicina per quam ipsa anima a peccato, seu a debilitate relicta per peccatum,

sanatur; haec autem medicina pro S. Doctore nihil aliud est quam ipsa gratia interius ac physice curativa (cf. dicta in art. 11, p. 66-68, 104-107); unde sanitas corporalis causatur per ipsam gratiam per quam causatur sanitas spiritualis, quod nequit fieri nisi per quandam physicam redundantiam ipsius effectus sanitatis spiritualis in corpus, sub forma corporalis vigoris ac sanitatis. Quod quidem apte exprimit ipse S. Doctor in eodem opere *C. Gent.* 4. 58, ubi agens de septenario numero sacramentorum et exhibens convenientiam simul ac discrimen inter Poenitentiam et Extremam Unctionem quoad utriusque effectum, scribit: "In vita spirituali . . . quartum . . . est spiritualis sanatio, quae fit vel in anima tantum per poenitentiae sacramentum, vel *ex anima derivatur ad corpus,* quando fuerit opportunum, per extremam unctionem."

In hanc S. Thomae doctrinam essentialiter collimant etiam Albertus M. et Bonaventura (si excipiatur Bonaventuram pro effectu principali habere non ipsam curationem spiritualis debilitatis sed remissionem venialium), etsi unam vel alteram ipsi proferant expressionem quae, separata a toto contextu, videtur favere supradictae primae sententiae Billot et Kern.

ALBERTUS M. sibi obicit: "Sicut se habet medicina spiritualis ad morbum spiritualem, sic se habet corporalis ad corporalem: sed medicina corporalis non valet nisi ad alleviationem corporum: ergo medicina spiritualis non valet nisi ad alleviationem spiritus: sed omne sacramentum est medicina spiritualis: ergo non valet nisi ad alleviationem animae: ergo male dicitur, 'Ad alleviationem utriusque infirmitatis.'" Respondet autem: "Dicendum, quod non est simile de corporalibus ad spiritualia, et spiritualibus ad corporalia: quia spiritus continet corpora: sed non convertitur. Et ideo quaedam infirmitates causantur in corpore ex anima, sicut ex causa, et non e converso, nisi per occasionem: *et ideo valentia contra infirmitatem animae, valent per consequens contra morbum corporis:* quia praecisa causa praeciditur effectus: sed non *e* converso. Et ideo non valet argumentum, et praecipue in isto sacramento: quia tunc maxime valet contra morbum corporis, quando iste morbus causatur ex morbo mentis: et sic bene potest una medicina ordinari contra duos morbos, quorum unus est causa alterius."

Item continuo sibi obicit: "Baptismus fortius est sacramentum, quam extrema unctio: et non valet ad curationem infirmitatis corporalis: ergo videtur, quod nec extrema unctio, quae est minus efficax sacramentum." Respondet autem: "Dicendum quod *non est ex efficacia vel fortitudine hujus sacramenti, quod sic vel sic valeat, sed ex institutione et ordine corporalium ad spiritualia:* et ideo nihil valet argumentum quod fit ex efficacia baptismi."[73]

Ex priori responsione nihil difficultatis erui potest, cum, etsi sermo sit de resultantia corporalis sanitatis ex spirituali, non dicitur tamen eam resultantiam esse mere naturalem. Neque hoc ex altera responsione deduci potest, etsi prima fronte videatur ambigua; nam, collata responsione cum ipsa obiectione, sensus illius est: Ex hoc quod Extrema Unctio, secus ac Baptismus, valeat ad curationem corporalem nequit deduci eam esse efficacius sacramentum quam Baptismus, nam ille effectus non est essentialis Extremae Unctioni, quasi necessario fluens ex eius propria vi ac indole, sed est accidentaliter ei additus *ex institutione divina,* congruenter quidem cum natura rerum seu cum ordine et dependentia quae adest inter corporalia et spiritualia. Mens Alberti illustratur etiam ex textibus supra relatis (p. 182-184) in quibus significat effectum proprium huius sacramenti esse removere impedimenta ad glorificationem tum animae tum corporis; patet enim corporis glorificationem non esse naturalem resultantiam sanitatis aut glorificationis animae.

BONAVENTURA: "Quoniam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, cum illud sacramentum sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quemdam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima, et per

[n] *Op. cit.* (supra, in p. 224) 4 sq.

consequens repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animae: hinc est quod istud sacramentum principaliter est ad curationem et alleviationem infirmitatis spiritualis, scilicet peccati venialis, et per accidens est ad curationem et alleviationem infirmitatis corporalis, quodam modo *roborando animam, quae regit corpus.* . . Quod tamen obicitur. quod [spiritualis medicina] nullo modo debet valere [ad curationem morbi corporalis], a simili, quia corporalis medicina non sanat spiritualem morbum, dicendum quod non est simile, *quia spiritus continet corpus; unde passiones animales multum redundant in carnem.* . . Ideo non est mirum, si tranquillatur anima et vigoratur et laetificatur, si etiam hoc redundat ad corpus. Et sic hoc sacramentum respectum habet ad corpus relevandum propter alleviationem spiritus. *Ad illud quod quaeritur: per quam virtutem hoc facit? dicendum quod per virtutem supra naturam;* sed illa operatur secundum divinam institutionem, quae noluit per hoc sacramentum prodere secretum fidei, et ita nec secundum legem communem ab infirmitatibus incurabilibus liberare. Et iterum, in hoc sacramento aliquid est naturale, aliquid supra naturam. Effectus namque qui est in spiritu, est supra naturam, *sed quod ille redundet in carnem, istud naturale est.*"·'

Unica difficultas invenitur in ipsis ultimis verbis: "Quod ille redundet in carnem, istud naturale est"; attamen ne haec directe contradicant verbis immediate praecedentibus, in quibus explicite dicitur sanationem corporalem fieri per "virtutem supra naturam," nonnisi unum ex his duobus sensibus logice admittere possunt: vel quod supernaturalis redundantia dicatur esse connaturalis (accepto naturali pro connaturali) i.e. iuxta dependentiam corporis ab anima, vel quod id quod supernaturaliter redundat (seu ipse effectus corporalis) dicatur esse naturale.

Quinto, nulla ceteroquin impossibilitas aut ineptitudo in nostra sententia deprehendi potest, quinimmo ipsa harmonice componitur cum aliis capitibus theologiae sive de proprio fine sacramentorum sive de supernatural! hominis elevatione secundum animam et corpus.

Dictum est enim in tractatu *De sacr. in genere* 223, sacramenta omnia esse instituta non solum ad perficiendam et sanctificandam animam, sed etiam ac peculiariter ad sanandum in ea vulnus peccati originalis necnon sequentium actualium peccatorum, ope gratiarum sacramentalium, quarum unaquaeque ordinatur ad reparandum aliquem defectum ex peccato provenientem; specificus vero ac principalis defectus, qui per Extremam Unctionem reparatur, est spiritualis languor ex peccatis relictus, qui tanquam quidam morbus animam aggravat ac debilitat, ut explicatum est supra in art. 11 (p. 104-110). Cum eo autem principali vulnere a peccato originali illato et cum hac animi debilitate a peccatis actualibus relicta, intime connectitur omnis corporis defectus, qui ad mortem, morbum et dolorem reducitur, quemque abstergebat originalis illa integritas, quae ab ipsa gratia animam ornante in corpus refluebat.

Nihil igitur mirum si hoc Extremae Unctionis sacramentum gratiam suam, animae sanativam, cum tali peculiari modo ac perfectione con-

" *In 4 Seni.,* dist. 23, a 1, q. 1, corp, ct ad 3 ct 4, *Opera theologica selecta,* IV *Liber IV. Sententiarum* (ed. minor, Ad Claras Aquas 1949) S79. In *Brcviloquio,* p. 6, c. 11, S. Doctor nonnisi hacc habet: "Et quia pluribus infirmis expedit adhuc vivere ad suorum cumulum meritorum: hinc est, quod Sacramentum istud et animam vigorando in bono et exonerando a malo frequenter etiam alleviat a morbo."

ierat ut sit ordinata ac potens diffluere in sanationem ipsius corporis, quod ab anima gratia exornata regitur ac dominatur, et in partialem quandam, utut improprie dictam, restitutionem illius originalis integritatis, quam perfecte restaurabit ipsa finalis gratia supernae beatitudinis, pariter ex anima in gloriosum corpus redundantis. Nec ceterum obest quod huiusmodi redundantia ex sacramentali gratia non semper ac necessario procedat, sed conditionate tantum et quando spiritualiter expediat; nam. cum ipsa sit accidentalis virtus a gratia sacramentali separabilis, potest a Deo iuxta hanc conditionalem legem impediri, quemadmodum iuxta legem redemptivae Incarnationis impediebatur redundantia animae Christi beatae in glorificationem sui corporis.

Concordat etiam huiusmodi explicatio cum generali Thomistarum doctrina de causalitate physica sacramentorum. Nam. etsi Extrema Unctio non causet physice ac directe ipsam corporis sanitatem, ad modum nempe quo haec causatur per medicinam naturalem vel miraculosum interventum divinum, physice tamen causât ipsam sanationem debilitatis animae, infundendo ipsum germen gratiae unctivae ac curativae, quod valeat subinde ex anima in consortem materiam connaturaliter diffluere, sub forma corporalis vigoris ac sanitatis.

ART. 19. Utrum Effectus Huius Sacramenti Simul Ac Totus Conferatur In Ipso Momento Quo Absolvuntur Omnes Unctiones Ex Quibus De Facto Resultet Essentia Sacramenti.

STATUS QUAESTIONIS

Expleta per septem praec. articulos quaestione de modo quo varii sacramenti effectus producuntur, logice succedit quaestio de praeciso tempore quo ipsi conferuntur; de qua quidem *duo a theologis disputantur,* in ipso titulo articuli involuta:

1. Utrum illi effectus conferantur post expletam ultimam unctionem, ita ut in praecedentibus unctionibus nullus effectus, ne partialiter quidem, conferatur. De extraordinaria autem administratione sacramenti in qua unica unctio adhibetur, nulla est disputatio sed apud omnes constat nullum effectum conferri nisi post expletam hanc unctionem eiusque formam.
2. Utrum omnes et singuli effectus illico ac simul conferantur.

Disputatio ac solutio harum quaestionum, et praecipue primae quae signantius agitatur a theologis, intime connectuntur ac directe pendent a superius disputatis sive circa materiam, seu modum quo pluralitas unctionum se habet in hoc sacramento (art. 4 et 5), sive etiam circa ipsos effectus, seu modum quo isti diversimode a theologis concipiuntur

tum in sua dependentia ab uno principali tum in sua collatione per sacramentum (art. 11-18). Hinc aliqua sententiarum varietas necnon fluctuatio apud theologos praesertim modernos.

Cum praesenti autem materia non est confundenda duplex alia quaestio, aliunde cum ea generaliter connexa, primo scilicet utrum aliquis effectus conferatur etiam quando supplentur unctiones, omissae in collatione sacramenti per unicam unctionem, de quo sufficienter diximus in art. 5 (tom. 1, p. *474-^77; cf.* 464); secundo, an detur reviviscentia sacramenti, in qua nempe confertur prior ipse effectus frustratus in susceptione sacramenti validi et informis, de quo dicetur in art. seq.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

PRIMAM QUAESTIONEM quod attinet, *an nempe effectus non conjeratur nisi post ultimam unctionem,* varietas sententiarum provenit ex vario modo quo pluralitas unctionum sacramentaliter consideratur. Apud theologos antiquiores praevaluit consideratio sacramentalis unitatis illarum, S. *Thoma et Thomistis* tribuentibus huic sacramento unitatem non solum integritatis sed etiam indivisibilitatis, ac inde inferentibus nullum effectum conferri nisi postquam omnes unctiones praecesserint ex quibus omnibus resultat unum ac indivisibile sacramentum, *Scoto vero et Scotistis* tribuentibus sacramento solam unitatem integritatis, ita nempe quod singulae unctiones constituant veluti partialia sacramenta (sicut duae species eucharisticae), ex quibus unum integrum perfectumque sacramentum resultet, ac inde inferentibus singulas unctiones habere suos partiales effectus, ex quibus copulatis resultat unus ac integer effectus. In sententiam thomisticam *Dominicus Soto* subinde introduxit explicitam considerationem influxus intentionis ministri in determinando quae sit ultima unctio, quam quidem considerationem alii cum Suaresio reiecerunt, alii vero admiserunt et congruentius determinarunt. Apud modernos, clarificata ac tandem ab ipsa Ecclesia confirmata doctrina de sufficientia unicae unctionis ad valorem sacramenti, consideratio istius sufficientiae suum influxum exercuit in praesentem quaestionem, ita ut nata sit tertia quaedam sententia, iuxta quam effectus sacramenti conferatur in prima unctione; cui tamen sententiae refragati sunt alii frequentiores theologi, adhuc fideliter adherentes duobus antiquioribus sententiis, praecipue sententiae S. Thomae, quae fuit et est communior.

Variae igitur theologorum opiniones ad sequentes tres sententias reduci possunt:

PRIMA SENTENTIA docet effectum non conferri nisi post ultimam unctionem.

Ratio est quia sacramentum non agit nisi quando essentialiter completur, hoc autem sacramentum non completur essentialiter nisi per ultimam unctionem nec aliunde est divisibile sed unum et simplex, quatenus omnes partiales unctiones concurrunt in unam significationem et consequenter in unam causalitatem.

Haec fuit et adhuc est longe communior sententia in omni schola praeter Scotisticam. Inter alios notari possunt S. *Thomas, Albertus M., Cone. Beneventanum* a. 1374, *Paludanus, Ledesma, D. Soto, Suarez, Salmanticenses morales, Gonet, Billuart, Ballerini-Palmieri, Pesch, Kern, Noldin* (ed. ante Codicem), *Otten, Hugon, Prümmer, Cappello, Conte a Coronata, Zubizarreta.*

Ceterum, in hac sententia quatuor opiniones vel dicendi modi deprehenduntur, iuxta diversum modum quo assignatur quae sit ultima unctio.

Quidam, ut S. *Thomas, Albertus M., Cone. Beneventanum* a. 1374, *Paludanus, Gonet, Salmanticenses morales, Billuart, Noldin* (ante codicem; cf. infra, p. 241), *Hugon, Prümmer, Zubizarreta,* simpliciter asserunt effectum conferri post quinque unctiones (vel post quintam unctionem) nec ampliorem addunt determinationem.

S. *THOMAS, Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 3: "Quando sunt multae actiones ordinatae ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium, et agit in virtute earum. Et ideo *in ultima actione gratia infunditur,* quae effectum sacramento praebet." Cf. q. 29, a. 2, cit. in art. 4, tom. 1, p. 410 sq., ubi S. Doctor explicat unitatem huius sacramenti.

ALBERTUS M. (cit. in art. 4, tom. 1, p. 412): "Omnes [unctiones] sunt unum sacramentum: quia quaelibet est signum et causa purgationis reliquiarum *non secundum partem, sed secundum totum omnes simul.* . . Si autem quaeritur, quae unctio sit complens totam et perfectam sacramenti essentiam? Dicendum quod ultima in comparatione ad omnes alias praecedentes."

CONCILIUM BENEVENTANUM a. 1374, sua facit verba S. Thomae, docens: "Licet multae fiant ibi unctiones, ultima tamen est ibi formalis respectu omnium praecedentium, et agit in virtute earum, et ideo in ultima inunctione gratia infunditur, quae effectum praebet sacramenti. Et ideo unum sacramentum dicitur unitate perfectionis, quae est per finem".[75]

NOLDIN (cit. in art. 5, tom. 1, p. 465 in nota): "Non singulae unctiones earumque formae effectum sacramentalem producunt, sed gratia infunditur in ultima unctione, qua sacramentum essentialiter completur. . . Communius [theologi] . . . cum s. Thoma docent, gratiam in ultima unctione conferri."

HUGON: "Sententia, quae est S. Thomae et communis evasit, reponit totum effectum dari, quando essentialiter perficitur sacramentum."[75]

[75] Apud Catalano, *Rit. Rom.,* t. I, d. 319. Acta huius Concilii non referuntur in Collectionibus Mansi et Harduin. Mansi (26. 619 sqq.) refert tantum acta subsequentis Concilii Beneventani a. 1378, sed addit in nota (ad calcem coi. 619) Benedictum XIII, adhuc cardinalem, edidisse (in suo *Synodico Beneventano) Librum provincialem ecclesiae Beneventanae,* a Guidardo archicpiscopo confectum et in eo Concilio a. 1374 approbatum.

[76] *Tractatus dogmatici,* III: *De sacramentis in communi et in speciali ac de novissimis* (ed. 14, Parisiis 1948) 656.

Alii, ut *Suarez, Pesch* et *Cappello,* explicite notant determinationem ultimae unctionis non pendere ab intentione ministri, adeoque in praxi latina effectum sacramenti conferri immediate post quinque sensuum unctiones, ita ut unctio pedum, aut renum (si quando adhibeatur) subsequatur collationem effectus.

SUAREZ: "Vera sententia est, effectum hujus sacramenti dari in eo instanti in quo consummatur essentialiter hoc sacramentum, consummari autem cum primum quinque unctiones cum quinque formulis perficiuntur. Quae sententia est communis D. Thomae et aliorum quos retuli; et sufficienter probatur, tum ex generali doctrina sacramentorum hic applicanda, tum a sufficienti partium enumeratione. Unde fit. quoniam ordo unctionum non est de essentia, ut supra dictum est, si contingat mutari ordinem, illam unctionem, quae postrema sit, habere hanc efficaciam in virtute omnium praecedentium, et verborum formae. Sequitur deinde intentionem ministri nunquam esse limitandam ad ultimam unctionem, quam ipse facere cogitat, si illa futura sit alia praeter essentiales, sed vel esse determinandam ad ultimam necessariam, vel esse generaliter concipiendam juxta id quod institutum est, seu Ecclesia intendit, vel (melius) non esse necessariam in ministro intentionem effectus, seu efficiendi hoc vel illo tempore, aut per hanc vel illam unctionem, sed solum debere habere intentionem faciendi sacramentum, quia ex illo quasi necessitate naturae sequitur efficientia tempore et modo consentaneo institutioni. Tandem ex dictis habetur, idem cum proportione dicendum esse de formis, quod de unctionibus; tamen, quia non simul existunt. sed successive fiunt, ideo in ultima censetur esse virtus omnium, et per illam fieri effectum eo modo, quo in ultimo instanti, in quo sensus ejus perficitur, existit. Quod si tunc simul finiantur ultima forma et ultima unctio, simul concurrunt; sin minus, illa, quae fuerit ultima, agit in virtute omnium partium praecedentium, ut de sacramentis in genere, et de baptismo, et aliis dictum est."[77]

PESCH: "Dicendum est effectum dari eo momento, quo essentialiter perficiatur hoc sacramentum, i.e. secundum modum latinum post unctionem omnium sensuum. Sin juxta alios ritus sacramentum aliter administratur, eo tempore gratia infunditur, quo perficitur forma significans completum effectum. Aliae unctiones, quae postea fortasse adduntur, ut apud latinos unctio pedum, solummodo magis explicant virtutem sacramenti et per modum sacramentalium operantur. Sunt quidem theologi, qui putant posse ministrum sua intentione suspendere effectum sacramenti, donec omnes unctiones compleverit. Sed alii dicunt, si minister vere velit facere, quod Christus instituit, eum non posse sua intentione suspendere effectum, postquam posuit essentialiter integrum signum a Christo ordinatum."[78]

Alii introducunt elementum *intentionis ministri,* ut determinans quae sit ultima unctio post quam effectus sacramenti confertur. Duplex autem affertur explicatio. *D. Soto* docet quod, aliae unctiones, quas praeter quinque sensuum unctiones contingit addi ab Ecclesia, uti unctio pedum et renum in ecclesia latina, etsi non sint de essentia sacramenti, pertinent tamen ad eius integritatem, et ideo effectus sacramenti datur vel post quinque unctiones, si solae adhibentur, vel post ceteras omnes (puta post unctiones pedum et renum), ubi aliae adduntur, quia intentio sacerdotis administrantis sacramentum debet

[n] *Op. cit.* (supra, in p. 200), s. 2, n. 12, p. 841 sq.

[77] *De sacramentis,* pars 2. *Praelectiones dogmaticae* (ed. 4 et 5, Friburgi Brisgoviae 1920) *VII* 276 sq.

ferri ad omnes unctiones quae de facto adhibentur, sive essentiales sint vive intégrales. *Kern'0* vero, reiecta hac partium essentialium et integralium distinctione ac retenta sola Soti sententia de influxu intentionis ministri, docet quod si sacerdos, faciens varias unctiones cum forma generali (puta: Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti) aut cum forma pleniori (puta: Indulgeat tibi Deus quidquid per omnes sensus deliquisti, vel, quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti), repetita ad singulos sensus, intenderet plenum effectum significare ac conferre, hic conferretur in ipsa prima unctione in qua talis intentio interveniret, ita ut ceterae unctiones essent mere caeremoniales; et similiter, si sacerdos, faciens quinque sensuum unctiones cum forma particulari iuxta modum latinum, non intenderet significare totum effectum sacramenti, puta si nollet includere remissionem peccatorum per gressum commissorum, effectus sacramenti non conferretur nisi post sextam unctionem pedum, quia tunc tantum absolveretur essentia sacramenti.

SOTO: "Gravius . . . argumentum contra secundam conclusionem existit. Dictum enim est supra sacramentalem gratiam infundi in termino prolationis ultimae formae. .Arguitur ergo sic. Quinque priores unctiones, ut dictum est, sunt tantum de essentia sacramenti: ergo in termino prolationis formae in manibus infunditur gratia: atque adeo unctio renum, vel pedum non est pars sacramenti.

"Ad hoc respondetur, ut de tribus mersionibus baptismi, et de forma consecrationis calicis dictum est. Differt enim inter partem essentialem sacramenti, et partem integralem: essentialis enim est. sine qua nullum esset sacramentum; integralis vero, quae ex institutione ecclesiae concurrit ad effectum sacramenti. Digitus enim et manus in homine pars quidem integralis est, concurrens ad opera vitalia, sed tamen non est de eius essentia: quia abscissa manu homo viveret. Quare si non esset sic institutum [ab Ecclesia], sine illis duabus unctionibus [pedum et renum] esset iure divino sacramentum. Unde quando ecclesia iubebat. ut tribus mersionibus fieret baptismus, intentio ministri deberet ad omnes referri: quare gratia tunc non conferebatur, nisi in ultima mersione. sed tamen ubi illa constitutio cessavit, una sufficit de iure divino. Pari modo per omnia verba consecrationis calicis fit consecratio, quamvis non sint de essentia nisi, Hic est calix sanguinis mei. Horum ergo instar ubi non fieret unctio nisi usque ad manus, illic conferretur gratia, in ecclesiis vero ubi aliae adhibentur, intentio ministri debet ad omnes referri, et tunc nisi in ultima non confertur.""0

KERN: 'De tempore, quo conferatur gratia sanctificans prima vel secunda, haec sunt dicenda:

"In ecclesiis orientalibus, in quibus minister, dum ungit diversa organa infirmi, unam formam solummodo semel recitat, sacramentum completur et gratia confertur peracta ultima unctione, cum qua simul finitur deprecatio. Idem dicendum est. quod attinet antiquas ecclesias occidentales, quarum Ordines pariter unam formam semel inter actionem sacramentalem sacerdoti dicendam praescribebant.

"Cui fere subscribit *Conte a Coronata* (n. 545) necnon *Ottcn* qui ait: "Verior autem ea sententia videtur, juxta quam collatio gratiae sanctificantis suspenditur usque ad ultimam unctionem essentialem, quam minister perficere intendit, et tunc demum tota gratia datur" (n. 304).

' Disp. 23, q. 2, a. 3, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Vcnetiis: apud I. M. Lcnum 1575) I 1077.

Difficilius deciditur, quando gratia collata sit servatis illis Ordinibus, qui plures unctiones et ad unamquamque propriam formam statuebant, quarum aliquae, plerumque iam prima, omnes effectus explicite vel saltem implicite postulabant. Pro recta solutione quaestionis cum Dominico Soto attendendum est ad intentionem ministri. Aliud sane est, unctionem infirmi peragere e. gr. in pectore, et aliud est, pectus infirmi ungere. Si igitur sacerdotes . . . intendebant, unctionem infirmi a s. Jacobo mandatam peragere in pectore, quod eos in casu extremae necessitatis rcipsa intendisse credendum est, statim post primam unctionem, cum qua coniungcbatur forma universalis, gratia conferebatur, non minus quam in ecclesiis, quae secundum suum ritum in omni casu unam tantum unctionem cum simili forma universali adhibebant. Completo statim ab initio sacramento reliquae unctiones ct deprecationes habebant solum rationem caeremoniarum Ecclesiae. Si vero sacerdotes intendebant unctionem infirmi peragere liniendo organa a suo libro rituali designata, ita ut singulas unctiones seorsim sumptas referrent tantum ad singula organa, gratia conferebatur finita tota actione sacerdotali. Credendum est, mentem illarum ecclesiarum fuisse, ut in casibus ordinariis secundo modo sacramentum administraretur.

"*Nunc in tota ecclesia occidentali* servatur modus a rituali romano praescriptus, nisi quod in aliis regionibus solum quinque sensus, in aliis insuper pedes, in quibusdam etiam renes virorum unguntur. Ad quaestionem, quando secundum hunc ritum gratia detur, respondendum est primo, non dari ante quintam unctionem completam. Quamvis enim unctio e. gr. oculorum per se possit considerari ut unctio infirmi simpliciter, forma manifestat, eam referri tantum ad oculos; quippe sacerdos liniens organon visus non petit a Deo nisi remissionem delictorum, quae infirmus per unum sensum commisit, ergo ne illum quidem effectum, quem explicite commemorat — remissionem peccatorum —, integrum exposcit. Eodem modo dicendum de aliis unctionibus particularibus.

"Dein ubi non liniuntur pedes et renes, sacramentum completur et gratia certe confertur peracta quinta unctione. . . Quare sacerdos intendens petere remissionem omnium peccatorum, quae per sensus quomodocumque sunt commissa, post prolatam quintam formam partialem unum effectum integrum explicite et in eo implicite omnes poposcit ideoque sacramentum complevit; talem autem intentionem habet eo ipso, quod sola unctione sensuum vult s. officium peragere.

"Quid vero, *ubi secundum morem praeter organa sensuum pedes vel etiam renes unguntur?* Scribit Dionysius Carthusianus (Summa fidei orthod. l. IV, a. 150) post alios scholasticos: 'Sicut corporalis medicina non toti corpori applicatur, sed parti, in qua vulnus dominatur, sic Extrema Unctio, quae est spiritualis medicina, non toti corpori apponitur, sed partibus illis, in quibus est radix peccandi, scilicet in sensibus, qui sunt principia nostrae cognitionis, et in renibus ad designandam vim appetitivam, quae imperat actum; atque in pedibus, per quos designatur vis exequens motum.' Si igitur sacerdos ob istam rationem vel simpliciter ob usum suae ecclesiae velit unctionem infirmi perficere liniendo sex vel septem organa, ct si petens remissionem delictorum commissorum per sensus nolit includere peccata 'per gressum' vel insuper 'per lumborum delectationem' admissa sacramentum completur post sextam vel septimam unctionem et tunc tandem gratia confertur.

"Per se patet, non posse determinari, qualem intentionem sacerdotes singuli quovis tempore habuerint vel nunc habeant. Sed qui perlustrat antiquos ordines illos, in quibus jam praescribitur unctio septuplex, vix sibi persuadebit, eorum auctores prae oculis habuisse scholasticas speculationes, ex quibus deducitur, semper per quintam unctionem sacramentum compleri; iudicabit potius, eis ne in mentem quidem venisse, ut distinguerent unctiones vere sacramentales et mere caeremoniales, sed voluisse, ut omnibus unctionibus cum formis simul prolatis sacramentum perficeretur. — Cum sacerdotes administrantes sacramentum communissime idque recte hanc unam intentionem habeant, ut peragant omnia secundum voluntatem Ecclesiae et morem suae dioecesis, videtur dicendum, nostro tempore unctionem

renum, quae tantum viris adhuc in quibusdam regionibus adhibetur, esse cacremonialem tantum; num unctio pedum ubivis desierit esse stricte sacramentalis, dubito."[81]

Alii tandem, ut quidam a Suaresio reticito nomine commemorati, et unus vel alter inter modernos, uti *Ballerini-Palmiori,* dicunt quod, quamvis per se ct ordinarie effectus detur post quinque unctiones, tamen in *casu necessitatis quo nempe infirmus moriatur ante absolutas omnes unctiones,* effectus confertur per ipsam primam unctionem vel per illam unctionem post quam infirmus decedit, sive si sacerdos, praevidens periculum a principio explicite intenderit absolvere sacramentum et conferre eius effectum disiunctive in quinta unctione vel in aliqua antecedenti prout potuerit, sive etiam si nihil praevidens aut determinans, intenderit conferre sacramentum modo communi et ordinario. Ratio est quia quinque unctiones non sunt necessariae ad valorem sacramenti, sed quaelibet sufficit, etiam unica; unde in casu quo reliquae nequeunt applicari, quaecunque iam applicata unctio sufficiet ad constituendum sacramentum et conferendum effectum, quemadmodum confessio non integra sufficit ad sacramentum Poenitentiae in casu quo ob instantem mortem nequeat absolvi.

Ad rem *SUAREZ:* "Superest . . . difficultas . . . de casu illo, quando accidit infirmum non posse recipere quinque unctiones, sed unam, vel duas, an omnino privetur effectu hujus sacramenti . . . [Id] ex parte ipsius infirmi duobus modis accidere potest, primo, ut periculum [mortis antequam absolvantur omnes unctiones] non sit praevisum, nec minister intendat aliter quam communi modo conferre hoc sacramentum, et finita una vel duabus unctionibus infirmus moriatur: secundo, ut praeviso periculo id minister intendat.

"In priori casu dicunt aliqui, tali infirmo dari gratiam sacramentalem totumque effectum hujus sacramenti, *Summa confessorum,* l. 3, tit. 24. q. 140. *et alii noviores;* comparantque quoad hoc extremam unctionem cum confessione, quae valida est, etiamsi propter instantem mortem non possit integre fieri. . .

"Majus dubium est de secundo casu, quando sacerdos praevidens periculum infirmi, a principio intendit perficere sacramentum in una vel duabus unctionibus, prout potuerit; videtur enim tunc illa intentio efficax et prudens, atque adeo ratione illius, et perfici sacramentum et dari effectum. Et quoad hoc potest applicari exemplum confessionis, quia, licet per se loquendo, materia essentialis illius sacramenti sit omnium peccatorum confessio, in necessitate vero sufficit confessio unius peccati, et haec confessio dicitur tunc formaliter integra; ergo in hoc etiam sacramento dici potest, per se loquendo, integram et essentialem materiam esse quinque unctiones, tamen in necessitate unam vel duas esse materiam formaliter integram ct sufficientem; ergo si alioqui minister intendat in illis efficere sacramentum, revera perficit, et confert effectum. Atque *haec sententia (ut audio) aliquibus non displicet,* quia est pia et favorabilis, et non videtur habere aliquod incommodum. Juxta illam vero etiam in praecedenti casu dicendum esset, semper in hujusmodi eventu perfici sacramentum et dari effectum, moraliter loquendo; quia omnis minister intendit perficere sacramentum meliori modo quo potest; seu prout Christus instituit, seu intendit; juxta hanc vero sententiam Christi institutio fuit quasi disjunctim, scilicet, ut sacramentum hoc quinque unctionibus fiat, si potest, sin vero, fiat prout potuerit; hoc igitur ipsum intendit quilibet minister;

[81] *"De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 32S-33O.

ergo quoties non potuerint fieri quinque unctiones, implebitur conditio, et perficietur sacramentum, dabiturque effectus."[82]

BALLERINI-PALMIERI: "Probabilius certe est effectum [Extremae Unctionis) in fine tantum consequi; nam effectus sacramenti habetur, cum sacramentum positum est. non eius pars. . . At si inter ungendum mors superveniat, si una unctio pro valore sufficit, quod tamen difficilius est admittere, cum uni unctioni forma partialis adhibetur [ut fit in ordinaria administrationc in praxi latina), effectus statim sequetur."[83]

SECUNDA SENTENTIA docet eflectum partialiter conferri per unamquamque unctionem et totaliter compleri cum completur sacramentum post ultimam unctionem, ita ut qui accipit primam unctionem obtineat quintam partem effectus et qui moritur antequam absolvantur quinque unctiones, tot obtinuerit partiales effectus quot recepit unctiones. Quod quidem intelligitur iuxta qualitatem effectus, ut patet de effectu gratiae qui est divisibilis per gradus et de ablatione venialium peccatorum quae sunt separabilia in remissione, ita ut per unctionem oculorum dimittantur peccata per visum commissa et per unctionem aurium deleantur peccata commissa per auditum, et ita porro: remissio vero mortalium cum sit de facto indivisibilis, tota fit necessario per primam unctionem, ita tamen ut unaquaeque unctio per se remittat peccata commissa per correspondentem sensum, per accidens vero et ratione concomitantis gratiae remittat cetera omnia.

Ratio est quia Extrema Unctio non est unum et simplex sacramentum, unitate nempe indivisibilitatis, sed est unum sola unitate integritatis, seu coalescit ex pluribus partialibus unctionibus habentibus proprias partiales materias et formas, quibus proinde correspondet partialis effectus, iuxta generalem indolem sacramenti quod est essentialiter signum et causa gratiae et necessario causât quod significat, ita ut partiali significationi debeat correspondere partialis causalitas. Confirmatur tum ex exemplo sacramentorum Ordinis et Eucharistiae, quae, utpote ex partibus composita, conferunt partiales effectus per unamquamque ex variis ordinationibus et per unamquamque ex duabus speciebus eucharisticis, tum ex ipsa rei convenientia, quia ita occurritur periculo morientium absque omnibus unctionibus, cum una unctio sufficiat ad conferendam saltem essentiam gratiae et auferenda omnia peccata mortalia, ut requiritur ad salutem aeternam.

Hanc sententiam praeformavit ac satis clare indicavit *Scotus,* ponens praefatum principium quod "Extrema Unctio est unum sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut effectus eius non est unus indivisibiliter," ac determinarunt subinde eius discipuli,[84]

w *Op. cit.* (supra, in p. 200), s. 3, n. 1 ct 3, p. 842 sq.

M *Opus theologicum morale* V (ed. 2. Prati 1893) 691.

"Suarez (Disp. 41. sect. 2, n. 6) citat etiam *Paludanum, Hadrianum* ct *Medinam,* tanquam apparentes ct incertos defensores huius sententiae, qui tamen aliter intclligi

praecipue posttridentini, signanter *Ilyquaeus, Nostrius, Frassen, Moniejortino, Pontius* et *Sparer,* iuxta eorum sententiam de principali effectu Extremae Unctionis consistente in remissione venialium peccatorum.

SCOTUS sibi obicit: "Utrum extrema unctio sit Sacramentum novae legis? [Videtur] quod non . . . [nam] Sacramentum unum habet unam materiam et unam formam; hoc autem, secundum quod ministratur ab Ecclesia, habet multas materias, quia multas unctiones, et multas formas, quia multas orationes conjunctas multis unctionibus." Respondet autem: "Dico, quod *est unum Sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut cfiectus ejus non est unus indivisibiliter,* quia non remissio unius venialis, sed unus unitate plenariae remissionis omnium venialium, ut omnibus remissis nihil remaneat retardans a perceptione beatitudinis".[85]

"IExtrema Unctio] est sacramentum unum, quia habet tam unam materiam quam unam formam totalem, quae sunt unum signum totale unius effectus totalis, scilicet primariae innocentiae restitutae per remissionem totalem omnium peccatorum venialium; licet enim plures sint formae partiales, et multae tales materiae, ut septem partes corporis, et *multi partiales effectus, ut remissiones peccatorum venialium commissorum in parte tali vel tali,* ut ore vel manu, tamen una est totalis materia, et totalis forma, quae sunt signum totale totalis remissionis, et plenariae justificationis ab omni peccato veniali."[86]

HYQUAEUS ex hac ipsa doctrina de partiali collatione effectus probat aliam thesim scotisticam iuxta quam principalis effectus huius sacramenti est remissio venialium peccatorum, nam, ait, haec remissio est divisibilis secus ac mortalium remissio: "Confirmatur ratio praemissa [pro praedicta thesi] ex forma Sacramenti; peccata mortalia nequeunt remitti nisi simul. Sed in hoc Sacramento extremae Unctionis iteratur tam unctio quam forma, quae est deprecativa remissionis peccatorum, ad singulas partes determinatas, in quibus fit unctio, et completur tam unctio quam forma in suo sensu sacramentali ad singulas partes ex ritu Ecclesiae Romanae; ergo intelligitur ex hoc modo ministrandi Sacramentum, formam verificari praecise quoad ea peccata, quae remissione non sunt connexa, qualia sunt venialia, alias non deberet proferri forma seorsim. donec compleretur unctio in omnibus partibus, et proferri deberet copulative quoad omnes partes simul seu collective.

"Dices, non dari effectum Sacramenti, nisi post ultimam unctionem. Contra, in primis hoc non cohaeret Sacramentorum doctrinae, per quam tenetur completa forma et materia in eodem instanti dari effectum, si non sit obex. Deinde, si non datur effectus Sacramenti nisi completa ultima unctione et prolatione formae, sequitur non esse proferendam formam usque ad ultimam unctionem, quia omnis

possunt ut ipse explicat. Ipse Suarez satis fluctuantor hanc sententiam probabilem vocat, quamvis contrariam dicat videri magis probandam, imo subinde simpliciter assumat ut veram: "Haec sententia probabilis est; contrariam vero tenet D. Thom. . . . ct videtur magis probanda. . . Quarta ergo ct vera sententia est, effectum hujus sacramenti dari in eo instanti, in quo . . . quinque unctiones cum quinque formulis perficiuntur" *(ibid.,* n. 7 ct 12). Pariter *Coqinck* eam sententiam dicit non improbabilem, *Lavmann* vero non damnandam. Ad eam timide accedit unus vel alter modernus, ut IP. *McDonald* scribens: "As the form of each of the unctions signifies the remission of sin of some kind, each unction must be capable of infusing grace, which is the test of true sacramental efficacy. . . Should the opinion of Scotus be true, as I believe it is. I sec no reason why etc." ("The Sacrament of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 [19071'332 sq., 334.)

"In 4 Sent. [Opus Oxoniensel, dist. 23, q. un., *Opera omnia* XIX (Parisiis Vivès 1894) 3, 17.

"In 4 Sent. [Opus Parisicnsc], dist. 23, q. un., *ibid.* XXIV 347.

prolatio prior est inutilis et falsa, quia non habet effectum signatum tunc, neque postea, quia Sacramentum, quod est in usu, non dicitur aliquid causare, quando jam transiit, nullum post se effectum relinquens, in cujus virtute fiat effectus remissionis. Sed quando ultima unctio fit simul cum sua forma, non sunt formae, aut unctiones priores, neque earum effectus est ultima unctio, quae particularis est, et idem de forma; neque virtute, aut significatione continet priores, neque est ordo essentialis inter ipsas unctiones et formas, quin incipiendo ab illa, quae est ultima, consueto modo valeret Sacramentum completis reliquis."[87]

MASTRIUS: "Probabilior modus dicendi est - - - , qui asserit per singulas unctiones dari singulos gradus, sive portiones gratiae, ac proinde sicut quinque sunt unctiones partiales, quae integrum constituunt Sacramentum, ita quinque vicibus conferri quinque gradus gratiae, qui adaequatum hujus Sacramenti effectum constituant. Ita colligunt *Almainus, Hiqueus, Poncius, et alii meliores Scotistae ex Scoto,* ubi asserit hoc Sacramentum esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis, et favet etiam D. Thomas *q. 29.* in additione ad 3. part. art. 2. ad 1. ubi hoc Sacramentum comparat Sacramento Eucharistiae, cuius singulae species gratiam conferunt.

"Fundamentum praecipuum est, quia quaelibet Unctio cum sua forma constat ex partiali materia, et partiali forma cum significatione propria effectui proprio respondente, et ad singulas unctiones completur sensus substantialis formae; ergo quaevis unctio cum sua propria forma est proprium Sacramentum gratiam conferens; nam *Sacramentum ex divina institutione efficit, quod significat,* ad cuius proinde veritatem requiritur, ut eius effectus detur in ultimo instanti completi sui esse, quando non supponitur obex; ergo si quaevis unctio cum sua propria forma habet proprium significatum partiale ab aliis distinctum, habebit etiam suum effectum proprium partialem ab aliis condistinctum, neque enim illa forma, aut unctio praemissa dicit ordinem ad alias unctiones, aut ad eamdem formam repetitam in significando. Confirmatur ex ritu ministrandi hoc Sacramentum, quia in nullo alio reperitur eadem forma cum iteratione materiae absolute, nisi in hoc Sacramento; ergo ex iteratione materiae, et formae huius Sacramenti, sequitur diversitas effectus, et efficaciae."[88]

FRASSEN: "Magis probanda videtur . . . sententia affirmans per singulas unctiones dari singulos gradus gratiae sanctificantis; ita quod sicut sunt quinque unctiones partiales, et totidem partiales formae eis correspondentes, ita videntur quinque distincti gratiae gradus, qui adaequatum hujus Sacramenti effectum constituunt. . . Quod utique probatur: tum quia quaelibet Unctio cum sua forma habet essentialiter completam significationem illius effectus, ad quem significandum assumitur, nempe remissionem eorum, quae per visum, vel auditum, etc. commissa sunt: *igitur quaelibet Unctio cum forma sibi correspondante habet rationem Sacramenti gratiam conferentis;* Sacramentum enim ex divina institutione efficit quod significat in ultimo instanti prolationis formae, et applicationis materiae, nisi adsit obex ex parte subjecti: igitur cum quaelibet Unctio cum forma sibi correspondente habeat significatum partiale ab aliis distinctum, etiam habere debet effectum proprium partialem ab aliis condistinctum. Tum quia *quaelibet species Eucharistica, et quilibet ex septem Ordinibus* confert partialem effectum: igitur etiam quaelibet Unctio cum sua forma debet effectum partialem conferre. Patet consequentia a paritate rationis, quae intercedit maxime inter sacram Unctionem et Sacramentum Ordinis; idcirco enim singuli Ordines conferunt gratiam specialem, et habent proprios effectus, quia sunt partiales respectu totius, et singuli Ordines unum dumtaxat totale Sacramentum Ordinis constituunt, quia singuli habent partialem materiam et formam distinctam: at idem est de singulis Unctionibus,

[87] Commentarius in praefatum textum Scoti, Operis Oxonicnsis, *ibid.,* XIX 26. Cf. 33–37, ubi directius ac diffusius haec doctrina defenditur.

[88] *Theologia moralis,* disp. 22, q. 4, a. 2, n. 64 (Venctiis: I. I. Herz 1671) 803.

quae diversae sunt, ratione diversarum partium quibus applicantur, et habent etiam diversas formulas sibi correspondentes: igitur est utrobique paritas. . .

"Dices. . . . : Effectus Sacramenti est indivisibilis; gratia enim non datur per partes, nec peccata dimittuntur per frusta, quia Deus perfecte sanat quemcumque sanat: igitur non confertur effectus partialiter per singulas Unctiones. Nego antecedens; non enim est inconveniens gratiam partialiter conferri per illa Sacramenta, quae sunt unum unitate integritatis tantum, non autem indivisibilitatis; et remissio omnium peccatorum venialium, quae est propria hujus Sacramenti, non est necessario connexa, sicut est in mortalibus; unde quando mortalia per accidens hoc Sacramento tolluntur, dicendum est per primam gratiam partialem, quae in prima Unctione confertur, remitti omnia illa peccata mortalia, si quae in subjecto sunt invincibiliter ignorata."[80]

MONTEFORTINO: "Respondeo, mortalium peccatorum remissionem non esse separabilem; quia aut omnia remittuntur, aut nullum condonatur; alioquin simul quis esset ordinatus ad gloriam, et ad poenam; at venialia non esse perinde connexa remissione; potest enim stare, ut remittantur quae quis commisit per visum, et non condonentur illa, in quae per tactum incidit, quia non avertunt simpliciter ab ultimo fine. Concedo ergo, virtute Unctionis Extremae *remitti successive, et separabiliter, ut successive peraguntur speciales unctiones in organis potentiarum;* quia in unaquaque concurrentibus materia et forma debitis est perfecta significatio Sacramentalis, ac proinde Sacramenti efficacia et causatio; etsi quia omnes unctiones ut sunt potentiarum unius personae, ita ordinantur ad unius Sacramenti integritatem."[00]

TERTIA SENTENTIA docet effectum dari *immediate post primam unctionem,* reliquas vero unctiones per se inservire tantummodo ad complendum sacramentum, quamvis per accidens, ob melioratam fortasse suscipientis dispositionem, possit in singulis unctionibus novus gratiae gradus accedere.

Ratio est quia cum sacramentum possit consistere in unica unctione, post primam unctionem iam intelligitur constitutum et actuosum. Confirmatur a paritate cum Eucharistia, cuius effectus confertur per sumptionem primae speciei, ubi fiat communio sub utraque specie.

Hanc sententiam, quam Suarez ut mere possibilem commemorat (inquiens: "Nullum habet auctorem, quem ego sciam"), amplexi sunt sub ambiguis vel fluctuantibus expressionibus, quidam auctores moderni, ut *Lehmkuhl, Lépicier, Noldin-Schmitt* (ed. Noldin post Codicem), *Vermeersch, Dickamp, Regatillo.*

LEHMKUHL (cit. in tom. 1, p. 465) simul affirmat quinque unctiones esse de essentia sacramenti et tamen in prima unctione gratiam conferri.

LÉPICIER: "Quandonam extrema unctio producit gratiam? Respondet S. Thomas quod, cum extrema unctio successivis unctionibus constet et administretur, et quando sunt multae unctiones ordinatae ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium et agens in virtute earum, cum aliunde putandum non sit virtutem sacramenti dividi per singulas unctiones, — hinc percipitur gratia in ultima unctione, qua essentialiter completur sacramentum. — At hoc Angelicum

[80] *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, conci. 3, petes 2, *Scotus Academicus* X (Romae 1902) 615 sq.

[00] *Suppi.,* q. 30, a. 1, *Ioannis Duns Scoti Summa Theologica* (Romae 1903) VI 357.

protulisse in hypothesi quod omnes unctiones necessariae sint, evidenter patet, cum autem una tantum unctio absolute sit necessaria, et aliquando incertum maneat utrum aliae unctiones locum sint habiturae, cum vero sacramenti virtus ab incerta conditione pendere non possit, ideo melius dicitur, in prima unctione, sacramentum hoc effectum suum producere."[01]

NOLDIN-SCHMITT (cit. in tom. 1. p. 465). derelicta post Codicem communi quam sustinuerat sententia (cf. ibid., in nota, et hic, p. 233) de effectu collato post ultimam unctionem, hanc ambiguam opinionem profert: si prima unctio fit cum forma generali, iam sacramentum est completum ac fructuosum et ceterae unctiones non valent nisi augere vel perficere sacramenti effectum, praesertim si infirmus interim perfectiorem dispositionem comparaverit; si vero omnes unctiones fiunt cum forma particulari, merito dubitatur an sacramentum post primam unctionem sit completum ac fructuosum, et similiter difficile dicitur post quem numerum unctionum sacramentum sit completum ac fructuosum.

VERMEERSCH (cit. in tom. 1. p. 465 sq.) ait quod, etsi in prima unctione sacramentum sit completum et perfecte fructuosum, tamen in singulis sequentibus unctionibus iteratur tum significatio tum consequenter causalitas sacramenti ita ut iterum gratia conferatur, imo maior gratia conferatur in casu quo dispositio subiecti aucta fuerit. In qua quidem explicatione per aliam viam et ex alio principio fit regressus ad sententiam scotisticam, docentem effectum conferri per singulas unctiones, imo ultro proceditur, quia inde sequitur effectum sacramenti totaliter iterari in unaquaque unctione.

DIEKAMP: "Si infirmus in pluribus corporis partibus ungitur, sacramentum, dummodo minister aliud non intenderit, jam in prima unctione secundum essentiam suam perficitur, ita ut effectus sacramentalis jam per hanc unctionem causetur."[81] Hic curiose additur influxus intentionis ministri, sed contrario modo ac asseritur a Kern supra citato in prima sententia (p. 235 sq.), nam ille auctor docet quod effectus confertur post ultimam unctionem nisi minister intenderit illum conferre in prima unctione facta cum forma generali.

REGATILLO (cit. in tom. 1, p. 461; cf. p. 463), etsi indécise potius loquatur, videtur nullum prorsus effectum tribuere ceteris unctionibus, sed totum primae: "Tota et unica gratia producitur eo momento quo sacramentum completur. . . Conformius forte benignitati Christi et hodierno sensui Ecclesiae esset, quod iam in prima unctione cum sua forma propria detur tota essentia sacramenti, et proinde per eam iam totus effectus producatur."

SECUNDAM QUAESTIONEM quod attinet, an nempe omnes et singuli ex septem effectibus illico ac simul conferantur, nihil vel parum dicitur a doctoribus, qui generatim unice considerant ipsum effectum gratiae, cum disputant de prima quaestione circa momentum in quo effectus huius sacramenti confertur.

luxta patronos secundae sententiae, qui tenent effectum conferri partialiter in singulis unctionibus, in prima unctione confertur tum aliquis gradus gratiae, tum consequenter remissio omnium mortalium quae est indivisibilis, tum remissio illorum tantum venialium quae referuntur ad sensum inunctum. Id constat ex supra relatis textibus Scotistarum, signanter *Frassen* et *Montejortino.*

'* *De Sacramento Extremae Unctionis et de Sacramento Ordinis* (Romae 1928) 99.

" *Theologiae dogmaticae manuale* IV (luxta cd 9 versionem latinam secundam curavit A. Hoffmann, Parisiis 1946) 387.

De patronis tertiae sententiae, qui docent effectum conferri post primam unctionem, non constat utrum putent omnes effectus statim ac simul conferri an solam gratiam et consequentem remissionem mortalium. Probabiliter intelligendi sunt iuxta opinionem Suaresii et aliorum mox referendam.

Inter patronos primae sententiae, illi qui nobiscum sentiunt principalem effectum huius sacramenti esse sanationem spiritualis debilitatis, iuxta dicta in art. 11, consequenter dicere debent omnes effectus, utpote ab illo priori dependentes ac fluentes, illico ac simul cum eo dari; attamen hanc quaestionem agitare non solent. Ceteri vero qui cum Suaresio docent principalem effectum esse infirmi alleviationem, seu variorum auxiliorum gratiae actualis collationem, distinguunt, dicentes gratiam ipsam et remissionem mortalium conferri totam simul ac immediate, praedicta vero auxilia conferri iuxta infirmi necessitatem in toto decursu infirmitatis (ita Suarez, Pesch, Kern, Otten, Cappello); quidam (ut Kern et Cappello93) explicite addunt aliquam remissionem tum peccatorum venialium tum poenae temporalis statim fieri ac subinde augeri in decursu infirmitatis, prout infirmus melius ac melius auxiliis gratiae sacramentalis cooperatur.

.57 *AREZ:* "Quaestio est de effectu gratiae habitualis, et remissionis peccati, quae in uno instanti datur, et per se loquendo, dari solet in eo instanti, in quo sumitur sacramentum; nam de proprio effectu sacramentali [i.e. de collatione gratiarum actualium alleviantium ac confortantium] iam satis dictum est; ille enim effectus non datur semper in uno certo instanti, sed temporibus opportunis durante morbo eodem."94

KERN: "Quaestio, quandonam conferantur singuli effectus speciales, post dicta nullam amplius facit difficultatem. Manifestum est. cum infusione gratiae statim remitti peccata mortalia. Simul, si quae adsint, delentur peccata venialia et condonantur poenae temporales pro dispositione, quam inungendus s. mysterio obtulit. Si subiectum non ponat impedimentum per defectum usus rationis, statim etiam conceduntur auxilia supernaturalia, quibus constituitur confortatio actualis; et pro cooperatione, quae gratiae auxiliis adiungitur, magis magisque, si opus sit. delentur venialia et minuitur reatus poenae temporalis, donec anima fideliter utens beneficiis ope sacramenti obtentis sit disposita ad introitum gloriae. Quia s. L nctio suam efficaciam retinet, quoad homo aut moritur aut periculum evadit, tenendum est, pro statu et indigentia infirmi gratias confortantes usque ad finem morbi concedi. Cum sanitas corporalis oriatur ex redundantia confortationis spiritualis in corpus et cum plurimum dependeat a natura et gradu morbi, diversis infirmis, quibus expedit diverso tempore obvenit. Aliquam alleviationem plerumque mox apparere experientia testatur."95

CONCLUSIO

Conclusio 1. Effectus sacramenti confertur tantummodo post ultimam ex unctionibus quibus de facto resultet essentia sacramenti; numerus autem

''Cf. etiam sententiam *Lugonis* referendam in art. seq., p. 253 sq.
''0/>. *cit.* (supra, in p. 200), s. 2, n. 1, p. 837.
*'()[>. *cit.* (supra, in p. 237) 330; cf. 373.

talium unctionum, et consequenter determinatio ultimae unctionis, dependet ab intentione ministri.

Probatur Γ pars, *quod nempe effectus conferatur tantummodo post ultimam unctionem* ex quibus de facto resultet essentia sacramenti, non vero post primam unctionem nec etiam partialiter post unamquamque unctionem. Nam sacramentum agere nequit nisi prius in sua essentia constituatur, cum prius sit esse quam operari. Iamvero ex una parte ad essentiam sacramenti pertinent omnes et singulae unctiones, adeoque post primam unctionem nequit dari effectus sacramenti sicut non datur eius essentia, et ex alia parte essentia sacramenti consistit in indivisibili, adeoque nequit effectus sacramenti partialiter et quasi per frusta conferri per singulas unctiones sicut eius essentia non invenitur partialiter ac quasi per frusta in singulis unctionibus. Ergo effectus sacramenti datur tantummodo ac simpliciter post ultimam unctionem.

Ad minorem.

Primo, quamvis essentia sacramenti possit consistere in unica unctione, tamen si plures unctiones adhibentur, omnes de facto constituunt essentiam sacramenti, tanquam partes eam integrantes, ut probatum et explicatum est in art. 5 (tom. 1, p. 466 sqq.); unde cum in prima unctione nondum completa sit essentia sacramenti, nequit per eam effectus sacramenti conferri. Quapropter inconsequenter se gerunt patroni contrariae sententiae (cf. supra, p. 241) cum ex una parte videntur admittere omnes unctiones concurrere simul ad perficiendam essentiam sacramenti et ex alia parte simul docent effectum sacramenti conferri in prima unctione.

Dicimus autem "videntur admittere" quia praedicti doctores fluctuanter loquuntur; Lehmkuhl quidem explicite dicit quinque unctiones esse de essentia sacramenti; Diekamp vero ait iam in prima unctione essentiam sacramenti perfici, idemque videtur asserere Lépicier qui tamen per integrum articulum probat cum S. Thoma "Sacramentum Extremae Unctionis, licet sit multa materialiter, esse unum formaliter et perfective"; Regatillo ait quod "iam in prima unctione datur tota essentia sacramenti" et tamen ubi agit de unitate sacramenti (n. 824) docet; "Extrema Unctio est numerice unum sacramentum, quamvis per plures unctiones conferatur. Nam omnes ordinantur ad unicum effectum"; Noldin-Schmitt valde ambigue loquitur, ut supra notavimus (p. 242); Vermeersch tandem videtur toties replicare ipsam essentiam sacramenti quot fiunt unctiones.

Unicum quod huic sententiae manet effugium, est ut cum Ver-

meersch fiat recursus ad analogiam cum sacramento Eucharistiae ac dicatur in prima unctione, sicut in una specie eucharistica, salvari essentialiter rationem sacramenti, quamvis imperfecte et inadaequate, ac ideo salvari causalitatem effectuum sacramenti, quemadmodum iam in sumptione unius vel primae speciei Eucharisticae huius sacramenti effectus confertur. Attamen, ut iam notavimus sive in tractatu *De Eucharistia* I 625, sive in praesenti tractatu (art. 5, tom. 1, p. 472), neganda est paritas quoad hoc inter utrumque sacramentum.ee Nam duae species eucharisticae in unum sacramentum concurrunt per duas partiales ac distinctas significationes cibi et potus, complentes unam totalem significationem convivii, ac ideo in unaquaque sufficienter salvari potest essentia et causalitas sacramenti, in quantum est generaliter quaedam nutritio, dum variae unctiones concurrunt in materiam et formam unius sacramenti non proxime et formaliter, seu per proprias ac distinctas significationes sacramentales, sed quasi remote ac materialiter, quatenus, significando varia organa et radices unius ac indivisibilis infirmitatis spiritualis, constituunt unum totale subiectum, in quo indivisim cadit una sacramentalis significatio spiritualis ac plenariae curationis.

Secundo, essentia huius sacramenti consistit in indivisibili, seu hoc sacramentum est unum non solum unitate integritatis ac perfectionis, ut Eucharistia, sed etiam unitate indivisibilitatis, ut nuper dictum est; unde, cum in unaquaque unctione ut seiuncta ab aliis, non inveniatur essentia sacramenti, nequit per unamquamque unctionem effectus conferri, utut partialiter, cum nullatenus influere possit quod nondum existit. Quapropter inepte *Scotistae* recurrunt ad paritatem cum *Eucharistia,* quia sub hac ratione paritas non datur.

Ceterum, etiam si haec paritas concederetur, seu si admitteretur Extremam Unctionem esse unum sacramentum sola unitate integritatis, exinde sequeretur quidem effectum conferri in prima unctione, ut volunt patroni sententiae nuper impugnatae, sed nequaquam sequeretur effectum dari etiam per ceteras unctiones, veluti per frusta; nam. ut explicatum est in tractatu *De Eucharistia* I 647 sqq., communio sub una vel priori specie integrum effectum huius sacramenti confert, nec subsequens sumptio alterius speciei quidquam addit saltem ex parte effectus causati, seu nec diversum effectum nec maiorem gradum prioris effectus. Unde recursus ad paritatem cum Eucharistia dupliciter claudicat, quod attinet ad comprobandam sententiam scotisticam.

Nec ceteroquin melior est alter recursus ad *paritatem cum sacra-*

les. quae de comparatione Extremae Unctionis et Eucharistiae diximus in eodem art. S, p. 471-476.

mento Ordinis, in quo revera per singulas ordinationes novus effectus causatur, scilicet nova gratia et novus character. Nam imprimis Ordo confertur per distinctas et separatas ordinationes, quarum unaquaeque, in sua limitata ratione, habet completam materiam et formam et ordinatur ad distinctum aliquem ac completum effectum sacrae potestatis et coniunctae gratiae auxiliativae, quod quidem nequaquam verificatur in unctionibus huius sacramenti, quae simul conferuntur et simul immediate concurrunt ad unum completum effectum significandum et causandum. Praeterea (et hoc est fundamentale discrimen in quo prius fundatur) Extrema Unctio est tantummodo totum aliquod *intégrale,* cuius nempe partes concurrunt ad constituendam ipsius perfectionem et quod nequaquam continetur perfecte in singulis partibus, sive quoad suam essentiam sive quoad suam virtutem; e contra. Ordo non est totum intégrale sed potestativum, etsi non universale sed *potentiate* quod nempe continetur in singulis partibus perfecte quoad essentiam, etsi non perfecte quoad virtutem, quae complete invenitur in una parte et incomplete seu participative in aliis. Ex quo intelligitur quare in unaquaque ordinatione, non vero in unaquaque unctione, effectus sacramenti conferatur, cum in illa et non in ista, tota essentia sacramenti contineatur.

5. *Thomas* agens de unitate sacramenti Extremae Unctionis, ait: "Quamvis illae actiones [seu unctiones] sint plures simpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione, quae est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior" *{Suppi.,* q. 29, a. 2, ad 2). Agens vero de unitate sacramenti Ordinis, ait: "Distinctio ordinis non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi [seu potentialis]. Cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic. Tota enim plenitudo huius sacramenti est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis" *{ibid.,* q. 37, a. 1, ad 2).

Confirmatur impugnatio sententiae Scotisticae ex eo quod vix concipi possit qua ratione effectus Extremae Unctionis partialiter ac veluti per frusta conferatur in singulis unctionibus. Et imprimis si dicatur, ut sustinuimus in art. 11, proprium ac principalem effectum huius sacramenti (qui proinde abesse non potest cum sacramentum est fructuosum) esse *sanationem debilitatis animi,* non intelligitur quomodo haec sanatio possit fieri per gradus aut partes, cum ea debilitas consistat in quadam simplici ac indivisibili animi passione, utut per varios morbos seu peccata in animo relicta. Si attendatur

uî De distinctione inter totum intégrale, totum potentiale et totum universale dictum est in tractatu *De Poenitentia* I 199 sq. Λ

ipsa *collatio gratiae communis,* etsi generaliter loquendo possit conferri per gradus, non apparet quomodo eius gradatio et distributio fieri possit per singulas unctiones, cum gratia Extremae Unctionis non habeat definitam aliquam quantitatem quae dividi possit, sed potius in quolibet sacramento gratia indefinite conferatur iuxta gradum dispositionis subiecti. Si attendatur *remissio peccatorum mortalium,* haec est prorsus indivisibilis ac proinde in prima tantum unctione tota simul necessario confertur. Si attendantur *auxilia gratiae actualis* adiuvantis et confortantis, non apparet quomodo dividenda ac distribuenda essent iuxta varias unctiones, nec quomodo auxilia contra reliquias peccatorum commissorum per unum sensum, qui inungitur, differant ab auxiliis contra reliquias peccatorum per alium sensum commissorum, cum eadem mentis confortatio et idem actus fiduciae in Deum valeat generaliter et indifferenter ad adiuvandam animam contra depressionem et languorem ab omnibus peccatis causatum. Tandem, etiam si attendantur ipsa *peccata venialia,* quorum remissio assumitur a Scotistis ut proprius ac principalis effectus huius sacramenti, quem dicunt dividi iuxta varias unctiones (ita ut per unctionem oculorum remittantur venialia commissa per visum, per unctionem aurium commissa per auditum, et ita porro), non convenienter praefata distributio intelligitur, tum quia materiale est ac impertinens ad ipsam rationem peccati quod sit commissum per hunc vel illum sensum, tum quia interdum contingit idem peccatum committi per plures sensus.

Ex dictis igitur relinquitur veritas huius primae partis Conclusionis, quod nempe in nulla ex praecedentibus unctionibus, sed tantummodo in ultima, confertur effectus sacramenti. Quod autem peculiariter contra hoc obicit *Hyquaeus* (supra, p. 239), nempe frustrahee poni alias unctiones si sola ultima causaret. cum ipsae non possint influere postquam transierint nec ceteroquin sint causae ultimae unctionis, nihil est, nam, propter sacramentalem relationem quam variae unctiones habent ad invicem prout concurrunt successive ad constituendum unicum signum sacramentale, gratiae effectivum, omnes pariter causant eundem effectum, virtute ipsius ultimae unctionis quae est formalis respectu ceterarum et influit vi illarum. Quod quidem iam respondebat ipse S. *Thomas,* inquiens: "Quando sunt multae actiones ordinatae ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium, et agit in virtute earum. Et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quae effectum sacramento praebet" *{Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 3). Si praefata obiectio valeret, sequeretur etiam in singulis unctionibus effectum partialiter conferri per singulas partes eiusdem unctionis et per singula verba eiusdem formae, nec tantum post absolutam particularem unctionem eiusque formam, cum ceterae partes unctionis

et cetera verba formae iam transierint, quando accedit ultima pars vel ultimum verbum; constat autem apud omnes theologos et ipse *Frassen* (cit. in p. 240 sq.) fatetur quod "sacramentum efficit quod significat in ultimo instanti prolationis formae et applicationis materiae."[08]

Probatur 2" pars, quod nempe numerus unctionum, quibus constet essentia sacramenti, et consequenter determinatio ultimae unctionis in qua effectus confertur, *pendet ab intentione ministri.*

Nam, ut sufficienter explicatum est in art. 5 (tom. 1, p. 466 sq.) et confirmatur a paritate cum aliis sacramentis, designatio ac determinatio materiae sacramenti pendet ab intentione Ecclesiae et ministri, cum essentia sacramenti possit indifferenter consistere in hac vel illa materia, et in nostro casu in hac vel illa unctione, et in una vel pluribus unctionibus. In quo casu nequaquam ipse effectus seu influxus sacramenti fit pendulus ab intentione ministri, ut obiciunt Suarez et Cappello (supra, p. 234), sed tantum ac directe ipsa determinatio materiae, qua quidem posita, sacramentum necessario influit independenter ab ulteriori ministri intentione.

Unde consentiendum est supradictae (p. 234 sq.) opinioni *Soli* et *Kern,* quatenus asserit influxum intentionis ministri in determinando quae sit ultima unctio in qua essentia sacramenti completur et effectus confertur.

Quoad casum autem angustiae, in quo infirmus moreretur, ante absolutas omnes unctiones, quae iuxta Ecclesiae et ministri intentionem constituant essentiam sacramenti (cf. supra, p. 237), sufficienter dictum est in eodem art. 5 (tom. 1, p. 468).

Ceterum, quoad invocatam a quibusdam paritatem inter validitatem confessionis non integrae et validitatem Extremae Unctionis non completae in periculo mortis (cf. supra, p. 237), haec observat *Suarez:* "Imprimis exemplum in hoc deficit, quod licet ex parte materiae videatur deesse in confessione materialis integritas, tamen forma integra proferri debet, et in ea est principalis significatio et virtus sacramenti; hic autem sicut deficit pars materiae, ita et pars formae; in nullo autem sacramento dabitur exemplum, in quo forma inchoata in necessitate sufficiat, quae per se sufficiens non esset. Deinde est longe diversa ratio, quia ibi materia est actus poenitentis, cujus integritas et perfectio maxime pendet ex ejus potestate et voluntate; ideoque merito illa existimata est confessio integra, in qua poenitens facit quod potest; hic autem materia est actus ministri, qui ex sola Christi

*' Cf. dicta in tractatu *De wcr. in genere* 189-191.

institutione solet habere determinationem independenter a potentate vel capacitate alterius, ut in caeteris sacramentis habentibus similem materiam constat."[on]

Conclusio 2. Effectus huius sacramenti simul ac totus confertur immediate post ultimam unctionem, iuxta diversum tamen modum quo singuli ex septem effectibus per sacramentum producuntur.

Probatur.

Sacramentum est vera causa (non refert utrum physice an moraliter) atque influit ad modum causae naturalis. Omnis autem causa, semel posita ac constituta et nisi obex impediat, immediate ac necessario totam suam virtutem exerit totumque suum causât effectum. Ergo sacramentum Extremae Unctionis, semel per ultimam unctionem constitutum, in sua essentia sacramenti seu signi practici, immediate ac necessario totum suum effectum producit.

Unde quicumque sint effectus qui huic sacramento attribuantur et quomodolibet assignetur principalis eius effectus aliorumque dependentia ab isto, oportet in bona logica sacramentali asserere eos omnes simul ac immediate causari, eo quidem modo quo revera ipsi dicuntur esse effectus sacramenti et iuxta propriam indolem uniuscuiusque. Quod quidem addimus ad expellendas fallaces instantias; nam, ut constat ex dictis in art. 11—19, non uno modo contingit varios effectus per hoc sacramentum causari, unum nempe indirecte ac indistincte (praeparationem ad gloriam), ceteros vero directe ac distincte, et unum conditionate (sanationem corporalem), ceteros vero absolute, ex quibus alios immediate (sanationem debilitatis spiritualis et remissionem mortalium), ceteros autem mediate (alleviationem. remissionem venialium, remissionem poenae temporalis).

Quapropter, iuxta ea quae determinavimus in praedictis articulis haec observa. Immediate post ultimam unctionem (ac tantum in eo momento, non vero etiam postea) infirmus consequitur sanationem spiritualis infirmitatis per gratiam sacramentalem necnon necessario remissionem mortalium peccatorum. Item obtinet eandem gratiam ut impellentem ad actus charitatis et satisfactionis, quibus mediantibus remittuntur venialia et poena temporalis; qui tamen impulsus nequit de facto ad hanc remissionem se extendere in casu quo infirmus sit sensibus destitutus (non enim immediatus effectus sacramenti est ipsa remissio venialium vel poenae, sed ipse praedictus impulsus ad eliciendos actus quibus haec remissio obtinetur). Item, obtinet spiri-

[" *Op. cit.* (supra, in p. 200), s. 3, n. S, p. 844.

tualem alleviationem (cf. in p. 177), cuius iterum influxus frustratur in casu quo infirmus sit sensibus destitutus; ceterum semper obtinet ius ad auxilia correspondent fini sacramenti (opportuno quidem tempore, ac ideo etiam in futuro, post transactum sacramentum conferenda), quod est communis effectus omnium sacramentorum. Tandem, prout ad bonum animae expedit, immediate obtinet etiam ipsum corporalem effectum, saltem quatenus ipsa gratia spiritualiter sanativa immediate accipit suam vim qua possit redundare in corpus, quamvis ipsa actualis eius redundantia et ipse effectus corporalis sanitatis non necessario immediate producatur sed iuxta temporis moram, prout exigit sive bonum animae cui Deus hanc redundantiam alligavit sive ipsa indoles effectus qui. cum sit corporalis, temporis conditioni, sicut ipsum corpus, naturaliter subicitur (cf. supra, p. 222 sq.).

ART. 20. Utrum Hoc Sacramentum Possit Esse Validum Et Informe, Ac Consequenter Reviviscere *(Suppi.,* q. 9, a. 1; 3 p., q. 69, a. 10).[1]

STATUS QUAESTIONIS

Duplex quaestio involvitur in titulo articuli, altera de *informitate,* altera de *reviviscentia* huius sacramenti.

Post dicta in tractatu *De sacr. in genere* (art. 11) de reviviscentia omnium sacramentorum, praeter Eucharistiam et Poenitentiam, nihil esset in hoc loco addendum nisi occurrerent peculiares quaedam aliquorum doctorum determinationes, praecipue circa tempus quo hoc sacramentum reviviscit. Praemittemus etiam brevem sermonem de informitate, quae est necessarium praesuppositum reviviscendae.

Ceterum, cum hac quaestione de reviviscentia non est confundenda quaestio de tempore quo ipsius fructuosi sacramenti effectus conferuntur, quam resolvimus in art. praec. (Conci. 2); nam. etiam si admittatur cum quibusdam theologis (ut Kern et Cappello, ibidem impugnatis; cf. in p. 243) aliquos effectus, qui ob defectum alicuius dispositionis non fuerint collati immediate quando completum est sacramentum, conferri subinde vel augeri per gratias eiusdem sacramenti in toto decursu infirmitatis iuxta accedentes dispositiones, nequaquam ibi ageretur de reviviscentia, sed tantum de quadam protracta ac continuata prima causalitate ipsius sacramenti formati ac

[1] Quaestionem dc reviviscentia Extremae Unctionis directe in hoc tractatu proponunt praecipue *Suarez, Schmitz, Kern, Kilkcr, Cappello* et *Verhamme;* alii vel pauciora dicunt vel de ea agunt in generaliori capite de reviviscentia omnium sacramentorum, in tractatu *De sacramentis in genere* vel *De Baptismo.*

fructuosi, quae proinde inepte a quibusdam vocatur reviviscentia vel "reviviscentia secundum quid."

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

PRIMAM QUAESTIONEM quod attinet, scilicet *de informitate* huius sacramenti, nemo est inter theologos quem sciamus illius possibilitatem negare; id enim unice disputatur circa sacramentum Poenitentiae, eo quod tantum in hoc sacramento dispositio subiecti sit pars essentialis nec tantum aliquod requisitum ad eius effectum seu ad formam gratiae.

Apud *Schismaticos tamen Orientales* notatur aliquod discrimen, seu peregrina opinio. Loco enim distinguendi inter sacramentum validum ac informe et sacramentum formatum (forma gratiae), distinguunt inter sacramentum verum (i.e. validum sed susceptum sine requisita dispositione) et sacramentum salutare, docentes quod etiam in sacramento vero datur gratia, quae tamen percipienti cedit non in salutem sed in perniciem.

Ad rem *Spdcil:* "In doctrina de 're et sacramento' [quam theologi catholici communiter admittunt] facile respondetur difficultati, ad quam solvendam theologi Orientis separati excogitaverunt distinctionem illam inter *sacramentum verum* ... et *sacramentum salutare*. . . Concedunt scilicet et illi posse aliquando sacramentum vere quidem sed infructuose accipi. Sed cum concipere non pogSint, qua ratione aliquod sacramentum verum seu validum esse possit, quin gratiam conferat, censent etiam informe sacramentum gratiam conferre, quae tamen percipienti non est ad salutem, sed ad perniciem. Sed conceptio talis sacramenti validi simul et informis inextricabili difficultate premitur, cum intelligi non possit, quomodo gratia sanctificans dari et haberi queat quae nullum salutarem effectum habeat, immo in perniciem sit. Per 'rem et sacramentum' omnia bene componuntur."[1]

SECUNDAM QUAESTIONEM quod attinet, scilicet *de reviviscentia,* duo disputantur: de existentia nempe, seu de ipso facto reviviscendae, et de tempore seu an reviviscentia fiat tantum durante infirmitate vel etiam post recuperatam sanitatem.

Existentia reviviscendae hujus sacramenti negatur a paucioribus inter antiquiores theologos, qui ceteroquin reviviscendam concedunt soli Baptismo *(Soto* et *Vasquez)* vel solis tribus sacramentis characterem imprimentibus *(Salmanticcnses,* quos inter modernos sequitur *Zubizarrcta).* Admittitur vero communius ab antiquioribus et com-

[1] *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 1S7.

munissime a modernis, quorum solum discrimen est in gradu firmitatis quo hanc doctrinam amplectuntur, nam quidam eam simpliciter proponunt, nihil dicentes qua firmitate eam teneant (Gonet, Hurter, Billot, Lépicier, Bucceroni, Diekamp. Merkelbach, Piscetta-Gennaro, Abârzuza, Sola); alii pauci eam explicite ut certam habent (Kern: "Ut certum videtur esse statuendum"; Cappello: "Communior et probabilior sententia est, nobis aliisque certa, hoc sacramentum revivis-cere"); alii numerosiores eam probabilem vel probabiliorem dicunt (Suarez: "Verisimile est". Lugo, Schmitz, Tanquerey, Noldin-Schmitt: "Valde probabile". Kilker, Van Xoort-Verhaar: "Communius et probabilius", H. Mazzella, Diekamp, Hervé, Aertnys-Damen, Priimmer, Larnicol, Conte a Coronata, Daffara, Verhamme).

Quoad tempus in quo fit reviviscentia, inter eos qui quaestionem suscitant (nam plures praesertim inter antiquiores mere statuunt factum reviviscendae), duae habentur principales opiniones.

Quidam dicunt reviviscendam fieri non tantum durante infirmitate seu periculo mortis sed etiam post recuperatam sanitatem, saltem quoad effectum gratiae sanctificantis aliosque effectus cum ea connexos nec directe dependentes ab ipso statu infirmitatis, ut est remissio peccatorum mortalium. Ita *Suarez, Nugnus, Dicastillo, Silvester Maurus, S. Alphonsus, Schmitz, Rcgatillo.* Dicimus "saltem quoad effectum gratiae sanctificantis," quia praefati auctores, excepto Nugno *(In Suppi.,* q. 30, a. 1), dicunt effectum alleviationis, quem ipsi habent pro principali effectu huius sacramenti, non dari nisi cum reviviscentia fit durante ipsa infirmitate; Nugnus vero thomista, cum aliter judicet de principali effectu, consequenter docet reviviscendam fieri simpliciter et quoad omnes effectus, etiam post recuperatam sanitatem.

SUAREZ: "De unctione autem extrema infirmi verisimile satis est habere suum effectum, recedente fictione per contritionem, vel attritionem. . . Atque hinc probabiliter colligo, etiamsi quis a fictione non recedat usque ad sanitatem recuperandam, nihilominus tunc etiam recipere effectum, saltem quoad gratiam habitualem, quia hic effectus de se perpetuus est. et sicut semper restituitur per poenitentiam, etiamsi per peccatum saepius amittatur, ita semper datur ratione sacramenti suscepti, et propter merita Christi jam semel applicata, quoties recedit fictio, quae initio intercessit. Secus vero est de illo speciali effectu sacramentali, qui consistit in auxiliis supra explicatis; hic enim dabitur quidem in eodem morbo, si illo durante recedat fictio, quia totum tempus est ad talem effectum conferendum praestitum."[3]

SCHMITZ: "Inde etiam colligitur sacramentum unctionis non reviviscere vel potius excepta gratia sanctificante (et peccatorum remissione) effectum suum non consequi si fictio tandem post recuperatam sanitatem recedat, quia gratia sacramentalis pro sola illa morbi periculosi necessitate datur."[*]

[3] *Op. cit.* (supra, in p. 200), s. 1, n. 23 sq., p. 836.

[*] *De effectibus sacramenti Extremae Unctionis* (Friburgi Brisgoviae 1893) 86, in nota.

REGAT!LLO: "Sententia P. Suarez, placet; sanus nequit utique percipere gratiam qua alleviativam, qui est effectus specificus extremae unctionis; sed potest percipere gratiam qua sanctificantem, qui est effectus genericus seu communis extremae unctionis cum cacteris sacramentis."5

Alii vero frequentiores docent reviviscendam fieri tantummodo durante eodem periculo infirmitatis, quo transacto, sacramentum quoad nullum effectum reviviscit. Ratio est turn quia pro illo tantum periculo sacramentum datur, tum quia, cum sano non possit conferri specificus ac principalis effectus sacramenti qui (iuxta ipsos) est alleviatio, neque ceteri effectus, qui ab illo sacramcntaliter dependent, conferri queunt. Ita *Kern, Cappello, Conte a Coronata* (qui explicite praecedentem Suaresii sententiam ut inconsequentem impugnant), *Billot, Dickamp* (cf. infra, p. 267 sq.), *Van Noort-Verhaar, Aertnys-Damen, Hervé, Lcrcher, Mcrkelbach, Abdrzuza, Vcrhammc, Sold.*

KERN: 'Opinio Doctoris eximii ... in se vix recte dicitur probabilis. . . Haec opinio nequit conciliari cum iis. quae mox verissime dicit ipse Suarez (Disp. 42. s. 1, n. 4): 'zXugmentum vel infusio gratiae est generalis effectus sacramentorum, qui per singula sacramenta non datur nisi ut coniunctus propriis effectibus sacramentorum ipsorum, et ideo ubi non est capacitas primarii et proprii effectus, nec est capacitas sacramenti nec effectus communis sacramentorum, quatenus per tale sacramentum conferendus est.' Quare acer oppugnator Suaresii. Didacus Nugnus O.P.. cohaerenter procedit, cum sententiam, quam expendimus, admittit — non solum ut probabilem sed ut certam — et inde infert, homini, qui tandem post recuperatam sanitatem tollit fictionem, ope s. Unctionis praeberi non tantum gratiam sanctificantem, sed etiam alleviationem aliosque effectus spirituales (Expositio in III. p. d. Thomae, suppi, qu. 30. a. 1). Ex falsitate consequentis recte deducti ex antecedenti huius falsitas apparet. Esse autem sanum prorsus incapacem illius alleviationis spiritualis, quae est effectus principalis s. Unctionis, non debet denuo probari. Itaque quicunque est incapax accipiendi gratiam qua alleviativam illius debilitatis spiritualis, quae ex gravi morbo consequitur, nullum fructum nostri sacramenti capere potest. Sanus autem incapax est accipiendi gratiam qua alleviativam. Ergo nihil amplius obtinet. Quin momento, quo primo liber erat a periculo, amisit ipsum titulum ad quosvis effectus sacramentales, quia una cum morbo deposuit potentiam passivam ad illos."0

CAPPELLO: "Haec [Suaresii] opinio non potest admitti. Nam quicumque est incapax accipiendi gratiam qua alleviativam illius debilitatis spiritualis, quae ex gravi morbo consequitur, nullum fructum nostri sacramenti percipere potest. Sanus autem est prorsus incapax illius alleviationis spiritualis, quae est effectus principalis extremae unctionis. Titulus exigitivus gratiae tandiu manet, quamdiu durat infirmitas. Quare neccsse est, ut obex amoveatur adhuc perdurante titulo, scii, durante eodem mortis periculo ex morbo."7

Praeterea notandae sunt duae peregrinae opiniones:

Primo, Lugo sustinet Extremae Unctionis causalitatem sese extendere *etiam ultra mortem* quoad effectum remissionis venialium (non

*/w$ *sacramenlarium* (cd. 2, Santander 1949) 450.
* *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 376 sq.
'*Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 225.

vero poenae temporalis), quatenus post mortem aufertur obex complacentiae in illis peccatis. Ceterum haec assertio, utut voluntaria et sine fundamento, nequaquam implicaret proprie ac simpliciter sacramenti reviviscentiam post mortem, nam supponitur infirmum iam acquisivisse effectum gratiae per sacramentum vel in prima collatione vel per reviviscentiam, adeoque talis venialium remissio fieret vel per protractam causalitatem sacramenti fructuose suscepti vel per protractum influxum reviviscentiae iam essentialiter operatae (cf. dicta supra, in p. 250 sq.).

Ad rem ipse: "Illud sacramentum ex sua institutione habet vim ad remittenda aliquando peccata. . . Si ergo propter obicem non potest tunc ponere hunc effectum, videtur quod illum ponat postea, ablato obice, sicut baptismus, qui ponit postea remissionem peccatorum: imo sicut de baptismo diximus, successive remittere peccata venialia etiam post mortalia, si successive tollatur obex ad eorum remissionem post ablatum obicem ad remissionem mortalium: sic videtur dicendum de extrema unctione propter eandem rationem. . .

"Objicies . . . : si extrema unctio potest causare postea, ablato obice, suum effectum, sicut baptismus; ergo sicut baptismus, aliquando post mortem causât aliquam partem sui effectus, nempe remissionem totius poenae, quia tunc aufertur obex, ut supra vidimus; sic extrema-unctio post mortem causabit eumdem effectum remissionis totius poenae, cum tunc per retractationem totius culpae auferatur obex ad eum effectum, atque adeo omnis, qui recipit illud sacramentum in statu gratiae, liberabitur ab omni poena, saltem peccatorum praecedentium, sicut qui baptizatur. Respondetur negando sequelam; quia licet extrema-unctio ordinetur etiam ad remissionem peccatorum, non tamen ad remissionem totius poenae debitae, sicut baptismus, sed ad remissionem culpae, posita retractatione, et alicujus etiam fortasse poenae. Unde fatemur, ablato obice post mortem, ad remissionem venialium praeteritorum per eorum debitam retractationem, poni effectum remissionis culpae, virtute etiam sacramenti extremae-unctionis, non tamen remissionem totius poenae; quia ad hunc effectum determinate non est institutum illud sacramentum."[8]

Secundo, unus vel alter theologus, praecipue inter modernos, asserit hoc sacramentum posse *pluries reviviscere* in eadem infirmitate, quia quandiu durat infirmitas tandiu durat titulus exigitivus gratiae alleviantis.

Hanc sententiam, quam videtur indicasse ipse *Suarez* (in verbis

[8] *De sacramentis in genere,* disp. 9, sect. 6, n. 105 et 111, *Disputationes Scholastics* III (ed. J. B. Fournials, Parisiis: Vives 1892) 563, 564 sq.

supra cit., in p. 252), explicite proponit *Van Noort-Verhaar,* scribens: "Est sententia communior et probabilior hoc sacramentum, cum obice susceptum, remoto obice, reviviscere, quia remanet titulus exigitivus gratiae, non tantum sanctificantis, sed imprimis gratiae alleviantis seu confortantis. Titulus, quem ritus deprecatorius sacramenti aptissime significat, est commendatio infirmi in manus divinae misericordiae facta propter ipsam suam aegritudinem. Ergo tandiu manet titulus, quamdiu perdurat infirmitas. Hinc sequitur hoc *sacramentum toties reviviscere., quoties in eodem mortis periculo obex removetur."** Idem docet *Hervé:* "Communius et probabilius tenetur hoc sacramentum, cum obice susceptum, remoto obice, reviviscere et quidem *toties quoties* in eodem mortis periculo obex removetur".10 Item recentius *F. Sold:* "Hoc Sacramentum potest pluries reviviscere, *toties scilicet, quoties* obex removeatur, manente eodem mortis periculo; fieri, enim, potest ut accepta Extrema Unctione aegrotus pluries peccet et toties commissa peccata confiteatur; tunc semper cum iustificatione Extrema Unctio reviviscet."11

Sensus horum dictorum duplex esse potest: *Primo* nempe, quod si post reviviscentiam sacramenti infirmus labitur in peccatum mortale, hoc obice iterum remoto, iterum acquirit, et quidem integraliter. effectum sacramenti; iuxta hunc sensum quem prima fronte referunt citati textus, ageretur de proprie dicta iterata reviviscentia, et ita haec opinio videtur omnino peregrina apud theologos, nec de ullo alio sacramento quisquam unquam asseruit huiusmodi repetitam reviviscentiam. *Secundo,* sensus esse potest quod eadem atque unica reviviscentia fit successive ac veluti per gradus, iuxta varietatem effectuum et dispositionum subiecti, ita nempe quod prius detur sola gratia sanctificans et remissio mortalium et postea, accedente dispositione requisita pro remissione venialium et poenarum, conferatur etiam haec remissio; et in hoc sensu inepte omnino fit sermo de iterata reviviscentia "toties quoties," quoniam agitur de eadem reviviscentia per gradus protracta.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Sacramentum Extremae Unctionis potest esse validum ct informe.

Probatur ex eo quod subiectum potest recipere hoc sacramentum

'*Tractatus de. sacramentis* II (cd. 2, Hilversum in Hollandia 1930) 121 sq. Van Noort-Verhaar ibidem in nota provocat ad Billot ("Ita Billot''), qui tamen nihil dicit de huiusmodi "toties quoties" reviviscentia.

"*Manuale theologiae dogmaticae* (cd. 16. Westminster, Md. 1943) IV 441

"*De Extrema Unctione* ("Sacrae Theologiae Summa." edita ab hispanis Patribus S.J . I. IV, tract. 4, Matriti 1951) 572,

cum debita intentione et simul cum defectu bonae dispositionis. Ex eo enim quod illud recipit cum debita intentione, sacramentum est necessario validum, nam, ut probatum est in tractatu *De sacr. in genere* (art. 24), bona dispositio subiecti per se ad valorem nullius sacramenti requiritur, et nonnisi per accidens in sola Poenitentia exigitur, eo quod in hoc solo sacramento dispositio subiecti sit etiam pars essentialis ipsius sacramenti. Ex eo autem quod illud recipit sine debita dispositione seu cum obice (qui quoad hoc sacramentum est defectus status gratiae, vel attritionis cum bona fide, ut dictum est supra, in art. 13), sacramentum est infructuosum seu informe, nam. ut probatum est in eodem tractatu *De sacr. in genere* (art. 25), bona dispositio subiecti requiritur ad fructuosam susceptionem omnis sacramenti.

Generalis haec ratio confirmatur particulariter quoad Extremam Unctionem ex eo quod Ecclesia simpliciter prohibeat iterationem huius sacramenti in eodem periculo mortis, praescribens: “In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam Unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit" *(Rituale Romanum,* t. 5, n. 8; *Codex I.C.,* can. 940, §2). Si enim defectus bonae dispositionis redderet hoc sacramentum invalidum. Extrema Unctio posset repeti, remoto illo defectu, nec intelligeretur quare Ecclesia vellet infirmum iam bene dispositum defraudare auxilio tam necessarii sacramenti in ultimo vitae discrimine, nec ipsum commissum sacrilegium frustrationis prioris sacramenti valeret explicare convenientiam denegationis secundae collationis, eo vel magis quod Ecclesia non deneget absolutionem iis qui prius culpabiliter frustrarunt idem sacramentum Poenitentiae.

Conclusio 2. Extrema Unctio probabiliter reviviscit, saltem perdurante eadem infirmitate seu periculo mortis.

Probatur.

PRIMA AC PRINCIPALIS PARS, dc ipsa existentia seu jacto revivisccntiae, dupliciter ostenditur.

7. *Ex existentia rei et sacramenti.*

Ut probabitur in art. seq., etiam in hoc sacramento convenienter admittitur aliquis effectus praevius ac dispositivus ad gratiam sacramentalem. atque inseparabilis ab ipso sacramento valido. Hic autem effectus, quomodolibet explicetur, ponit in subiecto aliquam permanentem exigentiam alterius ac ultimi gratiae effectus, quae petit compleri, et remota indispositione impediente effectum gratiae, debet

compleri, iuxta connaturalem ordinem causarum, quem Deus in sacramentorum efficientia aemulatur quique petit ut quando aliqua causa influit in productionem duorum effectuum ad invicem subordinatorum, posito priori, alter quoque necessario sequatur vel immediate quidem, si nullum obsit impedimentum, vel subinde, remoto impedimento.

2. *Ex initerabiUtate sacramenti.*

Cum enim hoc sacramentum sit initerabile in eodem mortis periculo saltem de praescripto Ecclesiae (cf. infra, art. 24), si non daretur eius reviviscentia quoad effectum gratiae semel frustratum, infirmus maneret irreparabiliter privatus gratia qua maxime indiget in eo supremo periculo et pariter ipsum sacramentum maneret irreparabiliter mutilum seu privatum principali suo fine et effectu ad quem essentialiter ordinatur.

Aliis verbis: ipsa ratio initerabilitatis huius sacramentum est satis apertum signum eius reviviscentiae; nam, attento convenienti modo agendi divinae Providentiae, ostendit quod sacramentum, semel rite susceptum est de se sufficiens ad adiuvandum infirmum in toto illo periculo mortis, et quod consequenter, si infructuose suscipiatur, possit ac debeat reviviscere ut perficiat munus suum, quemadmodum e converso ipsa ratio iterabilitatis sacramenti in alio mortis periculo ostendit sacramentum non fuisse sufficiens ad adiuvandum hominem nisi in priori periculo.

Imo haec ratio ex initerabilitate deducta, etsi valeat etiam ad probandam reviviscentiam ceterorum sacramentorum (praeter Eucharistiae et Poenitentiae), sub aliqua saltem ratione peculiarem vim habet quoad Extremam Unctionem. Nam initerabilitas Matrimonii et trium sacramentorum characterem imprimentium, etiam si non reviviscerent, adhuc iustificaretur et convenienter explicaretur ex ipsa rerum natura ac necessitate, seu ex ipso effectu indissolubilis vinculi aut indelebilis characteris, et aliunde horum sacramentorum irreparabilis frustratio, seu veluti mutilatio quoad principalem effectum gratiae, sufficienter compensaretur per collationem praedicti prioris effectus, in se certi ac determinati (ita in sacramento Ordinis frustratio gratiae compensaretur per collationem sacrae potestatis quae maximum habet momentum dignitatis ac utilitatis et similiter, proportione servata, in ceteris praedictis sacramentis). Extremae vero Unctionis initerabilitas, etsi sufficienter probetur ex ipsa indole sacramenti (cf. intra, art. 24. p. 286 sqq.), tamen saltem iustificari non potest ex ipsa existentia rei-et-sacramenti. quod non est aliquid bene definitum ac de se permanens sicut vinculum conjugale in Matrimonio et character in tribus aliis sacramentis, nec praeterea huiusmodi res-et-sacramen-

tum valet ad sufficienter compensandum pro frustratione principalis effectus sacramenti, si sacramentum non reviviscit.

SECUNDA AUTEM PARS Conclusionis, seu de tempore quo hoc *sacramentum reviviscit,* magis incerta prima fronte videtur.

Si enim consideratur effectus sacramenti, videretur dicendum cum patronis primae sententiae, reviviscendam fieri etiam post recuperatam sanitatem (proprius, post cessatum mortis periculum), saltem si nobiscum dicatur principalem effectum Extremae Unctionis esse interiorem gratiam sanativam spiritualis debilitatis, qua homo est capax ac indiget sive sit sanus sive infirmus, nam opinio Suaresii et aliorum, qui pro principali effectu habent meram alleviationem seu confortationem infirmi qua infirmi, illogicam reddit eorum positionem in praesenti, cum ex ea sequatur in reviviscentia sacramenti post infirmitatem conferri solos effectus secundarios absque primario, quod impossibile est, cum ab effectu principali sacramentum cjusque influxus specificetur, ut apte observat Kern contra Suarez allegans ipsa verba huius doctoris, in eodem capite de Extrema Unctione scribentis: “Ubi non est capacitas primarii et proprii effectus, nec est capacitas sacramenti nec effectus communis sacramentorum, quatenus per tale sacramentum conferendus est.”

Unde, si admittatur reviviscentia post recuperatam sanitatem, admittenda est quoad omnes effectus, et praeprimis quoad effectum specificum ac principalem, quomodolibet ipse intelligatur. Ceterum notandum est ipsum effectum alleviationis et confortationis convenire etiam sanis, etsi non sub eadem modalitate et peculiaritate qua convenit monenti, ut patet intuenti, effectum vero corporalis sanitatis qui non amplius sanis convenit est secundarius effectus, qui etiam in infirmis est frustrabilis ex variis rationibus et iuxta modum explicatum in art. 18.

Attamen, quia praeter nudam effectus rationem oportet considerare etiam statum subiecti pro quo sacramentum institutum est et in quo confertur (vel, si placet, quia oportet considerare effectum cum essentiali referentia ad illum statum), dicendum est cum patronis secundae sententiae hoc sacramentum non reviviscere nisi durante infirmitate (seu proprius durante eodem periculo mortis), ita ut influxus fructuosi sacramenti etiam in reviviscentia sit alligatus illi statui, non secus ac ipsa collatio validi sacramenti. Altera autem ratio horum doctorum, quia nempe homini sano non potest conferri principalis effectus sacramenti seu alleviatio infirmi qua talis nec ideo ullus alius effectus, est praetermittenda, cum sit saltem discutibilis secundum se, nobis autem simpliciter falsa, eo quod in art. 11 probavimus principalem

effectum sacramenti esse sanationem spiritualis infirmitatis, quae quidem aequaliter convenit sive infirmis sive sanis, quamvis Deus elegerit eam conferre per sacramentum cuius administratio alligata est statui mortalis infirmitatis.

Nec ad solvendam hanc quaestionem directe iuvat consideratio ipsius rei-et-sacramenti, de quo in art. seq. Nam, quamvis existentia et permanentia rei-et-sacramenti sit propria ratio et fundamentum reviviscendae, ut dictum est in tractatu *De sacr. in genere* (art. 11), ita ut tandiu sacramentum reviviscere queat quandiu res-et-sacramentum subsistit, tamen, cum res-et-sacramentum Extremae Unctionis non sit indelebile, sicut character Baptismi, sed quid temporaneum (quomodolibet consideretur, sive ut quasi-character, sive ut ornatus animi, sive ut determinatio characteris baptismalis, sive ut alleviatio actualis vel habitualis, sive ut merus titulus gratiae, iuxta diversas opiniones exponendas in art. seq.), nemo poterit illius durationem assignare nisi iterum recurrendo ad duas considerationes nuper expositas, quae, ut dictum est, ad duas discrepantes conclusiones ducunt.

Nota 1. Circa conditionalani administrationem Extremae Unctionis}[1]

Codex I.C., can. 942, statuit: "Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione." Supposita autem ex una parte initerabilitate sacramenti et ex alia parte possibilitate tum eius informitatis tum eius reviviscendae, sequitur quod in tali casu de dubio dispositionis subiecti, Extrema Unctio numquam administranda est sub conditione de ipsa convenienti dispositione ("Si es dispositus") sed potius sub alia conditione quae non excludat eius validitatem (puta: "Si tibi prodesse potest"). Ratio est quia, posita priori conditione, si revera infirmus sit indispositus, seu fictus etiam inculpabiliter (fictione materiali, puta ob inconscium defectum attritionis), sacramentum est invalidum et, cum de facto, ob Ecclesiae saltem prohibitionem numquam iteretur in eodem mortis periculo, infirmus, quantumvis subinde convenienter se disponat, carebit effectu sacramenti; si vero sacramentum absolute

[1] Praeter notos auctores morales, confer peculiariter:

Dr. Mesmaeker, H„ "De administratione sacramentorum sub conditione," *Collectanea Mechliniensia* 12 (1938) 493-500.

Forrest, M. D., "Conditional Administration of Extreme Unction," *The* [.4merica η] *Ecclesiastical Revicto* 100 (1939) 455-461.

Kern, I., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 375 sq.

Kiselstein, G.. "De extrema unctione sub conditione ministranda," *Revue ecclésiastique de Liège* 27 (1935-1936) 181-185.

Van Grinsven, M., "Si dispositus es of si capax es," *Nederlandsche Katholicke Stemmen* 28 (1928) 277-280.

Vermeersch, A., "De condicionata Extremae Unctionis administratione," *Periodica de re canonica* 14 (1925) (7)-(1 1).

confertur vel sub conditione non excludente validitatem, sacramentum ficte susceptum est validum et, accedente bona dispositione, fit fructuosum per reviviscendam.

Ob eandem rationem in tractatu *De Poenitentia* **III** 609 sq. notavimus quod, ob ipsam meram probabilitatem sententiae quae docet possibilitatem sacramenti Poenitentiae validi et informis (quam sententiam tamen respuimus), in dubio de dispositione subiecti probabiliter in praxi danda est absolutio non sub conditione "Si es dispositus" sed "Si capax es," ne scilicet frustretur probabilis validitas sacramenti eiusque reviviscentia.

Nota 2. De modo quo obex seu fictio removeatur ut hoc sacramentum reviviscere queat.[13]

Per se fictio removetur per ipsam positionem illius dispositionis quae requisita ac sufficiens erat ut sacramentum esset fructuosum in ipsa collatione, adeoque vel per statum gratiae vel per attritionem coniunctam cum bona fide (cf. art. 13, p. 136).

Per accidens tamen, si in ipsa fictione intervenerit peccatum mortale seu sacrilega susceptio sacramenti *(fictio formalis)* vel si post sacramentum ficte sed non sacrilege susceptum *(fictio materialis)* infirmus commiserit distinctum aliquod peccatum mortale, non sufficit attritio cum bona fide, sed requiritur status gratiae acquisitus per sacramentum Poenitentiae vel actum perfectae contritionis, quia utrumque illud peccatum est posterius sacramento Extremae Unctionis et ideo nequit ad ipsum se extendere virtus huius sacramenti, nec aliunde ipsa peccata commissa ante Extremam Unctionem possunt tunc seiunctim per reviviscentiam auferri cum unum peccatum mortale nequeat sine alio remitti.

Valent igitur hic proportione servata, omnia quae diximus in tractatu *De Poenitentia* I 240-243 de modo quo removetur ipsa fictio Baptismi in istius sacramenti reviviscentia.

Sit igitur *primus casus:* Infirmus suscipit validum sacramentum cum fictione materiali seu inculpabili (i.e. sine statu gratiae, sine sufficienti attritione, et sine conscientia huius insufficientiae, puta quia est sensibus destitutus); subinde, antequam committat aliquod novum peccatum mortale, ponit actum verae attritionis coniunctum tamen cum bona fide (iuxta dicta in art. 13. p. 130-132). Tunc sacramentum reviviscit. Generatim auctores morales simpliciter hic reviviscentiam asserunt; quidam tamen, ut Lehmkuhl et Prümmer, id admittunt cum

[13] Svarez, Disp. 41, sect. 1, n 26; S. Alphonsus, n. 707; Lehmkuhl, ed. a. 1902, n 50; Kekn, *op cit.* (in p. 259) 377 sq.; Prümmer, n. 43; Aertnys-Damen, n. 550; Cappello, *op. cit.* (in p. 253) 225.

quadam dubitatione, dicentes quod in eo casu "videtur sufficere sola attritio."

Secundus casus: Idem infirmus, materialiter nempe fictus, antequam ponat praedictum actum attritionis committit aliquod peccatum mortale ac subinde ponit actum attritionis, iterum coniunctum cum bona fide (putans nempe se habere actum perfectae contritionis). Sacramentum non reviviscit, quia eius virtus non se extendit ad peccata commissa post eius susceptionem. Si tandem infirmus ponit actum contritionis vel suscipit absolutionem, tunc Extrema Unctio reviviscit; in quo casu utraque causa influit, scilicet Extrema Unctio et Poenitentia vel contritio, in proprium cuiusque effectum, ita ut Poenitentia vel contritio relate ad influxum Extremae Unctionis se habeat ut removens prohibens, ut dictum est de simili casu reviviscendae Baptismi in supradicto loco tractatus *De Poenitentia,* salva tamen illa differentia quod dum in reviviscentia Baptismi peccata mortalia dimittuntur alia per Baptismum reviviscentem et alia per Poenitentiam, prout fuerint commissa ante vel post Baptismum, hic in reviviscentia Extremae Unctionis peccata mortalia dimittuntur omnia per Poenitentiam (vel actum contritionis) quia eorum remissio pertinet primario ad Poenitentiam nec nisi secundario et ob defectum Poenitentiae ad Extremam Unctionem.

Tertius casus: Infirmus suscipit validum sacramentum cum *fictione jormali* seu cum conscientia defectus dispositionis atque culpabiliter et sacrilege. In hoc casu valent omnia dicta quoad casum praecedentem, quia, ut probatum est in tractatu *De Poenitentia* I 257-259 ubi de fictione Baptismi, peccatum fictionis, seu fictae susceptionis sacramenti, est natura posterior ipso sacramento nec ideo cadit sub influxu sacramenti, etiam reviviscentis.

ART. 21. Utrum Etiam In Extrema Unctione Detur Res-Et-Sacramentum, Consistens In Quadam Interiori Animi Unctione Seu Alleviatione *{Suppi.,* q. 30, a. 3, praecipue ad 3; *In 4 Sent.,* dist. 1. q. 1. a.4,q. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Quaestionem de re-et-sacramento, seu de aliquo effectu medio inter sacramentum (sacramentum tantum) et gratiam (rem tantum), quam generaliter ac fuse agitavimus in tractatu *De sacr. in genere* (art. 20), iuverit hic breviter resumere, eo quod tertium illud elementum difficilius videatur a quibusdam theologis admitti et cum maiori difficultate ac varietate ab aliis concipiatur in hoc sacramento quam in

ceteris. Duplex in titulo articuli involvitur quaestio, altera de existentia, altera de essentia.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

PRIMAM QUAESTIONEM quod attinet, scilicet *de ipsa existentia,* contra communem sententiam affirmativam, *quidam negant vel dubitant* in Extrema Unctione inveniri aliquod rem-et-sacramentum, sicut in ceteris sacramentis.

Ita *Schismatici Orientales,* de quibus in art. praec. (p. 251), videntur simpliciter illud ignorare. Praeterea *Suarez* testatur: "Res ac sacramentum simul . . . difficile videtur inveniri in hoc sacramento; et ideo multi in illo explicando solliciti non sunt, *nec putant inconveniens, si non inveniatur,* quia illa partitio [sacramentum tantum, res-et-sacramentum, res tantum] nec in generali ratione sacramenti intrinsece fundata est, nec alia necessaria ratione, aut auctoritate constat."[14] Imo in istorum sententiam ipse Suarez satis inclinat, ut constat praecipue ex suo tractatu *De Poenitentia* ubi, etsi conetur explicare quid sit res-et-sacramentum Poenitentiae, ut morem gerat communi sententiae theologorum, tamen signanter ait: "Posset . . . aliquis difficultate superatus negare inveniri in omnibus sacramentis aliquid, quod sit res et sacramentum simul; quia non est ulla generalis ratio, quae cogat ad hoc constituendum in omnibus sacramentis. Communis enim ratio sacramenti hoc non postulat, sed sufficienter salvatur inter signum et signatum, sicut ea quae sunt ad aliquid, inter relationem et terminum; et signum dicitur sacramentum. signatum autem dicitur res; ergo nihil est propter quod oporteat illud medium universaliter constituere. Unde neque ex Conciliis, aut Patribus generalem illam doctrinam habemus."[15] Unus vel alter modernus videtur explicite negare existentiam rei-et-sacramenti in Extrema Unctione; ita *Verhamme* scribens: "Quaedam sacramenta nata sunt producere effectum infusioni gratiae praevium et huius exigitivum, qui aliquando dicitur res et sacramentum [Citat Bapt., Confirm., Ord. et Euch.]. . . Cum extrema unctio istiusmodi effectum non producat, agitur de solo effectu gratiae et de iis quae ex gratia consequuntur; hic effectus saepe dicitur res tantum."[16]

His, ut patet, nequaquam accensendi sunt illi qui, ut Salmanticenses et Zubizarreta, negant reviviscentiam hujus sacramenti, nam ratio quare hi negent reviviscentiam non est quia in Extrema Unctione non

[14] *Op. cit.* (supra, in p. 200), s. 4, n. 7, p. 848.
[15] *Ibid.,* disp. 18, s. S, n. 2, p. 395. Vide nostrum tractatum *De Poenitentia* II 131 sq.
[16] "De reviviscentia Extremae Unctionis," *Collationes Brugenscs* 46 (1950) 457.

producitur res-et-sacramentum, sed quia hoc non permanet post transactum sacramentum, ut diximus et nos quoad Eucharistiam,

SECUNDAM QUAESTIONEM quod attinet, scilicet *de essentia rei-et-sacramenti,* variae a theologis proponuntur explicationes, quae ad sequentes *sex sententias* reduci possunt:

PRIMA SENTENTIA rem-et-sacramentum extenuat ad aliquid morale vel intentionale, seu ad aliquam moralem *exigentiam gratiae* relictam ex hoc ipso quod est positum validum sacramentum, vel ad aliquem *iuridicum titulum* ad gratiam, resultantem ex consignatione infirmi in manus misericordiae divinae.

Hoc connaturaliter dicunt fautores sententiae de causalitate morali (ut Pesch) et de causalitate intentionali sacramentorum (ut Billot), quibus tamen accedunt etiam quidam fautores ipsius causalitatis physicae (ut Zubizarreta et Merkelbach); ceterum, in hanc explicationem non parum influxum habuisse videtur Billot, ex quo ceteri desumunt praedictam consignationem infirmi in manus divinae misericordiae vel praedictum titulum iuridicum ad gratiam. Inter alios citari possunt: *Pesch, Billot, Kern, Van Noort-Verhaar, Lercher, Spdcil, Cappello, Merkelbach, Zubizarreta* (ex parte), *Abdrzuza* (aliquatenus ambigue). *Lercher-Umberg, Sold* (inclinat).

PESCH: "In extrema unctione [res-et-sacr. est] ius quoddam alleviationis et erectionis animi et sanitatis corporis," "Reviviscentia . . . in eo consistit, quod sacramentum gratiam, quam hic et nunc non potest producere propter obicem in suscipiente, postea producit obice remoto. Licet enim sacramentum ipsum postea physice non jam exsistat, permanet tamen moralis exigentia, quae ex ritu valide applicato in hominem derivatur, ct sic manet titulus quidam iuris ad gratiam recipiendam, cum primum obex removetur. Haec res nullam difficultatem habet in ea sententia, quae tribuit sacramentis causalitatem moralem."[17]

BILLOT: "In Extrema Unctione res et sacramentum est resignatio sive repositio aegroti in manus misericordiae Dei in ordine ad recipiendum, nisi obex obstiterit, alleviationis gratiam. . . In Extrema Unctione titulus ad gratiam ratione infirmitatis corporalis inducitur, cum infirmus qua talis subjectum exsistat hujus sacramenti. Tandiu ergo manet, quamdiu eadem manet infirmitas, sed non protrahitur ultra. '[1]

KERN: "Billot, qui cum studio revocavit doctrinam antiquorum scholasticorum de 're et sacramento', in resignatione aegroti in manus misericordiae Dei in ordine ad recipiendum imploratum levamen atque indulgentiam delictorum, rem et sacramentum Extremae Unctionis constituit, quod omnino concedendum esse videtur, dummodo addatur, ex dicta resignatione in subiecto oriri titulum, qui per se exigat 'rem tantum'. Ille autem effectus, qui est res et sacramentum, semper producitur, cum ritus gratiae efficax valide recipitur. . .

"Valida administratio ritus sacramentalis semper aliquid in subiecto causât; secus non esset in universum differentia inter sacramentum valide et invalide collatum. Jam vero id, quod s. Unctio ficto ministrata causât, nequit esse nisi titulus ad

[17] *De sacramentis,* pars 2, n. 202 et 314, *Praelectiones dogmaticae* (ed. 4 et 5, Friburgi Brisgoviac) VII 81 ct 127.

[1] *De Ecclesiae sacramentis* II (ed. 7, Romae 1930) 260 sq.

gratiam sanctificantem cum iure ad alios fructus doni divini. Si Baptismus, Confirmatio, Ordo cum obice culpae letalis recipiuntur, efficiunt consecrationem singulis propriam, characterem indelebilem et titulum per se exigentem infusionem gratiae cum iure ad subsidia supernaturalia. quae requiruntur ad obligationes impositas rite explendas. Si quis init Matrimonium cum obice eodem, causatur sacrum vinculum conjugale pariter cum titulo, qui per se postulat infusionem gratiae cum iure ad auxilia divina, quae necessaria sunt ad onera conjugalia recte ferenda. S. Unctio nec specialem consecrationem tribuit nec characterem imprimit nec quidquam aliud ante gratiam ipsam in subiecto etiam digne praeparato producit nisi titulum ad gratiam et auxilia statui aegroti proportionata. Ergo in eo, qui cum obice s. oleo valide inungitur, inducitur titulus ad justificationem et subsidia divina per decursum morbi necessaria."[10]

li-LV *NOORT-VERHAAR* supra cit. in p. 255.

SPACIL, confundens in unam varias theologorum opiniones de re-ct-sacraniento et assumens hanc explicationem ut accuratiorem determinationem sententiae antiquorum, scribit: "[S. Thomas] rem et sacramentum dicit esse 'quandam internam devotionem, quae est spiritualis unctio'. Similiter loquuntur Hugo a S. Victore ('interna unctio'), s. Bonaventura ('excitatio devotionis in anima, quae est quaedam spiritualis unctio'), Gonet ('hilaritas animi spiritualis'), Vasquez ('specialis devotio, alleviatio, confortatio'), Dion. Cartusianus et alii. Sed sic videretur 'res et sacramentum' in aliquibus actibus hominis infirmi consistere, qui potius iam gratiam infusam consequuntur ab eaque proveniunt, cum tamen res et sacramentum gratiam praecedat et in subiecto quocumque sacramentum valide recipiente, etiam si cum obice recipiat vel sensibus destituatur, producatur.

' Res forsitan ita explicabitur, si cum Capreolo assumimus theologos illos non de actuali, sed de habituali devotione locutos esse, et 'devotionem' illam potius passive (de 'consecratione' infirmi) quam active sumendam esse. Et sic iam clarius 'rem et sacramentum' definiunt ipse Capreolus ('ornatus, dispositio, delibutio' ad gratiam et gloriam) et Paludanus ('ornatus disponens ad augmentum gratiae et fervorem caritatis, ut sit homo fortis contra tentationes in periculo mortis'); et adhuc accuratius recentes aliqui ut 'ius quoddam alleviationis et erectionis animi et sanitatis corporalis' (Pesch) vel *resignatio infirmi in manus Dei in ordine ad recipiendum levamen* (Billot). Quotienscumque igitur sacramentum hoc valide impertitur, semper hoc modo graviter infirmus ab Ecclesia per signa externa unctionis et orationis in manus divinae misericordiae resignatur et semper ius obtinet ad gratiam sanctificantem auxiliaque ex ea promanantia et fini huius sacramenti propria accipienda, dummodo obex non obstet."[20]

MERKELBACH similiter in eundem sensum interpretatur ipsam sententiam S. Thomae, scribens: "Sicut in ceteris sacramentis distingui possunt in Extrema Unctione: 1° Sacramentum tantum ... 2° Res ... 3° Res et sacramentum quod significatur a signo externo et simul significat gratiam, et hoc est, ait S. Thomas, quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio q. 30, a. 3, ad 3. Quae verba non intelligenda videntur de actu devotionis qui ab infirmo elicitur, sed de passiva devotione qua infirmus a ministro devovetur benignitati Dei, seu de consignatione qua reponitur in manus misericordiae divinae. Alii tamen intelligunt de ipsa alleviatione seu confortatione, sed haec videtur esse mera res quae nihil ulterius significat; alii tenent pro confortatione corporis, sed id adhuc minus verum est, quia iste effectus non est nisi secundarius ac proinde a principali derivatus."[21]

ZUBIZARRETA iuri ad alleviationem copulat etiam sanitatem corporalem in

[v] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 181, in nota, 375.

Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 236 sq.

"*Summa theologiae moralis* (ed. 3, Brugis 1939) III 676.

ratione rei-et-sacramenti, scribens: "In extrema unctione |rcs et sacramentum) sunt jus alleviationis et sanitas corporis, quae significantur per signum externum hujus sacramenti, et significant gratiam sanantem."22

ABARZUZA loquitur de quodam ornatu, in anima impresso, qui identificatur cum commendatione infirmi in manu Dei: "Reviviscunt Extrema Unctio et Matrimonium, quia in his sacramentis adest ornatus quidam, qui est res et sacramentum, et ideo durante eodem mortis periculo, vel vivente conjuge, dari potest reviviscentia; in Matrimonio ornatus ille est vinculum conjugale; in Extrema Unctione, commendatio infirmi in manibus Dei."2'

SECUNDA SENTENTIA rem-et-sacramentum alia via extenuat, illud divertendo ad ipsum *effectum sanitatis corporalis.*

Ipsa nempe sanitas corporalis, vel quomodolibet aliquis saltem effectus in linea sanitatis corporalis, est res-et-sacramentum. nam significatur et confertur per sacramentum et insimul significat interiorem sanitatem spiritualem. Nec refert, inquiunt, quod hic effectus non semper conferatur, nam sufficit ut sacramentum ex se possit illum conferre, si expediat, et aliunde nec illa mentis devotio vel alacritas, quam S. Thomas aliique assignant pro re-et-sacramento, semper causatur, ut patet in homine sensibus destituto.

Hanc sententiam quam Suarez et Lugo tribuunt *aliquibus doctoribus'*| et *Suarez* in uno loco simpliciter profert ac si esset communis nec ullatenus reprobat, resuscitavit inter modernos *De la Taille,* eique partialiter adhaeserunt *Ilugon* (cf. infra, p. 270) et *Zubizarreta* (nuper cit.).

SUAREZ: "Theologi communiter in omnibus sacramentis admittunt aliquid, quod sit res et sacramentum simul; quod in sacramento Eucharistiae facile declarant, ut dictum est; in tribus quae characterem imprimunt, character dicitur esse res et sacramentum; in matrimonio vero, vinculum ipsum; *in extrema unctione corporis sanitas.* Ne igitur sacramentum hoc (Poenitentia) extra regulam constituant, in illo etiam aliquid hujusmodi invenire conantur. . . Non est ergo nobis ab eorum sententia recedendum, ne difficultatem effugere videamur."25

"Res ac sacramentum simul . . . difficile videtur inveniri in hoc sacramento; et ideo multi in illo explicando solliciti non sunt, nec putant inconveniens, si non inveniatur, quia illa partitio nec in generali ratione sacramenti intrinsece fundata est, nec alia necessaria ratione, aut auctoritate constat. Ut autem servetur proportio ad alia sacramenta (omissa opinione de ornatu, quae improbabilis semper mihi visa est) *aliqui censent ipsam corporis sanitatem esse rem sacramenti,* quatenus

a *Theologia doginatico-scholastica* (ed. 3, Bilbao 1939) IV 59.
Manuale theologiae dogmaticae III (Apud Padre Las Casas [Chile] 1947) 30.
Nullum tamen nomen citant. Fortasse Suarez, quem iere exscribit Lugo *(De sacr. in genere,* disp. 2, sect. 8, n. 146), interpretatur tanquam de rcali sententia sequentia verba *Dominici Soto,* qui etiam dici solet referre praedictam opinionem: "Res autem et sacramentum *posset quis opinari* esse sanitatem corporalem, quae et per extremam unctionem significatur, et significat sanitatem animae: tamen quia ros sacramenti debet esse certa et intus latens, quorum neutrum eidem sanitati convenit, congruentius ait S. Tho. rem et sacramentum esse devotionem internam, et mentis hilaritatem, qui est effectus extremae unctionis, et signum remissionis peccatorum quoad reliquias" *(op. cit.* [supra, in p. 196] 1067).
Op. cit. (supra, in p. 200), disp. 18, s. 5, n. 3, p. 396.

ab illo fit. *et sacramentum* aliquo modo, quia sanitatem animae significat. Nec putant inconveniens non esse infallibilem effectum, quia satis est, quod sacramentum ex se possit illum conferre, si expediat. Alii, ipsam mentis hilaritatem et confortationem. majoremque sustinentiam laborum, dicunt rem sacramenti, quatenus ab illo manat, esseque signum interioris animae sanitatis, et ut sic esse aliquo modo sacramentum. Et haec est D. Thomae sententia, et communior."[20]

DE LA TAILLE: "In Extrema Unctione, *res et sacramentum* est alleviatio morbi corporalis; quae sicut inter effectus sacramentales numeratur primo loco a sancto Jacobo *(Jac.,* 5. 15), sic etiam per prius designatur ritu unctionis medicinalis: et ipsa rursus est symbolum demonstrativum ac efficax sanationis spiritualis, qua delentur in anima reliquiae peccati, seu animi *morbi* ex peccato contracti, et. dimisso etiam peccato, remanentes. Eo enim magis alleviatio illa est signum hujus sanationis, quod et ipsa morbi corporalis afflictio poenalitas est peccati quam tulit Christus super lignum, ut livore suo nos sanaret. Quo pacto fit. ut sit etiam alleviatio illa corporalis per prius commemorativa mortis Christi."[27]

TERTIA SENTENTIA ita exaggerat physicam realitatem rei-et-sacramenti Extremae Unctionis (necnon Matrimonii) ut illud reponat in aliqua entitate de genere characteris seu in quodam *"quasi-charactere."*

Ratio est quia absque aliqua huiusmodi characteristica realitate nequit, inquiunt, explicari relativa initerabilitas Extremae Unctionis (necnon Matrimonii). Ita pauci moderni, nominatim *Schweiz, Oswald, Berlage* et *Farine,* quos impugnavimus in tractatu *De sacr. in genere* (art. 16).

QUARTA SENTENTIA plurium antiquorum reponit rem-et-sacramentum huius sacramenti (sicut et ceterorum) in quodam *animi ornatu* vel, si placet, in quadam animi hilaritate et alleviatione, intellecta non pro actu sed pro habitu seu dispositione, quam dicunt ornatum, disponentem ad effectum gratiae abstergentis reliquias peccati.

Hanc sententiam tenuerunt antiqui fautores *causalitatis physicae dispositivae* de qua locuti sumus in tractatu *De sacr. in genere* 164 sq., 321 sq., ubi pariter assignavimus rationem ortus huius generalis doctrinae de ornatu. Ita *Pseudo-Halensis* (cit. *ibid.* 165), S. *Thomas* (mox citandus), *Paludanus* et *Capreolus* (supra cit. in art. 11, p. 68; hi tamen duo doctores rem-et-sacramentum identificant cum ipsa gratia sacramentali, seu specifico effectu sacramenti, quatenus se habet ut dispositio et exigentia gratiae communis sanctificativae et remissivae), *Ferrariensis (In* C. *Gent.* 4. 57. cit. in tract. *De sacr. in gen.* 165).

Sit breve verbum de sententia S. Thomae:

In 4 Sent., dist. 1, ⟨/. 1, a. 4. q. 1, agens de causalitate sacramentorum generice statuit "Ex sacramentis duo consequuntur in anima. Unum quod est *sacramentum et res,* sicut character, vel *aliquis ornatus animae in sacramentis in quibus non imprimitur character,* aliud quod est res tantum, sicut gratia. Respectu ergo primi

Ibid., disp. 41, s 4, n. 7, p. S48.

'Mysterium Fidei (ed. 3, Parisiis 1931) 581, in nota.

effectus sunt sacramenta causae aliquo modo efficientes; sed respectu secundi sunt causae disponentes tali dispositione quae est necessitas, nisi sit impedimentum ex parte recipientis."

Ibid., dist. 23, q. 1. a. 2, q. 3, ob. 3 et ad 3. i.e. *Suppi., q. 30, a. 3, ob. 3 et ad 3,* agens de effectu Extremae Unctionis et quaerens an imprimat characterem, sibi obicit: "In omni sacramento est aliquid quod est res tantum, et aliquid quod est sacramentum tantum, et aliquid quod est res et sacramentum. Sed non potest aliquid assignari in hoc sacramento quod sit res et sacramentum nisi character. Ergo in hoc sacramento imprimitur character." Respondet autem breviter: "Dicendum quod in hoc sacramento res et sacramentum non est character, sed *quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio."*

Ibid., dist. 23, q. 1. a. 4. q. 2, i.e. *Suppi., q. 29, a. 8,* agens de necessitate formae deprecativae in Extrema Unctione, hanc affert rationem: *"Hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quae sunt de essentia sacramenti rite peractis;* sicut character in baptismo et confirmatione; et transubstantiatio in Eucharistia; et remissio peccati in poenitentia, existente contritione, quae est de essentia sacramenti poenitentiae, non autem de essentia huius sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in praedictis sacramentis."

hi primo textu S. Doctor pro re-et-sacramento Extremae Unctionis, sicut ceterorum sacramentorum, assignat aliquem ornatum. *In secundo textu,* loquens directe ac seiunctim de re-et-sacramento ipsius Extremae Unctionis, ait ipsum esse interiorem devotionem seu spiritualem unctionem; hic non amplius, saltem explicite, loquitur de ornatu, seu non dicit hanc unctionem consistere in quodam ornatu, forte quia iam hoc dixerat in priori textu qui est de re-et-sacramento in genere, vel forte quia iam mens S. Doctoris inceperat evolvere ex doctrina de causalitate dispositiva per ornatum in doctrinam de causalitate perfectiva ipsius gratiae, quam postea clare statuit in Summa Theologica (quod quidem improbabile non est, nam mens S. Doctoris nonnisi pedetemptim potuit connaturaliter evolvi); idem ceteroquin discrimen observatur in quaestione de re-et-sacramento Poenitentiae, ut notavimus in tractatu *De Poenitentia* II 137. *In tertio textu* aliqua difficultas habetur; nam videtur S. Doctor implicite negare existentiam rei-et-sacramenti in Extrema Unctione, quam tamen explicite admittit in textu praecedenti eiusdem distinctionis et eiusdem quaestionis; at quomodo haec difficultas solvenda sit. sufficienter dictum est in art. 7 (tom. 1, p. 547-550).

QUINTA SENTENTIA, quam recenter proposuit *Marin Sola* ac secuti sunt *Haynal, Mackcnna, Diekamp, Michel, Ami dit Clergé, Fr. Connell, Da[lara* (relati in tractatu *De sacr. in genere* 211, ubi hanc sententiam fuse exposuimus) docet rem-et-sacramentum Extremae Unctionis esse quandam physicam ac temporaneam *modificationem characteris baptismalis.*

Per quodlibet scilicet sacramentum, subsequens Baptismum, producitur, tanquam res-et-sacramentum, quaedam physica modificatio ipsius rei-et-sacramenti Baptismi seu characteris baptismalis, quae, iuxta naturam cuiusque sacramenti, est vel perpetua et indelebilis (in Confirmatione et Ordine), vel temporanea ac delebilis (in Extrema Unctione et Matrimonio), vel pure transiens cum ipso sacramento (in Eucharistia et Poenitentia).

DIEKAMP: "Similiter |ac in Bapt., Confirm, et Ordine| explicatur quomodo extrema unctio et matrimonium reviviscant. Homo Christianus utpote charactere

insignitus potentiam passivam possidet alia sacramenta recipiendi. Sed quaevis potentia passiva physice mutatur, cum actum suum recipit et quidem vel pro semper vel pro aliquo temporis spatio vel transeunter tantum. Ergo character baptismalis qualibet sacramenti valida susceptione physice mutatur. Quae physica mutatio, quamdiu manet, potest esse instrumentum divinae Bonitatis et Omnipotentiae pro reviviscentia sacramenti valide sed infructuose suscepti physice causanda. *In sacramento extremae unctionis physica characteris baptismalis mutatio tamdiu manet, quamdiu periculum mortis durat,* in sacramento matrimonii usquedum matrimonium per mortem solvatur, ita ut ista sacramenta non possint iterari nisi isto tempore peracto; ergo durante tempore assignato et quidem tunc tantum reviviscere possunt. In sacramento Eucharistiae et poenitentiae mutatio physica characteris durat tantum tempore ipsius receptionis. Ergo in istis sacramentis deest causa physica reviviscendae; atque non nccesse est, ut iterentur, quia semper valide et digne recipi possunt."[28]

SEXTA SENTENTIA, elocet rem-et-sacramentum Extremae Unctionis esse *spiritualem quondam unctionem* (seu devotionem, hilaritatem, alleviationem, confortationem). Haec sententia, in tali generali expressione, fuit et est communior apud theologos, praecipue postquam praedicta antiquorum opinio de impressione alicujus ornatus animi in sacramentis non characteristicis, valide impugnata a *Cajetano~'* et *Suarcsio,* ab omnibus derelicta est.[30] Attamen, cum plures theologi hanc ipsam spiritualem unctionem subinde determinent ad aliquem titulum iuridicum faut commendationem in manu Dei), vel ad aliquem ornatum, vel ad aliquid fluctuans ac vix definitum, iuxta dicta in praecedentibus opinionibus, ut haec sententia intelligatur determinate et distincte ab omni alia, sequenti modo ea generalis expressio glossanda est: Res-et-sacramentum Extremae Unctionis est proprie et formaliter quaedam spiritualis devotio vel unctio, vel alleviatio, distincta ab ipsa alleviatione quae, una cum sanatione reliquiarum peccati, est ipse ultimus effectus sacramenti, producta per validum sacramentum, tanquam dispositio ad praedictum ultimum effectum quo sacramentum dicitur fructuosum ac formatum.

In hoc sensu videntur eam intelligere et cum maiori vel minori firmitate amplecti *Albertus M., Bonaventura, S. Thomas* (si tamen sententia S. Doctoris iunioris expurgetur a supradicta determinatione ornatus, a qua non improbabiliter ipse abstrahit in *Suppi.,* q. 30, a. 3, ad 3, ut dictum est supra, p. 267), *Solo* (supra cit., p. 265), *Suarez*

[28] *Theologiae dogmatical manuale* IV (Iuxta ed. 9 versionem latinam secundam curavit A. Hoffmann, Parisiis 1946) 70 sq.

[30] Cit. in tractatu *De Poenitentia* II 148 sq.

"Ipsa expressio "spiritualis unctio" (quae est S. Thomae ct Bonavcnturac), vel aequivalens, adhibetur apud anteriores etiam theologos sacc. 12, ut auctorem *Summae Sententiarum* ("interior unctio"). *Bandinum* ("foccunditas interior") ct *Lombardum* ("unctio interior"; qui a duobus illis directe dependet), sed tantum ad designandum modo generali effectum sacramenti (seu, ut aiunt, "rem sacramenti"), nec nisi posterius, facta in tali effectu distinctione inter "rem tantum" ct "rem ct sacramentum," adhibita est ad designandum tantum hunc secundum effectum ut distinctum a priori, seu a gratia sacramcntali quae retinuit denominationem "rei tantum."

et *Lugo* (supra relati, p. 265 sq., ubi tamen diximus Suaresium. quem fere exscribit Lugo nullatenus reprobare alteram sententiam de re-et-sacramento consistente in ipsa sanitate corporali), *Henriquez, Gonct;* et inter modernos *Lépicicr, Hugon* (fluctuanter quidem loquens), *Larnicol, Piolanti.*

ALBERTUS M., sibi obicit: "In aliis sacramentis quoddam est sacramentum tantum, quoddam est sacramentum et res, et quoddam est res tantum: in isto autem non oportet esse aliquid quod sit res et sacramentum: ergo videtur quod falsum dicat [Magister scribens: Sicut in aliis sacramentis, ita et in isto, aliud est sacramentum, aliud res sacramenti]." Respondet autem "Dicendum ad hoc quod non imprimit characterem. Et tamen bene concedendum puto, quod tria sunt in eo sicut in quolibet alio sacramento [i.e. sacr. tantum, res-et-sacr. res tantum J: sed non est necessarium, quod medium quod est res et signum sit character. Puto autem, quod medium est *dispositio quaedam spiritualis inducens gratiam purgantem reliquias peccatorum."*[31]

BONAVENTURA: "Patet quid sit in hoc sacramento res tantum, quid signum et quid res et signum [i.e. res-et-sacramentum]. Signum tantum est unctio exterior, res tantum est venialis curatio |i.e. gratia remissiva peccatorum venialium], res et signum ipsa in anima *devotionis excitatio, quae non est aliud quam quaedam spiritualis unctio."*[32] Notetur aliquod discrimen inter haec Bonaventurae verba et supradictum incisum S. Thomae (p. 267): "Quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio''; illa enim magis sonant actualem aliquam devotionem ("excitatio devotionis''), haec vero magis habitualem devotionem; discrimen hoc augetur ex eo quod in prima distinctione eiusdem Commentarii S. Thomas admittit ornatum animi ut rem omnis sacramenti non characteristici, Bonaventura vero, exposita aliorum sententia de ornatu, eam potius reicit.[33]

GONET: "Sicut in aliis Sacramentis tria distingui debent, unum quod est res tantum, alterum quod est Sacramentum tantum, et aliud quod est res et Sacramentum simul, ita et in isto. Unde in hoc sacramento res tantum est gratia: Sacramentum tantum, est ipsa externa unctio, seu potius compositum ex unctionibus et verbis; *res et Sacramentum simul est spiritualis animi hilaritas;* nam haec et significatur ab externo symbolo, et simul significat ulteriorem animi sanctitatem, ad quam causandam haec spiritualis animi hilaritas ordinatur. Unde D. Thomas hic quaest. 30. art. 3. ad 3. Tn hoc Sacramento (inquit) res et Sacramentum non est character, sed quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio.' Nec obstat quod etiam Eucharistia causet devotionem et hilaritatem in anima; nam Eucharistia, cum habeat rationem convivii, eam causât per modum refectionis et inebriationis spiritualis; hoc vero Sacramentum, cum ad modum medicinae spiritualis institutum sit. eam causât per modum unctionis spiritualis, potentias animae laetificantis ac roborantis contra Daemonis tentationes, et languorem spiritualem ex peccatis praecedentibus, et praesentia morbi causatum, ut supra declaravimus.''[31]

Hic auctor accipit spiritualem animi hilaritatem in sensu actuali, ut patet ex comparatione cum hilaritate et devotione causata per Eucharistiam. Paulo ante[38] ipse pro specifico effectu Extremae Unctionis assignat gratiam cum iure ad auxilia confortantia et roborantia contra languorem spiritualem ct daemonis tentationes;

4 Sent., dist. 23, a. 19, *Opera omnia* XXX (ed. S. C. A. Borgnct, Parisiis: Vives 1894) 26.

"In 4 Sent., dist. 23, a. 1, *Opera theologica selecta,* IV: *Liber IV. Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 579.

aCf. *In 4 Sent.,* dist. 1, pars 1, a. un., q. 4, respondeo, *ibid.* 14.

"De sacramento Extremae Unctionis, disp. 2, a. un., §3, n. 24, *Clypeus theologiae thomisticae* VI (Parisiis: Vivès 1S76) 711.

8 Ibid., §1, Dico tertio, p. 707 sq.

unde nisi velit sibimetipsi contradicere aut identificare rem-et-sacramentum cum ipsa re sacramenti, dicendum est ipsum distinguere veluti duplicem devotionem et hilaritatem, aliam praecedentem, quae sit res-et-sacramentum, et aliam subsequentem ex parte gratiae sacramentalis, quae sit res sacramenti.

LEPICIER: "Res et sacramentum ... in sacramentis characterem imprimentibus est ipsemet character, in extrema autem unctione, est quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio *[Suppi.,* q. 30, a. 3, ad 3J, *qua infirmus disponitur ad effectum gratiae* principaliter intentum, in quo res sacramenti consistit."[36]

HUGON, valde lluctuanter loquens, in tractatu de Extrema Unctione scribit: "Sacramentum tantum est exterior unctio ... ; res tantum est gratia confortans .. ; res autem et sacramentum est *spiritualis unctio, nempe devotio, alleviatio, confortatio, quae per ritum significatur et ulteriorem effectum significat."* In tractatu vero de sacramentis in genere simul acceptat duas vel tres opiniones, scribens: "In Extrema Unctione (res-et-sacramentum] non est tantum *jus alleviationis,* sed dici etiam potest *sanitas corporalis:* haec per ritum significatur, et, si ad salutem expedit, producitur, et iterum est signum sanitatis spiritualis seu confortationis et alleviationis a peccatis; vel *etiam spiritualis unctio* dici potest res et sacramentum."[37]

LARNICOL: "Res et sacramentum dicitur vel 1) alleviatio corporis (quae ideo semper in quodam gradu obtinetur vi sacramenti); vel 2) confortatio mentis (at est potius res); vel 3) resignatio seu depositio aegrotantis in manus misericordiae Dei in ordine ad accipiendum, nisi sit obex, gratiam alleviationis; vel tandem 4) *interna aegrotantis dispositio* prout vi sacramenti elevata et facta titulus ad gratiam alleviationis: Analogia ergo habetur cum sacramento poenitentiae, in quo pariter res et sacramentum est interna dispositio subjecti prout elevata et facta titulus ad gratiam, sed ad gratiam reconciliationis. Dispositio interna subjecti vel non est de se exigitiva gratiae, vel tantum est exigitiva ex opere operantis; nunc vi sacramenti fit exigitiva gratiae sacramentalis ex opere operato."[1"]

Ex contextu patet auctorem praeferre ultimam explicationem, in qua libenter immoratur. Haec explicatio satis apta et ingeniosa, in qua ipsa iam existens infirmi dispositio elevatur ad rationem rei-et-sacramenti, sicut contritio in sacramento Poenitentiae, non parum tamen differre videtur a communi aliorum explicatione, qui videntur loqui de aliqua devotione vel hilaritate ab ipso sacramento causata.

PIOLANTI : "In extrema unctione [res-et-sacramentum] est quaedam spiritualis unctio, quae ritu exteriori significatur et efficitur, quaeque una cum sacramento significat et ordinatur ad sublimiorem gratiae unctionem efficiendam."[39]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Etiam in Extrema Unctione datur res-et-sacramentum.

Probatur ex generalibus rationibus iam adductis in tractatu *De sacr. in genere* 327 329. scilicet sive *ex reviviscentia sacramenti,* quae nequit convenienter nec proprie explicari nisi sacramentum habeat aliquem

De sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis (Romae 1928) 73.

Tractatus dogmatici, 111 Dr *sacramnilis in communi et in speciali ac de novissimis* (ed. 14, Parisiis 1948) 657 ct 91.

*' *Compendium theologicum* IV (Romae 1939) 346 sq.

D< *sacramentis* ("Collectio theologica romana," VI, cd. 3, Torino 119511) 83.

effectum praevium ad gratiam, qui semper producatur etiam a sacramento valido et informi, quique sit ratio quare sacramentum iam transactum dicatur adhuc virtualiter manere ac, remoto obice fictionis, possit iterum influere in frustratum effectum gratiae; sive *ex relativa iiiiterabilitate* Extremae Unctionis, etiam infructuose susceptae, quae plene saltem non explicatur nisi ex temporanea permanentia alicuius effectus sacramenti validi, quemadmodum absoluta initerabilitas Baptismi explicatur ex perpetua permanentia et indelebilitate characteris, seu effectus inseparabilis a valido sacramento.

Ratio autem deducta ex ipsa sacramenti efficacitate, vel ex ipsa existentia sacramenti validi et informis (in qua solent insistere moderni, ut Kern, Spâcil et Lercher), quia nempe, si non daretur res-et-sacramentum, nihil differret sacramentum validum et informe a sacramento invalido, non convincit nec concludit. Nam, ut diximus in eodem tractatu *De sacr. in genere* 329, haec ratio confundit efficientiam causae cum existentia effectus, dum potest aliqua causa existere ac influere, quin, ob aliquem obicem, ullus sequatur effectus, et potest existentia signi sacramentalis salvari ex sua essentiali relatione ad signatum seu ad gratiam sacramentalem, ut notat Suarez supra relatus (p. 262).

Confirmatur Conclusio tum *ex analogia ceterorum sacramentorum,* in quibus facilius existentia huiusmodi effectus detegitur et a quibus inconvenienter Extrema Unctio diceretur discrepare in ipsis sacramentalibus suis elementis, tum ex ipso satis unanimi *consensu theologorum,* qui, non obstante magna difficultate explicandi naturam rei-et-sacramenti in Extrema Unctione, eius nihilominus existentiam retinent eiusque naturam sollicite, utut fluctuanter. explicare conantur, quamvis ad tollendam omnem difficultatem circa naturam facile esset negare ipsam eius existentiam (cf. dicta Suaresii, supra, in. p. 262, 265).

Conclusio 2. Res ct sacramentum Extremae Unctionis non est quidam moralis titulus vel exigentia, nec ipsa sanitas corporalis, nec quidam quasi-character, nec quidam animi ornatus, sed “quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio,” seu quoddam habituale saltem animi solatium et alleviatio.

Probatur excludendo ceteras sententias praeter ultimam et hanc explicando ac determinando.

1. *Res-et-sacramcntum non est mera moralis exigentia gratiae, nec merus intcntionaUs titulus iuridicus.* Nam uterque modus dicendi: *Primo,* fundatur in sententia de causalitate morali vel intentionali

sacramentorum, quae refutata est in tractatu *Dc sacr. in genere* (art. 10); unde inconsequenter se gerunt illi pauci thomistae moderni (ut Merkelbach et Zubizarreta) qui huic modo dicendi suffragium suum afferunt. *Secundo,* fere ad nihil reducit rem-et-sacramentum Extremae Unctionis; nec videtur quodnam maneat reale ac concretum discrimen inter hunc dicendi modum et opinionem, impugnatam in Conci, praec., quae negat ipsam existentiam rei et sacramenti, docens ipsum nudum factum validae susceptionis sacramenti esse rationem reviviscendae. *Tertio,* facit rem-et-sacramentum Extremae Unctionis singulare quoddam ens, seu meram exigentiam aut titulum, omnino diversum a re-et-sacramento ceterorum sacramentorum quod consistit in aliqua entitate physica, etsi praedictae exigentiae vel titulo copulata (i.e. charactere, Corpore Christi, poenitentia interiori, vinculo coniugali); nec cetero-quin iuvat invocare aliquem actum commendationis infirmi in manu Dei, nam talis actus non est aliquid sacramentale, seu a sacramento productum, nec ideo potest simul cum praedicto titulo constituere rem-et-sacramentum.

2. *Res-et-sacramentum non est sanitas corporalis.* Nam res-et-sacramentum est effectus tum praevius ad gratiam ad quam disponit, tum inseparabilis a sacramento valido. Sanitas vero corporalis est effectus tum posterior gratia, a qua dependet tam physice (quatenus resultat ex redundantia ipsius gratiae, ut dictum est in art. 18) quam moraliter (quatenus non datur nisi expediat fini ipsius gratiae), tum separabilis, imo in pluribus casibus de facto separatus, a valido sacramento. Unde se habet ex parte rei sacramenti, seu ultimi effectus gratiae sacramentalis complexive sumptae, nec potest esse res-et-sacramentum.

Soto (cit. in p. 265) aliam addit rationem, quia nempe res-et-sacramentum debet esse aliquid spirituale ("intus latens"); sed haec ratio non videtur valere, quoniam si sacramentum validum semper et infallibiliter produceret effectum corporalem ante gratiam, hic facile concipi posset ut quid sacramentaliter ordinatum ad ultimum effectum gratiae, adeoque ut res-et-sacramentum, quemadmodum vinculum coniugale. utut aliquid ordinis naturalis, est verum res-et-sacramentum Matrimonii, prout causatur per sacramentum elevans contractum naturalem.

3. *Res ct sacramentum non est "quasi-character"* vel aliquid de genere characteris sacramentalis. Nam, ex una parte ad explicandam reviviscendam sacramenti non est necessarius character, sed quilibet verus effectus, a sacramento productus et post sacramentum saltem temporanee permanens, ad id sufficiens est, et ex alia parte collatio

characteris vel alicuius entis de eodem genere non convenit Extremae Unctioni nec alii cuicumque sacramento praeter Baptismum, Confirmationem et Ordinem, ut explicatum est in tractatu *De sacr. in genere* (art. 16) et breviter hic traditur a S. *Thoma* scribente: "Character non imprimitur nisi in illis sacramentis in quibus homo ad aliquid sacrum deputatur. Sed hoc sacramentum est solum in remedium, et non deputatur per ipsum homo ad aliquod sacrum agendum vel suscipiendum. Et ideo non imprimitur in eo character" *(Suppi.,* q. 30. a. 3; cf. ad 1, 2, 3).

Contraria vero sententia aliquorum modernorum est aliena saltem a traditione theologorum, qui inde a mediaevalibus doctoribus incipientibus de charactere disputare, explicite hanc quaestionem posuerunt: an daretur aliquis character in Extrema Unctione, atque constanter id negaverunt. Etiam illi pauci doctores saec. 12 qui, ut Goffridus Vindocensis et Ivo Carnotensis, ipsam absolutam initerabilitatem huius sacramenti, sicut et Baptismi, sustinuerunt (cf. infra, art. 24, p. 318 sq.), numquam utrumque sacramentum assimilarunt quoad primum ac indivisibilem eorum effectum aut quidquam dixerunt ex quo deduci possit per Extremam Unctionem, sicut per Baptismum, produci aliquem characterem vel quasi-characterem: imo ex ipsa non existentia characteris, tanquam firmiter nota, alii doctores saec. 13, ut Guilelmus Altissiodorensis, Albertus M., Bonaventura et S. Thomas, hanc illorum opinionem refutarunt.

4. *Res et sacramentum non est quidam ornatus animi.* Nam iste ornatus, secundum propriam rationem, unice inventus est ad fulciendam antiquorum sententiam de dispositiva causalitate sacramentorum, qua corruente, et ipse necessario corruit (cf. dicta in tractatu *Dc Poenitentia* II 148 sq.). Propterea ipse S. Thomas, derelicta subinde illa sententia, non amplius sermonem facit de ornatu in *Summa Theologica,* ut patet ex ipsa quaestione de re-et-sacramento Poenitentiae ad quam pervenire potuit (cf. tractatum *Dc Poenitentia* II 137): ceterum, neque in ipso *Commentario super Sententias,* cum agit de re-et-sacramento sive Extremae Unctionis sive etiam Poenitentiae, S. Doctor ullatenus commemorat ornatum, sed tantum ait rem-et-sacramentum esse interiorem poenitentiam (in Poenit.) et interiorem devotionem seu unctionem (in Extr. Unctione), ita ostendens explicationem rei-et-sacramenti non esse, in eius mente, necessario connexam cum conceptu alicuius ornatus, nisi forte ornatus accipiatur improprie pro quocumque effectu vel animi dispositione, praevia ad effectum gratiae sanctificantis.

5. *Res-et-sacramentum non est aliqua physica modificatio charae-*

teris baptismatis. Nam, ut iam notavimus in tractatu *De sacr. in genere* 211, primo non apparet quare res-et-sacramentum Extremae Unctionis debeat aut possit modificare characterem baptismalem, cum non sit aliquid eiusdem generis, seu aliquis character vel aliquid characterizans; secundo, iuxta communem sententiam thomistarum, quibus adnumerantur ipsi praecipui fautores huius opinionis (ut Marin Sola, Haynal et Diekamp), res-et-sacramentum Extremae Unctionis est quaedam animi devotio, vel alleviatio, vel unctio, quod vix concipi posset quo sensu dici queat de determinatione characteris baptismalis, de cuius ratione est esse mera potestas recipiendi quae sunt divini cultus non vero principium aliquod devotionale vel alleviativum vel unctivum seu exhilarativum.

6. Igitur res-et-sacramentum est (ut retineamus, iuxta communiorem usum theologorum, ipsam expressionem S. Thomae) *"quaedam interior devotio, seu spiritualis unctio."*

Difficultas quidem iacet in hac spirituali unctione rite explicanda, ita ut quadret cum stricta definitione rei-et-sacramenti, a qua quidam theologi oculos avertunt quaeque exigit aliquem effectum immediate significatum et indivisibiliter productum per sacramentum, ut vicissim, una cum sacramento, significet et suo modo inducat ulteriorem ac finalem effectum gratiae sacramentalis.

Potest igitur haec spiritualis unctio sic explicari ut dicatur esse interius quoddam animi solatium, ab ipso sacramento exterioris ac solativae unctionis productum, eo fine ut ulterius significet ac disponat animam ad suscipiendum spirituale ipsum gratiae sacramentalis solatium et alleviationem, quam in art. 11 diximus esse abstersionem reliquiae peccati seu sanationem spiritualis debilitatis per peccatum relictae.40 Cum autem oporteat ut tale solatium sit indivisibilis effectus validi sacramenti, cumque sacramentum valide necnon fructuose suscipiatur etiam ab infirmo sensibus destituto, oportet illud intelligere ut aliquid saltem habituale (nam homo sensibus destitutus actuale solatium experiri non potest), adeoque ut aliquam solativam dispositionem per sacramentum in animam inductam, quomodolibet tandem id etiam naturaliter explicetur (puta ut aliqua ordinatio imaginum inducta in phantasiam, vel ut aliqua dispositio inducens oblivionem vel supprimens influxum quarundam imaginum terrorem vel angustiam inducentium, vel etiam ut quaedam dispositio vel regulatio humorum ipsius corporis quatenus per redundantiam sit apta ad causandum solatium in ipsa anima). Et in hoc sensu habitualis solatii. seu interioris cuiusdam dispositionis, recte intelligi et admitti possunt, expurgatis quidem a suis originalibus significationibus, quaedam ex

'eCf. dicta in tractatu *De sacr. in genere 327, 335.*

supradictis aliorum theologorum expressionibus, uti de animi devotione, hilaritate et alleviatione, necnon de animi ornatu, a qua tamen consultius abstinendum.

Ad explicandam praeterea huius sacramenti reviviscendam, saltem in eodem periculo mortis, oportet admittere permanendam huiusmodi solatii, actualis vel habitualis, durante saltem eodem mortis periculo, ut patet ex eo quod res-et-sacramentum sit necessarium requisitum omnis reviviscentiae.

ART. 22. Utrum Extrema Unctio Metaphysice Definiatur: Sacramentum Spiritualis Curationis; Physice Vero: Unctio Infirmi, Sub Forma Deprecativae Orationis, Significans Spiritualem Animi Curationem.

Exponitur.

Rectitudo utriusque definitionis sequitur ex dictis in praecedentibus articulis de materia, forma et effectu huius sacramenti. Apta autem definitio est oratio breviter et clare exprimens rei essentiam, ita ut conveniat omni et soli definito.

In priori ac metaphysica definitione, Sacramentum est *genus proximum,* seu materia metaphysica; spiritualis vero curatio est *differentia specifica,* seu forma metaphysica. Loco quidem verbi curationis (aut medicationis), posset etiam poni alleviatio, vel sanatio, vel convalescentia; sed alleviatio non satis plene exprimit proprium ac specificum effectum sacramenti; conceptus vero sanationis videtur aliquatenus ambiguus, vel nimium significans, cum possit aeque referre effectum Poenitentiae; vox denique convalescentiae, etsi exprimere possit plenum conceptum praedicti effectus non est in traditional! usu (S. Thomas tamen, in 3 p., q. 65, a. 1, adhibet expressionem: “Restitutio valetudinis pristinae”). Unde praeferenda videtur vox curationis, etsi possit convenire etiam effectui Poenitentiae, sed minus apte quam vox sanationis; ceterum etiam ista sanationis vox apta esset in definitione Extremae Unctionis atque adhibetur ab ipso S. Thoma, qui tamen eam accipit pro aequivalenti cum curatione seu medicatione (“Spiritualis sanatio vel medicatio”) in oppositione ad spiritualem suscitationem quam tribuit Poenitentiae (cf. *Suppi.,* q. 30, a. 1; 3 p., q. 65, a. 1; q. 84, a. 1, ad 1; *C. Gent.* 4. 73, cit. in art. 11, p. 66 sq.).

In altera seu physica definitione, unctio infirmi est *materia* (ubi vox infirmi videtur necessaria, sive ut explicetur distinctio a sacramento Confirmationis sive ac praecipue quia haec subiecti conditio influit in validitatem sacramenti); forma vero deprecativae orationis est ipsa *jorma* sacramenti (ubi indicatur necessaria eius indoles tum

vocalis tum deprecativa); tandem relatio signi ad spiritualem curationem est *ultima forma* totius sacramentalis artefacti (efficacitas autem huius signi, quae in priori definitione involvitur in voce sacramenti, non est necessario hic explicanda cum involvatur in ipso conceptu curationis exercite sumptae).

Juverit quasdam ex signantioribus vel communioribus definitionibus theologorum adicere, in quibus ex dictis facile patet quid sit aptum et quid ineptum aut superfluum. Contingit enim apud auctores definitiones tradere quae sunt potius descriptiones vel quae inutilia elementa continent aut ipsa essentialia elementa modo inepto aut diffuso exprimunt, uti non necessariam explicitant mentionem materiae remotae, determinatam expressionem variarum unctionum in materia proxima, non sufficientem determinationem proprii ac specifici effectus sacramenti et simul non necessariam mentionem corporalis sanitatis quae est secundarius tantum necnon conditionatus effectus.

5. *THOMAS et BONAVENTURA* nullam conficiunt aut referunt peculiarem definitionem, quae tamen facile colligitur ex primo quem instituunt articulo de sacramenlalitate ritus unctionis. In suo tamen *Breviloquio* (c. 11) Bonaventura hanc generalem descriptionem praemittit: "De Sacramento unctionis extremae hoc in summa tenendum est. quod ipsa est Sacramentum exeuntium ex hac vita, praeparans et disponens ad sanitatem perfectam; valet etiam ad delenda venialia, et ad recuperandam sanitatem praesentem, si infirmo expediat."

ALBERTUS M., instituens specialem articulum de ipsa definitione, *duas affert definitiones,* alteram quam dicit antiquorum et alteram quam ipse conficit ex littera Magistri Sententiarum: *"Dicunt . . . quidam,* quod 'extrema unctio est unctio oleo sanctificato facta ad alleviationem utriusque infirmitatis, scilicet corporis, et animae.' Sed videtur quod haec diffinitio non valet: quia si aliquid commune est diffinito et diffinitioni, residuum quod additur, totum est diffinitio residui: sicut si dicam, homo albus est homo coloratus disgregativus visus: hoc quod dico, coloratus, etc., totum est diffinitio albi. . .

"Responsio. Si quis totum esse extremae unctionis dicere vellet, *posset ita diffinire,* quod 'extrema unctio est sacramentum ex unctione per oleum sanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, et si expedit, alleviationem ferens corporis infirmitati.' Et haec diffinitio plane colligitur ex his quae Magister determinat in Littera. Si quis tamen vellet sustinere prius inductam [definitionem] propter antiquitatem, posset dicere [ad praefatam objectionem] . . . , quod in definito ponitur unctio extrema pro nomine uno diffiniti: quod quia non habemus, circumloquimur per duo: et unctio quae ponitur in diffinitione, sonat in actum vel passionem quae est in suscipiente ipsum sacramentum. Et hoc bene potest fieri, quod sacramentum diffiniatur per suum actum, sicut baptismus est intinctio in aqua facta, etc. Et per hoc patet solutio [ad praefatam objectionem], quod non est idem in diffinitione et definito."[41]

Prior definitio videtur melior, sed minus apte quam altera exprimit proprium sacramenti effectum. In utraque deest mentio formae.

SCOTUS: "Dico quod sacramentum istud est unctio septena hominis infirmi poenitentis cum oleo sanctificato per Episcopum, facta in determinatis et certis partibus corporis, ministrata a Sacerdote, simul certa verba cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina remissionem vel curationem spiritualem finalem omnium peccatorum venialium."[42]

[41] *Op. cit.* (supra, in p. 269), a. 3. p. 3 sq.

[42] *Op. cit.* (supra, in p. 239 [Opus Parisiensc]) 344. Similis est definitio quam supra in art 11 (p. 58) retulimus ex Opere Oxonicnsi quamque assumit et explicat *Montefortino* in sua *Summa theologica (Suppi.,* q. 29, a. 1), ex Scoti operibus concinnata.

Definitio est nimis diffusa; continet inutilem materiae determinationem et non necessariam ministri et institutionis mentionem; non satis determinat formam in sua deprecativa indole; non assignat specificum effectum sed tantum secundarium (quem tamen Scotus habet pro specifico).

SUAREZ, magis scientifice procedens, *tres definitiones* affert, scilicet physicam metaphysicam et mixtam ex utraque, casque iustificare conatur:

"Ex dictis in praecedentibus licet colligere integram definitionem hujus sacramenti; quae duobus modis confici potest, sicut de aliis sacramentis diximus, scilicet, *physico modo,* seu ex partibus physicis; et sic dicetur sacramentum hoc esse, unctionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, ubi praecipue quinque organa sensuum vigent, sub praescripta forma verborum. Quae tota definitio sufficienter patet ex dictis. In qua solum est advertendum, quod, licet in ea pars materialis ponatur loco generis, quia in rebus artificialibus solet materia de toto artificiato praedicari, ipsum tamen sacramentum non est proprie unctio, nec pro illa sola supponit, sed pro toto composito ex unctione et verbis. Unde proprius compositum ipsum ponetur loco generis, diceturque hoc sacramentum esse quoddam artificiale ex tali materia et tali forma.

"Aliter potest dari haec definitio *metaphysico modo ex genere et* differentia, nimirum, esse sacramentum novae legis, ad confortandum, seu alleviandum in animo et corpore fidelem graviter aegrotantem, institutum. Cujus definitionis genus satis constat ex dictis, ubi ostendimus hoc esse unum ex sacramentis novae legis. Differentia vero sumpta est ex verbis Jacobi 5: 'Et oratio fidei alleviabit infirmum, et si in peccatis sit, dimittentur ei'. Posita autem a nobis est illa particula ita in generali, ut abstrahamus ab opinionibus, quia definitiones esse debent quasi communes conceptiones; exacta vero illius particulae intelligentia pendet ex his, quae de effectu hujus sacramenti in sequenti disputatione dicemus. Alii vero *utramque definitionem miscent,* dicentes, extremam unctionem, esse sacramentum ex sacra unctione olei et prece sacerdotis confectum, et ad salutem mentis et corporis aegrotantis hominis divina institutione ordinatum. Quae tota definitio ex aliis sufficienter constat; complectitur vero fere omnes effectus et causas hujus sacramenti."[43]

In prima definitione deest mentio infirmi; materia nimis determinatur, forma vero non satis; deest mentio effectus, qui tamen indicari debet etiam in physica definitione, cum artefactum sacramentale de facto resultet etiam ex relatione signi ad effectum producendum. In secunda definitione fit non necessaria mentio sive institutionis sive secundarii effectus corporalis; principalis vero effectus aliquatenus ambigue exprimitur per alleviationem animi (in sententia tamen ipsius Suaresii de effectu consistente in mera ac veluti cxtrinseca alleviatione, satis apte exprimitur). In tertia definitione, quae melior est, mentio effectus corporalis est supertlua.

GONET: "Ex dictis supra facile colligi potest hujus Sacramenti definitio, sic enim potest definiri seu describi: Extrema Unctio est 'Signum sacrum et efficax gratiae, in unctione infirmorum, sub praescripta verborum forma, ad sanitatem mentis et corporis a Christo institutum.'"" lidem fere defectus deprehenduntur ac in Suaresii definitione; praeterea pro signo efficaci gratiae aptius poneretur vox sacramenti.

BILLUART: "Definiri potest: 'Sacramentum unctionis infirmorum, ad salutem animae et corporis factae per sacerdotem, sub certa verborum forma.' "[45] Haec definitio melior est praecedentibus; mentio tamen effectus corporalis est supertlua et mentio principalis effectus, necnon formae, non est sufficienter determinata.

PESCH: "Definiri potest: sacramentum confortationis graviter aegrotantium

[1] *Op. cit.* (supra, in p. 200), disp. 40, s. 4, n. 1, p. 824 sq.

[2] *Op cit.* (supra, in p. 269), disp. 1, a. 2, §4, p. 704.

[3] *"Tractatus de Extrema-Uni tione,* diss. un,, circa initium, *Cursus theologiae* (Parisiis 1904) X 2.

(definitio metaphysica), constans ex unctione oleo benedicto in corporis sensibus facta et ex precibus sacerdotis praescriptis (definitio physica)."[40] Haec melior adhuc est definitio, sed mentio effectus est insufficiens, mentio vero materiae est nimis determinata.

P/LV *NOORT-VERHAAR:* "Definiri potest: sacramentum quo infirmis per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis confertur alleviatio animae et corporis."[47] Aptior est definitio, sed superfluit mentio olei, sacerdotis et corporis, effectus vero alleviationis est nimis indeterminatus, ut in definitione Suaresii.

HERVE: "Definitur: Sacramentum N.L., quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis, christiano periculose aegrotanti confertur animae sanitas, atque etiam corporis, si animae saluti expediat."[48] Est nimis diffusa definitio; mentio olei, sacerdotis et effectus corporalis superfluit.

CAPPELLO: "Extrema unctio definiri potest: Sacramentum Novae Legis a Christo D. institutum, quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis confertur homini doli capaci et graviter infirmo salus animae et quandoque etiam corporis."[49] Aggravantur defectus praecedentis definitionis.

GOUGNARD: "Extrema unctio definiri potest: sacramentum in quo infirmus oleo ad hoc benedicto inungitur a sacerdote sub praescripta verborum forma ad sanitatem animae et corporis. Per haec verba omnia essentialia designantur: subjectum quidem per verbum: infirmus; materia remota per verba: oleo ad hoc benedicto; materia proxima per verbum; inungitur; minister per verba: a sacerdote; forma per verba: sub praescripta verborum forma; ac tandem effectus per verba: ad sanitatem animae et corporis."[50] lidem fere adsunt defectus ac in duabus praecedentibus definitionibus.

SCHISMATICI ORIENTALES fere easdem definitiones seu descriptiones afferunt, etsi in forma minus scientifica necnon cum frequentiori ac maiori emphasi super effectum sanitatis corporalis, quem plures inter eos pro principali habent, ut dictum est in art. 11.

Sint duae definitiones, altera ex *Confessione* Metrophanis Critopuli apud Graecos, altera ex maiori *Catechismo* Philareti apud Russos, quae ratione influxus horum auctorum, et symbolicae indolis illorum operum, ut principales considerari possunt

Metrophanes Critoptilus (j- 1639). patriarcha Alexandrinus, in sua *Confessione fidei* (quam plures recentiores magni faciunt et nostris diebus in collectionibus symbolicorum librorum ecclesiae graeco-russicae editur, etsi non habeatur ut authentica expressio huius ecclesiae), cap. 13, hanc definitionem proponit: "Oleum precum est ritus mysticus, per oleum et preces ab Ecclesia pro fidelibus aegrotantibus celebratus. Aegrotantes enim, quando istiusmodi oleo perunguntur, cum fide et bona in Deum spe, auxilium inde nanciscuntur."[51]

Philarctus Drodzov (ψ 1867), metropolita Mosquensis, in suo maiori *Calechismo:*–(qui auctoritate assimilatur *Confessionibus fidei* Petri Moghilae et Dosilhei.

[40] *Op. cit.* (supra, in p. 263), n. 509, p. 251.
[47] *Op. cit.* (supra, in p. 255) 107.
[48] *Op. cit.* (supra, in p. 255) 414.
[49] *Op. cit.* (supra, in p. 253) 3.
[50] *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mechliniac 1938) 7 sq.
[51] Apud *E. I. Kimmel, Monumenta fidei ecclesiae orientalis* (lenae 1850) I 151.
[52] Prodiit primo Mosquae a. 1823 sub titulo "Christianus Catechismus orthodoxae catholicae orientalis graeco-russicae Ecclesiae, examinatus atque approbatus a sanctissima Synodo, editusque jussu celsissimae majestatis imperatoris." Secunda editio a. 1832 utpote aucta et a quibusdam ambicuis formulis expurgata, fert in ipso titulo adicctum incisum "Maior" (Catechismus Maior). A. 1828 Philaretus edidit etiam minorem quemdam catechismum. cui titulus "Prima elementa Christianae orthodoxae doctrinae"

saltem si consideretur ut liber symbolicus solius ecclesiae russicae). p. 1, a 10, hanc definitionem habet, quam fere sequuntur ceteri doctores russi: "S. Unctio est mysterium, in quo ungendo corpus oleo invocatur super infirmum gratia divina sanans spirituales et corporales infirmitates."

Ad rem observat *Spàcil:* "In libris symbolicis nullam proprie definitionem huius sacramenti invenimus apud Petrum Moghilam, Dositheum, leremiam. In definitione a Metrophane Kritopulo data exhibentur character sacramentalis huius sacrae unctionis, materia remota et proxima, forma in genere (oratio); subiectum et effectus dispositionesque necessariae item in genere assignantur. In definitione a Filaret in Catechismo proposita mentio fit indolis sacramentalis. materiae remotae et proximae, duplicis effectus, sanationis nempe spiritualis et corporalis Theologi recentiores graeci praeterea aliquando expresse divinam sacramenti institutionem in definitione inculcant et de ministro sacramenti sermonem faciunt; aliquando addunt materiam benedictam esse debere, aliquando plures corporis partes oleo ungendas esse indicant; theologi russi plerumque definitionem Catechismi Filaret repetunt. Aliqua differentia in diversis diversorum theologorum definitionibus hic notanda est. quia non absque momento est pro quaestione de effectu principali huius sacramenti. . . Respicit autem ordinem quo singuli effectus sacramenti in definitione enumerant. Alii enim primo loco ponunt sanationem corporalem, alii sanationem spiritualem."[53]

u*Op. cit.* (supra, in p. 264) 57 sq.

CAPUT V

DE PROPRIETATIBUS

Quaestionem de effectibus logice sequitur sermo de proprietatibus, cum ab effectu specificetur essentia sacramenti a qua ipsae proprietates fluunt ac mensurantur. Sicut in tractatibus de quatuor praecedentibus sacramentis, ita et hic *quatuor proprietates* in considerationem veniunt, scilicet unitas, initerabilitas, necessitas et sacramentalitas, quarum secunda et tertia longiorem sermonem sibi vindicant ob diuturnas nec adhuc sopitas theologorum controversias.

Unitas, nempe specifica, refertur ad ipsam essentiam sacramenti ab eaque immediate procedit. Eandem signanter etiam consideravimus in tractatu *De Eucharistia,* cum quo sacramento Extrema Unctio fere parificatur, ratione nempe pluralitatis materiae et formae, seu plurium specierum et plurium unctionum convenientium in unitatem totius integralis.

Initerabilitas reducitur ad ipsam unitatem, quatenus est idem ac numerica et relativa unitas. Eandem quaestionem de initerabilitate agitavimus etiam in tractatu *De Baptismo et Confirmatione,* sed hic peculiare momentum sibi vindicat, tum quia quoad Extremam Unctionem nequit agi nisi de relativa initerabilitate, seu durante eodem mortis periculo, tum quia a quibusdam theologis haec ipsa relativa initerabilitas signanter negata aut in dubium revocata est.

Necessitas potius et immediate ad existentiam refertur, prout nempe haec consideratur in subiecto (necessitas susceptionis, ut distincta a necessitate institutionis). Hanc explicite et signanter consideravimus in omnibus praecedentibus tractatibus, ubi diximus Baptismo et Poenitentiae competere strictam necessitatem tum medii tum praecepti, Eucharistiae vero simpliciter loquendo solam strictam necessitatem praecepti, etsi secundum quid ei concedenda sit etiam aliqua necessitas medii in voto, Confirmationi tandem nonnisi moralem necessitatem tribui posse; de Extrema vero Unctione late adhuc controvertitur utrum gaudeat stricta necessitate praecepti, ac ita medio modo' se habeat inter Confirmationem et alia sacramenta, an solam moralem habeat necessitatem ita ut simpliciter ipsi Confirmationi pacificetur.

Sacramentalitas, seu indoles sacramentalis, quam signanter considera-

vimus quoad Eucharistiam et Poenitentiam, nullam hic peculiarem difficultatem offert nisi eam quae connaturaliter procedit ex ipsa nativa indole huius sacramenti.

ART. 23. Utrum Extrema Unctio Sit Unum Sacramentum, Unitate Tum Integritatis Tum Indivisibilitatis *(Suppi.,* q. 29, a. 2; cf. 3 p., q. 73, a. 2).

STATUS QUAESTIONIS

Inter huius sacramenti proprietates prima est ejus unitas, quae immediate procedit ab eius essentia, iuxta illud philosophorum quo unum et ens converti dicuntur. Agitur autem hic de unitate Extremae Unctionis formaliter et in esse signi sacramentalis, cum, materialiter et in esse rei, ipsa manifesto componatur ex variis partibus ipsius formae et ipsius materiae, sicut alia sacramenta, necnon ex tot formis et materiis quot fiunt unctiones. Praeterea, agitur tantum de specifica unitate huius sacramenti, nam numerica unitas, intellecta pro unicitate et absolute considerata, nulli sacramento competit (etsi quidam inepte hoc asserant de Eucharistia, ut dictum est in peculiari articulo tractatus *De Eucharistia* I 616, 626–628), considerata vero relate ad idem subiectum in eadem infirmitate, coincidit cum eius initerabilitate, quae est alia proprietas attendenda in art. seq.

Tertia hic vice occurrit in theologia sacramentaria quaestio de specifica unitate peculiaris alicuius sacramenti; nam dum Baptismus, Confirmatio et Matrimonium simpliciorem compositionem prae se ferunt et ipsa Poenitentia in sola sua materia refert sacramentalem partium compositionem (quae manifeste non officit specificae unitati sacramenti ob ipsius formae unitatem a qua sacramentum specificatur[1]), tria reliqua sacramenta, Eucharistia nempe, Ordo et Extrema Unctio, componuntur ex pluribus materiis et pluribus formis, quibus sacramentalis eorum unitas rescindi videtur. Inde necessitas hic instituendi peculiarem quaestionem (sicut egimus in tractatu *De Eucharistia* I 613 sqq.), iterum ac ordinatim colligendo plura quae oportuit iam supra praeoccupare in art. 4 et 5 (tom. 1, praecipue p. 414-417, 463 sq., 466-468, 471-474), ubi de materia sacramenti in pluribus unctionibus, et praecipue in art. 19 (hic, praesertim p. 232 sq., 238-241, 244-246) ubi de momento in quo effectus huius sacramenti confertur.

Porro omnes theologi conveniunt cum Cone. Trid. et Catechismo Cone. Trid. in admittenda specifica unitate sacramenti, desumpta ex

[1] Cf. *De Poenitentia* IV 559.

ipsa unitate effectus significati ac consistente in unitate quadam integritatis seu perfectionis, qua nempe plures partes confluunt in unum totum, in quo salvatur tota specifica perfectio hujus sacramenti. Sed ulterius discrepant in eo quod *Thoniistae,* quos sequuntur communius alii theologi, docent eam unitatem esse non solum integritatis sed etiam indivisibilitatis. hoc nempe sensu quod essentia sacramenti salvetur tantum in omnibus unctionibus et formulis simul sumptis, *Scotistac* vero post suum magistrum negant hanc indivisibilitatis unitatem, docentes in singulis unctionibus cum propriis formis salvari, etsi imperfecte, essentiam sacramenti, quemadmodum in singulis speciebus eucharisticis, ita ut singulae constituant veluti partialia vel imperfecta sacramenta, praedita suo proprio influxu et effectu. Quorum nomina et doctrinam sufficienter dedimus in supradicto art. 19 (p. 232-241).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Sacramentum Extremae Unctionis est unum specifice nec tantum generice.

Probatur 1. *Ex septenario numero sacramentorum,* definito a *Cone. Trid.* (sess. 7, can. 1).

Non enim essent tantum septem sacramenta, sed plura, si Extrema Unctio sub se contineret plura specifice distincta sacramenta. Nec valet opponere Concilium non definisse sacramenta esse septem in specie infima, ita nempe ut unum vel alterum (signanter Ordo) non subdividatur in plura specifice sacramenta; nam, quamvis id non ferat explicita definitio Concilii, est tamen de eius mente, ut in simili argumento circa unitatem Eucharistiae explicatum est in tractatu *Dc Eucharistia* I 620. Quare *Catechismus Cone. Trid.* (cit. in a. 4, tom. 1, p. 402 sq.) incunctanter monet: “Constanter itaque docendum est a Pastoribus, [Extremam Unctionem] verum Sacramentum esse, nec plura, sed unum, quamvis per plures Unctiones administretur, quarum singulis propriae preces, ac peculiaris forma adhibenda est.”

Probatur 2. *Ex unitate rei significatae et causatae,* ex qua desumitur unitas ipsius signi sacramentalis.

Sicut enim in Eucharistia binae species panis et vini concurrunt in unicum signum sacramentale spiritualis convivii, quod ex utroque elemento cibi et potus coalescit, ita in hoc sacramento variae corporis unctiones concurrunt in unicum signum sacramentale eiusdem spiritualis curationis quae “non potest perfecte significari nisi per apposi-

tionein medicinae ad diversas vulnerum radices" *(Suppi.,* q. 29. a. 2). Nec ceterum haec spiritualis curatio est specifice divisibilis in varias particulares curationes, sicut nec ipsum spirituale vulnus, quod curatur, est specifice divisibile, cum nihil aliud sit quam quidam generalis animi languor et hebetudo, uniformiter generatus et auctus ex constanti influxu variorum peccatorum.

Confirmatur conclusio ex ipsa sufficientia unius unctionis ad salvandam, et quidem perfecte etsi non omni modo, totam significationem et essentiam sacramenti, ut dictum est in art. 5 (tom. 1, p. 472; cf. dicta in p. 473 sq.). Exinde enim sequitur quod pluralitas unctionum veluti accidentaliter se habet in hoc sacramento, etsi constituat essentiam sacramenti quando de facto adhibetur, nec ideo potest influere in specificam seu essentialem pluralitatem sacramenti. Praeterea, si singulae unctiones essent tot specifice distincta sacramenta, non possent ita inter se convenire ut possit eis substitui unica generalis unctio, cum essent ad invicem exclusivae sicut omnia quae specifice distinguuntur.

Dices 1. Plures unctiones continent plures materias et formas. Atqui unitas vel pluralitas sacramenti desumitur ex unitate vel pluralitate materiae et formae, ex qua desumitur ipsa essentia seu esse cum quo unum convertitur. Ergo plures unctiones constituunt plura sacramenta.

Resp. Unitas sacramenti, quod est aliquid ex pluribus perfectum, desumitur ex unitate materiae et formae totius, cui non officit pluralitas materiae et formae in partibus; variae autem unctiones in hoc sacramento se habent ut partes integrantes totum aliquod, seu signum integralis curationis reliquiarum peccati, et ideo pluralitas materiae et formae in variis unctionibus non officit unitati sacramenti quia est mera pluralitas materiarum et formarum partialium sub una materia et forma totali *(Suppi.,* q. 29, a. 2, ad 1).

Dices 2. Sacramentum consistit non in ipso oleo sed in unctione; quamvis autem oleum sit unum, unctiones sunt plures: ergo plura sunt sacramenta.

Resp. Sacramentum proprie et immediate consistit in unctione totali, quae una est, non vero in unctionibus partialibus quae sunt plures, nisi secundum quod efficiunt unam totalem unctionem. Unde non est simpliciter verum quod in hoc sacramento sunt plures unctiones; habentur enim plures unctiones partiales et una unctio totalis quae sola proprie et immediate constituit sacramentum *{ibid.,* ad 2).

Dices 3. Unum sacramentum debet perfici ab uno ministro. Atqui Extrema Unctio perfici potest a pluribus ministris, imo debet a pluri-

bus perfici in casu quo sacerdos inungens moriatur post primam unctionem, cum debeat tunc alius sacerdos ceteras unctiones perficere. Ergo Extrema Unctio non est unum sacramentum, sed plura.

Rcsp. Negatur maior prout universaliter sonat. Nam minister est merum instrumentum; influxus vero sacramenti pendet praeprimis a principali agente, quod, unum existens, potest operari sive per unum sive per plura instrumenta partialiter influentia. Ad rem 5. *Thomas:* "Nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem hujus sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri" *(ibid.,* ad 3). Quoad modum autem quo plures ministri hoc sacramentum administrare possunt, necnon de obiecto illo necessitatis casu confer dicenda infra in art. 35 (p. 791-799).

Dices 4. Si minister, baptizans cum triplici immersione, ter etiam proferret formam Baptismi, tria haberentur distincta sacramenta, saltem abstracte loquendo, quatenus unaquaeque immersio esset de se sufficiens ad constituendum distinctum sacramentum ita ut si prima immersio cum sua forma esset invalidus baptismus (puta ob defectum intentionis), alia immersio esset secundum se distinctum et perfectum sacramentum. Ergo a pari unaquaeque unctio cum sua forma est sufficiens ad constituendum distinctum sacramentum, et, cum plures unctiones cum suis formis sint simul validae, aliter ac plures immersiones et plures formae in Baptismo, de facto constituunt plura sacramenta.

Rcsp. negando paritatem. Nam in Baptismo una immersio cum forma trinitaria est sufficiens ad perfecte significandum effectum sacramenti et ideo ad constituendum sacramentum, dum in Extrema Unctione unaquaeque unctio particularis cum sua forma non est de se sufficiens ad perfecte significandum effectum sacramenti et ideo ad illud constituendum, sed indiget consortio ceterarum.

Conclusio 2. Hoc sacramentum est unum, unitate integritatis seu perfectionis.

Probatur.

Nam, ut ratiocinatur S. *Thomas* tum hic *Suppi.,* q. 29, a. 2 (cit. in art. 4. tom. 1. p. 410), tum in quaestionibus de Eucharistia, 3 p., q. 73, a. 2 (cf. *C. Gent.* 2. 56 et Aristotelem, *Metaph.* 4. 6), aliquid potest esse unum tripliciter: primo modo sicut indivisibile seu simplex, quod nempe nec actu nec potentia est plura, uti punctum et unitas; secundo modo sicut continuum, quod actu quidem est unum sed po-

tentia est plura, uti linea; tertio modo sicut perfectum aliquod quod ex pluribus partibus constituitur quodque proinde est quodammodo actu plura, scilicet habens plures partes, ita tamen ut haec plura in aliquo uno conveniant, puta in uno fine vel in una operatione, uti domus, quae integratur ex omnibus partibus necessariis ad inhabitandum, et homo, qui integratur ex omnibus membris necessariis ad opera vitae.

Patet autem hoc sacramentum, non secus ac cetera, non esse unum sicut indivisibile neque sicut continuum, cum habeat plures partes actualiter, sed sicut perfectum aliquod seu totum intégrale, eo quod eius partes seu variae unctiones confluunt et adunantur ad unum significandum et causandum (quod est de ratione omnis sacramenti) seu curationem interiorum vulnerum ex peccatis relictorum, quae est unus spiritualis effectus (cf. *Catechismum Cone. Trid.,* cit. in art. 4, tom. 1, p. 402 sq.).

Et hoc quidem valet de quibuscunque partibus quae distingui possunt sive in hoc sive in ceteris sacramentis, seu de materia et forma, quibus omne sacramentum componitur, et de ceteris elementis quibus componitur ipsa materia aut forma alicuius particularis sacramenti, uti Eucharistiae, Poenitentiae et Extremae Unctionis.

Conclusio 3. Hoc sacramentum est unum non solum unitate integritatis, sed etiam sic dicta unitate indivisibilitatis,[2] hoc scilicet sensu quod singulae unctiones non sunt partialia seu imperfecta sacramenta, sicut binae species in Eucharistia, sed essentia huius sacramenti salvatur, semel ac tantum, in omnibus unctionibus simul et ad modum unius acceptis.

Probatur ex eo quod, ut non semel alibi dictum est (art. 19, p. 245: art. 5, tom. 1, p. 472; item, in tractatu *De Eucharistia* I 625), singulae unctiones, secus ac binae species eucharisticae, non habent immediate et ex se ipsis propriam ac distinctam significationem sacramentalem, sed, significando varia organa et radices unius ac indivisibilis spiritualis infirmitatis, omnes conveniunt in unum totale subiectum in quo proprie ac proxime cadit unica et indivisibilis sacramentalis significatio unius spiritualis curationis.[3] Unica nempe ac indivisibilis est spiritualis infirmitas quae per hoc sacramentum curatur, ut nuper dic-

[2] Haec unitas indivisibilitatis non est confundenda cum unitate quae convenit indivisibili de qua locuti sumus, iuxta expressionem ipsius S. Thomae, in Conci, praec. Utimur hic ca ambigua appellatione quia est ipsius Scoti (cf. supra, p. 238 sq.) et Scotistarum quos impugnamus.

[3] Ad rem *Albertus M.* (cit. in art. 4, tom. 1, p. 412): "Et quod dicitur, quod quaelibet (unctio] est sacramentum, dicendum, quod omnes [unctiones] sunt unum sacramentum: quia quaelibet est signum et causa purgationis reliquiarum non secundum partem, sed *stcundum totum omnes simul.*"

tum est (p. 282 sq.), et ideo unica quoque ac indivisibilis est sacramentalis significatio, et ideo unicum ac indivisibile est ipsum sacramentum.

Inde patet convenientia et discrepantia inter hoc sacramentum et Baptismum, Poenitentiam. Eucharistiam et Ordinem, quoad rationem unitatis. *Ordo* nempe, collatus per distinctas ac separatas ordinationes, constantes propria materia et forma, est unum sacramentum ad modum totius potentialis, quod nempe continetur in singulis partibus perfecte quoad essentiam, sed non perfecte quoad virtutem quae complete invenitur in una parte, incomplete vero seu participative in aliis (cf. supra, p. 246). *Eucharistia* in duabus speciebus est unum sacramentum ad modum totius integralis, et quidem ita ut in unaquaque parte seu specie essentia sacramenti salvetur, etsi non perfecte seu secundum totam perfectionem quam nata est habere, et hoc sensu una species non sit proprie ac simpliciter sacramentum sed signum sacramentale partiale, seu imperfectum et incompletum sacramentum (cf. tractatum *De Eucharistia* I 624-626). *Extrema Unctio,* collata in pluribus unctionibus et formis, est similiter unum sacramentum ad modum totius integralis, ita tamen ut in unaquaque unctione non salvetur ullo modo essentia sacramenti nec ipsa sit sacramentum partiale et incompletum, ut dictum est, in quo quidem differt ab Eucharistia, et ita praeterea ut tota essentia sacramenti salvari possit in unica unctione, cum pluralitas unctionum qua talis sit aliquid accidentaliter tantum integrativum perfectionis sacramenti, in quo quidem hoc sacramentum differt a Poenitentia cuius materia absque pluralitate trium actuum poenitentis consistere nequit (cf. dicta in art. 5, tom. 1, p. 471-474). *Poenitentia* constat tali pluralitate in sola sua materia, habet vero unam ac simplicem formam, ac ideo nullam pluralitatem habet in ipso sacramento qua tali, seu in ipso immediato composito sacramentali. estque magis unum sacramentum quam tria praecedentia. Idemque dicendum de *Baptismo* collato in trina immersione; imo qua parte haec pluralitas in eius materia non est ullatenus necessaria ad exprimendam sacramentalem significationem, sicut in Poenitentia, Baptismus maiori adhuc gaudet unitate (cf. *Suppi.,* q. 29, a. 2. cit. in art. 4, tom. 1, p. 410).

ART. 24. Utrum Hoc Sacramentum Sit Initerabile In Eodem Mortis Periculo *(Suppi.,* q. 33, a. 1 et 2; C. *Gent.* 4. 73)/

‘ Inter auctores infra relatos, fusius ac signantius de hac quaestione scripserunt moderni *Schmid, Kern, Toner, Slater, Straub, Kilker, Spâtil, Cappello.*

STATUS QUAESTIONIS

Secunda proprietas attendenda in hoc sacramento est eius *relativa initerabilitas,* quae, ut notavimus in art. praec. (p. 281), reducitur ad numericam ac relativam unitatem sacramenti. Numerica quippe unitas, intellecta pro unicitate, dupliciter considerari potest: uno modo absolute, et sic in nullo sacramento datur, eo quod idem sacramentum multiplicetur saltem pro diversis subiectis quibus confertur; alio modo relate ad idem subiectum, quatenus eidem subiecto idem sacramentum bis conferri nequeat, et hoc modo vocari solet initerabilitas, quae iterum duplex est, absoluta nempe si sacramentum eidem subiecto in nulla conditione seu circumstantia bis conferri possit, ut contingit tribus sacramentis characterem imprimentibus, relativa vero si sacramentum nequeat bis conferri eidem subiecto constituto in aliquo statu seu conditione, potest vero extra talem conditionem, ut contingit Matrimonio.

A. D. S., "An et quoties iterari potest Extremae Unctionis susceptio," *Collationes Brugenses* 5 (1900) 18 sq.

Albertus, M., *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 20 et 21, *Opera omnia* (ed. S.C.A. Borgnet, Parisiis: Vives 1890-1899) XXX 28 sq.

Arcudius, P., *De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis in septetn sacramentorum administratione,* l. 5, c. 6.

Barry, D., "The Repetition of Extreme Unction," *Clergy Review* 5 (1933) 193-205.

Benedictus XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 8, n. 3 sq., in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1107-1109.

Bonaventura, *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 4. *Opera theologica selecta,* IV: *Liber IV. Sententiarum* (cd. minor, Ad Claras Aquas 1949) 591 sq.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 200-222.

Coronata, M. Conte a, *Institutiones juris canonici: De Sacramentis* I (Taurini 1943) 603-607.

Goar, J., Ευχολόγιο»- *sive Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 354.

Godefroy, L., "Extrême Onction, chez les Scolastiques," *Dictionnaire de Théologie Catholique* 5. 2 [1913] 1987 sq., 1997; "Extrême Onction, Questions morales et pratiques," *ibid.,* 2021 sq.

Gougnard, A., *De Extrema Unctione* (cd. 6, Mcchliniae 1938) 77-81.

Gregiii, E., "Itcrazione dell' Estrema Unzione," *Palestra del Clero* a. 15 (1936), v. 2, p. 40.

Grosan, W., "Wicderholung der letzten Oelung und des Stcrbcablassscgens," *Theologisch-praktische Quartalschrift* 79 (1926) 352-358.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 331-363.

Kilker, A. J,, *Extreme Unction* (St. Louis, Mo. 1927) 51-59, 185-202; "The repetition of Extreme Unction," *The [American] Ecclesiastical Review* 86 (1932) 41-54. 62Ç-632.

Kiselstein, G., "De iteratione extremae unctionis," *Revue ecclésiastique de Liège* 27 (1935-1936) 118-122.

Launoy, J., *De sacramento Unctionis Infirmorum liber-Explicata Ecclesiae Traditio circa iterationem sacramenti, Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 548-555.

Mac Donald, A., "Extreme Unction," *The* |.-b«rnca»1 *Ecclesiastical Review* 42 (1910) 18-26; "Repetition of Extreme Unction," *ibid.* 86 (1932) 627-629.

Madden, J., "Repetition of Extreme Unction," *Australasian Catholic Record* 29 (1952) 144 sq.

Mannaert, V., "De iteratione extremae unctionis," *Collationes Gandavenses* 15 (1928) 7-13.

Martène, E., *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, pars 2, c. 7, a. 2, n. 5 sq. (Rotomagi 1700) 108 sq.

Quaestio igitur in titulo articuli bifarie intelligenda est et de utraque, absoluta nempe et relativa, iiiiterabilitate procedit, etsi nonnisi alteram, utpote difficilioris discussionis ac solutionis, explicite proponat. Scilicet:

1. Utrum Extrema Unctio sit iterabilis, ita ut pluries eidem subiecto valide conferri possit, secus ac Baptismus, Confirmatio et Ordo.

2. Utrum, tamen sit relative initerabilis, ita ut, quamvis possit pluries eidem infirmo subiecto conferri, non tamen possit simpliciter et absque conditione (sicut Eucharistia et Poenitentia iterantur in proprio subiecto) sed sub determinata aliqua conditione (sicut iteratur Matrimonium) seu in diverso mortis periculo.

Hanc materiam de iterabilitate Extremae Unctionis quidam doctores expendunt ubi de proprietatibus huius sacramenti, alii vero ubi de subiecto (ita S. Thomas, in *Commentaris* et in *Supplemento),* cum naturaliter supponat subiectum validae administrationis esse infirmum in periculo mortis constitutum. Theologice spectata, secunda quaestio est maioris momenti positivi ob dissensum aliquorum recentiorum, qui nixi quibusdam antiquis documentis conati sunt defendere validitatem iterationis in eodem periculo mortis; unde unus ex his, scilicet Kern, hanc quaestionem appellat "in nostro tractatu omnium difficillimam."[5]

McCarthy, J., "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Ecclesiastical Record* 74 (1950) 363-365; "The Principal Effect of Extreme Unction. Repetition of the Sacrament," *ibid.* 75 (1951) 247-254.

McDonald, W., "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 54; "The Sacrament of Extreme Unction," *ibid.* 342-345.

Menardus, H., *Notae et observationes in S. Gregorii M. Librum Sacramentorum* (ML 78. 523).

Michel, R., "La réitération de l'Extrème Unction," *Revue diocésaine de Tournai* 3 (1948) 517-519.

Noldin-Schmitt, *Theologia Moralis* (cd. 26, Ocniponte 1940) III 460 sq.

O'Kane, J., *Notes on the Rubrics of the Roman Ritual* (Dublin 1922) n. 876-878.

Quinn, A., *Some Aspects of the Dogma of Extreme Unction* (Dublin 1920) 131-134.

Rucn, C., "Extrême Onction, du ΓΓ au IX' siècle," *Dictionnaire de Théologie Catholique* 5. 2 [1913] 1980 sq.

Schmid, Fr., "Ueber die Wiederholbarkeit der Krankcnolung," *Zeitschrift für Katholische Théologie* 25 (1901) 258-268.

Slater, T., "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 4 (1909) 427-440.

SpAcil, Tn., *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 111-114, 238-255.

Straub, A., *De Ecclesia Christi* (Ocniponte 1912) II 283-308.

Toner, P. J., "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 247-250; 4 (1909) 129-145.

Trombelli, J. Ch., *Tractatus de sacramentis, De Extrema Unctione,* diss. 13 (Bononiae 1776-1778) III 86-91.

Van Espen, Z. B., *Ius ecclesiasticum universum,* pars 2, sect. 1, tit. 8, c. 3, n. 27–40 (cd. J. P. Gibert, Vcnetiis: A. Graziosi 1769) II 108 sq.

Verhamme, A , "De iterabilitate extremae unctionis," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 460-463.

Vermeersch, A„ *Theologia Moralis* III (cd 4 a Crcusen recognita, Romae 1948) 396.

• *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 323.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Quod hoc sacramentum sit valide iterabile in eodem subiecto *in nova infirmitate* constituto, est *saltem theologice certum, imo proximum fidei.* Haec nota fundatur tum in universali praxi Ecclesiae indefectibilis tum in explicita doctrina Cone. Trid., Cone. Flor, et Clementis VI. Ideo non dicimus id esse certo de fide, quia Cone. Trid. id docet non in canonibus sed in capitibus, Decretum autem pro Armenis Cone. Flor, non certo est fidei documentum et Clemens VI id docet tantum indirecte. Probabiliter tamen id est de fide, maxime si haec tria documenta attendantur ad modum unius cum praedicta praxi universalis Ecclesiae. Et in hoc quidem collimant varia theologorum iudicia, quorum quidam explicite dicunt id esse de fide, alii generalius pronuntiant id esse varitatem catholicam, vel expressam Ecclesiae doctrinam. Ita *Kern:* "Haec sententia communi praxi Ecclesiae confirmata dicenda est de fide certa"; *Spdcil:* "Communiter censetur esse de fide, maxime ob explicitam concilii Tridentini declarationem"; *Suarez:* "Expressa doctrina Cone. Florentini et specialiter Tridentini"; *Cappello:* "Veritas catholica"; *Zubizarreta:* "Doctrina Ecclesiae."

Quod vero hoc sacramentum valide iteretur etiam *in eadem infirmitate,* non videtur negari posse sine *aliqua nota temeritatis,* attentis tum praxi Ecclesiae, tum documentis Cone. Trid., Ritualis Romani et Codicis I. C., tum communissimo consensu doctorum in ea praxi et in illis documentis fundato.

Quod tandem *in eodem periculo mortis* valide iterari non possit, plures theologi, ut Straub, Billot, Hugon, Boyer, Zubizarreta, Otten (cf. infra, p. 301-305), sic asserunt ut videantur velle theologica aliqua nota firmare; ita Straub: "Causa per se finita est," Zubizarreta: "Doctrina est Ecclesiae," Otten: Contraria sententia "defendi vix posse videtur," Sola: "Hodie sustineri nequit." Nihilominus, ob dissensum aliquorum theologorum qui contrariae opinioni aliquam probabilitatem concedunt, abstinemus a qualibet nota vel censura assignanda, etsi, scientifice saltem loquendo, nullam fere huic opinioni concedimus probabilitatem intrinsecam, ut ex dicendis in Conclusione patebit.

Documenta Ecclesiae.

Horum documentorum tenor et vis infra discutietur (p. 335-341). *Clemens VI,* Epist. "Super quibusdam" ad Consolatorem, Catholicon

Armenorum, 29 sept. 1351: "[Quaerimus:] Si credis, quod omnis homo mortalis adultus in eo solo casu, quo graviter est infirmus, et in mortali periculo constitutus, debet devote et fideliter *semel dumtaxat in eadem infirmitate* sacramentum extremae unctionis requirere et suscipere: quod si non habens fidem hujusmodi sacramenti omitteret, vel sacerdos ex eadem causa administrare nollet, peccarent ambo graviter et errarent in fide."[6]

Cone. Flor., Decr. pro Armenis: "Inter haec sacramenta tria sunt: baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, id est, spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quattuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt" *(Denz.* 695).

Cone. Trid., sess. 7, can. 9 de sacr. in gen.: "Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: A.S." *(Denz. 852).*

Sess. 14, cap. 3 de Extrema Unctione: "Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint" *(Denz.* 910). Praecedens schema, quod Patribus conciliaribus examinandum propositum fuerat, fere idem continebat; addebat tamen mentionem defectus characteris sacramentalis et ferebat incisum "Cum in haud dissimile vitae discrimen" loco "Cum in aliud simile vitae discrimen": "Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti, quod characterem non imprimit, subsidio juvari poterunt, cum in haud dissimile vitae discrimen inciderint."[7]

Pius IV, Constit. "Iniunctum nobis" 13 nov. 1546 (Professio fidei Tridentina): "Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta Novae Legis a lesu Christo Domino nostro instituta . . . , et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse" *(Dcnz.* 996).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 6, q. 11, sic doctrinam Concilii interpretatur: "Illud observare oportet, in una eademque aegrotatione, cum aeger in eodem vitae periculo positus est, semel tantum ungendum esse. Quod si post susceptam hanc Unctionem aeger convaluerit, quoties postea in id vitae discrimen inciderit, toties eiusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi. Ex quo patet, in eorum Sacramentorum numero, quae iterari solent, reponendam esse."

Rituale Romanum in editione ante Codicem, tit. 5, c. 1, n. 14,

[6] Apud O. Raynaldum, *Annales ecclesiastici,* t. 2, ad annum 1351, n. 12.

[7] Apud A. Theiner, *Acta genuina ss. oecumenici Concilii Tridentini* (Zagabriac in Croatia [1874]) I 591.

habebat: "In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat." In nova vero editione, tit. 5, c. 1, n. 8. haec declaratio mutata est in aptiorem formam mutuatam ex Codice I. C., can. 940, § 2.

Codex I. C., can. 940, £ 2: "In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit."

Praeterea a saec. 14 ad saec. 16 edita sunt complura alia documenta magisterii non infallibilis, seu *Statuta Synodalia et Manualia* variarum ecclesiarum, quae explicite et concorditer proponunt relativam initerabilitatem Extremae Unctionis quaeque dabuntur in Conclusione (p. 329-332).

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

PRIMAM QUAESTIONEM quod attinet, scilicet *de iterabilitate huius sacramenti,* fuit olim saec. 11 dissensus paucorum doctorum, nominatim *Gofjridi Vindocensis* et *Ivonis Carnotensis,* qui hanc iterabilitatem negarunt, docentes Extremam Unctionem esse absolute initerabilem seu nonnisi semel in vita suscipi posse (non secus ac Baptismum, Confirmationem et Ordinem), ob eam praecipue rationem quod nulla unctio seu consecratio in Ecclesia repeti solet. Post tamen illorum impugnationem factam ab aliis doctoribus, nominatim a Petro Cluniacensi, dissensus sopitus est, ita ut inde iam a medio saec. 12 theologi moraliter omnes convenerint in sententiam de iterabilitate huius sacramenti, subinde explicite sancitam a doctrina et praxi universalis Ecclesiae. Ceterum de sensu et vi illius controversiae fusior erit sermo infra in argumento Traditionis (p. 318-325).

SECUNDAM QUAESTIONEM quod attinet, scilicet *de relativa initerabilitate Extremae Unctionis,* vel quod non possit valide iterari in eodem periculo mortis, explicita controversia exorta est post Cone. Trid. et hodiedum adhuc aliquatenus protrahitur.

PRIMA SENTENTIA, negans initerabilitatem.

Inde a saec. 17 plures doctores, signanter inter positivos, innixi praecipue quadam praxi septies ministrandi hoc sacramentum eidem infirmo, quae viguerit olim etiam in pluribus ecclesiis occidentalibus (iuxta plures Codices saec. 9-12; cf. infra, p. 305-307) atque adhuc servetur in ecclesia graeca, docent Extremam Unctionem posse pluries valide conferri in eodem mortis periculo atque varia Ecclesiae documenta tam doctrinalia quam practica, necnon ipsam doctrinam antiquorum theologorum, sacramenti iterationem reprobantia, interpre-

tantur de sola rei illiceitate, inducta per posteriorem praxim et legem Ecclesiae, salva ipsius iterationis validitate iuxta Christi institutionem. Addunt praeterea quasdam rationes theologicas, ut quod iterabilitas huius sacramenti sequatur ex possibilitate augendi tum primum eius effectum (rem-et-sacramentum), qui non est aliquid indivisibile sicut character sed merus titulus ad spiritualem confortationem quique proinde augeri potest sicut ipsa spiritualis confortatio, tum ultimum eius effectum qui consistit in spirituali sanatione quique proinde repeti et augeri potest sicut ipsa spiritualis infirmitas redire potest per commissionem novorum peccatorum venialium et incursionem consequentis poenae temporalis post semel susceptum sacramentum, quemadmodum ob eandem rationem saepius iteratur spiritualis curatio per sacramentum Poenitentiae.

Hanc sententiam primus, ut videtur, explicite defendit *Hugo Menardus* O.S.B. (f 1644) in suis *Notis in Sacramentarium Gregorianum* (infra cit.), quem secuti sunt inter antiquiores *loannes de Launoy* (t 1678; infra cit.8), *F. A. Pouget* oratorianus et doctor sorbonicus (t 1723),° *Caspar Juénin* oratorianus (t 1727),10 *Z. B. Van Espen* (t 1728; infra cit.), *Edmundus Martène* O.S.B. (f 1730) in suo celebri opere *De antiquis Ecclesiae ritibus* (infra cit.), *R. H. Drouin* O.P., doctor sorbonicus (t 1742),11 *J. Catalanus,* congr. S. Hieronymi (t paulo post 1715),12 *A. A. Pellicia* (t 1822),13 *A. J. Binterim* (t 1855),14 *J.-B. V. Heinrich* (t 1891).16

His favent, inter antiquiores: *Tournely* doctor sorbonicus (t 1729), *Billuart* O.P. (t 1757), *Benedictus XIV* (t 1758), *Wirceburgenses* (Munier S.J., t 1759), S. *Alphonsus* (t 1787), *M. Gerbert* O.S.B. (t 1793),16 quatenus, memorata praedicta antiqua consuetudine iterandi Extremam Unctionem in eodem periculo mortis, eam non reprobant, imo ad solum posteriorem usum Ecclesiae referre videntur ini-

" Confer quae de orthodoxia huius doctôris notavimus in art. 7, tom. 1, p. 501.

* *Institutiones catholicae in modum catecheseos,* c. 6, §3. Opus gallicc exaratum, cuius versiones, excepta latina, prohibitae fuerunt tum Romae tum in pluribus Galliae dioecesibus.

10 *Commentarius historicus et dogmaticus de sacramentis in genere et in specie,* diss. 7, q. 9, c. 1. Aliud opus huius theologi cui titulus *Institutiones theologicae,* utpote favens lansenismo, sub Clemente XI a S. Sede prohibitum fuit donec corrigeretur; correcta vero editio permissa fertur.

" *De re sacramentaria,* I. 7, q. 5, c. 2.

13 *Rituale Romanum Benedicti Papae XIV jussu editum et auctum, perpetuis commentariis exornatum, De sacramento Extremae Unctionis,* t. 5, c. 1, § 1, n. 11.

" *De Christianae ecclesiae primae, mediae et novissimae aetatis politia,* t. 2, 1. 6, S. 2, c. 3, 5 2.

"*Die vorzüglichsten denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche,* 6. B., 3. T., 3. K., § 9. Sequitur ac perficit praefatum opus Pelliciae.

" *Lehrbuch der Kath. Dogmatik* (Mainz 1898-1900) 773. Est compendium largioris operis *Dogmatische Théologie,* redactum a Huppert.

w *Principia theologiae sacramentalis, c.* 6, § 78, Friburgi 1758.

terabilitatem sacramenti in eodem mortis periculo. Inter modernos vero favent: *P. Schanz* (+ 1905),” loquens fere ut Tournely et alii nuper dicti; *J. Kern* (**t** 1907) qui diffusiori tractatione conatur probare eam sententiam “gravibus rationibus inniti” in eamque saltem vehementer inclinat; *P. J. Toner,* iudicans eam sententiam solide probabilem; *T. Slater,* affirmationi Toner consentiens; *C. Ruch,* dicens initerabilitatem Extremae Unctionis non respicere validitatem sed potius disciplinam sacramenti; *A. Vermeersch,* dicens iterationem sacramenti in eodem mortis periculo sibi videri validam, quod quidem est defendere saltem probabilioritatem huius sententiae; *A. J. Kilker,* asserens eam sententiam esse solide fundatam in argumento positivo; *Fr. Diekamp,* dicens ex praedicta antiqua praxi ungendi infirmum per septem continuos dies suaderi posse validitatem iterationis sacramenti in eodem mortis periculo. Praeterea, etiam inter patronos contrariae sententiae, quidam, ut *Schmidt, Spdcil, Cappello, Coronata, Aertnys-Damen, Gougnard, Lercher-Umberg,* et forte etiam *Noldin-Schmitt,* huic etiam aliquale suffragium praebent quatenus ei concedunt aliquam probabilitatem.

MENARDUS: “ ‘Et sic faciant illi per septem dies si necessitas fuerit tam de communione, quam de alio officio.’ Ita in Codice ms. monasterii sancti Remigii. Nota curam quam sacerdotes olim gerebant circa infirmos. Ubi de alio officio significatur de unctione quam Matthaeus Galenus in Promptuario theologico, catechesi 182. restringit ad partes laborantes, quia, ut vult, sacramentum non repetebatur. ‘Ad haec’, inquit, ‘non fiebat illud perfunctorie et properanter; sed ubi aeger non convalescebat, redibant eodem sacerdotes per septiduum ungentes; non quidem sacramentum toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra, praebentesque sanctam Eucharistiam’. Haec ille. Verum id quod ait non repeti olim solitum unctionis extremae sacramentum, in eodem videlicet morbo, non videtur probabile quia haec verba, ‘quam de alio officio’, sunt generalia, nec possunt restringi ad unctionem membrorum affectorum. *Et quamvis hodie in eodem morbo non repetatur hoc sacramentum, si tamen antiquus valeret usus, id non esset absurdum,* quia, non cessante morbo, homine adhuc existente in peccatis, ob peccata saltem venialia quae nobis quotidie obrepunt, quia ‘septies in die cadit justus’, *jure posset hoc sacramentum saepius in eodem morbo repeti,* ipsis causis manentibus ob quas hoc sacramentum conferri solet. Praeterea si unctio illa partium morbidarum non esset sacramentum, non posset conferre sanitatem, ac proinde frustra adhiberetur. Praeterea non aliud adhibebant oleum quam ab episcopo sanctificatum.”[18]

LAUNOY: “In Ecclesia Dei aliud est regula fidei, quam ‘immobilem et irrevocalibilem’ Tertullianus appellat, aliud disciplina et conversatio, quae, ut idem auctor dicit, ‘admittit novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei’. Ad disciplinam Ecclesiae et conversationem pertinet id quod tractamus; sive enim iteretur Unctio infirmorum, sive non iteretur, eadem manet fidei regula, qua Christiani diriguntur. Eadem manet fidei compages, qua ii semper inter se adstringuntur. Quod explicata suis momentis Traditio confirmat: nam in ea sunt incogniti quidam Monachi, qui Unctionem infirmorum repetendam esse doceant, et in suis Monasteriis repetant; sunt vero alii, qui repugnent, et repe-

”*Die Lehre von den Sakramenten* (Freiburg 1893) 661.
"*Notae et observationes in S. Gregarii M. Librum Sacramentorum (ML* 78. 523).

tendam non esse contendant; sunt etiam alii, qui istis postmodum adversentur, et in varias abeant distinctiones, quibus se rem conficere credunt: sed nemo est. qui quam non sequitur opinionem, erroris nota infamet. Suam quisque quoad ejus fieri licet sententiam probat, et ab aliorum impetitionibus ita defendit, ut nihilominus quid absolute volueris, non adimat sentiendi libertatem. Res autem sic se habet, et sic habere se debere evidens ratio demonstrat, scilicet quod neque Scriptura ulla, neque idonea veterum Patrum Traditio ulla doceat iterandum esse, vel non iterandum hoc Sacramentum. *Quapropter ea tota quaestio disserentibus in utramque partem Theologis relicta est.*

"Qua in re cuique licuit in suo abundare sensu, *rationes eorum, qui Sacramentum hoc iterant, quam qui non iterant, exquisitiores mihi videntur.* Comparate loquor: in Theologicis enim quae rationes non ducuntur ex sacris litteris, aut ex firmissima Traditione, magno in pretio haberi non possunt. Tales autem sunt omnino, quibus utraque pars iterantium, et non iterantium unctionem sustinetur. Porro argumenta pene omnia, quibus non iterantes utuntur, a simili [puta ex eo quod Poenitentia publica non iterabatur, et Extrema Unctio assimilatur illi Poenitentiae] petuntur; sed locus ille, in quo similium similis est ratio, momenti nihil aut parum habet in rebus, quae ex divina vel humana institutione pendent. In iis enim tota ratio facti est voluntas et potentia facientis.",u

F/LV *ESPEN:* "In his itaque unusquisque Ecclesiae suae legem, et consuetudinem sequi debet; alias si disciplina non obstaret, absurdum non esset, pluries in eadem etiam infirmitate, eodemque infirmitatis statu, hoc Sacramentum juxta antiquum Ecclesiae Latinae, et hodiernum Graecorum morem conferre."20

MARTENE: "Alterum argumentum, quo demonstramus infirmos olim de salute periclitantes, antequam ad extremas essent angustias redacti, inunctos fuisse, repetitur ex *consuetudine iterandae unctionis per septem continuos dies.* Hunc ritum praescribunt antiqui libri Rituales bene multi, praesertim vero ecclesiae Turonensis duo ante annos 800. exarati, unus B. Mariae Remensis ejusdem circiter aetatis, alter regius n. 4208. Pontificale Salisburgense, Codex Victorious annorum circiter 500. ut alios interim omittam. Eumdem ritum videre est in vita S. Remberti Hammaburgensis archiepiscopi scripta ab auctore aequali saeculo IV. Benedictino. [Septimo ante obitum die ministerium sacrae Unctionis ei fieri coepit, et una cum communione Corporis et Sanguinis Domini usque in diem animae exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit.]21 Ejusdem etiam meminit Matthaeus Galenus in Promptuario Theologico, catechesi 180. ubi sic loquitur. [Unde discimus olim non ita parce actum ut nunc; sed tota infusa delibutaque fuisse corpora, neque tantum organa sensuum, sed omnes illae partes inungebantur, in quibus morbus potissimum grassabatur, idque interdum per continuos septem dies.] Et Catechesi 181. [Quid enim est mirum ratam contingere sanitatem, cum vix habeatur nunc ratio partium affectarum, quas majores nostri totis septem diebus inungebant.] Et Catechesi 182. [Ad haec non fiebat illud perfunctorie ac properanter, sed ubi aeger non convalescebat, redibant eodem sacerdotes per septiduum ungentes, non quidem sacramentum toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra praebentesque sacrosanctam Eucharistiam.]

"Ubi quod ait unctionem, non sacramentum fuisse repetitum, alium desideraret testem. Nam verosimilius est Galenum antiquos usus cum hodiernis hic conciliare voluisse, et cum certis sibi constare videret monumentis Unctionem sacram repetitam olim fuisse; nunc vero semel dumtaxat in eodem morbo hoc sacramentum administrari, existimavit per septem quidem dies inunctos fuisse aegrotos; sed nulla verborum forma enuntiata, ac consequenter absque sacramento. *Hujusmodi*

De sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae Traditio circa iterationem sacramenti Extremae Unctionis, c. 4, observationes 2 et 3, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 554. Cf. observ. 4, *ibid.* 555.

" *Op. cit.* (supra, in p. 2S8), n. 39, p. 109. Cf. reliqua eius verba infra, p. 364 sq.

s‡ Haec et sequentes parentheses sunt ipsius auctoris.

argutiis et explicationibus miras in antiqua ecclesiae de sacramentorum administration! disciplina tenebras injecerunt doctores scholastici, quas non sine labore viri eruditi et antiquitatis venerandae scrutatores studiosi hodie dissipare possunt."[32]

TOURNELY: "Quaeres . . . an extrema Unctio saepius iterari possit, et ab eodem homine percipi. . . Resp . . . olim etiam in eadem infirmitate, eodemque statu positis, per septem dies repetitam fuisse unctionem. Ita, fert Liber Sacramentorum Gregorii editionis Menardi p. 253. . . Eundem ritum a pluribus Ritualibus Libris antiquissimis praescribi observat eruditus P. Martene. . . Jam a multis saeculis obtinuit usus, ut nonnisi semel, homini in eadem infirmitate eodemque statu constituto, administretur unctio extrema: a qua tamen infirmitate recreatus si postea in aliam aut similem inciderit, potest iterum inungi."[23]

BILLUART: "Quidquid sit de consuetudine quae dicitur olim apud aliquos invaluisse, pluries iterandi unctiones in eodem infirmitatis statu, de qua Menardus in lib. Sacramentorum S. Gregorii et Martene lib. 1 de Antiquis Ecclesiae Ritibus; et hac data, fucrintne omnes illae unctiones sacramentales, an caeremoniales tantum, excepta una? . . *Certum est nunc non licere hoc sacramentum iterare* eadem infirmitate, seu potius ejusdem infirmitatis statu ac periculo durante."[24]

BENEDICTUS XIV: "Adeo diversa sunt hominum ingenia, illud idem Sacramentum, quod plerique [?] numquam iterari posse affirmarunt, alii, etiam in eadem infirmitate, saepius repeti voluere; etenim in antiquo codice manuscripto S. Remigii, circa annum millesimum exarato, et prolato ab Hugone Menardo, in Notis ad Sacramentar. S. Gregorii, statuitur infirmos vita periclitantes, per septem continuos dies et Christi corporis viatico recreandos, et sancto oleo esse perungendos; eundemque ritum clarius adhuc et magis aperte praescribunt Theodulphus Aurelianensis, in suo secundo Capitulari, apud Baluzium. torn. 7 Miscell., aliique multi antiqui libri rituales, apud Martene. . . *Sed usus postea ab universa Ecclesia receptus,* a theologis communi calculo approbatus, et synodorum ac Ritualium auctoritate roboratus, obtinuit ut semel dumtaxat in eadem infirmitate extrema Unctio adhibeatur. . . Van Espen . . . non inopportune parochos monet ne nimium scrupulose in hoc se gerant; sed. si dubitent an revera morbi status sit mutatus, seu unum idem vel diversum sit vitae periculum in quo aegrotus versatur, expedire ait. ut ad Sacramenti iterationem propendeant, *eo quod haec iteratio conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini,* et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obveniat."[25]

S. ALPHONSUS (n. 715) sese refert tantum ad ultimam partem textus Benedicti XIV, ad eundem practicum consilium praebendum. Ceterum verba S. Doctoris (necnon fortasse ipsius Benedicti XIV), videntur potius perfunctorie prolata. Unice enim contendit confirmare suum consilium de iterando sacramento in dubio de novo mortis periculo, provocando ad similitudinem cum antiqua praxi, sed in quo praecise haec similitudo consisteret, inquirere non curat. Idque clarius apparet in sequentibus verbis *Gury-Ballerini* (t. 2, n. 691), provocantis ad auctoritatem ipsius S. Alphonsi: "Quaer. . . An iterari possit in eodem morbo diuturno, si dubitetur, an revera status morbi mutatus fuerit? Resp. Affirm, probabilius, si dubium sit vere positivum, scilicet quando est vere probabile, infirmum exiisse e periculo mortis; haec enim iteratio *in istis casibus est veteri Ecclesiae Consuetudini magis conformis.* — S. Lig. n. 715." Videtur nempe Gury asserere iterationem esse conformem antiquae consuetudini in istis casibus seu quando adest dubium de novo

[a] *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, pars 2, c. 7, a. 2, n. 5 (Rotoniagi 1700) 108 sq.

[a] *Dc sacramento Extremae Unctionis,* q. 4, a. 2, *Praelectiones dogmaticae* (Parisiis 1765) IX 441 sq.

[''] *Tractatus De Extrema Unctione,* diss. unica, a. 7, petes 3, *Cursus theologiae* (Parisiis 1904) X 25.

[~] *Dc synodo dioecesana,* l. S, c. 8, n. 4, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1108 sq.

periculo, non vero quando adest certitudo de permanentia eiusdem periculi, cum nempe certe iteraretur sacramentum in eodem mortis periculo. De veritate autem huius asserti inquirere non curat.

WIRCEBURGENSES: "Olim durante eodem infirmitatis statu iterabatur sacra unctio. Eam septies in eadem infirmitate repetendam esse praescribebatur in sacramentario S. Gregorii, editionis Menardi, p. 253, eumdemque ritum ex pluribus Ritualibus probat P. Martene, L. 1 de antiquis Eccl. rit., c. 1, a. 2, n. 5. *Verum a multis seculis usus Ecclesiae obtinuit,* ut nonnisi semel in eadem infirmitate eodemque statu posito sacra unctio ministretur. Quod si tamen ejusdem morbi vis ita remiserit, ut aegrotus mortis periculum evasisse censeretur, quin tamen a morbo plane sit liber, postea vero recrudescente malo in periculum simile mortis recideret, denuo ei sacramentum hoc impertiendum esse consentiunt Theologi cum S. Thoma".[28]

KERN, fusius et contentiosius quam alii, per 32 solidas paginas defendendam suscipit gravem, ut ait, soliditatem huius sententiae, in quam tam vehementer inclinat ut merito habeatur tamquam praecipuus eius patronus inter modernos: "Notum est — inquit — in multis tractatibus de Extrema Unctione tanquam veritatem, quae nulli seriae dubitationi subsit, statui, nostrum sacramentum manente eodem vitae discrimine nec licite nec valide repeti. Nihilominus sit *Propositio XIII. Gravibus rationibus innititur sententia, Extremam Unctionem spectato eius valore in eadem infirmitate etiam manente eodem mortis periculo saepius conferri posse."*[21]

Hae graves rationes sunt: primo ac praecipue, argumentum praescriptionis, seu quod de facto septies iteratum est sacramentum sive in antiqua ecclesia latina, sive constanter in ecclesia graeca etiam ante schisma, sive inter sectas ab Ecclesia separatas, uti apud Coptos; secundo, ratio theologica, quia nempe res-et-sacramentum Extremae Unctionis augeri potest per iterationem sacramenti, cum consistat in iure seu titulo ad spiritualem confortationem, et quia ipse effectus principalis sacramenti, seu abstersio reliquiarum peccati, potest iterum atque iterum conferri, cum tales reliquiae iterum redeant per peccata commissa post primam sacramenti collationem. Argumenta autem contrariae sententiae, deducta praecipue ex consensu theologorum et ex documentis Ecclesiae (nominatim ex Cone. Trid., Rituali Romano et Catechismo Cone. Trid.) non concludunt quoniam non datur in hac re talis theologorum consensus a quo recedere nefas sit (ipsi Petrus Lombardus, Albertus M., Bonaventura, S. Thomas, nequeunt pro contraria sententia invocari) et praefata Ecclesiae documenta reiciunt quidem liceitatem iterationis sed a quaestione de eius validitate abstrahunt.

In proemio sui operis Kern confidenter scribit: "Sententiae, quae videntur novae, suspicioni dant locum. Unde non spero fore, ut a theologis facile admittatur propositio, qua asseritur, Unctionem infirmorum in eodem mortis periculo saepe valide administrari posse. Attamen rationibus speculativis nunquam evincetur, dictam sententiam esse falsam. Igitur cum desint definitiones Ecclesiae, argumentis historicis erit oppugnanda. Existimo autem, tantum abesse, ut accuratior inquisitio in fontes historicos eam evertat, ut eam sit magis magisque confirmatura."[28] Ad finem tamen suae discussionis, concludit: "Finiamus iam citatis verbis b. Alberti, quibus sine dubio omnes consentiunt: 'Si tamen ... a Domino Papa aliter in hac quaestione determinari invenitur, magis iudicarem illius sententiae standum quam meae: quia magis in hac parte credendum est inspirationi Ecclesiae, quam rationi coniecturanti ex incertis.' "[29]

TONER: "I believe [Kern's opinion] to be solidly probable."[30]

"*De sacramento Unctionis Extremae,* a. 3, *Theologia dogmatica, scholastica et moralis* (Parisiis 1880) X 284.

" *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 338.

** *Ibid. VII sq.*

* *Ibid.* 363.

*0 "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 4 (1909) 145.

SLATER: "Few of those who have devoted any attention to the matter will differ from the main conclusion at which Dr. Toner arrived. . . That conclusion was that it is a solidly probable opinion that Extreme Unction may be validly repeated on the same person in the same sickness even though there has been no change in the state of the sickness."[31]

RUCH: "Les documents liturgiques nous apprennent qu'en certaines églises, les applications d'huile étaient faites pendant sept jours consécutifs, si c'était nécessaire. . . Le fait est indéniable. . . Peut-être n'y a-t-il pas lieu de chercher des explications théologiques et faut-il enregistrer le fait, sans rien conclure. L'extrême onction n'est pas réitérée de nos jours: il ne s'en suit pas qu'elle ne l'était pas jadis. Elle l'était autrefois en quelques milieux: pourquoi conclure qu'elle peut l'être de nos jours? Admettons, si'l le faut, qu'il *ne s'agit pas ici des conditions de validité du rite* et reconnaissons que la discipline a pu varier. Ce qui était légitime autrefois peut ne plus l'être, soit en raison de la cessation de la coutume, soit en vertu de dispositions positives du droit. De bonnes raisons pouvaient autoriser un usage que des raisons non moins bonnes ont fait abandonner."[32]

VERMEERSCH: "Olim pluribus diebus successivis conferebatur [hoc sacramentum], ita ut vetita iteratio ad magis recentem disciplinam referenda sit, nisi tamen successivae istae unctiones pro una integra administratione haberi possint. Itaque iteratio istius sacramenti in eodem periculo, etsi graviter prohibita, *non tamen invalida videtur."*[33]

KILKER: "By far the great majority of theologians deny the validity of Extreme Unction when repeated in the same danger of death. Among contemporary writers, however, Kern holds as probable the opinion maintaining the validity of repeated unction in the same danger of death. He is not alone in his contention, but is rather one of the more recent adherents to an authoritative band of positive sacramental theologians. . . The argument from positive theology in support of validity of repetition in the same danger seems to rest *on solid probable grounds.* It can be more easily avoided and ignored than refuted. On the other hand the argument from theological reason is not so cogent. . . At any rate, adherence to the view which holds validity of repetition has some advantages. In the first place it gives a logical explanation of the Greeks in their seven-fold unction. Secondly, it saves us from the temerity of asserting, at least implicitly, a sweeping condemnation of a one-time widespread practice — a course which the wise theologian hesitates to take."[34]

DIEKAMP: "Iterata hujus sacramenti collatio eodem mortis periculo durante hodie est interdicta. Quaeritur an sit valida? *Eam validam esse suaderi potest* ex consuetudine quadam primordiis medii aevi interdum occurrente, secundum quam unctio septem diebus sibi subsequentibus conferebatur. Sacramentarium Gregorianum aliique libri rituales saeculi 9-12 praeceptum quoddam de hac re continent, nec dubium esse videtur iterationem hujus sacramenti proprie dictam ibi intendi."[35]

'"'Repetition of Extreme Unction," *ibid.* 427.

'"'Extrême Onction, du Ier au IX' siècle," *Dictionnaire de Théologie Catholique,* 5. 2 (Paris [1913]) 1981.

" *Theologia moralis* III (ed. 4, a Crcusen recognita, Romae 1948) 396. Idem omnino repetitur a Vermeersch-Creusen, *Epitome luris Canonici* II (ed. 6, Mechliniae 1940) 154 sq.

" *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 52, 59.

15 *Theologiae dogmaticae manuale* IV (Iuxta ed. 9 versionem latinam secundam curavit A. Hoffmann, Tornaci 1946) 397.

SPÂCIL: "Censemus . . . non posse cum certitudine demonstrari extremam unctionem in eadem infirmitate, etiam manente eodem mortis periculo, valide iterari non posse. Concedimus utique etiam sententiam oppositam, unctionem nimirum sic iteratam validam esse, certis argumentis non comprobari. Possunt tamen rationes quaedam afferri, quibus opinioni huic *aliqua probabilitas* conciliatur. Et primo quidem provocari licet ad usum illum . . . aegrotos per septem continuos dies ungendi."[30]

CAPPELLO: "Longe communior et probabilior sententia est. sacramentum extremae unctionis valide in eadem infirmitate eodemque mortis periculo iterari non posse. Haec sententia certa dici nequit, cum nullum argumentum in eius favorem adductum, sit peremptorium ac decisivum."[37]

AERTNYS-DAMEN: "Fundamento non caret sententia eorum qui doceant Extremam Unctionem, si repetatur in eadem infirmitate et in eodem mortis periculo, semper valide repeti; pro hac sententia inter alia etiam militare videtur antiquus usus in Ecclesia. Cf. Kern."[38]

LERCHER-UMBERG: "Obiectiones. quae constant argumentis a Kern pro sua opinione allatis et ab A. Straub crisi subiciuntur, non sunt quidem peremptoriae, attamen tanto fruuntur pondere, ut [communis opinio | . . . nonnisi probabilior prae opinione opposita dici possit."[39]

Eidem sententiae ultro subscribunt *Schismatici Orientales*™ signanter moderniores, qui praeterea defendunt etiam ipsam liceitatem iterationis, dicentes hoc sacramentum *conjerri posse quoties infirmus devote illud petit,* quibusdam contrariam catholicorum praxim explicite reprobantibus. Id ceterum satis congruit tum schismaticorum doctrinae de principali effectu Extremae Unctionis consistente in curatione corporalis infirmitatis (cf. supra, art. 11, p. 76) tum eorum praxi ungendi etiam sanos, et quidem pluries (cf. infra, art. 30, p. 536 sqq. l.

Haec sententia dici potest communis inter modernos, etsi quidam, ut *Golubcev, Bjeljaev, Mesoloras* et *Malinovskij,* nonnisi aequivalenter eam proponant, quatenus nempe dicunt sacramentum saepius administrari posse sanis, vel "etiam sanis," quod a paritate, vel a fortiori, implicat idem fieri posse cum infirmis. Explicite vero eam proponunt inter alios *Rallis," Dyovuniotis*™ *Neocosmos* et *Sturdzas.* Ceterum iam antiquus ac insignis eorum doctor *Simeon Thessalonicensis* (**t** 1429) hanc sententiam praeformaverat, docens hoc sacramentum *"jugiter ct non semel"* vivis conferendum esse (quod valet de omnibus, sive sanis sive infirmis); "Hic est finis olei quod viventibus

Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione (^Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 254.

" *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 221.

Theologia moralis (Taurini 1944) II 40S,

* *Institutiones theologiae dogmaticae* IV 2. 2 (ed. 3 retractata, Oenipontc 1949) 261 sq.

M'Cf. apud Spv'H.. *op. cit.* 111-114

11 llepc *των μνατηρίων* τή$ perarotar *καί τον* ^ύχβλαίου , . . (Athenis 1905) 122 sq., ubi peculiariter improbatur praxis latina.

45 Τα μυστήρια . . . (Athenis 1913) 195 sq.

datur, ut vivant et maneant purgati, sed vivis nequaquam confertur ut moriantur, nec sanationem expectare possint, quoniam potius ad hoc fuit institutum ut unctos alleviet Dominus, et peccata ipsis dimittantur. Quod jugiter, et non semel erit, quemadmodum et illud: 'Confitemini alterutrum,' inquit, 'peccata vestra,' scilicet semper, minime autem semel [et]: Orate pro invicem, ut salvemini,' non semel tantum, sed continuo adimplendum est, quoniam singulis diebus offendimus"[43]

Ipsi tamen *libri symbolici* hanc opinionem non indicant nec clare supponunt, si excipiatur *Confessio Metrophanis Critopuli* (cap. 13) quae explicite docet hoc sacramentum pluries in vita suscipi posse, ita implicite innuens id valere etiam de infirmis durante eodem mortis periculo. In ipso ritu administrationis unctionis *per septeni sacerdotes,* qui adhuc viget in Oriente, quidam, ut archiepiscopus *Ignatij*[44] necnon Kern et supradicti catholici defendentes hanc opinionem de valida iteratione unctionis in eodem periculo mortis, vident septies repetitum sacramentum, dicentes hunc ritum esse abbreviatam formam antiquioris ritus ungendi eundem infirmum per septem continuos dies (cf. infra, p. 307).

. *SECUNDA SENTENTIA, affirmans relativam initerabilitatem sacramenti.*

Haec, inde saltem a Cone. Trid., fuit et est *sententia longe communior* inter theologos, fatentibus ipsis fautoribus prioris sententiae, ut Martène, Kern, Toner, Kilker. Eam fuisse quoque communem sententiam antiquiorum doctorum ostendetur in Conclusione (p. 325-335). Rationes huius sententiae, infra in Conclusione fusius expendendae, deducuntur sive ex connaturali sensu documentorum et praxis Ecclesiae, sive ex longe communiori consensu theologorum, sive ex theologica consideratione indolis ipsius sacramenti.

Ante Concilium igitur *usque ad medium saeculum 17,* seu ante Hugonem Menardum, theologi communiter nullam tangunt controversiam de hac re sed pacifice docent hoc sacramentum in eodem

[43] *Dialogus in Christo adversus omnes hatreses (De Sacram nlis De sacro ritu Sancti Olei sive Euchelaei),* c. 287 *(MG* 15S. 522).

[44] *De sacramentis unius, sanctae, oecumenicae et apostolicac ecclesiae* [russice] (Petropoli 1863) 296 sqq., ubi ait: "Septemplex numerus lectionum, orationum, unctionum positus est in ritu benedictionis olei secundum normam dierum, quibus antiquitus presbyteri infirmum s. Unctionis causa visitabant. Quaque vice post precationem, quae unctionem praecedit, legebant unam lectionem ex Apostolo et Evangelio, deinde ecteniam pro infirmo, quam excipiebat oratio cum unctione. . . Hoc modo euchelaeon olim septem diversis visitationibus presbyterorum perfectum esse videtur. Cum decursu temporis infirmi coepissent ad illud mysterium solum in extrema necessitate confugere et spiritus devotionis imminutus minus patiens fieret in orationibus, illud abbreviatum est in unum orantium [presbyterorum] conventum, in quo totus ritus septem dierum simul perficitur,"

mortis periculo iterari non posse; quod autem intelligant ipsam invaliditatem iterationis, constat tum ex modo absoluto quo loquuntur, tum ex rationibus quibus initerabilitatem probant,[45] tum ex eo quod illi pauci doctores positivi qui sibi obiciunt antiquam praxim latinam administrandi unctionem eidem infirmo per septem dies, aut praxim Graecorum septies eadem die administrantium ritum unctionis per septem presbyteros, non ex alio principio in sua explicatione procedunt quam ex praesupposita communi doctrina de initerabilitate sacramenti, ita ut inde *Matthaeus Galenus* (t 1573; quem impugnant Menardus et Martène, supra cit., p. 294) concludat in ea latina praxi solam unctionem primae diei fuisse sacramentum, ceteras vero merum sacramentale, *Petrus Arcudius* (tpost 1632) idem sentiat de praxi Graecorum, nempe primum tantum sacerdotem sacramentum conficere, ceteros vero nonnisi absusive intendere sacramenti confectionem, tandem *Jacobus Goar* (f 1653) in utraque praxi videat unum tantum sacramentum semel administratum, quatenus repetiti ritus confluunt moraliter in unum totalem ritum sacramentalem.

A medio saec. 17 ad initium saeculi nostri, post suscitatum a Menardo, Launoy et Martène dissidium de initerabilitate sacramenti, theologi adhuc communius hanc initerabilitatem proponunt (exceptis paucis supradictis doctoribus, rem nonnisi leviter attingentibus et ab auctoritate illorum eruditorum plus aequo commotis), ita ut plures ex notioribus theologis ipsum dissidium ipsamque historicam difficultatem, unde illud incoepit, ne quidem commemorent. Ita *De Sainte-Beuve* (t 1677) pro comperto habet initerabilitatem sacramenti, nec ullam commemorat controversiam nisi Goffridi Vindocensis et Ivonis Carnotensis, simpliciter negantium iterabilitatem sacramenti: *Gonet* (t 1681), postquam inter alia de subiecto Extremae Unctionis dixerit: "Sicut Matrimonium non potest [i.e. valide] iterum contrahi inter eosdem conjuges, sic neque Extrema unctio potest iterum dari infirmo constituto in eadem necessitate infirmitatis," continuo addit: "Haec sunt certa et indubitata fere apud omnes theologos";[o] *Montejortino"* (t 1728) pariter, absque ullo dubio aut memoria dissidii, eandem veritatem proponit; inter doctores positivos, *Joannes Mabillon*

[45] "Cf. inter alios ipsum *Suarez* (Disp. 40, sect. 4, n. 6sq.), quem Slater, Spâëil et alii inepte referunt inter eos qui, ut ait Spâëil, "contenti sunt ut affirment iteratam in eodem periculo unctionem non licere vel usum Ecclesiae ferre, ut non iteretur." Slater conatur mentem Suaresii (-f 1617) explicare per sententiam *Arriaga* S.J. (ψ 1667) qui, explicite posita quaestione de validitate vel secus iterati sacramenti in eodem mortis periculo, respondet "rem esse omnino incertam, quia de hoc puncto nihil Concilia definierunt" (Disp. 53, n. 47). Attamen, Arriaga suas *Disputationes Theologicas* scripsit post Menardum (hic scripsit a. 1642, Arriaga vero a. 1655) ac ideo potuit commoveri huius eruditi opinione; ceterum, ipse Arriaga addit quod, si attendatur ipsa praxis Ecclesiae, concludendum esset pro invaliditate iterationis.

[o] *Clypeus, De Extrema Unctione,* disp. 3, a. 1.

[o] *Duns Scoti Summa Theologica, Suppi.,* q. 33, a. 2.

(t 1707)" nonnisi transeunter memorat antiquam praxim pluries ungendi eundem infirmum nec quidquam addit aut iudicat; item *Carolus Chardon* (f 1733)[40] ex praedicta praxi refutat tantum praefatam sententiam Goffridi et Ivonis.

Ab initio currentis saeculi ad nostros dies, post attentatam a Iosepho Kern reviviscentiam contrariae opinionis Menardi, Launoy et Martène, sententia de relativa initerabilitate sacramenti adhuc firma et communis permansit, imo, ut videtur, firmior evasit ac communior, quatenus quidam doctores aliquod iudicium censurae, utut velate, circa contrariam opinionem exprimere non dubitarunt, etsi alii, supradicta historica difficultate plus aequo commoti, aliquam illi opinioni probabilitatem concesserint.

Horum doctorum varii sentiendi vel loquendi modi ad sequentes reduci possunt:

Sententia certa. Id aequivalenter asserunt vel asserere videntur:

Straub: "Disciplina haec [qua Ecclesia a septem saltem saeculis prohibet iterationem in eodem periculo] *eatenus tantum ut recta sustineri potest,* quatenus extrema unctio in eodem statu morbi valide repeti nequit. . . Usus ecclesiae justus intellegitur solum iterabilitate unctionis ampliore divinitus exclusa. . . Definitio [tridentina] per se quidem mere iterabilitatem pro discrimine alio affirmat, non pro discrimine eodem negat, sed tamen consideratis omnibus sententiae neganti *vehementer javet.* . . Ne libera *errandi* sit facultas, audiatur Clemens VI [Recitat supra relatam interrogationem ad Armenos, p. 289 sq.]. . . Pontifex in hac parte docet, extremam unctionem, ne sit invalida, non suscipi devote et fideliter nisi in gravi infirmitate semel oportere. . . Quamobrem *ex revelatione* extremam unctionem in periculo eodem per infirmitatem facessito non valide iterari *haud dubie significat.* Porro sensu tali vero stabilito *causa per se finita sit:* nam auctoritatem peremptoriam documenti clementini oblivione quadam nimis diu obruti pridem ([cf.] n. 556) in luce collocavimus."[30] Ex his ultimis verbis sequitur quod, iuxta Straub, admissa definitiva indole documenti Clementis, praedicta initerabilitas est theologice certa, imo proxima fidei.

Billot (thes. 28): "In eodem periculo mortis sacramentum hoc . . . iterari . . . non potest. . . *Repugnat* enim repeti sacramentum, quando proximus eius effectus iam exsistit, qui nec augeri potest nec numero multiplicari, sicut alias dictum est de sacramentis characterem imprimentibus."

[39] *Observatio de Extrema Unctione,* in Migne, *Theologiae Cursus* XXIV 133.
[40] *Histoire des sacrements, Extrême Onction,* chap. 2.
[30] *De Ecclesia Christi* (Ocniponte 1912) II 284, 287, 291, 293, 294.

Hugon (ed. a. 1948, p. 665): "*Codex jam diremit plures quaestiones* olim disputatas de obligatione et de iteratione hujus sacramenti: 'In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit.' " Cum autem quaestio agitata non respiceret illiceitatem, ab omnibus admissam, sed invaliditatem illius iterationis, decisio Codicis sententiam affirmativam reddit certam, iuxta mentem Hugon.

Zubizarreta (n. 627): "P. Kern, intelligens de vero sacramento et non de sacramentali, quae ordinabatur in sacramentario gregoriano, ait: 'Gravibus rationibus innititur sententia, extremam unctionem, spectato ejus valore, in eadem infirmitate, etiam manente eodem mortis periculo, reiterari posse'. *Doctrina tamen est Ecclesiae,* quae tenet extremam unctionem, non in eodem mortis periculo, sed in diversa infirmitate, imo in eadem infirmitate sed in diverso mortis periculo, reiterari posse."

Boyer (n. 415): "Verba [decisionis Tridentinae] *ut exclusive intelligenda sunt,* quamquam Kern *scribens ante Codicem* contradixerit et tenuerit extremam unctionem in eodem mortis periculo, si diu duraverit, etiam hodie reiterari posse. Quod ad praeteritum attinet, verum est quod in sacramentario gregoriano, dicitur ritus extremae unctionis esse per septem dies repetendus. At multi censent repetitiones istas se habere ad modum sacramentalis; vel forte dici posset hoc totum ad modum unius factum esse." Cum decisio tridentina non sit mere disciplinaris sed doctrinalis atque validitatem sacramenti respiciat, logicus sensus verborum Boyer, aliquatenus ambiguorum, nequit esse nisi quod ex Codice I. C. habetur iam declaratio doctrinae tridentinae in sensu exclusive, et ideo, attenta auctoritate Codicis, initerabilitas sacramenti est nunc doctrina certa.

Sola: "Ex citatis documentis Ecclesiae, hodie sustineri nequit opinio P. Kern dicentis: 'Extremam Unctionem, spectato eius valore in eadem infirmitate etiam manente eodem mortis periculo, saepius conferri posse.' "[5]

Sententia jere certa (a qua proinde non tuto quis recedet):

Otten: "Defendi tamen vix posse videtur sententia quam proponit P. Kern, nempe 'extremam unctionem spectato ejus valore in eadem infirmitate etiam manente eodem mortis periculo saepius conferri posse' . . . nam declarationes Ecclesiae . . . contrarium supponere videntur.""

Sententia practice certa (seu in praxi unice attendenda):

[1] *De Extrema 1'nctionc* ("Sacrae Theologiae Summa," edita ab hispanis Patribus S.J.. t. IV, tract. 4. Matriti 1951) 572, in nota.
[2] *Institutiones dogmaticae* VI (Chicago 1925) 270.

Rcgatillo: "*Multo probabilius* est nulla iteratio in eodem periculo; et practice certum, secus ab Ecclesia non prohiberetur."[5]

Sententia firma (seu a qua non est recedendum vel non prudenter receditur):

Tanquerey (ed. a. 1921, p. 545, in nota): "Putat quidem Kern . . . Extr. Unctionem, spectato ejus valore, in eadem infirmitate, etiam manente eodem mortis periculo, saepius conferri posse; sed putamus a sententia communi non esse recedendum."

ΠΛ *McDonald:* "[Kern] holds . . . contrary to what has been commonly believed since at least the time of St. Thomas, that if and as long as one is ill enough to receive the sacrament of Extreme Unction at all, it can be repeated validly even though there should be no diminution of the illness. . . The truth is that in dealing with the sacrament of Extreme Unction we have to choose between irreconcilable traditions. In the East and in many of the Western Churches the sacrament was repeated during the same sickness; in the Schismatical Greek Church this practice continues to the present day. On the other hand it seems to be one of our most ancient traditions that no sacrament can be repeated while it is still present in the soul. *It is for what may be called theological instinct to choose which line of tradition is mostly likely to be the right one.*"™

L. Godefroy: "Quelle que soit la force de ses [i.e. Kern] raisons, il ne semble pas qu'elles puissent prévaloir contre l'enseignement commun des théologiens, contre la pratique constante et déjà ancienne de l'Eglise, contra le text du rituel. Celui-ci, sans doute, n'a pas toute la clarté désirable: le P. Kern . . . fait remarquer avec raison que le cas d'amélioration suivie de rechute y est donné comme un exemple, 'ut si', et non comme le seul cas possible. Il n'en est pas moins vrai que le rituel commence par poser en principe qu'on ne doit pas réitérer l'extrême onction durant la même maladie, qu'à ce principe il n'indique clairement qu'une exception, et que la pratique et l'enseignement théologique considèrent cette exception comme unique. *Il n'y a donc pas lieu dc s'en écarter tant que l'Eglise n'en aura pas autrement décidé.*"™

Sententia non certa, sed probabilior, vel longe probabilior, ita ut contrariae opinioni concedi possit aliqua probabilitas. Ita *Schmid, Spàcil, Cappello, Coronata, Aertnys-Damen, Gougnard, Lercher-*

[5] *Ius sacramentarium* (cd. 2, Santander 1949) 438.

[6] "'The sacrament of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 339, 344 sq.

[7] ""Extreme Onction. Questions morales ct pratiques," *Dictionnaire de Théologie catholique S. 2* [1913] 2022.

Uniberg, et forte etiam *Noldin-Schmitt,* quorum plures supra citavimus (p. 293, 298).

Plures alii, ut *Pesch, Rath;'0 Van Noort-Verhaar,Priinimcr,Piscetla-Gennaro, Dafiara,* memorata discrepante Kern sententia, mere affirmant initerabilitatem sacramenti in eodem periculo mortis, quin aliquid addant de gradu firmitatis doctrinae. *Pesch* (n. 558): "Kern . . . statuit posse sacramentum etiam durante eodem mortis periculo repeti . . . cuius opinionem refutat Straub (De ecclesia Christi II, n. 921 sqq.). Codex iur. can. 940, §2: 'In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit'." *Van Noort-Verhaar* (n. 184): "Ex supradictis sequitur hoc sacramentum non posse iterari in eodem periculo mortis, quia effectus immediatus seu titulus appellans gratiam perdurat. Iterari autem potest in nova infirmitate, aut in novo periculo durante eadem infirmitate, quia periculo cessante cessat etiam titulus. Objicitur autem, quod in antiqua ecclesia hoc sacramentum in eodem mortis periculo iterabatur, aliquando per septem dies continuos. Respondendum videtur hunc usum, qui numquam fuit universalis, fortasse ita explicari posse, ut sola prima unctio haberetur sacramentum, ceterae unctiones nonnisi ut caeremoniales intenderentur." *Priimmer* (n. 582, in textu et in nota): "Iteratio extremae unctionis non potest fieri (valide et licite) in eadem infirmitate et in eodem mortis periculo, quia efficacia huius sacramenti tamdiu durat, quamdiu remanet idem mortis periculum, pro quo fuit collatum." "Pauci theologi (e.g. Kern . . .) docent, extr. unctionem valide conferri in eadem infirmitate et in eodem periculo mortis."

Alii, ut *De Augustinis, Lépicicr, Paquet, Pègues, Lahitton, Lcrchcr, Hervé, Abarzuza,* non utuntur explicito verbo invaliditatis nec controversiam commemorant, sed tamen in eandem sententiam consentiunt, absolute docentes sacramentum in eodem periculo iterari non posse et appellantes plerumque auctoritatem et rationes S. Thomae vel documentorum Ecclesiae. Quidam, ut *Ballerini-Palmieri* et *Lercher,* eandem doctrinam manifesto supponunt cum ex initerabilitate sacramenti deducunt eius reviviscendam, nam hoc argumentum currit in suppositione quod sacramentum valide iterari non possit.

Kerril ad ostendendum non posse sermonem esse de consensu theologorum sibi contrario, scribit: "Est etiam notandum, multos auctores, cum affirmant, s. Unctionem non debere, non posse iterari in eodem periculo mortis, tantum prae oculis habere, quid secundum vigentem disciplinam sit agendum, de dogmatica autem nostra quaes-

' *Institutiones theologicae de Extrema Unctione et de Ordine* (Haarcn 1912) n. 57.
*' *Op. cit.* (supra, in p. 296) 358.

tione ne verbo quidem suum sensum proferre." Hoc, si verum est de quibusdam theologis moralibus, ut *Gury-Ballcrini, Lehmkuhl, Acrtnys* (ed. ante Codicem), *Bucceroni, Génicot-Salsmans, Ferreres, Marc-Gcstcrmann, Merkelbach,* agentibus directe de his quae licent vel non licent, nequit asseri de supra relatis theologis dogmaticis.

CONCLUSIO

Extrema Unctio non est absolute initerabilis, sicut Baptismus, Confirmatio et Ordo, sed potest ab eodem subiecto pluries valide suscipi; est tamen relative initerabilis, quatenus nequit ab eodem subiecto pluries valide suscipi in eodem periculo mortis.

Probatur 1. *EX SENSU ET PRAXI ECCLESIAE, percurrendo historicas vicissitudines huius quaestionis in documentis ecclesiasticis ct in operibus ac controversiis theologorum.*

De iteranda vel non iteranda Extrema Unctione nihil fere invenitur aut directe colligi potest sive ex textu Iacobi (quamvis verba "Infirmatur quis in vobis . . ." sonent generaliter, ac ideo non inepte explicari possent in sensu iterabilitatis sacramenti: "Quotiescunque quis infirmatur . . .") sive ex monumentis antiquae traditionis, saltem usque ad saec. 9, ut patet consideranti praecipua testimonia illius aetatis allata in art. 1 (tom. 1, p. 1l0sqq.), ut Innocentii I (t 417), Caesarii Arelatensis (t 543), Bedae (t 735), Theodulphi Aurelianensis (t 821) et Amalarii Metensis (f 837).

In quibusdam quidem textibus agitur de frequenti visitatione infirmi inuncti per sacerdotes, sed clare ex contextu apparet non esse sermonem de ipsius unctionis iteratione. Sic in *Canonibus Hippolyti* (can. 219) commendatur ut "qui morbo periculoso laborat ... a clero visitetur quotidie, qui certiorem reddunt eum [i.e. episcopum]", sed ipsa unctio non clero tribuitur sed episcopo (cf. tom. 1, p. 110); *Caesarius Arci,* ait: "Quoties aliqua infirmitas supervenerit . . . ille qui aegrotat . . . corpusculum suum ungat" (cf. *ibid.,* p. 128), quae quidem verba verisimiliter referuntur ad diversos homines non vero ad eundem hominem qui successivis infirmitatibus afficiatur: *Statuta* 5. *Sonnatii* habent: "Extrema unctio deferatur laboranti et petenti, eumque pastor in propria saepius invisat, et pie visitet, eum ad futuram gloriam animando, et debite praeparando" (cf. *ibid.,* p. 131), sed agitur de frequenti visitatione distincta ab ipsius sacramenti collatione.

PRIMUM DOCUMENTUM quod huc facere videtur quodque plures eruditos allexit, est *Sacramcntarium Grcgorianum,* a Menardo

editum, in quo immediate post descriptionem ritus unctionis (incertae aetatis, probabilius saec. 9-10; cf. tom. 1. p. 139 sq.), legitur: *"Deinde communicet eum corpore et sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam [de] communione quam et de alio officio; et suscitabit eum Dominus, et si in peccatis fuerit, dimittentur ei" (ML* 78. 235).

Eadem praescriptio, iisdem fere verbis, iteratur in manuscriptis Codicibus Rhemensi (Remigio-Rhemensi, saec. 9) et Tiliano (Ordine Romano ecclesiae Sagiensis in Normannia, saec. 11) citatis ab eodem Menardo (cf. art. 1, tom. 1, p. 167-170) et in Ordinibus 3, 4, 8, 11, 12, 19 (inter 30 Ordines editos a Martène58) exaratis inter saec. 9 et 12. *Codex Rhemensis:* "Et septem dies, vel multo plures, si necessitas fuerit tam de communione quam de alio officio erga infirmum fiat; ut sicut apostolus dixit, imo per eum Spiritus sanctus ait: 'Si in peccatis fuerit, dimittentur ei'" *(ML* 78. 537). *Codex Titianus:* "Post haec communicet eum sacerdos corpore et sanguine Domini: et sic septem continuos dies, nisi necessitas contingerit, tam de communione, quam de alio officio se abstineat; et suscitabit eum Dominus ad salutem, et si in peccatis sit, dimittentur ei, ut apostolus ait" *(ML* 78. 528)?° *Ordines 3 et 4* (Turonenses; ante a. 900), *Ordo 9* (circa a. 1100), et *Ordo 19* (circa a. 1200) repetunt verba Sacramentarii Gregoriani. *Ordo 8* (Rhemensis, circa a. 900) brevius dicit, post unctiones et communionem: "Sic fac per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione quam de alio officio." *Ordo 12* (Salisburgensis, circa a. 1100) repetit ad verbum Codicem Tilianum. Magis curiosa apparet sequens discrepans rubrica manuscript! *Car. C. 161* (circa finem saec. 9), asservati in civitate Zurich: *"Infirmus autem inungi debet semel vel bis vel ter* aut si necessitas sit quater vel quinquies sive sexies aut septies in una ebdomada cum suprascriptis orationibus ministerii huius.""0

Ex ipsa praxi affertur unum exemplum septies repetitae Extremae Unctionis. In *Vita Rcmberti* (f 888) archiepiscopi ecclesiarum Bremensis et Hamburgensis in Germania, scripta paulo post eius obitum iussu Adalgari successoris ipsius, legitur: "Duodecimo igitur die ante

" *Op. cit.* (supra, in p. 295) 116sqq.

* *Menardus* observat hacc verba esse mendosa ac conatur ea ad rectam formam adducere, scribens: "In hac autem rubrica quaedam videntur corrupta, primo in illis verbis, 'et sic septem', legendum, ut in Codice sancti Eligii, 'et sic faciant illi septem'. In sequenti membro nullus est sensus, et in dicto Codice haec verba 'nisi necessitas contingerit se abstineat' desiderantur. Sed legendum puto: 'et sic faciant illi septem continuos dies, tam de communione, quam de alio officio (nempe unctione) nisi necessitas contingerit. ut se abstineat', nempe ab hac repetitione" *(ML* 78. 528). Tamen eadem omnino forma ac in Codice Tiliano retinetur in Ordine 12 Salisburgcnsi (circa a. 1100) a Martcnc edito.

"Apud C. De Clercq, *Ordre, Mariage, Extrême-Onction* [Paris 1939] 159.

transitum suum perveniens ad ecclesiam Bremensem, ipso mox die infirmitate correptus est: cumque per horas omnes infirmitas graviter cresceret, ipse semper psalmodiis et lectionibus sacris intentus sese ad futurum de hac vita transitum sollicite praeparabat, et quamquam languoris immanitas corporeis viribus defectum ingereret, animo tamen semper invictus apostolicam praetendebat fortitudinem, de qua dicit: Quando ego infirmor, tunc fortior sum et potens. Septimo ante obitum die mysterium s. Unctionis cum oleo sancto ei fieri praecepit, et una cum Communione corporis et sanguinis Domini usque in diem animae exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit."

Supradicti eruditi (Menardus, Launoy, Martène, Kern, etc., cf. supra p. 292-298) in his documentis legunt usum plurium ecclesiarum latinarum illius temporis iterandi septies ipsum sacramentum super eundem infirmum in eodem periculo mortis,[01] atque exinde conficiunt praecipuum argumentum in favorem suae sententiae de valore talis iterationis. In cujus confirmationem quidam (signanter Kem[02]), etiam adducunt modernam praxim ecclesiarum separatarum, tanquam abbreviatam vel corruptam formam septenariae illius iterationis quae antiquitus fuerit communis utrique ecclesiae occidentali et orientali.

Apud Graecos, nempe, iuxta ritum *Magni Euchologii,* hoc sacramentum administratur a septem presbyteris, quorum unusquisque integrum ritum, seu materiam et formam necnon (sedulo notandum) ipsam praeviam eiusdem olei benedictionem, persolvit. Id autem (et maxime repetita benedictio eiusdem olei) non convenienter intelligi potest nisi dicatur olim Graecos consuevisse sacramentum eidem infirmo ministrare per septem distinctos dies: quam explicationem tradit ac confirmat inter ipsos schismaticos Ignatius archiepiscopus russus (supra cit., p. 299). Ceterum ea praxis videtur referri in quibusdam recentioribus Codicibus, ut in *Codice Sinaitico 960* (saec. 13), ubi legitur: "Qui debet 'facere Euchelaeum' (id est, illud recipere) per septem dies neque se exuit neque se lavat, sed permanet in Ecclesia usquedum septeni dies compleantur; septeni vero presbyteri sacrificium offerunt per septem dies successivos pro infirmo illo: postquam autem septem dies completi sunt, se lavat et vestimenta mutat."[03]

Praeterea, addit Kern, etiam si dicatur in antiquioribus saltem temporibus Graecos non administrasse sacramentum per septem continuos dies sed. sicut hodie, eadem die per septem presbyteros, inde

[*] Idem sentit C. De Clercq, "Ordines unctionis' des ix' et x' siècles," *Ephemerides Liturgicae* 44 (1930) 114sq.; *Ordre, Mariage, Extrême-Onction* (Paris 1939] 159 sq.

[°] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 345-350.

["] Apud A. Dmitrievskij, *Descriptio liturgicorum manuscriptorum quae asservantur in bibliothecis Orientis separati* [russice], II: Ευχολόγια (Kijcv 1901) *202.*

novum ac independens argumentum conficitur pro iterabilitate sacramenti; nam haec praxis quatenus certo ascendit ad tempus quod praecessit schisma (ante Michaelem Caerularium) continetque validam sacramenti administrationem, nequit explicari nisi per septies iteratum sacramentum, cum unusquisque ex septem presbyteris habeat intentionem conficiendi sacramentum, nec potest, etiam si velit, efficere ut sua actio sacramentalis propriam efficaciam non exerat nisi postquam ultimus presbyter suum officium compleverit. Et hoc modo haec ipsa Graecorum praxis cedit in confirmationem prioris asserti, quod nempe supradicta praxis Latinorum contineret iterationem sacramenti, nam nullum est essentiale discrimen in septenaria administratione si fiat per septem continuos dies, ut apud Latinos, et si fiat veluti per septem continuas horas, ut apud Graecos.

Praeterea, *in ipsis sectis haereticis,* inde a saec. 5 ab Ecclesia separatis, videtur olim extitisse eandem disciplinam sacramentum administrandi per septem dies. Id probabile faciunt quaedam documenta recentioris ritus *Coptorum.* Ad rem *Kern:* "Armeni et Nestoriani usum sacramenti amiserunt. Maltzew (Die Sacramente p. CCCXXXII) narrat, apud Coptitas aegrotum in domo sua *per septem dies inungi.* Ordo quidem lampadis apud Coptitas, quem *Denzinger* (Ritus Orientalium t. II, p. 501 ss.) refert, concludit rubrica: 'Si infirmus est in domo sua, vadat ad eum unus ex sacerdotibus ecclesiae et ungat eum oleo et imperet ei, *ut seipsum ungat per septem dies*' Ad haec notat Denzinger (p. 506): 'Ex Vanslebio etiam *ungunt infirmum per septem dies.*' Cum apud sectas orientales per decursum saeculorum non pauci usus curiosi vel abusus irrepserint, licet conicere, Coptitas prius eandem praxim servasse, quam multas ecclesias latinas tenuisse novimus; postea vero, vel quia presbyteri impediebantur vel quacunque ex causa magis minusve vulgatum esse morem, quem citata rubrica indicat. Antiqui Ordines harum sectarum, maxime si officium lampadis in ecclesia peragitur, postulant, ut s. functio regulariter a septem presbyteris celebretur; et quamvis hi Ordines non cum ea claritate qua Euchologium Graecorum omnes ritus describunt, videtur tamen dicendum, singulos successive et materiam applicare et formam recitare debuisse.'*"""

Attamen, cum sensus et auctoritas illius latinae praxis incerti sint, inepte ex ea conficitur argumentum in favorem sententiae de iterabilitate Extremae Unctionis in eodem periculo mortis, maxime si comparetur certiori sensui et praxi universalis Ecclesiae infra ex·

M"Cf *Maltzew,* Die Sacramente etc., p. CCCXXIX ss. *Rcnaudot,* perpétuité de la foi t. III, l. V, c. 2. *Denzinger,* ritus Orientalium t. I, p. 187 ss., t. II, p. 483 ss."

" *Op. cit.* (supra, in p. 307) 349 sq.

ponendis. *Non uno enim modo explicari potest ct ab auctoribus explicatur sensus et valor illius praxis, retenta inile.rabilitale sacramenti.*

Primo enim, certum non est ipsam etiam unctionem praeter communionem et alia officia fuisse singulis diebus iteratam. Verba de iterando "alio officio" non necessario includunt iterationem unctionis sed possunt referri ad complexum aliarum orationum et caeremoniarum quibus constabat ritus visitationis infirmorum (i.e., benedictionem domus, varias orationes ante et post unctionem, litanias, Missam pro infirmo, impositionem manuum, benedictionem infirmi, absolutionem sacramentalem, quae referuntur in supradictis Sacramentalibus et Ordinibus); Sacramentarium Gregorianum, necnon Codex Rhemensis et Ordines 3, 4, 11, 12, 14, peculiariter post praefata verba insistunt in recitatione divini officii coram infirmo "per singulos dies."[30] Certe mirum est quod in praedictis ritualibus semper occurrit expressio "de alio officio" ("Sic faciant per septem dies tam de communione quam de alio officio"), numquam vero explicita fiat mentio de unctione (puta: "Sic faciant per septem dies tam de communione quam de unctione aliisque officiis"), cum tamen unctio, una cum viatico imo et signantius quam viaticum, fuerit praecipua pars totius ritus visitationis infirmorum. *Vita quidem Remberti* iterationem ipsius unctionis per septem dies explicite commemorat, sed hoc documentum ad privatas historias sanctorum pertinens, in quibus plura dubiae fidei inveniri solent, non videtur sufficere ad illustrandum sensum ipsorum documentorum liturgicorum.

Hanc explicationem affert unus vel alius theologus, ut *Cappello.* Nec est improbabilis, etsi difficilius eludi possit vis testimonii supradicti (p. 306) manuscript! *Car. C. 161,* quod videtur explicare sensum generalis expressionis "Quam et de alio officio" ceterorum documentorum, nisi forte dicatur in illo referri peculiaris quaedam interpretatio communis observantiae per additionem unctionis.

Secundo, supposito quod ipsa quoque unctio per septem dies iteraretur, non necessario sequitur iteratam unctionem secundae ac subsequentium dierum adhibitam esse cum intentione conficiendi sacramentum; potuit enim esse quaedam additio caeremonialis (seu non sacramentum sed aliquod sacramentale), qua accidentaliter integraretur ac liturgice perficeretur ipsa sacramenti administratio eiusque symbolica significatio, quemadmodum accidit et in aliis sacramentis, nominatim in Eucharistia et Poenitentia.

Ita autem factum fuisse suaderi fortasse potest ex ipsa addita

[30] *Sacr. Gregorianum:* "Debent etiam sacerdotes et ministri sanctae Ecclesiae cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies Vesperas ct Matutinos" *(ML* 78. 235).

conditione "Si necessitas fuerit," quae, quomodolibet intelligatur, videtur innuere etiam accidentalem rationem illius iterationis. Nec valet obicere cum quibusdam, ut Kern, quod idem omnino ritus, eademque materia et forma, iterabatur, adeoque agebatur potius de iteratione ipsius sacramenti, [57] nam id totum poterat fieri cum intentione mere caeremoniali, qua excluditur ipsa attentatio sacramenti, quemadmodum in iisdem supradictis Sacramentariis et Ordinibus pluries iteratur forma absolutionis in sacramento Poenitentiae et ipsam modernam absolutionis formam praecedunt variae formulae mere caeremonialis absolutionis quae per se solas sufficerent ad constituendum sacramentum si dicerentur cum intentione sacramentali (cf. dicta in tractatu *De Poenitentiae* III 671-679). Exinde explicari potest quomodo ea praxis potuerit ignorari, aut sub silentio praeteriri, a coaevis doctoribus saec. 11 (Goffrido Vindocensi, Ivo Carnotensi et Petro Cluniacensi) in sua controversia de iterabilitate sacramenti (cf. infra, p. 322 sq.).

Hanc explicationem illius praxeos ut probabilem saltem et sufficientem tradunt vel suggerunt plures theologi, ut *Matthaeus Galenus* (quem citant et impugnant Menardus et Martène supra relati, p. 293 sq.), *Van Noort-Verhaar, Boyer.*

Tertio, supposito quod unctio repeteretur cum intentione sacramentali, nondum sequitur sacramentum iteratum esse, nam non est improbabile quod hoc sacramentum, unum atque individuum manens, possit conferri per iteratas, utut totales unctiones cum iteratis formis, coalescentes tamen in unam integram materiam ac formam unumque signum sacramentale, eo fere modo quo nunc conferri solet per repetitas ac partiales unctiones vel quo unus idemque Baptismus potest conferri per trinam completam immersionem (etsi non per ter repetitam formam).

Ita probabiliter factum esse in praedicta praxi latina docent inter alios suprarelati *Goar* (eodem modo explicans hodiernam praxim Graecorum), *Gotti, Schmid, Gutberlct, W. McDonald, Straub, Boyer.*

Cum quibus sic imprimis suaderi potest ipsa *probabilitas conficiendi hoc sacramentum in pluries ac totaliter repetito* **ritu** *sacramentali,*

[57] *Kern* scribit: "Rc vera Ordines, qui constituunt, ut totus ritus sacramentalis per septem dies repetatur, non solum nullo verbo innuunt, plane alio modo et cum alia intentione sequentibus diebus procedendum esse, sed etiam clare indicant, omnino idem faciendum esse quovis die: '*Sic* faciant illi per septem dies . . . tam de communione quam et de alio officio [Unctionis]'; ad totum officium septies repetitum referunt promissionem divinam 'Et suscitabit cum Dominus et si in peccatis fuerit, remittentur ei', quae promissio tantum ad sacramentum spectat; praescribunt iterationem solum cum conditione 'si necessitas fuerit', si nempe in periculo permanserit infirmus; si non ageretur de sacramento, non esset ratio sufficiens conditionis restringentis" *(op. cit.* [supra, in p. 3071 342). H

quod nequaquam contingere potest in ceteris sacramentis, saltem sub eodem modo (nam in sacramento Ordinis aliquid simile, sed sub alia ratione, contingit). Habet enim hoc sacramentum, prout ex ipsa sua forma dignoscitur, indolem quamdam deprecativam, utut influentem ex opere operato; unde non mirum est quod possit, sicut in sua constitutione ita et in sua administratione, proprietatibus deprecationis accomodari, secus ac cetera sacramenta. Congruit autem naturae orationi, ut sicut per plures orantes, sic etiam pluries fiat, aut per plures dies protrahatur, ita ut eaedam prorsus preces, saepius aut pluribus consecutivis diebus repetitae, ex ipso suo fine coalescant in unicam ac integram orationem. Sic ergo plures unctiones, utut totali ritu administratae, coalescere possunt in unam specifice ac integram unctionem deprecativam, cuius materia sit ipsa unctio ut pluries repetita (non prima nempe aut secunda aut ultima, sed omnes simul prout sunt una unctio pluries repetita) et forma sit ipsa formula deprecatoria, pariter ut pluries repetita ad modum unius ac protractae deprecationis. In quo casu variae unctiones et variae formae non sunt nisi materialiter plures, formaliter vero unum, nam, etsi, separatae et per se solas atque sub alia circumstantia et intentione, sufficerent ad constituenda tot distincta sacramenta, tamen, sub praedicto nexu ac intentione unius protractae sacramentalis deprecationis, nequeunt nisi in unum signum sacramentale coalescere.

Aliquid ceteroquin simile contingit, etsi partialiter tantum et ob diversam specificam rationem, in aliis casibus administrationis sacramentorum. Ita in Baptismo, collato per trinam immersionem, tres ipsae immersiones, quarum unaquaequae sub repetita forma sufficeret ad constituendum novum sacramentum, in unam integram materiam coalescunt sub unitate unius ac integrae sacramentalis significationis; quae nihilominus Baptismi significatio et indoles nequaquam simul permittit triplicem formam cum trina materia, sicut in praedicto casu iteratae unctionis. Pariter, in ipsa ordinaria administratione Extremae Unctionis plures unctiones partiales cum suis replicatis formulis coalescunt in unam unctionem totalem, etsi unaquaeque (vel saltem una aut alia) cum convenienti forma verborum sufficeret ad constituendum distinctum sacramentum, si separetur a consortio ceterarum. Tandem idem ac unum sacramentum Ordinis, iuxta suam indolem collativam potestatis, conferri potest per successivos ac distinctos ritus, constantes propria ac completa materia et forma, ad modum totius potestativi quod in omnibus ac singulis partibus continetur perfecte quoad essentiam sed non perfecte quoad virtutem (cf. supra, p. 245 sq., 286).

In quibus omnibus casibus, communis ac fundamentalis ratio con-

venientiae ac discrepantiae est quod, ut ait S. *Thomas,* "quodlibet sacramentum dicitur unum, inquantum multa quae sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum vel causandum. . . Et ideo, quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas sacramenti consistit in illa actione tantum: sicut patet in confirmatione. *Quando autem significatio sacramenti potest esse in una et in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest et una actione et pluribus;* sicut baptismus una immersione et tribus, quia ablutio, quae significatur in baptismo, potest esse per unam immersionem et per multas.§§ Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti; sicut patet in Eucharistia, quia refectio corporalis, quae significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum et potum. Et similiter est in hoc sacramento [Extremae Unctionis, secundum quod coalescit ex materiis et formis partialibus], quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices. Et ideo plures actiones sunt de perfectione hujus sacramenti" *(Suppi.,* q. 29, a. 2; cf. dicta in art. praec., p. 281-286).

Quod autem de facto ita res se haberet in supradicta praxi latina, seu quod per successivas unctiones septem dierum intenderetur semel ac unum conferre sacramentum, suaderi potest tum ex eo quod in supradictis Sacramentariis et Ordinibus effectus sacramenti promittitur toti ritui prorogato, seu septemplici unctioni perfectae et absolutae (nam post verba "Et sic faciant per septem dies" continuo additur "Et suscitabit eum Dominus, et si in peccatis fuerit, dimittentur ei"), tum ex eo quod septenaria illa iteratio ita districte servaretur ut nec ulla fieret intermissio nec ultra septem dies administratio prorogaretur, quod quidem ostendit eas unctiones ut unum quid moraliter consideratas esse et ministrorum persuasionem fuisse hoc sacramentum disiungi quidem in partes ac prorogari posse, repeti autem non posse.

Kern (quem fere repetit *Cappello')* ait: "Haec sententia salvo meliore iudicio multo graviora incommoda videtur incurrere quam prior [i.e. quam supradicta explicatio Galeni et aliorum]" atque sequentia opponit incommoda.

Imprimis ait non esse paritatem inter hodiernam administrationem sacramenti per diversas partiales unctiones ac formas et antiquam illam iterationem eiusdem ac totalis unctionis ac formae.

Attamen, ut nuper diximus, non obstante illa disparitate, habetur

§§ Et hoc dicimus probabiliter contingere posse etiam in Extrema Unctione per repetitum ritum *secundum totam materiam et formam.*

paritas in hoc quod etiam pluralitas iterati ritus coalescit in moralem unitatem unius unctionis deprecativae, quae sufficit ad unitatem sacramenti.

Praeterea obicit: Primus sacerdos, ponens primam ac totalem unctionem, debet habere intentionem nunc conficiendi sacramentum, quod ideo illico conficitur et absolvitur antequam fiat secunda unctio *(et* sic de successivis ministris) ; si enim sacerdos haberet intentionem expectandi ceteras unctiones ad hoc ut validum sit sacramentum, haberet intentionem conditionatam de futuro, quae invalida esset, cum sacramentum existât et operetur statim ac eius materia et forma ponuntur.

Attamen, praedicta ministri intentio non est conditionata de futuro, sed est vera intentio de praesenti, quia fertur super omnes successivas unctiones prout sunt unum moraliter et in hac morali unitate sibi invicem praesentes; nec refert quod prima unctio secundum se sufficeret ad constituendum distinctum sacramentum, nam, sub ea copulativa ministri intentione, non sufficit sed petit consortium successivarum unctionum quibus perficitur protracta .deprecatio sacramentalis; cuius rei ceteroquin simile contingit etiam in aliis sacramentis, necnon in ipsa Extrema Unctione cum administratur per plures partiales unctiones quarum prima ex se sola, abstrahendo ab intentione ministri, sufficeret ad sacramentum constituendum, ut alibi explicatum est (art. 5, tom. 1, p. 466 sq.).

Praeterea opponit exinde sequi quod tempore illius latinae praxeos sacramentum saepe inchoaretur nec perficeretur, quia unctiones intermitti debebant si aegrotus interim, puta post primam vel secundam unctionem, convalesceret, iuxta praescriptum: “Sic faciant per septem dies, si necessitas fuerit”; item, quod Ecclesia reliquisset infirmum sine effectu sacramenti, seu gratiis illi statui necessariis, per septem integros dies; item, quod multi infirmi, aut morte praeventi aut a periculo egressi, omni sacramenti fructu destituti fuissent.

Quibus inconvenientibus quidam occurrunt dicentes quod, etsi sacramentum non perficeretur nisi post ultimam unctionem, tamen eius effectus dabatur inde ab initio post absolutam primam unctionem quando iam habebatur inchoatum et imperfectum sacramentum, et quidem vel dabatur totaliter saltem quoad substantiam, ita ut nonnisi accidentaliter cresceret accedentibus aliis unctionibus (sic *Straub),* vel tantum partialiter ita ut distribueretur per varias unctiones tanquam per partialia sacramenta suo proprio effectu praedita (sic *Goar* et *McDonald).* Hi doctores manifeste loquuntur in sensu secundae et tertiae sententiae relatae in art. 19 (p. 238 sqq.) in quaestione de momento quo Extrema Unctio suum effectum producit, etiam in

ordinaria administratione quae hodie observatur. Cum autem ibidem sustinuerimus primam sententiam, iuxta quam effectus nullatenus datur nisi in fine ritus, post absolutas nempe omnes unctiones, eo quod effectus nequeat causari nisi absoluto sacramento nec sacramentum constare possit ex frustulis partialium sacramentorum, *sequens responsio praefatae Kern obiectioni opponi potest.*

In administratione sacramenti attendenda est non solum utilitas singularis subiecti sed etiam cultus Dei et reverentia sacramenti, quae ceteroquin, prout pertinet ad commune bonum Ecclesiae, cedit communiter in utilitatem ipsius subiecti. Utrumque finem Ecclesia prosequitur, sed quinam in una vel alia circumstantia praevalere debeat, solius Ecclesiae est indicare, quae quidem in variis aetatibus et pro variis circumstantiis, uno vel alio modo potuit iudicare, ut patet vel ex varia ipsius Extremae Unctionis disciplina quae olim non ferebat faciliorem et utiliorem administrationem in unica unctione in casu necessitatis. Accedit quod praedicta praxis non fuit Ecclesiae universalis nec ipsius ecclesiae Romanae, sed quarundam particularium Ecclesiarum, quae proinde potuerunt minus fortasse consulte urgere rationem reverentiae sacramenti cum dispendio utilitatis fidelium, sicut quaedam ecclesiae, puta Hispaniarum, dicuntur olim severius indicasse de administrando quibusdam peccatoribus in articulo mortis ipso Poenitentiae sacramento, maioris longe necessitatis. Praeterea, verisimile est in ordinariis casibus periculosae infirmitatis, aut mortis evidenter imminentis, praedictum usum praetermissum esse ac sacramentum breviori ritu seu eadem die administratum fuisse, idque exprimi videtur in illis verbis rubricae Gregorianae: “Sic faciant per septem dies, si necessitas fuerit.” quam Codex Tilianus vertit his verbis apparenter oppositis: “Et sic septem continuos dies, nisi necessitas contingent”; logicus enim sensus utriusque expressionis ad hunc reduci videtur: Sic faciant per septem dies, si id convenienter fieri possit, vel. si necessarium sit id facere ob convenientem statum infirmi, nec sit necesse semel tantum ritum conficere, ob imminens mortis periculum.

Ceterum obiectus casus angustiae, hominis scilicet morte praeventi antequam absolvatur sacramentum, contingere potest etiam in administratione aliorum sacramentorum, ut si poenitens moriatur antequam sacerdos dicat ultimum verbum absolutionis vel catechumenus deficiat antequam fiat invocatio Trinitatis, imo et in hodierna ordinaria administratione ipsius Extremae Unctionis, si infirmus nempe ante ultimam unctionem abripiatur. Ceterum non inepte additur intentionem ecclesiarum in illa praxi potuisse esse ut, in casu secuturae mortis ante completam unctionem septimae diei, solae unctiones de

facto ante mortem peractae valerent pro sacramento; quae quidem disiunctiva intentio Ecclesiae, cum ab ipsa circumstantia secuturae mortis, ipsi Deo certe nota, actu determinaretur, per se non repugnat, ut diximus in art. 5 (tom. 1, p. 468) quoad ipsum casum infirmi morientis antequam absolvantur omnes unctiones in hodierna sacramenti administratione.

Quarto, etiam supposito quod hoc sacramentum unum atque individuum manens, non possit conferri per pluries iteratum integrum ritum et quod in supradicta praxi vere intenderetur septies iterare sacramentum in eodem infirmo, nondum sequeretur eam praxim esse satis solidum argumentum iterabilitatis sacramenti, nam potest adhuc in ea videri error vel abusus, et, considerata contraria ac constanti praxi et sensu universalis Ecclesiae in posteriori saltem aetate, ad talem errorem vel abusum, utut materialem tantum et excusabilem, concludendum esset.

Hanc conclusionem proponunt *Petrus Arcudius* (quoad ipsam praxim Graecorum: "Mihi fit verisimile, praesentem consuetudinem, ut nunc fit, esse abusum"), *Straub, Quinn,*™ *MacDonald,*70 *Kilker, Spdcil* (eam proponit saltem ut probabiliorem, nam. ut diximus supra, ipse concedit probabilitatem sententiae Kern et aliorum).

Profecto praedicta praxis, ut patet ex ipsis Sacramentariis vel Ordinibus qui adducuntur, videtur fuisse unius tantum aetatis et unius fere ecclesiae. Exaggerat autem Kern cum loquitur de "documentis . . . per quatuor saecula (a. IX.-XII.) distributis et ad diversas Ecclesiae partes (Italiam. Galliam. Angliam. Germaniam) pertinentibus" et quidem "praeeunto saltem probabiliter [ecclesia] romana."71 Nam imprimis, ex 22 fere Ordinibus qui a Martène ad eam aetatem (inter a. 800 et a. 1200) referuntur, nonnisi 6 illam praxim exhibent. Omnes hi Ordines, necnon alii Codices seu Sacramentaria (Scr. Gregorianum. Codex Rhemensis, Codex Tilianus), ab uno fonte manifesto procedunt, cum omnes fere ad verbum referant rubricam Sacramentarii Gregoriani. Praeterea, fere omnes pertinent ad ecclesiam gallicam (Codex Rhemensis, Codex Tilianus. Ordines 3, 4, 8, 11, 14); Sacramentarium ipsum Gregorianum. a Menardo editum ex Missali S. Eligii abbatiae Corbeiensis, refert immediate formam gallicam Sacramentarii Gregoriani. nec ideo constat an illa rubrica extiterit etiam in forma ipsa quae erat in usu in ecclesia romana, quinimmo praedicta convenientia Codicum et Ordinum galli-

n *Some Aspects of the Dogma of Extreme Unction* (Dublin 1920) 131.

''"Extreme Unction," *The [American] Ecclesiastical Review* 42 (1910) 23 sq.; "Repetition of Extreme Unction," *ibid.* 86 (1932) 627-629; cf. 629-632.

" *Op. cit.* (supra, in p. 307) 342, 344.

eorum potius contrarium suadet; Ordo autem 12 (Salisburgensis = Salzburg in Austria) qui ad verbum repetit ipsam variantem lectionem Codicis Tiliani, sub influxu liturgiae gallicae exaratus dici potest.

Ad haec observat *Ruch:* "D'ailleurs, si l'on observe que l'ordre de réitérer Fonction pendant sept jours n'est pas donné dans tous les manuscrits; que les exemples d'exécutions de cette rubrique sont rares;72 que le rite décrit dans les sacramentaires était très long, exigeait la présence de plusieurs prêtres et qu'il devait être souvent impossible au clergé d'oindre, pendant une semaine, non un évêque comme saint Rambert, mais chacun des malades de la communauté; si on constate que, là même où on le faisait, on tenait pour valide la collation du rite en une fois; si enfin, on se souvient que l'usage ne prend racine ni dans le texte de saint Jacques, ni dans les plus vieux témoignages, n'a-t-on pas le droit de penser qu'il n'était ni souvent suivi, ni universel, ni ancien? L'habitude de réitérer les deux rites qui encadraient Fonction: confession et viatique; le désir naturel, si le retour à la santé se faisait attendre, de forcer la main à Dieu; la coutume alors générale de considérer ce sacrement comme un *remède* de l'âme et du corps, ces motifs — et ils sont d'ordre humain — ne peuvent-ils pas expliquer fort bien la réitération de l'extrême onction dans des églises plus ou moins nombreuses, en certains cas et pendant un temps plus ou moins long?"73

Unde apte concludit *Straub:* "Certe imago clara consuetudinis illius vetustioris hactenus desideratur; neque enim constat, quot ecclesias particulares et quidem simul et quamdiu consuetudo iterationis concedendae occupaverit, num et romanae paulo diutius vel firmius, tamquam persuasionis absolutae indicium idoneum, inhaeserit. Ex contrario ante oculos posita est consuetudo universalis per tot saecula iterationis prohibendae. Utraque, et concedens et interdicens, objective honesta esse nequit, cum honestas illius habeat fundamentum in iterabilitate sacramenti divinitus instituta, hujus in iterabilitate divinitus exclusa. Utram in conflictu vero approbet, theologus non debet dubitare, quoniam sola universalis infallibiliter recta est. Nec tamen particularem illam magis quam Cypriani cum aliis rebaptizantis oporteret traducere ut sacrilegam, quatenus re nondum

72 Praecipue afferri solet supradictum exemplum ex *Vita Remberti,* quod etiam non inepte referri potest ad influxum liturgiae gallicae; ipse Rembertus, etsi episcopus ecclesiarum Bremensis et Hamburgensis in Germania, ex civitate Brugcnsis oriundus erat Ipsi doctores galli Goffridus Vindocensis et Ivo Carnotensis, de quibus infra, eam praxim prorsus ignorasse videntur aut saltem cius sensum vel auctoritatem tam facile pra°termississe, ut docuerint hoc sacramentum esse absolute initerabile etiam in diversa infirmitate et in distincto mortis periculo. jq|

73 "Extrême Onction du ΓΙ au IX" siècle," *Dictionnaire de Théologie Catholique* 5. 2 [1913] 1981.

satis perspecta exerceretur bona fide vel etiam tacita conditione, ne institutio Domini obstaret."[74]

Quod autem attinet ad praedictam moderniorem *praxim ecclesiarum separatarum* (p. 307 sq.), omisso quod non ex incertis aut corruptis sectarum ritibus solidum argumentum deduci potest, eaedem explicationes afferri possunt (et nominatim a Goar et Arcudio quoad praxim Graecorum afferuntur, ut notatum est), sive ipsa reducatur ad praefatam praxim latinam sive non. Ceterum, praxis *Coptorum* satis incerta est nec sibi constans; nam dum Maltzew et Vanslebius testantur presbyteros inungere infirmum per septem dies, ipsa rubrica Ordinis Coptorum, relata a Denzinger, notat infirmum semetipsum ungere per septem dies post unicam unctionem a sacerdote ministratam, ex quo potius indoles non sacramentalis repetitae unctionis apparet. Septenaria unctio Graecorum eodem die, prout differt a latina praxi ungendi per septem distinctos dies, minorem adhuc, quam ista, difficultatem affert quod attinet ad tertiam explicationem supra allatam, quod nempe agi possit de unico sacramento semel administrato per septem completas unctiones, nam unio moralis facilius servatur inter unctiones administratas eadem die, veluti per unum protractum ritum sacramentalem.

Ad rem observari potest cum *Spdcil:* "Nunc iam quaestioni responderi potest, *quid de usu Orientalium* s. euchelaeum aegroto in eadem infirmitate pro devotione suscipientis frequentius praebentium judicandum sit. In quaestione hac solvenda forsitan non absque utilitate erit recordari duorum principiorum, quae Arcudius, consuetudinum et theologiae orientalis peritissimus, quondam enuntiavit: in re sacramentaria scilicet aliquando difficulter determinari, utrum consuetudo aliqua abusus fuerit vel usus suo tempore vel pro parte Ecclesiae licitus, et caute procedendum esse in diiudicandis usibus Orientalium, qui a praxi Ecclesiae catholicae differunt. Si haec duo principia et simul omnia ea, quae modo de valore s. unctionis in eadem infirmitate disputata sunt, prae oculis habentur, concludere possumus: Cum Orientales praescriptionibus disciplinaribus Ecclesiae catholicae non obligentur . . . [cumque eorum praxis non necessario probetur importare iterationem sacramenti in eodem articulo mortis, juxta dicta superius][7'] . . . , iteratio illa extremae unctionis apud Orientales usitata neque ut in se illicita neque ut invalida cum certitudine condemnari potest."[70]

"*De Ecclesia Christi* (Oenipontc 1912) II 294 sq.

:sHoc incisum substituimus sequentibus verbis auctoris quae non probamus: "s. euchelai autem in eadem infirmitate, etiam periculo eodem, saepius adminstrati invaliditas certo probari nequeat."

'*Op. cit.* (supra, in p. 298) 255.

Ex hucusque igitur dictis satis patet nullam solidam rationem adduci posse pro iterabilitate sacramenti in eodem mortis periculo, ex priori illo documento de latina praxi iterandi ritum unctionis per septem continuos dies, et multo minus ex praedicta praxi Graecorum.

SECUNDUM DOCUMENTUM quod in historia invenimus quodque certe et explicite refertur ad praesentem generalem quaestionem de iteratione sacramenti est *controversia aliquorum doctorum ad finem saec. 11 et initium saec. 12 circa absolutam itcrabUitatem Extremae Unctionis.*

Gofiridus Vindocensis abbas ac subinde cardinalis S. Priscae (f 1132) hanc controversiam primus explicite suscitavit in sua Epistola ad Ivonem Carnotensem (relata in art. 1, tom. 1, p. 159), in qua, reprobata consuetudine monarchorum S. Benedicti Extremam Unctionem iterantium, illius doctoris auctoritativum iudicium exquirit. *Ivo Carnotensis episcopus* (t 1116) in sua responsione (relata *ibid.*, p. 159 sq.) Goffridi opinionem approbat et confirmat; eandemque responsionem. iisdem omnino verbis expressam, tradit etiam in sua epistola ad *Radulphum,* abbatem monasterii S. Fasciani *(ML* 162-260).

Goffridus hanc satis curiosam et ambiguam rationem affert: Extrema Unctio est verum sacramentum, ut testatur Innocentius I, iamvero "nullum sacramentum iterari debet." Non clare apparet quo sensu ipse neget iterabilitatem omnis sacramenti, etiam proinde Eucharistiae et Poenitentiae. Probabilis sensus est vel quod nullum sacramentum consistens in unctione seu consecratione iterari potest, et hic quidem sensus suadetur ex ratione quam Petrus Cluniacensis tribuit suis adversariis (de qua mox); vel, probabilius, quod omne sacramentum uno vel alio modo est initerabile. quod quidem in Eucharistia verificatur ratione non iterabilis consecrationis eiusdem materiae et in Poenitentia ratione solemnitatis quatenus publica ac simpliciter dicta poenitentia non iterabatur, et hic sensus suaderi potest ex alia ratione quam affert Ivo Carnotensis. Hic nempe hanc secundam ac speciosam addit rationem pro initerabilitate Extremae Unctionis: Haec est quoddam "publicae poenitentiae sacramentum," adeoque, sicut publica poenitentia, iterari non potest. Ratio quare Ivo assimilai hoc sacramentum publicae poenitentiae videtur esse quia ex una parte ipsum ordinatur ad remittenda peccata iuxta textum lacobi et ex alia parte palam et cum solemni ritu administratur. Petrus Cluniacensis suis adversariis praestat tertiam hanc rationem, quam ipse fusiori calamo refellit: Hoc sacramentum consistit in unctione seu consecratione subiecti. nulla autem consecratio in Ecclesia iteratur ut patet de "unctione baptismatis, unctione confirmationis, unctione sa-

cerdotali, unctione pontificali, unctione ecclesiarum, unctione ecclesiasticorum vasorum."

Petrus venerabilis Cluniacensis abbas (f 1158) in sua epistola ad Theobaldum abbatem monasterii sanctae Columbae in urbe Senonensi, praenotato dissidio inter Theobaldum et eius monachos circa plura controversa ("Legi nuper litteras tuas, charissime frater, in quibus adverti magnum inter te, aliosque pene omnes tui ordinis chaos esse firmatum, longe te ab illorum studiis esse divisum"), respondet tribus a Theobaldo quaesitis, quorum secundum est: "Secundo quaesisti cur unctio infirmorum sola, et hoc apud Chmiacum solummodo reiteretur."

In responsione ad hoc quaesitum, quam extensive citavimus in art. I (tom. 1, p. 160 sq.), ipse indicat supradictam praecipuam rationem eorum qui negant iterabilitatem huius sacramenti, quod nempe ipsum consistat in unctione nec in Ecclesia ulla unctio seu consecratio iterari soleat, eamque refutat, distinguens inter varias unctiones et indicans quare unctio infirmorum, secus ac ceterae unctiones, sit iterabilis, quia nempe ipsa est in remissionem peccatorum ac ideo, sicut ipsum sacramentum Poenitentiae, reiterari debet. "Iterari, enim — inquit —, prout mihi videtur necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem. . . Non est plane haec apostolica fides, non est haec apostolica praedicatio, ut vel aegro congrua miseratio vel poenitenti peccatorum negetur absolutio."

Auctoritate Petri Cluniacensis, accedente subinde consensu praecipuorum doctorum saec. 12, signanter Hugonis a S. Victore et Petri Lombardi, haec controversia mox extincta est atqua sententia Goffridi et Ivonis communiter impugnata. Non tamen dici potest eo saeculo simpliciter extincta aut firmiter ab omnibus repulsa; nam *Pscudo-Abaclardus* (discipulus Abaelardi **t** 1142) et *Magister Bandinus* (**t** circa medium saec. 12) commemorant nec reprobant consuetudinem aliquarum ecclesiarum sacramentum non iterantium; ipsi Auctor *Summae Sententiarum* (medio saec. 12) et Petrus Lombardus (T 1160) testantur quod in quibusdam saltem ecclesiis adhuc non iterabatur sacramentum *(Summa Sententiarum:* "In quibusdam ecclesiis solet reiterari"; Lombardus: "In omni pene Ecclesia saepe repetitur") et adhuc circa finem eiusdem saeculi *Alanus de Insulis* (t 1202) iterabilitatem sacramenti nonnisi ut probabilem admittere videtur, imo ipsi *Hugo Victorinus* et *Petrus Lombardus* non valde asseveranter, ut in aliis quaestionibus, loqui videntur (Victorinus: "Mihi interim ratio nulla occurrit quare convenienter iterari non possit

hoc sacramentum," "Ut illud iterum percipiat rationabiliter non contradicitur"; Lombardus: "Sicut oratio iterari potest, ita et unctio iterari posse videtur").77

Rationes quibus hi doctores eam iterabilitatem probant, sunt tum remissiva indoles huius sacramenti, remissio enim peccatorum repeti potest (hanc rationem iam tradiderat Petrus Cluniacensis et in ea insistunt posteriores), vel generalius eius indoles sanativa mentis et corporis (hanc prioris rationis aptam amplificationem afferunt Hugo a S. Victore et Petrus Lombardus), tum ejus indoles deprecativa, oratio enim saepe iterari potest (hanc rationem addunt praecipue iidem duo doctores). Quidam, ut Hugo a S. Victore, *Summa Sententiarum,* Petrus Lombardus et Robertus Paululus, conantur satisfacere supradictae rationi Goffridi Vindocensis, quod nempe omne sacramentum sit initerabile, eamque in rectum aliquem sensum accipere, distinguentes inter ipsum sacramentum secundum se (quatenus nempe importat aliquam rem consecratam, scilicet aquam consecratam, oleum consecratum, panem et vinum consecratum, personam consecratam, instrumenta sacra) et subjectum seu susceptionem sacramenti, ac dicendo quod primo modo generaliter verum est omne sacramentum esse initerabile, altero vero modo id verum est tantum de quibusdam sacramentis, non autem de Extrema Unctione.

PSEUDO-ABAELARDUS, Epitome theologiae Christianae, c. 30: *"De iteratione secundum diversas consuetudines fiat Ecclesiarum.* Jacobus enim cum dicat: 'Infirmatur quis. . .' *(Jac.* v, 14), non videtur prohibere quin repetatur. De majoribus enim, ut baptismo, confirmatione ct altaris sacramento, dictum est, nullum sacramentum reiterandum. Neque eadem hostia consecratur bis, cum tamen ab eodem frequenter sumatur" *(ML* 178. 1745).

HUGO A S. VICTORE, De sacramentis, 1. 2, pars 15, c. 5, longius rem pertractans, scribit: "Quaerunt quidam an unctio infirmorum iterari possit, cum baptismus, confirmatio et alia quaedam sacramenta, semel suscepta, denuo non iterentur. Sed mihi interim ratio nulla occurrit quare convenienter iterari non possit hoc sacramentum. Qui enim baptizatus est, ideo baptizatus est, ut Christianus sit. Qui autem semel Christianus factus est amplius Christianus hic esse non potest, etiam si malus fiat; quia et Christianus malus esse potest; nec tamen christianus esse desinit, etiam si bonus esse desinit. Praeterea qui semel baptizatus est denuo non baptizatur, etiam si de malo ad bonum convertatur. Qui autem oleo ungitur ideo ungitur ut ei peccata dimittantur, et infirmitas allevetur. Sed *qui justificatur*

" *Benedictus XIV* notat: "Si vera narrarent Giacconius et Ughcllius, eadem opinio Ide absoluta initerabilitate sacramenti], saltem apud aliquos, etiam sacculo XV perseverasset: ambo enim referunt, ille torn. 2, in Vita Pii II, pag. 1005, hic vero, Italiae sacrae torn. 2, pag. 553, disputatum fuisse an summo pontifici Pio II graviter aegrotanti administrari posset extrema unctio, eo quod pluribus antea annis eam recepisset Basileae, cum peste laboraret, quae in ea urbe grassabatur. Verum, cum hujus memorandi certe facti nulla mentio occurrat neque in Vita ejusdem Pii II a Joanne Antonio Campano, episcopo Aprutino, accurate descripta, neque in Commentariis cardinalis Papiensis, qui caeteroquin quam minutissime scribit quae in Pii II morte contigerunt; illud propterea aut fabulosis, aut saltem suspectis narrationibus accensemus" (£>c *synodo dioecesana,* 1. 8. c 8, n. 3, in Micne, *Theologiae cursus completus* XXV [Parisiis 1841] 1108).

potest iterum peccare, ct qui satiatur potest iterum aegrotare. Qui autem Christianus efficitur, quia quod habet sacramentum nominis perdere non potest, recipere non potest. Non sic est sacramentum unctionis: spiritalis est quaedam medicina corporis et animae, languores mitigans ct sanans. Nam oleum membra dolentia sanat. Ita oleum ad utrumque curandum prodest; si morbus non revertitur medicina non iteretur. Si autem morbus non potest cohiberi, quare deberet medicina prohiberi? *Si unctio iterari non potest, nec oratio iterari potest.* Utraque enim illic commemorata sunt. Orent', inquit, 'pro eo, ungentes eum oleo sacro; si in peccatis est. dimittentur ei; et oratio salvabit infirmum *(Jacob,* v)'. . . Quare ergo negetur quod unctionis sacramentum super infirmum iterari possit; ad reparandam saepius sanitatem et ad impetrandam saepius peccatorum remissionem, cum negari non possit pro eadem corporis sanitate, et similiter pro peccatorum remissione, saepius iterandam esse orationem?

"Et ut sacramentis idem demonstremus, quis dicat hominem aqua aspersionis semel lustratum amplius aspergi non posse; et quod majus est sacramento corporis et sanguinis Christi semel percepto amplius illud suscipere non debere? Sed si forte ad haec respondendum existimes, quia corpus semel consecratum denuo in eodem sacramento non benedicitur, neque aspersionis benedictio saepius in eadem aqua reiteratur, vide quod *similiter idem oleum post unam consecrationem alio rursum benedictione aut consecratione non sanctificatur:* et tamen sicut ille qui corporis Christi sacramentum jam percepit, nequaquam idcirco a percipiendo iterum eo prohibetur, sic ei qui unctionis sacramentum accepit, si necesse fuerit et causa sive devotio expostulet, ut illud iterum percipiat rationabiliter non contradicitur" *(ML* 176. 578-580).

SUMMA SENTENTIARUM: "Hoc sacramentum in quibusdam ecclesiis solet reiterari cum dicat Augustinus sacramentum non esse iterandum, et nulli sacramento faciendam esse injuriam. Sed contra illud potest opponi de sacramento altaris: saepe enim iteratur in eodem. Dicunt quidam illud dictum esse de sacramento baptismi et de sacramento ordinationis, quae nunquam debent iterari; sed de aliis, ut dicunt, non est illud intelligendum. Sed melius est ut de omnibus generaliter dicatur. Cum enim dicitur: Sacramentum non esse iterandum; non est intelligendum de sacramento secundum partem sui; sed secundum se totum. Verbi gratia: Cum baptizatur aliquis, benedicitur aqua per invocationem Trinitatis, si in eadem aqua iterum baptizatur alius eadem benedictio aquae scilicet invocatio Trinitatis qua sanctificatur aqua iteratur, nec tamen dicitur iterari baptismus; quia pro parte iterata non iteratur ipsum sacramentum. Sed si illa sanctificatio aquae iteraretur et in eadem persona hoc fieret, tunc injuria fieret sacramento. Ita et de sacramento altaris vel unctionis, licet iteratio fiat quantum ad personam quae iterum suscipit sacramentum; tamen, quia non iterum benedicitur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur sacramentum. Si enim pro parte iterata dicuntur haec sacramenta iterari, eadem ratione et baptismus iteratur; cum ibi, ut diximus, partis fiat iteratio, scilicet illius sanctificationis quam suscipit aqua per invocationem Trinitatis."[78]

BANDINUS: "Secunda [unctio] est unctio infirmorum, quae ab apostolis incoepit, dicente Jacobo. . . Haec autem unctio, *pro vario usu Ecclesiarum iteratur, vel tantum semel praestatur."*[™]

PETRUS LOMBARDUS: "Quaerunt aliqui si hoc sacramentum iterari possit, cum Baptismus et alia quaedam sacramenta semel suscepta, non iterentur. Aug., in libro contra Parmenianum, dicit sacramentum non iterandum, et sacramento non faciendam esse injuriam; sed hoc dicit, ubi agit de sacramento Baptismi, et Confirmationis et Ordinationis. Unde non videtur generaliter illud accipiendum, sed de sacramento Baptismi, Confirmationis et Ordinationis, quae nullatenus sunt re-

I'Pars 2, tr. 6, c. 15, *ML* 176. 154.
n Sententiae, 1. 4, De ecclesiasticis sacramentis, dist. 22, *ML* 192. 1102.

petenda, quia semel tantum, et non saepius datur Baptismus, Confirmatio et Ordinatio. Sacramentum vero altaris, et Poenitentiae, et Conjugii saepe iterari videtur; quia saepe sacramentum corporis percipitur, frequenter poenitentia agitur, conjugium saepe contrahitur. Quare ergo unctio similiter non potest iterari? si morbus non revertitur, medicina non iteretur. *Si vero morbus noti potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita et unctio iterari posse videtur;* utraque enim illic commemorat Jacobus, et utrumque alteri cooperatur ad conferendam allevationem corporis et animae. Cur ergo negatur unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam saepius sanitatem mentis et corporis, cum propter infirmitatem eadem saepe iteranda sit oratio?

"Quidam autem de omni sacramento intelligi volunt quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud quod pertinet ad sacramentum, dicentes quaedam sacramenta saepius posse suscipi, quaedam vero non. Nec tamen quae saepius sumuntur, totaliter iterantur, ut sacramentum altaris et unctionis; quae licet sumantur saepius, tamen quia non iterum benedicitur eadem hostia, vel idem oleum, non iteratur sacramentum cum injuria. Sed. dicet quis: Sic et Baptismus non iteratur, etsi aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. Sed aliud est, inquiunt illi, de benedictione aquae qua fit Baptismus, aliud de benedictione panis et olei, potest etiam Baptismus celebrari in aqua etiam non benedicta, quia illa benedictio pro reverentia tantum fit et decore, non virtute sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici, nisi de pane consecrato; nec unctio illa fieri potest, nisi de oleo ah episcopo consecrato. Ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur."[80]

ROBERTUS PAULULUS: "Hoc sacramentum saepius iterari potest, sicut et quod majus est eucharistiae sacramentum. Augustinus tamen dicit sacramentum non esse iterandum. Sed hoc de sacramentis baptismi et confirmationis, de quibus tunc sermo erat, intelligendum est; vel forte non dicitur iteratio sacramenti, etsi pro parte iteretur. Licet enim iteratio fiat quantum ad personam quae iterum suscipit sacramentum, tamen non est iteratio quantum ad hostiam vel oleum."[81]

ALANUS DE INSULIS: "Sunt qui dicunt de hoc sacramento, quod iterari non possit, sicut nec baptismus: sed quia sacramentum poenae est. et poena potest iterari,[82] *probabile est hoc sacramentum posse iterari."*[83]

Circa praedictam controversiam, necnon circa sensum doctorum huius saeculi 12, in quo quaestio de iterabilitate Extremae Unctionis prima vice explicite in Traditione proponitur, haec nota:

1. Haec controversia nullatenus refertur ad supradictam latinam praxim reiterandi unctiones per septem continuos dies; scilicet hi doctores nequaquam disputant de legitimitate vel secus illius praxis, imo de ea simpliciter tacent nec ullus eam invocare audet, puta ad probandam iterabilitatem sacramenti (quod quidem, ut iam notavimus supra, p. 310. signum est neminem in ea vidisse sacramenti itera-

[**] *Sententiae,* l. 4, dist. 23, n. 3, *ML* 192. 899 sq.

"De caeremoniis, sacramentis, officiis et observationibus ecclesiasticis (inter apocrypha Hugonis a S. Victore], l. 1, c. 27, *ML* 177. 396.

[*'] " Probabiliter legendum est "sacramentum poenitentiae est. et poenitentia potest iterari"; nam paulo ante in eadem regula dicitur: "Sacramentum extremae unctionis est sacramentum contritionis," et in ipso titulo Regulae legitur: "Extrema unctio est sacramentum poenitentiae, vel contritionis." De facto Launoy in sua citatione Alani praedicto modo illud incisum refert.

[*'] *Theologicae regulae* (aliter: *Maximae theologicae,* vel *Regulae caelestis iuris),* rcg. 113, *ML* 210. 680 sq.

tionem). Tota igitur controversia et disputatio vertit circa iterabilitatem sacramenti in eodem subiecto iterum in infirmitatem labente. Id patet tum ex rationibus quae pro vel contra iterabilitatem afferuntur, tum ex explicita declaratione ipsius Petri Cluniacensis, praecipui illius controversiae expositoris; ipse enim ponit in ore adversariorum hanc quaestionem: "Qua ratione sola infirmorum unctio, non solum apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recedentibus nullo servato numero datur?" atque in sua responsione addit: "Si aeger post semel redditam sanitatem, numquam deinceps in morbum incideret . . . fateor numquam deinceps unctionem jam dictam iterari fas esset. Quod si rursum infirmatus fuerit . . . , quae ratio . . . eum inungi prohibebit?"

Unde inepte *Kern* suggerit ad illam praxim referri verba aliquorum ex his doctoribus, nominatim Pseudo-Abaelardi, scribens: "Abaelardus (Epitome theologiae christianae c. 30). 'De iteratione, inquit, secundum diversas consuetudines fiat ecclesiarum. Jacobus enim cum dicat: *Infirmatur quis etc.*, non videtur prohibere, quin repetatur.' Tempore Abaelardi certe adhuc vigebat in quibusdam ecclesiis mos repetendi s. Unctionem per septem dies; ad quem morem citata verba videntur respicere. Magister Bandinus (Sent. l. IV, dist. 22) fere idem dicit quod Abaelardus," et: "Iam saeculo XIII. scholastici nullam amplius produnt notitiam illius usus."[84]

2. Quaestiones de iterabilitate sacramenti in eadem infirmitate et de initerabilitate vel secus in eodem periculo mortis, nondum ab his doctoribus explicite ponebantur. Attamen, praxis monachorum Claraevallensium iterandi sacramentum semel tantum in anno eidem subiecto in protracta infirmitate, videtur fundari in persuasione iterabilitatis in diverso periculo mortis et initerabilitatis in eodem periculo, quatenus censeretur distinctum mortis periculum exurgere post annum in eadem protracta infirmitate (cf. infra, p. 326, 331 sq.).

Quidquid sit, inepte quidam moderni eos doctores invocant in favorem opinionis iuxta quam sacramentum iterari possit in eodem periculo mortis. Ita *Kern:* "Si argumentatio Magistri (i.e. Lombardi] quidquam probat, probat Extremam Unctionem perdurante morbo iterari posse. . . Si ratio [Alani] valet, Extrema Unctio in eadem infirmitate valide saepius datur."[85] *Spàcil:* "Apertius iam validitatem sacramenti in eodem periculo administrati profiteri dicendi sunt theologi qui affirmant s. unctionem iterari posse sicut iteratur oratio, vel poenitentia, vel denuo conferri posse, si infirmitas post primam administrationem non recedat. Sic Petrus Lombardus . . . et Hugo a

[84] *Op. cit.* (supra, in p. 307) 354, 341.
[85] *Ibid.* 355

S. Victore."[MA] *Cappello:* "Hugo a S. Victore iterabilitatem admittit. . . Quod autem loquatur de valida iteratione in eodem periculo, liquet ex allegatis rationibus; secus inepte argumentatus fuisse dicendus foret. . . Verba huius auctoris sunt perspicua, ut cuique sedulo legenti patet."[87]

3. Quod attinet ad *ipsam praxim,* varia prorsus ac fluctuans apparet, maxime circa initium saeculi, quibusdam sacramentum iterantibus, aliis non iterantibus. Iam circa medietatem saeculi, ex testimonio Petri Lombardi (f 1160), praxis iterandi longe praevalens fuit in variis ecclesiis ("In omni pene Ecclesia saepe repetitur"); Pseudo-Abaelardus tamen et Bandinus circa idem fere tempus videntur eam minus frequentem iudicare. Quae vero praxis initio saeculi praevaluerit, non satis constat. Iteratio frequentabatur apud monachos Benedictinos, signanter in Congregatione Cluniacensi. Exaggerare tamen videtur Theobaldus abbas cum in suo quaesito ad Petrum Cluniacensem ait: "Cur Unctio infirmorum . . . apud Cluniacum solummodo, reiteretur." Nam Goffridus Vindocensis videtur generaliter et indistincte eam consuetudinem Benedictinis tribuere, et ceteroquin, testibus *Petro Cantore* (+1197) et Card. *Roberto de Corceon* (f 1218), eadem viguerat etiam in Ordine Cisterciensi apud monachos Claraevallenses. Ad rem Launoy: "Hoc eodem tempore [i.e. circa initium saec. 12] Claraevallenses Monachi eam tenuere consuetudinem, ut semel in anno dumtaxat conferrent Extremae Unctionis sacramentum. Hunc autem morem attestantur summi viri duo, Petrus Cantor Parisiensis, et Robertus de Corceon Cardinalis. Hic in summa quaest. de Extrema Unctione: 'Non ita saepe iteratur Extrema Unctio, sicut alia; sed sufficit secundum consuetudinem Claraevallensium, ut semel in anno conferatur'. Ille vero in Summa cap. cxxxui. 'Consuetudo enim est in Claraevallensium Ordine, quod numquam inungitur aliquis bis in eodem anno'. Apud Claraevallenses res sic se habuit: Qui morbo conflictabantur, singulis annis Unctionem accipere poterant, sed iterum atque iterum accipere non poterant. Horum ergo fuit alia institutio, alia Ivonis atque Goffridi doctrina, quae suis librata ponderibus variam Ecclesiae Traditionem repraesentat[88]."[80]

4. Quod attinet ad *ipsam doctrinam,* doctores quidem consentiunt in admittenda iterabilitate sacramenti, exceptis paucis, ut Goffrido et Ivone, sed in firmitate sui assensus non satis conveniunt. Nam, ut

[MA] *Op. cit.* (supra, in p. 298) 249.
[87] *Op. cit.* (supra, in p. 298) 216 sq., in textu et in nota.
[88] "Graviter errat Launoy in hoc ultimo iudicio ferendo; nam doctrina Goffridi et Ivonis nequit représentasse Ecclesiae Traditionem cum de facto et obiective sit error in fide.
[80] *Op. cit.* (supra, in p. 294), c. 1, p. 549.

supra notavimus, quidam (Pseudo-Abaelardus, Bandinus et Alanus) explicite vel implicite videntur admittere probabilitatem contrariae opinionis; alii, ut Hugo Victorinus, Summa Sententiarum et Lombardus, multo firmius loquuntur, non tamen cum omni asseverantia; alii omnino firmiter rem tenere videntur, uti Robertus Paululus et ipse iam Petrus Cluniacensis qui, quamvis veluti perfunctorie dicat: "Iterari, prout mihi videtur, necesse est infirmorum unctionem," de facto suam sententiam ita energice defendit ut appellet ad ipsam regulam fidei, dicens de opposita opinione: "Non est plane haec apostolica fides, non est haec apostolica praedicatio, ut vel aegro congrua miseratio vel poenitenti peccatorum negetur absolutio." Unde non immerito dicatur Petrum Cluniacensem in hac materia, Traditionis testem vel interpretem extitisse.

Saec. 13 iam invenimus maiores omnes scholasticos, signanter Albertum M., Bonaventuram et S. Thomam, concorditer et decisive docentes iterabilitatem huius sacramenti. Cui firmitati non parum contulisse videtur evolutio doctrinae de indelebili charactere qui nonnisi in tribus sacramentis confertur, exclusa cum ceteris Extrema Unctione. Duas ipsi generatim adducunt rationes: una est prima quam vidimus apud antiquiores (fere vero derelinquitur altera illorum ratio de deprecativa indole huius sacramenti), scilicet sanativa indoles Extremae Unctionis, iuxta principium illud emphatice ab Hugone et Lombardo prolatum: "Ubi morbus iteratur, iteranda est medicina";** altera ratio se habet potius ex parte rei-et-sacramenti seu alterius effectus sacramenti, quia nempe Extrema Unctio non producit indelebilem characterem, sicut Baptismus, Confirmatio et Ordo. Albertus M. affert tantum primam rationem, Bonaventura vero et S. Thomas, commemorata priori ratione in *Sed Contra,* in alteram insistunt vel potius utramque ingeniose copulant in unam generaliorem rationem effectus non perpetui: ideo scilicet aliquod sacramentum iterari non potest quia causât effectum perpetuum, ut Baptismus, Confirmatio et Ordo quae causant indelebilem characterem; sed Extrema Unctio non causât effectum perpetuum, quia non ordinatur ad consecrandum, sicut tria illa sacramenta quae propterea imprimunt indelebilem characterem consecrativum, sed ad sanandum seu ad conferendam sanitatem

** Victorinus: "Si morbus non revertitur medicina non iteretur. Si autem morbus non potest cohiberi, quare deberet medicina prohiberi?"; Lombardus idem repetit, manifeste cxcribcns Victorinum. Albertus M. haec verba refert ad *Augustinum,* inquiens: "Sicut expresse dicit Augustinus in Littera [Lombardi]: 'Si morbus non revertitur etc.'"; attamen in littera Magistri nihil indicat haec verba referri ad Augustinum, quinimo, ut dictum est, ea desumuntur directe ex Victorino. Guilelmus Altissiodorensis, infra cit., eadem verba tribuit *Ambrosio.* Ceterum origo illius expressionis videtur ascendere ad nota verba *Tertulliani* de "secunda poenitentia" seu de poenitentia postbaptismali: "Iteratae valetudinis iteranda medicina est" *(De poenitentia* 7).

mentis et corporis quae potest iterum amitti; ergo iterari potest (cf. *Suppl.,* q. 33, a. 1; C. *Gent.* 4. 73).

Iam circa initium saec. 12 *Guilelmus Altissiodorensis* (**t** 1231) in sua *Summa aurea super 4 libros Sententiarum* (exarata inter 1215 et 1220), l. 4, tract. 7, c. 2, in altera praecipue ratione defectus characteris insistebat, scribens: "Quaeritur, utrum hoc sacramentum debeat iterari. . . Sed contra dicit Ambrosius, quod quandocunque invalescit morbus, iteranda est medicina: sed saepe invalescit morbus, quia saepe infirmatur; ergo saepe iteranda est Extrema Unctio. Quod concedimus, et non est simile de baptismo et confirmatione et ordine, quia in illis est character, in Extrema Unctione non est character."[01]

Praeterea hi theologi explicite ponunt ulteriorem quaestionem de iterabilitate sacramenti in eadem infirmitate (S. Thomas, ***In*** *4 Sent.,* dist. 23, a. 4, explicite distinguit ac separat duas quaestiones, quae correspondent duobus articulis *Suppi.,* q. 33, an scilicet hoc sacramentum debeat iterari et an debeat in eadem infirmitate iterari) atque concorditer distinguunt inter infirmitatem ipsam et statum infirmitatis seu periculum mortis propter quod sacramentum conferri potest, docentes in eadem infirmitate posse iterari sacramentum si tamen sit diversum periculum mortis, seu, si in eadem diuturna infirmitate, periculum mortis recesserit ac iterum redierit.

Notandum est aliquod discrimen locutionis vel appretiationis inter Albertum M., Bonaventuram et S. Thomam. *Albertus M.,* ponens quaestionem directe de morbis chronicis seu diuturnis (ut paralysi, lepra, ethica), docet quod tunc potest iterari sacramentum cum habetur diversus numerice morbus, quod quidem in morbis diuturnis praesumitur adesse quoties durant ultra annum, quia intra annum completur revolutio corporum caelestium iuxta quam fit completa revolutio seu mutatio humorum in corpore humano, ac ideo constituitur nova infirmitas. Unde Albertus non directe et explicite loquitur de novo periculo mortis, sed potius de nova numerice infirmitate sub apparenti vel materiali identitate. *Bonaventura,* ponens hanc quaestionem incidenter et per modum responsionis ad obiectionem, reicit Alberti explicationem. quia "absurdum videtur sacramenta regulari secundum motum astrorum." et ait ideo in diuturnis morbis sacramentum iterari posse, quia periculum mortis seu status aggravationis morbi, propter quod sacramentum datur, nequit diu durare cum talem "statum natura diu sustinere non potest, immo aut vincit aut vincitur," ac ideo, si nihilominus infirmitas gravis persistit, agitur de novo statu aggrava-

*' \pud I.a u n o y. *op. cit.* (supra, in p. 294) SSO.

tionis seu novo mortis periculo, quatenus infirmus a priori periculo recesserit per aliquam meliorationem et in alterum inciderit. *S. Thomas,* posita explicite ac directe generali quaestione de iterabilitate sacramenti in eadem infirmitate, distinguit inter infirmitatem et statum infirmitatis, propter quem sacramentum confertur, seu periculum mortis, et iterum inter infirmitates non diuturnas et infirmitates diuturnas, atque docet quod in infirmitatibus non diuturnis ob quas confertur sacramentum, periculum mortis fere cum ipsa infirmitate coincidit ac ideo nequit in ea iterari sacramentum, nisi ipsa recedat ac iterum redeat; in infirmitatibus vero diuturnis (ut ethica, hydropisi ethuiusmodi) status infirmitatis seu periculum mortis distinguitur ab ipsa infirmitate atque in eadem infirmitate saepius supervenire ac recedere potest, ac ideo, accedente novo periculo, potest iterari sacramentum, "quia iam quasi est alius status infirmitatis, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter."

ALBERTUS M., In 4 Sent., dist. 23, a. 21 : "Quaeritur hic de chronicis morbis qui numquam recedunt, sicut paralysis, lepra, ethica, et hujusmodi: utrum iterari possit in eis sacramentum? . . . Ad hoc sine praejudicio dicendum puto, quod si ultra annum remanet morbus post acceptam unctionem, iterari potest unctio. Et causa hujus est: quia non judicatur idem morbus numero, qui est secundum perfectam imitationem superiorum alteratus: corpora enim nostra per illationem superiorum secundum quatuor humores in quatuor anni temporibus mutantur, et franguntur habitus in dispositiones, et non sunt eaedem: et ideo non ex eadem causa omnino iterabitur sacramentum. Si tamen ab aliquo patre sancto vel a Domino Papa aliter in hac quaestione determinari invenitur, magis judicarem in hac parte credendum esse inspirationi Ecclesiae, quam rationi conjecturanti ex incertis."[92]

BONAVENTURA, Breviloqninm, c. 6 (cui titulus "De sacramentorum iteratione"), generaliter ait: "De iteratione autem Sacramentorum hoc tenendum est, quod licet commune sit omnibus Sacramentis non iterari super eandem personam et materiam et ex eadem causa, ne fiat contumelia Sacramento; specialiter tamen tria sunt Sacramenta, quae non sunt aliquatenus iteranda, scilicet baptismus, confirmatio et ordo. In his namque tribus imprimitur character interior, qui non deletur. . . Sacramenta [vero], quae respiciunt morbos iterabiles, habent effectus transeuntes, ac per hoc et iterabiles [sunt] ratione novae causae [i.e. novi morbi]."[93]

In 4 Sent., dist. 23, a. 2, q. 4, ponit peculiarem quaestionem de iterabilitate Extremae Unctionis in eadem infirmitate, scribens: "Quaeritur .... utrum aliquis in eadem infirmitate debeat bis inungi, ut puta in infirmitate incurabili. . . Ad illud quod quaeritur de infirmitatibus prolixis, aliqui voluerunt dicere quod post annum iterari potest, pro eo quod completa est revolutio corporum superiorum. Sed absurdum valde videtur sacramenta regulari secundum motum astrorum. — Et ideo potest aliter dici quod nullus in aliqua infirmitate inungendus est. nisi cum praesumitur ad exitum propinquare; et hoc est in infirmitatis aggravatione. quem statum natura diu sustinere non potest, immo aut vincit aut vincitur. Si ergo infirmus melioretur, ut diutius vivat, etsi non perfecte curetur, curatur tamen aliquo modo ab intensione morbi; et ideo, quia venialia iterum redire possunt et

[92] *Opera omnia* XXX (ed. S. C. A. Borgnct, Parisiis: Vivès 1894) 29.
[93] *Tria opuscula ad theologiam spectantia* (ed. 5, Ad Claras Aquas 1938) 220 sq.

iterum infirmitas corporalis aggravatur, potest et debet sacramentum Unctionis iterari."9*

S. THOMAS, Suppi., q. 33, a. 2 (ex *In 4 Sent.,* dist. 23, q. 2, a. 4): "Utrum in eadem infirmitate [Extrema Unctio] debeat iterari. . . Respondeo. Dicendum quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari nisi infirmis, qui, secundum humanam aestimationem videntur morti appropinquare. Quaedam autem infirmitates non sunt diuturnae. Unde, si in eis datur hoc sacramentum tunc cum homo ad statum illum perveniat quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata, et ita iterum non debet inungi; sed, si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, et poterit alia fieri inunctio. Quaedam vero sunt aegritudines diuturnae, ut ethica et hydropisis, et huiusmodi. Et in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis. Et si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam aegritudinem reducatur, iterum potest inungi; quia iam quasi est alius status infirmitatis, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter."

Posteriores theologi et auctoritates in eandem geminam sententiam de iterando sacramento, etiam in eadem infirmitate sed non in eodem infirmitatis statu seu mortis periculo, communiter conveniunt.

GUILELMUS DURANDUS (vel Durantis; -f 1296; celebris canonista): "De quibusdam ordinarie legitur, quod inungendus debet esse ad minus 18 annorum, et quod aegrotans semel dumtaxat debet in anno inungi, licet pluries in anno aegrotet."08 De sensu huius affirmationis erit sermo infra (p. 331).

HUGO ARGENTINENSIS (**f** circa a. 1303): "Si saepe infirmatur quis ad mortem, saepe potest inungi: sed in una infirmitate non debet quis bis inungi, nisi eadem infirmitas ultra annum protrahatur, ita quod in uno anno propter eandem infirmitatem nemo bis inungatur."00

SCOTUS (**t** 1308) rem directe nequidem tangit, fortasse quia eam pro iudicata habet. *In 4 Sent.,* dist. 23, unicam conficit quaestionem, quae tota est de definitione huius sacramenti, et quamvis in ea explicanda breviter designet subiectum seu infirmum, tamen de iteratione sacramenti omnino silet. Ceterum ex dist. 6, q. 7, et dist. 7, q. 4, ubi agit de initerabilitate Baptismi et Confirmationis, licet colligere principia unde praesens materia resolvitur. Similiter subinde se gessit *Capreolus* (**f** 1444) in suis *Defensionibus theologicis D. Thomae Aquinatis.*

RICHARDUS .4 *MEDIAVILLA* (**f** circa 1300), Scoti coaetaneus ac sodalis, distincte docet: "Respondeo quod hoc sacramentum aliquo modo iterabile est. aliquo modo non. Circa enim eundem infirmum, eadem infirmitate, respectu ejusdem infirmitatis status, iterari non debet: quia quodlibet Sacramentum circa materiam propriam una vice sortitur totum effectum suum, si non sit indispositio in suscipiente; et ideo eadem hostia bis non consecratur, quia in prima consecratione

M *Opera theologica selecta* IV: *Liber IV. Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 591 sq.

" *Rationale divinorum officiorum,* l. 1, c. 8, n. 25. Apud Martène, *op. cit.* (supra, in p. 295), a. 1, n. 3, p. 104; cf. 109.

" *Compendium theologicae veritatis,* l. 6, c. 35, inter Alberti M. *Opera omnia* XXXIV (Parisiis 1895) 232. Hoc vulgatissimum opus pluribus theologis tributum fuit, ut Alexandro Halensi, Alberto M., Bonavcnturae, S. Thomae, Hugoni a S. Caro, Innocentio V, Thomae Sutton, Ulrico Engelberti, Petro Thomae discipulo Scoti, ct Hugoni Argentinensi (Hugues Ripclin de Strasbourg O. P.) discipulo Alberti M., cui nunc communiter ab eruditis adiudicatur. Cf. dissertationem L. Pflecer, in *Zeitschrift für Katholische Théologie* 28 (1904) 429 sqq.; 29 (1905) 322sqq.; Hurter, *Nomenclator literarius* III (Oeniponte 1906) 383 sq.; P. Glorieux, *Répertoire des maîtres en théologie de Paris au XIII siècle* I (Paris 1933) 75.

efficitur corpus Christi verum sub una specie, nec iidem conjuges bis desponsantur. . . In eadem infirmitate in numero possunt esse status diversi, in quorum quolibet infirmus est in notabili et probabili periculo mortis. Ideo cum infirmo nullum imprimat effectum indelebilem, potest et debet eidem homini pluries conferri, vel pro diversis infirmitatibus, vel pro ejusdem infirmitatis diversis statibus."[87]

GUILELMUS PARISIENSIS O.P. (f circa 1314): "*Petrus.* 'Nunquid hoc Sacramentum pro quacunque infirmitate potest saepius iterari? *Guillelmus.* Potest, quia ut dictum est supra, sexto capite, solum sunt tria sacramenta quae non possunt iterari: scilicet Baptismus, Confirmatio, et Ordo: eo quod imprimunt characterem Sacramentum autem extremae Unctionis characterem non imprimit: et ideo potest saepius iterari. Similiter, ut dictum est, hoc ordinatur ad curam spiritualem reliquiarum actualis peccati, in quo homo pluries cadit et infirmatur spiritualiter. Et ideo ejus medicina potest pluries iterari. Similiter est notandum, quod hoc sacramentum non solum respicit infirmitatem: sed infirmitatis statum: ideoque pro qualibet infirmitate dari potest: sed non in quolibet statu infirmitatis: sed solum in extrema necessitate in articulo mortis, in quo speratur homo mori. Ideo pro infirmitatibus diuturnis non datur: sicut est paralysis, lepra, et hujusmodi: nec etiam pro quibusdam infirmitatibus non diuturnis, sicut febris continua et hujusmodi, nisi periculum mortis immineat. Nota etiam quod si quis inunctus fuerit, infirmitate durante in eodem statu, non iterum debet inungi, quia est eadem infirmitas: Si curatus fuerit a pristina infirmitate et récidivât, iterum potest inungi, quia non est eadem infirmitas quae prius. Similiter si periculum mortis evadat, et durante adhuc infirmitate, et iterum per eandem infirmitatem ad simile periculum reducatur, potest iterum inungi, quia jam est quasi alius infirmitatis status."[88]

DURANDUS (ψ 1334): "Dicendum, quod hoc sacramentum potest iterari: quia omne sacramentum quod non imprimit effectum indelebilem est iterabile, sed extrema unctio cum non imprimat characterem ut baptismus, confirmatio, vel ordo, non imprimit effectum indelebilem, ergo potest iterari non solum in diversis infirmitatibus quando in singulis timetur de periculo mortis, sed etiam in eadem infirmitate quando est diuturna, ut ethica vel hydropisis quotiens ex tali infirmitate deducitur homo ad periculum mortis. Extrema enim unctio non respicit infirmitatem absolute, sed statum infirmitatis, qui quotiens iteratur sive in eadem infirmitate sive in diversis potest et unctio iterari."[90]

CONCILIUM BENEVENTANUM a. 1374: "Et quia de iteratione fuerint dubitationes, ideo dicimus secundum communem opinionem, quod quaedam sunt infirmitates non diuturnae: unde si eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad statum illum pervenerit, quo est in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata, et ita iterum non debet inungi. Sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, et ita iterum poterit inungi. Quaedam vero sunt aegritudines diuturnae, ut ethica, et hydropisis, et h.m. et in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur inducere mortis periculum. Si homo illud evadat, eadem infirmitate

[87] *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 6, apud Launoy, *op. cit.* (supra, in p. 294) 551.

[88] *Dialogus de septem sacramentis,* c. 23. Apud J. Cii. Trombelu, *Tractatus de sacramentis, De Extrema Unctione* III (Bononiae 1778) 91. Opus illud olim communiter tributum est *Guilelmo Alverniensi,* Parisiens! episcopo (-f- 1249), sed improbabiliter; subinde alii, ut Hurter, illud adiudicarunt *Guilelmo Baujeto Aureliancnsi,* Parisiensi cpLscopo (1304–1320); alii tandem, post Quctif-Echard, probabilius illud tribuunt *Guilelmo Parisiensi* O.P. (-f- 1314) generali Galliarum inquisitori. Cf. Quétif-Echard, *Scriptores ordinis praedicatorum* (Parisiis 1719) I 518; H. Hurter, *Nomenclator lilerarius* II (ed. 2, Ocniponte 1906) 489; R. Coulon, "Guillaume de Paris," *Dictionnaire de Théologie Catholique* 6. 2 [1914] 1978 sq.; P. Glorieux, *Répertoire des maîtres en théologie de Paris au XIII* I (Paris 1933) 301, 320.

[89] *In Petri Lombardi Sententias theologicas commentariorum libri IIII,* l. 4, dist. 23, q. 4, n. 9 (Vcnctiis: G. Bindoni 1586) 359.

durante, et iterum ad simile periculum per infirmitatem reducatur, potest iterum inungi, quia quasi erit alius status infirmitatis."[1]

Circa idem tempus prodiit supradictum documentum (p. 289 sq.) *Clementis VI* (a. 1351), ac subinde Decretum pro Armenis *Cone. Florentini* (a. 1439), quibus traditionalis doctrina et praxis ecclesiarum auctoritative confirmata est. At de vi horum documentorum erit sermo inferius (p. 335-341).

Usque ad tempus Cone. Trid. plura prodierunt *manualia* et *statuta synodalia particularium ecclesiarum,* quibus eadem doctrina inculcatur eademque praxis praescribitur. Ita, inter ea quae a Launoy[2] referuntur:

.S7'.-l TÙT.4 *SYNODALIA PONCHERII SENONENSIS* archiepiscopi a. 1524: 'Cavere debent Sacerdotes, ne aliquis infirmus saepius inungatur in eadem infirmitate, ne Sacramentum istud vilescat; potest tamen iterari hoc Sacramentum in diversis infirmitatibus, vel in eadem recidiva, quia non habet effectum perpetuum, eo quod sanitas mentis et corporis, quae sunt ejus effectus, reiterari possunt, et amitti, et recuperari."

5Γ.17TT.-1 *SYNODALIA LUDOVICI CARNOTENSIS* episcopi a. 1526 idem fere ad verbum referunt.

MANUALE ALTISSIODORENSE a. 1536: "Infirmus, si vicissim infirmetur, et ab infirmitate relevetur, in qualibet infirmitate debet ipsum [i.e. sacramentum Extremae Unctionis] recipere ob efficaciam ipsius."

MANUALE LUGDUNENSE a. 1542: "Potest Sacramentum istud iterari, quoties infirmus morti accedere videtur, etiam in una eademque infirmitate longa, in qua recidivaverit infirmus."

MANUALE CAMERACENSE a. 1562: "Animadvertat Sacerdos administraturus infirmis sacramentum Extremae Unctionis illa, quae de eo dicta sunt superius in instructione, nempe saepius iterari posse, etiam in eadem infirmitate, ad diversos periculorum casus, j>ost intervalla aliquanti temporis incidentes, quoties videlicet nunc remittente, nunc rursus ingravescente morbo periculum mortis imminere creditur."

Idem repetunt eodem saec. 16. sed paulo post Cone. Trid., *Instructiones S. Caroli liorromeo, Cone. Salernitanum* a. 1579, *Manualia Salisburgense, Viennense* a. 1577, *Rhemense* a. 1585, *Mechliniense* a. 1598.

MANUALE SALISBURGENSE: "Hoc vero Sacramentum in eodem homine saepius iterari potest, non in variis solum, sed in eodem etiam morbo, cum diversa vitae pericula post dierum aliquot intervalla impendent, ut si nunc remittente, nunc rursus ingravescente morbo mors imminere videatur."[3]

MANI ALE RHEMENSE: "Potest hoc Sacramentum iterari, et quidem in eadem infirmitate, quandoquidem quis est in articulo mortis, modo casus sit diversus, ut. qui in hydropisi, aut longa febri, postquam evasit periculum, rursus post aliquot menses de vita periclitatur".[4]

Quod attinet ad modum aestimandi quandonam in eadem protracta infirmitate praesumi possit haberi novum periculum mortis, ita ut queat sacramentum iterari, quidam nihil directe dicunt; alii, ut Manu-

[1] \pud Tromuelli, *Tractatus de sacramentis. De Extrema Unctione* III (Bononiae 1778) 90. Cf. dicta supra, hic in p. 233, in nota.

[2] *Op. cit.* (supra, in p. 294) 552.

[3] Apud Trombelli, *op. cit.* 89 sq.

[4] Apud Van Espen, *op. cit.* (supra, in p. 288), n. 36, p. 109.

alia Cameracense et Salisburgense (nuper cit.), generaliter exigunt aliquod protractum temporis intervallum post primum mortis periculum; alii determinate dicunt requiri quod *infirmitas duret saltem per unum annum,* ita ut intra eundem annum sacramentum eidem infirmo non sit reiterandum.[5]

Haec ultima regula, satis antiqua, apud non paucos pertinaciter perseveravit usque ad tempus Cone. Trid. In usu invenitur saec. 12 apud monachos *Claraevallenses,* ut testantur *Petrus Cantor* et Card. *Robertus de Corccon* (cf. supra, p. 324), quorum prior eam approbat. Subinde eam ut convenientem proponit *Albertus M.,* qui ulterius scientificam illius rationem assignare conatur, a Bonaventura resolute reiectam (cf. p. 326 sq.) ; Alberti autem auctoritas non parvum influxum habuisse videtur in illius regulae acceptationem apud posteriores. *Guilelmus Durandus* (supra citatus, p. 328) videtur testari plures luisse ("De quibusdam ordinarie legitur . . ."') qui putarent "quod aegrotans semel dumtaxat debet in anno inungi, licet pluries in anno aegrotet"; quae ultima verba, nisi admittatur manifestus abusus et inverisimilis oppositio cum communi doctrina et praxi illius aetatis, videntur accipienda non de homine qui postquam convaluerit ab una infirmitate iterum in eandem vel aliam inciderit, sed potius de eo qui in eadem diuturna infirmitate pluries in periculum mortis incidit. Eodem sensu intelligenda sunt haec verba quae adhuc saec. 16 inveniuntur in *Catcchismo Frcderici Nauseae* (l. 3, c. 107) episcopi Vindobonensis (f 1552): "Ne quis pluries in anno quam semel inungatur, etsi saepius ipsum aegrotare contingat."[6] necnon consuetudo monachorum Hirsaugensium non iterantium Extremam Unctionem nisi post triennium et infra citandus (p. 332) abusus damnatus a Cone. Iprensi.

Ex *Codice S. Martini Turoncnsis* Martène[7] refert sequens carmen cuiusdam anonymi poetae: "Non nisi mense semel aliquis communicet aeger. Hic idem solo non bis unguatur in anno. — Octo decemque tantum annos ugendus habebit. — Ordine claustrales alio potiuntur in aegris." Launoy[8] profert novem manualia ex saec. 15-16, in quibus

[5] *Benedicius XIV* testatur alios exegisse durationem trium annorum, sed non refert nisi consuetudinem *monachorum Hirsaugensium.* Scribit: "Opinabantur alii, extremam Unctionem posse iterum eidem conferri, modo tamen a die qua semel inunctus fuerat, tres integri anni effluxissent. Hanc falsam persuasionem sibi induxisse monachos Hirsaugienses refert autor veteris Disciplinae monasticae, in praefat, c. 128. ubi postquam antiquum exhibuit eorumdem monachorum usum ponendi infirmum, extrema Unctione jam munitum, et cui mortis momentum instaret, 'super sagum cilicinum cinere aspersum', haec ex Guidonc Farfensi addit: 'Caeterum Hirsaugienses existimabant Unctionis Sacramentum ab eodem iterari non posse, nisi effluxo triennio; hinc statuerunt eundem fratrem, si mortem evaserit, post tres annos iterum perungi posse'." *(De synodo dioccesana,* l. 8, c. 8, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXXV [Parisiis 18411 1108)

[6] Anud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus* I. 2 (Rotomagi 1700) 105.

[7] *Ibid.* 104 sq.

[8] *Op. cit.* (supra, in p. 294) 553.

haec verba referuntur: "Potest reiterari, sed non pro eadem infirmitate, nisi ultra annum protrahatur," scilicet: Manualia *Carnotense* a. 1489, *Petragoricense* a. 1509, *Claromontense* a. 1518, *Augustodunense* a. 1523, *Catalaunense* a. 1529, *Meldense* a. 1546, *Virdunense* a. 1554, *Lctnovicense* a. 1555, et *Atrebatcnse* a. 1563. Hanc praxim fuisse adhuc saec. 16 satis communem testatur *Concilium Iprense* (tit. 17, c. 3) in sua illius condemnatione: "Proinde consuetudinem secundum quam non consuevit hoc sacramentum intra annum secundo suscipi, etiamsi altera gravis obveniat infirmitas, tanquam noxiam abrogemus."0

Kern aliique, qui docent in eodem etiam mortis periculo Extremam Unctionem probabiliter saltem iterari posse, sustinent praefata documenta tum doctrinae theologorum tum praxis ecclesiarum a saec. 13 ad Cone. Trid., in quibus significatur sacramentum iterari posse in eadem infirmitate si adsit novus status infirmitatis seu novum periculum mortis, interpretanda esse vel in sensu exclusivo solius liceitatis iterationis in eodem mortis periculo, quatenus de facto prohiberetur a lege seu consuetudine ecclesiarum (ita praecipue quoad doctrinam theologorum), vel in solo sensu affirmativo validitatis in diverso periculo mortis sed non exclusivo eiusdem validitatis in eodem mortis periculo (ita praecipue quoad decreta synodalia et manualia ecclesiarum).

At huiusmodi explicatio satis voluntaria apparet, et quod attinet saltem ad theologorum doctrinam, ne umbram quidem probabilitatis habere videtur. Id patet: *Primo* ex eo quod antiqui theologi cum simpliciter ponunt quaestionem de his quae fieri possunt aut non possunt in sacramentorum confectione, semper sese referunt ad validitatem ritus10 et si aliter de sola liceitate loqui velint, hoc explicite significant vel verbis vel ex contexta materia.11 *Secundo, ex* eo quod in hac ipsa quaestione de possibilitate iterandi Extremam Unctionem eisdem prorsus utuntur expressionibus ac in parallela quaestione de possibilitate vel secus iterandi Baptismum. Confirmationem et Ordinem, ubi nemo negabit agi de ipsa validitate.12 *Tertio ex eo* quod, sicut agunt de validitate cum affirmant sacramentum iterari posse in diversa

*Apud Benedictum XIV, *loc. cit.* (supra, in p. 331).

" Cf. *Suppi.,* q. 32, a. 2; q. 33, a. 1, ad 2.

" Cf. v.g. *Suppi.,* q. 35, a. 4 et 5, ubi S. Thomas distinguit inter ea quae sunt de necessitate sacramenti et ea quae sunt de congruitate vel de lege Ecclesiae.

Ita S. *Thomas* de Baptismo ait "Baptismus iterari *non potest* . . . Baptismus iterari non *debet* . . . Baptismus non iteratur" (3 p., q. 66, a. 9), et pariter de Extrema Unctione ait· "In talibus [infirmitatibus diuturnis! non *debet* fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis. Et si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum *potest* inungi [Comple ex toto contextu: secus non *potest]" (Suppi.,* q. 33, a. 2; cf. a. 1).

infirmitate, ita etiam de validitate loquuntur cum addunt sacramentum etiam in eadem infirmitate iterari posse dummodo sit alius status infirmitatis seu periculum mortis. *Quarto* ex rationibus quae pro iterabilitate adducunt; numquam enim inducunt aut innuunt extrinsecam rationem alicuius ecclesiasticae prohibitionis, sed nonnisi eam intrinsecam produnt rationem quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem qua talem sed etiam statum infirmitatis seu periculum mortis, ac ideo nonnisi in iterato mortis periculo iterari potest. *Quinto* ex comparationibus quas invocant, ita nempe quod ex defectu characteris (qui in solis tribus sacramentis imprimitur) deducant Extremam Unctionem non esse absolute initerabilem et simul ex consecrativa indole huius sacramenti deducant eius relativam initerabilitatem, sicut, inquit Richardus de Mediavilla, "eadem hostia bis non consecratur, nec iidem conjuges bis desponsantur."

Unde inepte scribit *KERN:* "Numquid principes Scholae [Albertus, Bonaventura et Thomas] theologos perduxerunt ad consensum, qui asseritur? At ne unus quidem eorum affirmat, s. Unctionem non repeti *valide* in eodem vitae discrimine."[13] Ne unus quidem utitur verbo "valide" sed omnes manifesto docent sacramentum valide non iterari, quemadmodum id manifesto docent de Baptismo aliisque sacramentis characteristicis, etsi verbo "valide" non utantur.

Kern praedictum assertum ex ipsa analisi textuum trium illorum doctorum confirmare conatur, sed ipsum quaestionis punctum attingere non videtur.

"Albertus M., — inquit — dubius haeret," nam loquitur "sine praejudicio" contrariae sententiae et declarat se paratum suae opinioni renuntiare "si ab aliquo Patre sancto vel a Domino Papa aliter in hac quaestione determinari invenitur."

Attamen, quaestio est an Albertus tenuerit invaliditatem iterationis in eodem periculo mortis, non vero qua firmitate eam tenuerit; ceterum, dubium S. Doctoris vertit non circa ipsam doctrinam sed circa suum peculiarem modum iudicandi et praesumendi de existentia novi periculi mortis seu circa veritatem istius asserti: "Sine praejudicio dicendum puto, quod si ultra annum remanet morbus post acceptam unctionem, iterari potest unctio" (cf. supra, p. 327).

Quoad Bonaventuram Kern observat: "S. Bonaventura . . . asserit . . . [Extremam Unctionem] conferendam esse in extremo periculo, quod nequeat diu durare, sed mox vel mortem adducat vel excipiatur ab aliqua remissione intensionis morbi. . . His ne unus quidem consentit ex adversariis propositionis nostrae. Insuper ne verbo quidem innuit Doctor seraphicus. iterationem brevi illo tempore summi periculi esse non solum illicitam, sed etiam invalidam."[14]

Attamen, iterum quaestio non est an Bonaventura recte iudicaverit de indole periculi in quo sacramentum valide confertur (videtur enim exaggerare cum loquitur de periculo extremo) aut recte assignaverit modum dignoscendi quando habeatur novum periculum mortis in quo possit valide iterari sacramentum, sed an ipse docuerit nonnisi in novo ac distincto periculo sacramentum valide iterari posse; quod quidem reapse docet in tota littera (cf. supra, p. 326, 327).

Quoad S. Thomam tandem Kern scribit: "Nisi s. Thomae velimus gratis affingere errorem vel opinionem omni fundamento carentem, oportet dicere, eum concedere valorem sacramenti in eodem periculo iterati. Affirmat enim, s. Unctionem non debere

[13] *"De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 355; cf. 355-357 mox. cit.
[14] *" Ibid.* 355 sq.

dari, nisi cum aegrotus videatur morti appropinquare; ergo non tum, cum iam versatur in periculo mortis, sed nondum propinquae. Potest concedi, plerumque conveniens esse, ut expectctur periculum non quidem proximae, at tamen propinquae mortis. Falsum autem est. ad validam susceptionem Extremae Unctionis non sufficere gravem morbum cum periculo mortis etsi nondum propinquae. Hectici, hydropici et huiusmodi. qui evaserunt 'illum articulum eadem infirmitate durante', non evaserunt periculum mortis; unde efficacia sacramenti in cis perdurat. Nihilominus s. Thomas permittit, ut cum iterum adducantur in periculum *propinquae* mortis, denuo subsidio sacramentali iuventur. Ergo censet, durantem efficaciam sacramenti non impedire valorem novae inunctionis. Si quis ergo affirmet, in casu, quo aegrotus per longum tempus in eodem statu manet vel continuo peius se habere pergit, iterationem esse invalidam, non ideo, quod efficacia sacramenti perduret, sed quia morbus pari vel continuo crescente vehementia infirmum affligit, opinionem profert, quam ne umbra quidem argumenti stabilire valet et quam non licet trihuere s. Doctori. nisi clare eam pronuntiet; quod nullo modo facit. *Posteriores scholatici* ante Concilium Tridentinum maxima ex parte sequuntur vel b. Albertum vel s. Bonaventuram vel s. Thomam. Non potest esse sermo de unanimi aliqua eorum doctrina in re nostra."'[5]

Quantum intelligimus, obiectio Kern ad hoc essentialiter reducitur: Supponendum est S. Thomam sentire quod sacramentum valide administratur in periculo mortis etiam *nondum propinquae,* secus erraret de subiecto valido sacramenti (qui error gratis affingeretur tanto doctori); intra idem autem periculum mortis nondum propinquae, potest pluries contingere periculum mortis *propinquae;* iamvero S. Thomas permittit iterari sacramentum quoties adest novum periculum mortis propinquae; ergo admittit validitatem iterationis sacramenti in eodem periculo mortis (scilicet nondum propinquae).

Attamen, iterum fit confusio vel saltem indebita illatio inter quaestionem quid S. Thomas senserit (aut sine errore sentire debuerit) de determinatione periculi mortis in quo sacramentum valide conferri potest (utrum scilicet debeat esse periculum propinquae mortis an sufficiat periculum mortis nondum propinquae) et auaestionem quid ipse senserit de validitate iterationis in eodem periculo mortis. DoctrinaS Doctoris simplex ac linearis est. scilicet: in eo mortis periculo (quomodolibet intelligatur) in quo sacramentum valide administrari potest, iterari valide non potest. Alia vero quaestio est quo sensu S. Doctor accipiat periculum quod vocat propinquae mortis et quomodo conveniat aut discrepet a fluctuantibus ceteroquin ac incertis locutionibus modernorum, distinguentium inter periculum proximum et remotum (aut ipsius Kern distinguentis inter pericula mortis nondum propinquae. mortis propinquae et mortis proximae); gratuitum autem est suppositum, ex quo totum argumentum Kern procedit, quod nempe S. Thomas erraret si negaret validitatem sacramenti in periculo mortis nondum propinquae, nam nondum ipse determinavit quid S. Thomas intclligat per periculum mortis propinquae et quomodo vere discrepet a communiori sententia modernorum quod requiratur ac sufficiat verum periculum mortis (cf. infra, art. 31. p. 601 sq.).[16]

Pariter *Statuta et Manualia diversarum ecclesiarum,* cum dicunt Extremam Unctionem posse in eadem infirmitate iterari cum, vel si, novum periculum adest, intelligi debent in sensu exclusive validitatis sacramenti in eodem mortis periculo. Id patet: *Primo,* ex eo quod secus non convenienter intelligeretur quare prohibeant, et quidem tam concorditer et constanter, iterationem in eodem periculo mortis. *Secundo,* ex eo quod illae auctoritates, cum asserunt sacramentum.

[5] *Ibid.* 356 sq.

[16] Cf dicenda infra, p 357 sq, de simili confusione quam *Kern*ł *Toner, Kilkcr* et *Cappello,* ingerunt cum iudicant locutiones quorundam etiam theologorum modernorum.

in diversa infirmitate vel in eadem secundum diversum periculum, iterandum esse, non tam praeceptive quam assertive loquuntur, quasi non legem condentes sed rei naturam declarantes et inculcantes ("Potest iterari," "Debet iterari") atque ex ipsa sacramenti natura rationes assignantes, quia scilicet hoc sacramentum non habet effectum perpetuum (cf. Cone. Beneventanum, Statuta Poncherii Senonensis et Ludovici Carnotensis). *Tertio,* ex eo quod illa documenta connaturaliter reflectunt influxum ipsius doctrinae theologorum et cum ista veluti pari passu procedunt; signanter Cone. Beneventanum fere totam repetit ipsius S. Thomae argumentationem. *Quarto,* sensus eorundem documentorum illustratur ex mox afferenda declaratione maiorum documentorum Clementis VI et Cone. Tridentini quod illorum mentem auctoritative resumit et exponit.

Quod attinet ad supradicta illa particularia documenta (p. 331 sq.) quae permittunt iterationem sacramenti in eadem infirmitate si haec ultra annum protrahatur, Kern in favorem suae sententiae observat: "Meretur autem notari, quod secundum haec Manualia post annum repetitio sacramenti permittitur abstrahendo, utrum post primam eius administrationem infirmus aliquando fuerit extra periculum mortis an non."[17] E converso, ut constat ex ipso Alberto M. (cf. supra, p. 327) cuius auctoritas verisimiliter non parvum influxum habuit in illam Manualium rubricam, ratio quare permitteretur iteratio post annum est quia praesumebatur tunc primum periculum recessisse et novum accessisse.

Maiora iam Ecclesiae documenta inspiciamus, quae supra (p. 289–291) collegimus et ex integro retulimus.

CLEMENS VI explicite proponit, tanquam aliquid fide credendum ("Si credis . . ."), "hominem ... in eo solo casu, quo graviter est infirmus, et tali periculo constitutus, debere devote et fideliter semel dumtaxat in eadem infirmitate sacramentum . . . suscipere."

Hoc documentum esse doctrinalem declarationem magisterii authentici facile conceditur a theologis. *F. Cavallcra* notat: "Tota haec epistola est quasi expositio quaedam per interrogationes doctrinae catholicae".[18] Quidam praeterea, ut *Straub,* censent illud esse etiam peremptorium, seu definitivum, adeoque definitiones fidei continere.[19]

[17] *Of>. cit.* (supra, in p. 307) 335.

[18] *Thesaurus doctrinae catholicae* (ed. 2, Parisiis 1936) 773.

[19] *Straub:* "Cujusmodi testimonio sollemni [Agitur ibi directe de testimonio Clementis circa primatum R. P.. sed Straub idem iudicium refert ad totam epistolam Clementis] saltem fidem ecclesiae, infallibilis columnae et firmamenti veritatis, exstantem aetate ea sua pontifex summus perhibet. . . Locutio pontificia habetur merito talis, quae assensum fidei firmum, si nondum invenisset, ipsa per se injungere ecclesiae toti sufficeret. . . Itaque enuntiatio Clementis . . ex se quidem peremptoria numerabitur" *(De Ecclesia Christi* [Oeniponte 1912] I 457).

Quidquid sit, exinde sequitur doctrinam saltem catholicam esse id quod certo et explicite a Clemente in hoc documento docetur. Ad praesentem igitur textum quod attinet, dicimus in eo saltem implicite proponi invaliditatem Extremae Unctionis iteratae in eodem mortis periculo, etsi tantum in forma incidenti ac indirecta (nam primario ac directe ibi excluditur tantum ministratio sacramenti subiecto sano, iuxta Orientalium abusum), nec verba S. Pontificis posse intelligi de sola illiceitate illius iterationis, ut quidam adversarii opponunt.[20]

Profecto, illa S. Pontificis propositio duas habet partes: sacramentum scilicet debet suscipi tantum in infirmitate atque periculo mortis (non vero a sanis) et sacramentum debet in ea conditione suscipi semel tantum; unde illa unica vox "debet," quae regit utramque partem, eundem habet sensum quoad utramque; iamvero relate ad priorem partem ipsa prodit manifeste sensum excludentem validitatem (debet in solo periculo mortis = potest valide in solo periculo mortis): ergo eundem invaliditatis sensum retinet relate ad alteram partem. Minor suadetur tum ex certitudine doctrinae de invaliditate sacramenti administrati homini non infirmo, quae firmiter tunc tenebatur ab ecclesiasticis scriptoribus, tum ex simili modo loquendi Cone. Flor, et Trid.; Florentinum enim docet: "Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet," Tridentinum vero: "Declaratur . . . esse hanc unctionem infirmis adhibendam," ubi voces "non debet" et "adhibendam" sonant necessitatem non solius praecepti sed etiam sacramenti, ut contingere solet in ecclesiasticis documentis de materia sacramentaria.[21]

Ceterum, etiam si propositio Clementis accipiatur in immediato sensu solius liceitatis seu praecepti, adhuc ex ea necessario deducitur implicita declaratio invaliditatis sacramenti iterati in eodem mortis

[10] Ita *Cappello* scribens: "Ex epist. 'Super quibusdam' Clementis VI nihil profecto eruitur in favorem huius sententiae. Sane ne verbum quidem in ea reperitur de *invalida* iteratione sacramenti in eodem mortis periculo. Merito reiicitur, isque solus, error apud Orientales satis diffusus." *Kern* hoc documentum totaliter ignorat. *Spàîil* autem leviter pertransit, criptice observans tantum: "Declaratio Clementis VI quaestionem de novo periculo accedente non tangit."

[11] Ad rem *Benedictus XIV:* "Quod autem soli infirmi sint extremae Unctionis capaces, licet clare et expresse non sit a conciliis definitum, ex corumdem tamen definitionibus legitime infertur: quoniam Eugcnius IV, definiens eam, *nisi infirntis de quorum morte timetur, dari non debere,* sanos profecto exclusit: quamvis enim verbum *non debet* possit de se merum praeceptum inducere, plerumque tamen absolutam denotat necessitatem, uti observant doctores allegati a Barbosa, tract, de Usu frequent., dist. 77, num. 1, atque in decretis dogmaticis, in quibus Sacramentorum doctrina ab Ecclesia explicatur, ut plurimum denotare necessitatem non tantum praecepti, sed etiam Sacramenti, observat Suarez, cit. disput. 4, sect. 2, η. 2. Idem vero quod Eugenius, sibi voluit Tridentinum. cum dixit 'esse hanc Unctionem infirmis adhibendam': integram quippe hujusce Sacramenti *credendam, et tenendam doctrinam* nequaquam nobis tradidisset. quod caeteroquin in fine ejusdem capitis se fecisse protestatur, si etiam non infirmis posset illa adhiberi" *(De synodo dioecesana,* l. 8, c. 5, n. 5, in Micne, *Theologiae cursus completus* XXV [Parisiis 1841] 1099sq.).

periculo. Nam in altera parte illius propositionis nonnisi duplex obligationis sensus legi potest. Vel nempe: Credendum est quod homo in periculo mortis obligatur *ad nonnisi semel sacramentum suscipiendum,* ita ut sacramenti iteratio prohibeatur (Ita exclusio cadit super susceptionem sacramenti, ut iteratam); vel: Credendum est quod homo in periculo mortis *nonnisi semel obligatur ad suscipiendum sacramentum,* ita quod per unicam susceptionem obligationi satisfaciat (Ita exclusio cadit super duplicatam obligationem). lamvero, secundus hic sensus est prorsus improbabilis; inepte enim diceretur S. Pontificem proponere, ut de fide credendam, obligationem suscipiendi hoc sacramentum quam maiores theologi illius temporis, signanter Albertus M., Bonaventura et S. Thomas, denegabant, et de qua doctores posttridentini iugiter disputarunt et in dies disputant. Si autem accipitur primus sensus (seu de obligatione non bis suscipiendi sacramentum in eodem periculo) nequit ibi agi nisi de obligatione praecepti divini cum agatur de obiecto credendo; tale autem divinum praeceptum nequit S. Pontifex deducere nisi ex ipsa revelata indole seu natura sacramenti divinitus instituti, nec alia ratio pro ea deductione excogitari potest quam ipsa invaliditas iterati sacramenti, quae iniuriosam et illicitam reddit attentatam iterationem.

Decisivum valorem huius documenti graviter urget *Straub* (supra cit., p. 301), qui inde concludit hanc "causam per se finitam esse." *CONCILII TRIDENTINI* verba supra relata (p. 290) haberi debent ut doctrinalia, nec tantum ut disciplinaria, seu respiciunt ipsam sacramenti validitatem nec tantum liceitatem. Id patet ex toto contextu cap. 3 de Extrema Unctione, in quo omnia quae tam de ministro quam de subiecto a Concilio dicuntur, ad ipsa verba lacobi generaliter referuntur et ab eis deducuntur ("lam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis *[lac.* 5. 14 sq.] traditum"; *Denz.* 910). Idque ceteroquin generaliter admittitur a theologis in nostra controversia, ut ab ipso *Kern* scribente: "Quod attinet declarationem Tridentinam, sponte concedimus, eam non continere meram legem disciplinarem, sed definitionem dogmaticam".[22] Unde inepte *Spdcil* asserit: "Omnia . . . documenta supra allata [inter quae refertur Cone. Trid.] dicunt quidem extremam unctionem in eodem periculo dari 'non deberi' vel etiam 'non posse', rationem autem huius prohibitionis esse eam. quod sacramentum secus invalidum esset, non dicunt."[23]

Ea autem verba duplicem sensum habere possunt, prout vox "con-

BOp. cit. (supra, in p. 307) 359.
a0/>. *cit.* (supra, in p. 298) 248.

valuerint" accipitur stricte pro recessu ipsius infirmitatis vel latius pro recessu periculi mortis, sive simul recedat sive adhuc permaneat ipsa infirmitas. In priori illius vocis acceptione, subsequentia verba "Cum in aliud simile vitae discrimen inciderint" assumunt manifeste sensum exclusivum: Concilium scilicet docet quod cum quis ab infirmitate evaserit ac iterum sanus effectus fuerit, poterit iterum inungi sed tunc tantum cum iterum in infirmitatem inciderit, quo simul excluditur triplex error docentium unctionem conferri posse etiam sanis (i.e. Orientalium), vel semel tantum in vita (i.e. quorundam antiquorum theologorum), vel nonnisi post longum tempus, puta post annum, a prima collatione (i.e. quorundam fortasse doctorum). Ex quo sequitur Concilium dirimere tantum quaestionem de iterabilitate sacramenti in diversis infirmitatibus et nullatenus tangere quaestionem de eiusdem iterabilitate in eadem infirmitate et multo minus controversiam de iterabilitate in eodem articulo mortis. In altera vero illius vocis acceptione, praedicta verba iterum in duplici sensu accipi possunt, scilicet vel in solo sensu affirmativo et mere exemplificante, ita ut declaratio Concilii sonet: Si infirmi a periculo mortis evaserint, iterum possunt inungi, ut in casu quo in idem periculum iterum inciderint (cum inciderint = ut cum inciderint), in quo sensu Concilium mere statuit iterationem in eadem infirmitate abstrahendo ab iterabilitate etiam in eodem periculo mortis, ac consequenter praedictam theologorum controversiam nullatenus tangit; vel in sensu exclusivo, ita ut declaratio Concilii sonet: Si infirmi a periculo mortis evaserint, iterum possunt inungi, in solo tamen casu quo in idem periculum iterum inciderint (cum inciderint = cum tamen inciderint, vel = tunc tantum cum inciderint), in quo sensu Concilium admittit iterationem in eadem infirmitate sed eam excludit in eodem articulo mortis, ac consequenter praedictam controversiam implicite dirimit.

Paucis: triplex esse posset sensus verborum Concilii; primo: Extrema Unctio iterari potest homini ab infirmitate sanato si tamen ei superveniat nova infirmitas; secundo, iterari potest in eadem etiam infirmitate, ut si superveniat novum periculum; tertio, iterari potest in eadem infirmitate, si tamen superveniat novum periculum.

Nostri adversarii primum vel secundum sensum eligunt, ut eludant vim declarationis Concilii, quam nemo negabit prima fronte favere sententiae de initerabilitate sacramenti in eodem mortis periculo. In priori sensu *Kern* scribit: "His [verbis Concilii] excluditur opinio paucorum, mysterium s. olei valide non recipi nisi semel in vita; excluditur etiam opinio multorum, illud non posse in diversis morbis repeti, nisi inter illos longius tempus, e. gr. annus effluxerit. Concilium sua definitione praecavit, ne multi propter errorem sacerdotum in

gravi infirmitate et in ipso agone priventur firmissimo subsidio salutis. Quid vero si infirmi post susceptam sacram Unctionem *non* convaluerint, attamen durante morbo letali periculum proxime instantis mortis evaserint et post longius tempus in idem periculum imminens inciderint? Quid si infirmus mature omnibus auxiliis salutaribus provisus lente, sed continuo ingravescente malo post menses tandem in articulum mortis inducitur? Ad has et alias similes quaestiones Concilium non respondet idque tum ideo, quod noluit dirimere controversias theologorum catholicorum, ubi necessitas id non postulabat, tum quia memoria priscae disciplinae penitus obliterata et theologis varia sentientibus clara cognitio veritatis pro definitione dogmatica requisita deerat."[21] Cui concinit *Spdcil,* supra relato (p. 337) eius commento addens: "Immo Tridentinum proprie solummodo declarat s. unctionem infirmorum saepius in vita, quotiescunque scilicet nova infirmitas gravis supervenerit, administrari posse." *Kilker* vero alterum sensum refert tanquam ipsius Kern, qui tamen illum applicat soli Ritualis Romani textui (de quo infra): "Kern shows ably enough the possibility of construing the Tridentine text in a positive sense, rather than in an exclusive sense, i.e., the Council intended to assert the validity of the Extreme Unction repeated in the specific circumstances it mentions rather than propose a taxative enumeration of the cases of its valid repetition."[25]

Attamen, primus sensus, quamvis conveniat ipsi textui nude sumpto, non videtur probabilis, si attendantur sive praecedens documentum Clementis VI sive ac praecipue subsequentia documenta Catechismi Cone. Trid., Ritualis Romani et Codicis I. C., quae manifeste doctrinam Concilii exhibere et applicare intendunt. In eis enim directe proponitur ipse casus iterationis in eadem infirmitate et cum adsit novum mortis periculum, et praeterea eadem ipsa vox "convaluerit," a Tridentino adhibita, iterum toties repetitur in generaliori sensu recessus periculi mortis, perdurante adhuc eadem infirmitate.[26] Quod autem addit Kern, Concilium nempe noluisse dirimere controversias theologorum, caret supposito; nam, ut constat ex dictis supra (p. 291), tempore Concilii nulla erat de hac re controversia, quae nonnisi saeculo sequenti emergere coepit nec nisi saec. 18 aliquam proportionem proprie dicti dissensus habuisse dici potest.

Secundus sensus peior adhuc videtur; nam praeterquam quod ipsa

:'*Op. cit.* (supra, in p. 307) 360.

**Extreme Unction* (St. Louis 1927) 54.

!'Card. P. Gasparri, in suo *Catéchisme Catholico* (Romae 1934) 229, sic verba Codicis I. C. (can. 940, § 2) explicat: "Hoc Sacramentum in eodem mortis periculo semel tantum conferri potest; sed si periculum, postquam cessaverit, rursus exsistat, potest iterari."

forma verborum connaturaliter mentem dirigit ad sensum explicativum, ac pro tanto exclusivum ("Iterum iuvari poterunt, cum nempe in aliud discrimen inciderint"), et sensus abstractivus vel mere exemplificativus logice postularet explicitam aliquam particulam vel adverbium (ut; saltem; praecipue), alia Ecclesiae documenta, *Clementis VI* nempe, *Catechismi Cone. Trid., Codicis I. C.* et *Ritualis Romani* (ed. post Codicem), sensum ipsum exclusivum explicite ac signate proponunt ("Semel dumtaxat," "Semel tantum," "Nisi in aliud discrimen inciderit").

Posset quidem nobis opponi antiquior forma Ritualis Romani quae explicite exemplicare videtur, addens particulam "ut si" ("Ut si, cum infirmus convaluerit . . ."); attamen Rituale continet diversam a Concilio verborum formam, quae potest etiam intelligi in sensu exclusive (ut si = id est), ut patet ex ipso communi sermone, quaeque ceteroquin non ita clara est ut non indiguerit explicitari in nova Ritualis editione in sensum ipsum non ambigue exclusivum. Opponunt etiam quidam adversarii tria illa documenta post Concilium proponere tantum normam disciplinarem, vel legem Ecclesiae iterationem prohibentem; at vix quisquam sibi convincet, una cum regula disciplinari aut lege, ibi non tradi etiam Ecclesiae doctrinam, non secus ac in ipsa declaratione Tridentina, quam ea manifeste explicant et applicant.

Haec igitur omnia Ecclesiae documenta, inde ab authentica Clementis VI declaratione, simul sumpta ac se invicem illustrantia, colli-

" Ita *Kern* opponit: "Rituale romanum confirmat nostram sententiam. . . Edicitur, s. officium in eadem infirmitate solum tunc recte repeti, si diuturna sit. Additur exemplum frequentissimum reincidentiae in idem periculum mortis post aliquam, etsi non perfectam, convalescentiam. Per exemplum adiectum non restringitur universalis enuntiatio. Ergo quotiescumque morbus est diuturnus, permittitur iteratio, proinde etiam in casu, cum periculum manet idem vel magis magisque crescit" (o/>. *cit.* [supra, in p. 307] 360). Ex his verbis sequeretur iuxta Rituale iterationem sacramenti in eodem periculo esse non tantum validam sed et licitam; quod quidem praetergreditur ipsam conclusionem quam explicite Kern defendere intendit, scilicet solam validitatem illius iterationis. Ceterum, si id putare aut innuere licuit huic doctori, ante Codicem et novam Ritualis editionem scribenti, nunc saltem ab omnibus reiciendum est; unde valde miramur cum audimus *SpàÎil* adhuc praefatam Kern explicationem repententem, ac his verbis concludentem: "Ergo [Rituale] per se non excludit iterationem etiam extra hunc casum licitam esse, eo minus declarat esse invalidam" *(op. cit.* [supra, in p. 298] 218).

" *Kern* scribit: "Rituale romanum proponit tantum normam disciplinarem. . . Quod attinet catechismum romanum, eius auctoritas quantumvis veneranda non sufficit ad controversias dogmaticas dirimendas. Nullus theologus per cius doctrinam se sentiet e.gr. impeditum, quin neget, essentiam Ordinationis consistere in traditione instrumentorum cum additis verbis. Ceterum catechismus docet quidem, 'in una cademque aegrotatione, quum aeger in eodem vitae periculo positus est, semel tantum ungendum esse'. Sed cur? Quia alias invalida esset iteratio? quia lex ecclesiastica ita ordinat? quia est praxis actu vigens?" *{ibid.* 360sq.). Ad haec nota: Catechismi auctoritas magni facienda est in hac re, cum sit directa veluti paraphrasis declarationis Concilii; quid praecise senserit Catechismus, ceteroquin cum ipso Cone. Florentino, de essentia Ordinationis, non satis exploratum est ut possit hic in causam vocari; sicut in aliis capitibus ita et hic, Catechismus est documentum praecipue doctrinale, explanans ipsam Concilii doctrinam.

niant in unam constantem ac linearem manifestationem mentis ecclesiastici magisterii, quae invaliditatem iterati sacramenti in eodem mortis periculo non ambigue indigitare videtur.

ET UT AD PAUCA REDUCAMUS PROLIXUM HOC ARGUMENTUM, EX ECCLESIAE SENSU ET PRAXI DEDUCTUM, haec quaestio de relativa initerabilitate Extremae Unctionis, sicut et plures aliae in materia sacramentaria, nonnisi paulatim suam explicationem suamque firmitatem obtinuit apud theologos scriptores et in ipsa ecclesiastica praxi ac magisterio. *Usque ad saec. 9* nihil invenimus in documentis doctrinalibus et ipsa Ecclesiae praxis prorsus ignoratur; fortasse variae ecclesiae non uno modo de re iudicabant sed, iuxta maiorem vel minorem uniuscuiusque indulgentiam, hoc sacramentum saepius aut rarius eidem infirmo administrabant.

Inter saec. 9 et 12 nonnulla Sacramentaria et Ordines exhibent unctionem (vel saltem officium infirmorum), per septem continuos dies iteratam super eundem infirmum, sed auctoritas et sensus illius praxis nimis incerti sunt ut quidquam ex ea inferri possit circa praesentem quaestionem de iterabilitate vel initerabilitate huius sacramenti, adeoque solida probabilitate caret opinio eorum qui in illa praxi vident sacramentum septies in eodem periculo mortis iteratum.

Saec. 12, cum primo quaestio de iterabilitate Extremae Unctionis explicite a theologis posita est, quidam, ut *Goffridus Vindocensis* et *Ivo Carnotensis,* eam simpliciter negarunt, alii, ut *Pseudo-Abaelardus* et *Bandinus* de ea dubitasse videntur, plus aequo urgentes consecrativam indolem omnis sacramenti et ipsam paritatem Extremae Unctionis cum Baptismo; sed communis theologorum sensus, ducibus *Petro Cluniacensi* et *Lombardo,* generali principio iterabilitatis Extremae Unctionis veluti connaturaliter adhaesit, eam deducens ex ipsa consideratione proprie indolis huius sacramenti prout est remissivum et curativum, potiusquam consecrativum sicut Baptismus. Ipsa varia praxis ecclesiarum ac monasteriorum huic doctorum controversiae ansam praebuit eiusque fatum secuta est.

Saec. 13, firmato iam eo generali principio de iterabilitate huius sacramenti (cui firmitati non parum contulit determinatio doctrinae de charactere sacramentali ex qua clarius elucebat discrimen inter Extremam Unctionem et Baptismum aliaque duo sacramenta characteristica), quaestio ulterius extensa est ad modum et limites illius iterabilitatis, atque communis doctorum responsio, seclusa omni peculiari controversia, duplex fuit: Extremam scilicet Unctionem iterari simpliciter posse in nova infirmitate, in eadem vero infirmitate iterari

non posse nisi agatur de novo infirmitatis statu seu de novo mortis periculo; inepte autem a quibusdam dicitur eos doctores disputasse et decidisse solam quaestionem de illiceitate iterandi sacramentum in eodem periculo mortis. Ratio illius restrictionis circa sacramenti iterabilitatem, assignatur ex ipsa propria indole seu fine sacramenti, quia scilicet, quamvis ipsum sit in spiritualem curam et remissionem, non tamen est ita simpliciter et sub omni respectu, quemadmodum sacramentum Poenitentiae, sed cum ordine ad hominem in statu periculi mortis constitutum, ac inde, facta distinctione inter ipsam infirmitatem et statum infirmitatis seu periculum mortis, apparuit quomodo Extrema Unctio esset iterabilis simul et initerabilis, quasi medio modo constituta inter alia duo remissionis sacramenta, Poenitentiam scilicet absolute iterabilem et Baptismum absolute initerabilem. Ceterum, non parva varietas ac fluctuatio apud illos doctores observatur, quoad determinationem novi periculi mortis, seu in aestimando quandonam in eadem infirmitate habeatur vel praesumi possit haberi novum periculum mortis quod permittat iterationem sacramenti (quae quidem fluctuatio adhuc viget inter ipsos modernos auctores, ut infra patebit, p. 357-362); ad hanc fluctuationem reducenda est nota illa regula, ab Alberto M. prolata et in pluribus particuliarum ecclesiarum manualibus inculcata, quod non oporteret sacramentum iterare nisi diuturna infirmitas ultra annum protraheretur.

In his iisdem mediaevalium theologorum determinationibus fundatur tota doctrina posteriorum scriptorum et ipsa praxis relata in statutis ac manualibus variarum ecclesiarum, usque ad Cone. Trid., imo usque saltem ad medium saec. 17. Maiora autem documenta authentici magisterii et praxis universalis Ecclesiae, nempe Clementis VI, Cone. Trid., Catechismi Cone. Trid., Ritualis Romani ac subinde Codicis I.C., eam doctrinam quoad duo essentialia eius postulata, scilicet tum iterabilitatem sacramenti tum etiam relativam eius initerabilitatem in eodem mortis periculo, diserte confirmarunt; quod autem attinet ad hoc secundum punctum, velle divertere sensum illorum documentorum ad meram illiceitatem iterationis sacramenti in eodem periculo mortis, vuluntarius videtur ac frustraneus conatus.

Cum igitur totus sensus et praxis Ecclesiae atque communis doctrina antiquorum doctorum usque saltem ad saec. 17, necnon praevalens consensus ipsorum posteriorum theologorum, nova Codicis declaratione non modice roboratus, collinient in proponendam vel indigitandam invaliditatem iterationis in eodem mortis periculo, contraria opinio paucorum recentiorum. defendens solam illius iterationis illiceitatem. non videtur habere·sufficientem et solidam probabilitatem intrinsecam, cum incerto illo et ambiguo fundamento, septies olim

administrati sacramenti, fere unice nitatur. Ceterum, et ipsa extrinseca probabilitas huius opinionis minima dicenda est; nam apud illius opinionis defensores non solum numerus sed et auctoritas atque firmitas desideratur.20

Profecto, inter priores defensores praecipue invocantur tres eruditi viri, potius ceteroquin historici quam theologi, scilicet Menardus, Launoy et Martène. lamvero, *Menardus* ipse, qui ad caput huius dissensus merito collocatur, hanc quaestionem nonnisi leviter tangit dicens sibi "non videri probabilem" explicationem Galeni quod in antiqua praxi, relata in Sacramentario Gregoriano, ungendi per septem dies, non intenderetur repetita iteratio ipsius sacramenti. *Launoy,* fusius quidem scribit de iterabilitate sacramenti, multa afferens documenta; sed de supradicta praxi septenariae unctionis prorsus tacet nec ipsam quaestionem de iteratione in eodem mortis periculo explicite tangit, sed, unice commemorata antiqua controversia Goffridi Vindocensis et Ivonis Carnotentis, tam longe procedit ut illam ipsam controversiam ad meram quaestionem de re disciplinari reducat et illorum doctrinam de absoluta initerabilitate Extremae Unctionis ut probabilem habeat, cum, ut ait, ipsa repraesentaverit variam ipsius Ecclesiae traditionem; in quo, ut notavimus supra (p. 324), Launoy graviter errat, sicut et in aliis capitibus sui operis, a S. Sede in Indicem relati (cf. tom. 1, p. 501). Ipse *Martène* quaestionem non fuse pertractat, sed, commemorata praedicta praxi septenariae administrationis iuxta varios Ordines ecclesiarum, reicit, sicut Menardus sed omnino decisive, supradictam Galeni explicationem, libenter inde arripiens occasionem invehendi contra doctores scholasticos qui "hujusmodi argutiis et explicationibus miras in antiqua ecclesiae de sacramentorum administratione disciplina tenebras injecerunt."

En igitur quid habeant ipsi tres huius opinionis principes, quibus ceteri maxime fident quorumque eruditione et auctoritate commoventur. Ceterum, plures ex his non valde clare loquuntur: alii non valde firmiter suam opinionem proponunt. Inter eos qui mere favent, quidam ut *Tournely, Billuart, Benedictus XIV* et *Wirccburgenscs,* nonnisi perfunctorie ac per transennam loquuntur, ad solvendam nempe difficultatem provenientem ex praedicta antiqua praxi cuius sensum ipsis proponit auctoritas Martène; alii, nominatim *Kern,* a quo ceteri recentiores manifesto dependent, fusius quidem aut firmius eam opinionem proponunt, historicum eius fundamentum amplificantes illudque etiam theologicis rationibus confortantes, nihilominus ei simpliciter adhaerere non audent sed tantum illius solidam, ut aiunt, probabili-

^Ad rem *Straub:* "Auctores tales, praeterquam quod nonnulli quaestionem solum e longinquo tangunt, inveniuntur relative pauci iidemque quamvis eruditionis magnae, non omnes sunt judicii pares" *(De Ecclesia Christi* [Ocniponte 1912] II 294).

tatem ostendere conantur, quae non in alio tandem fortiori nititur fundamento quam in supradictae praxis unilaterali ac labili interpretatione.

Probatur 2. *EX RATIONE THEOLOGICA.*

Duplex ratio afferri potest, altera ex Ecclesiae disciplina, altera ex ipsa sacramenti indole petita, ad utramque simul probandam veritatem iterabilitatis sacramenti etiam in eadem infirmitate et eiusdem initerabilitatis in eodem mortis periculo.

PRIMA RATIO deducitur ex ipsa antiqua ac constanti disciplina et lege Ecclesiae iterandi sacramentum etiam in eadem infirmitate, et simul interdicendi iterationem in eodem mortis periculo.

Ex dictis quippe in praecedenti probatione, seu ex ipsa analysi documentorum doctrinae et praxis Ecclesiae, immediate sequi nobis visa est tum validitas iterationis sacramenti, etiam in eadem infirmitate, tum invaliditas iterationis in eodem periculo mortis. Nunc autem ulterius procedimus, contendentes ex illis documentis utramque veritatem etiam mediate deduci posse, seu attenta ipsa sola disciplina et lege Ecclesiae, quod quidem ad theologicam ratiocinationem merito revocatur.

Et quidem quod attinet ad primum assertum de validitate iterationis sacramenti, etiam in eadem infirmitate, nemo doctorum inficiatur id recte ac necessario concludi, secus enim Ecclesia graviter erraret in administratione sacramenti, illud saepe invalide iterando. Unde tota quaestio reducitur ad alterum assertum, utrum nempe ex ipsa constanter ab Ecclesia denegata huius sacramenti iteratione in eodem mortis periculo, legitime sequatur talis iterationis invaliditas. Cuius illationis legitimitas sic probatur:

Si sacramentum posset in eodem mortis periculo valide iterari, constans consuetudo vel lex universalis Ecclesiae, prohibens ejus iterationem, nullo modo conveniens videretur, imo vix iusta dici posset. Atqui constans consuetudo et lex universalis Ecclesiae nequit esse inconveniens aut non iusta, attenta ipsius Ecclesiae indefectibilitate. Ergo sacramentum non potest in eodem periculo mortis valide iterari.

Maior quoad assertam sequelam probatur ex eo quod ex una parte *maxima est utilitas huius sacramenti,* quae omnino postularet eius iterationem si valide iterari posset, et ex alia parte *vix possunt excogitari sufficientes rationes* quibus tam diuturna ac districta prohibitio legitimaretur.

Maxima sacramenti utilitas quae graviter exjxjstularet iterationem sacramenti, varia est:

Primo, Extrema Unctio est, ut ait Cone. Trid., sacramentum quo Christus "finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit" *QDenz.* 907); hinc maxima utilitas tali praesidio frequenter se muniendi. Inepte igitur obiceretur quod hoc sacramentum, iuxta communiorem doctrinam, non sit stricte necessarium ad salutem; imo cum unus vel alter ex adversariis, nominatim Kern (cui ex parte accedit Cappello), doceat e contrario strictam necessitatem sacramenti, inde potest, veluti argumento ad hominem, nostra ratio corroborari.

Secundo, hoc sacramentum est, ut ait Cone. Trid., "poenitentiae consummativum" *(ibid.y,* inde maxima deberet esse Ecclesiae sollicitudo illud iterandi, sicut iteratur sacramentum Poenitentiae.

Tertio, hoc sacramentum confert infirmo peculiaria et specifica auxilia pro suo statu, quae per nullum aliud sacramentum conferri possunt; inde maxime iteratio sacramenti foveri deberet (sicut fovetur iteratio Poenitentiae et Communionis), eo vel magis quod illis auxiliis infirmus indigere potest in toto decursu eiusdem periculi mortis, ratione nempe iterationis tentationum daemonis, depressionis animi et praecipue reliquiarum novorum peccatorum. Unde inepte ab adversariis obicitur quod infirmo praesto sunt non pauca alia media salutaria, quibus uti potest, ut Poenitentia, Eucharistia, indulgentiis, sacramentalibus et orationibus; haec enim nec peculiaria sunt infirmo nec multo minus specifica.

Quarto, contingere potest ut hoc sacramentum sit unicum certum remedium iustificationis et salutis pro infirmo, ut si in decursu eiusdem periculi mortis, post acceptam unctionem, labatur in peccatum mortale atque illico nullo signo contritionis manifestato, in deliquium incidat (cf. alios casus relatos in art. 13, p. 130-132); tunc enim valor conditionatae absolutionis incertus est, et de facto non datur si reapse aliqua actualis contritio non adsit, itemque incertum est an ipsa Eucharistia aliudve vivorum sacramentum, tunc forte susceptum, primam gratiam causaret, dum iterata Extrema Unctio certius peccatum illud remitteret, dummodo sola habitualis contritio praecesserit (cf. *ibid.,* p. 125-132). Ac inde necessitas permittendi iterationem sacramenti, si iterari posset, ne saltem in quibusdam casibus salus animarum periclitetur. Unde inepte *Spdcil* respondet: "Non datur . . . locus casui, quod [infirmi] peccato onerari possent nullo alio modo remissibili nisi per s. unctionem."[30] Ceterum ipse *Kern,* cuius sententiam intendit confortare Spâëil, explicite scribit: "Conveniunt theologi, sacramentum exeuntium saltem per accidens quibusdam mori-

0p. cil. (supra, in p. 298) 253.

bundis esse necessarium. Si enim homo in mortali peccato constitutus, de quo habitualiter est attritus, usu rationis usque ad exitum privetur, s. Unctio est certum simulque unicum salutis eius medium."[31] Idemque repetunt *Kilkcr* et *Cappello,* cum agunt de necessitate Extremae Unctionis.

Quinto, per hoc sacramentum confertur etiam sanitas corporalis; ac inde etiam ratio fovendi iterationem sacramenti ut sanitas, non restituta per primam unctionem, restituatur fortasse per alteram. Obicit quidem *Spdcil:* "Neque dici potest eos [infirmos] saltem sanitatem recuperare posse per novam unctionem, si prima effectum hunc non obtinuit. Sanatio corporis enim a conditione dependet, 'si saluti· expediat'; igitur unctione etiam semel administrata datur, si hoc ad salutem proficuum sit, unctione etiam pluries repetita non dabitur, si animae saluti non proficiat."[32] Attamen, ut explicatum est in art. 18 (p. 220sq.), in eam utilitatis ad salutem conditionem influere possunt etiam morales dispositiones ipsius subiecti, quibus mutatis, posset contingere ut salus corporalis, quae in prima unctione non fuerit expediens ad salutem, talis evadat in iteratis unctionibus, et praeterea, ut ibidem dictum est (p. 222, 227 sq.), effectus sanitatis corporalis non in indivisibili consistit sed gradus admittit, atque confertur per quandam resultantiam ex ipso spirituali effectu, ex quibus duabus rationibus intelligi etiam potest quomodo ex repetitis sacramenti collationibus increscere aut, semel frustratus, conferri queat. Ceterum, ipse *Kern* fatetur: "Facile . . . accidit, ut prima confortatio [i.e. collata per primam sacramenti administrationem] relevationem quidem corporalem secum ducat, at non sufficiat ad restituendam sanitatem. Forte sufficiet bis, ter, septies aucta."[33]

Rationes autem quas adversarii adducunt ad ostendendum quomodo, non obstante tanta sacramenti utilitate, *legitimaretur ecclesiastica consuetudo vel lex prohibens iterationem* validi sacramenti in eodem mortis periculi rem nullatenus evincere videntur.

Primo quidem, unus vel alter subtrahere conatus est ipsum suppositum nostri argumenti, enervando vim huius ecclesiasticae prohibitionis haneque reducendo ad consuetudinem quamdam, per abusum primitus introductam et subinde ab auctoritate ecclesiastica sub forma normae disciplinaris firmatam.

Ad hoc redit ambigua ratiocinatio quam affert *Kern,* scribens: "Obiciunt [defensores invaliditatis iterationis in eodem periculo mortis] . . . : Si iteratae collationi Extremae Unctionis per Deum et

[31] *Op. cit.* (supra, in p. 307) 363.
[32] *Loc. cit.*
[33] *Op. cit.* 352.

naturam sacramenti nihil obstat, nequit modo, qui satisfaciat, ostendi, rectam esse praxim vigentem, aequas esse ordinationes, quibus Ecclesia eam introduxit. . . Respondetur imprimis negando suppositum, nam praxis iterationis non est abrogata ordinationibus Ecclesiae, . . Abrogata est culpa multorum sacerdotum et insanis superstitionibus fidelium. . . 'At, inquiunt [illi], Ecclesia iteratam collationem sacramenti in eodem statu morbi non tantum non commendat, *sed positive interdicit.*' *Expendamus igitur textus allatos.* . ." ' In examine autem horum textuum, i.e. Cone. Trid., Ritualis Romani et Catechismi Cone. Trid., Kern inconstanter loquitur modo de sola validitate, modo etiam de liceitate iterationis sacramenti in eodem periculo mortis; peculiariter quoad praecipuum documentum Ritualis Romani modo videtur negare in eo agi de lege prohibente iterationem, dicens: "[Iuxta Rituale] quotiescunque morbus est diuturnus, *permittitur iteratio,* proinde etiam in casu, cum periculum manet idem vel magis magisque crescit. Quo admisso quivis theologus concedet, rituale romanum proponere *tantum normam disciplinarem"* modo videtur consentire in eo agi de vera lege, scribens: "At nonne ipsa *lex ritualis romani* esset iniqua, si officium s. olei infirmo valide quovis die impenderetur? Videamus, num assignari queant rationes, ob quas Ecclesia consuetudinem non per ipsam introductam recte sua auctoritate firmaverit. . ,"[30] Ceterum tota ejus ratiocinatio in id collimare videtur, ut neget haberi proprie dictam legem Ecclesiae, prohibentem iterationem, et inde inculcet hanc iterationem posse adhuc licitam esse. Idemque satis clare effert etiam *Spac'd* (supra cit.. p. 340. in nota).

Attamen, tota haec Kern ratiocinatio simpliciter concidit nec amplius sustineri potest saltem post Codicem I.C. et novam Ritualis editionem, in quibus clare statuitur lex Ecclesiae prohibens iterationem. Ceterum, quod etiam in priori Ritualis forma, necnon in ceteris ex supra relatis documentis sive universalis Ecclesiae (inde a Clemente VI) sive particularium dioecesium, ageretur de vera lege prohibente, et saltem ut illicitam declarante, sacramenti iterationem, satis evidenter apparet nec ullus theologus ante Kern dubitasse videtur.

Secundo, adversarii dicunt legem Ecclesiae iustificari ex ipsa potestate sibi divinitus collata. regulandi pro circumstantiis administrationem sacramentorum, ita ut frequentia, imo et ipse usus, alicuius sacramenti quibusdam denegetur. Ita prohibetur valida ordinatio puerorum ad sacerdotium aliosque sacros ordines: interdicitur latinis communio sub utraque specie (etsi, iuxta quosdam theologos, secum

" *Ibid* 358 sq.
u *Ibid.* 360.
"*Ibid.* 361.

ferat maiorem effectum quam communio sub unica specie); intep dicitur ipse usus Eucharistiae infantibus, quorum multi e vivis discedunt absque gratia tanti sacramenti; apud latinos restringitur administratio Confirmationis eisdem infantibus; in antiqua Ecclesia ipsum sacramentum Poenitentiae parcius concedebatur et quibusdam ipsa ecclesiastica reconciliatio denegabatur.

Respondetur eam Ecclesiae potestatem in regulandam sacramentorum administrationem esse districte conditionatam proportionalis gravibusque rationibus, ita ut secus nec convenienter nec iuste exerceatur. Qua attenta conditione, apparet non haberi paritatem inter adductos casus et prohibitionem iterationis Extremae Unctionis in eodem periculo mortis; nam in illis facile intelligitur Ecclesiam habuisse pro sacramentorum usu limitando sufficientes rationes, sive in reverentia sacramenti sive in bono communi sive in ipso privato bono fundatas, quibus defectus sacramenti eiusque fructus proportionaliter compensetur. Ita ordinatio puerorum interdicitur quia praeter fructum sanctificationis importat etiam characterem seu spiritualem potestatem, cui connaturaliter etiam adveniunt graviora iura et obligationes, quibus non convenit hominem ante adultam aetatem copulari; interdicitur fidelibus communio sub utraque specie, sive ob reverentiam sacramenti sive ad faciliorem ejusdem susceptionem, nec unquam ceteroquin haec lex constans et universalis fuit, nec per eam fideles defraudantur essentiali sacramenti effectu, imo non certo privantur ullo fructu etiam accidentali, ut constat ex ipsis disputationibus theologorum; interdicitur infantibus eucharistica communio, ob sacramenti reverentiam quae satis compensat parvum fructum qui ipsis, omni dispositione carentibus, ex usu sacramenti obvenire posset; restrictio Confirmationis relate ad eosdem infantes, nec plena est, nec constans, nec universalis, eaque pariter fundatur tum in reverentia sacramenti tum etiam in ipso privato bono suscipientis qui ex appositis adultae aetatis dispositionibus maiorem longe capit gratiae sacramentalis effectum; quoad poenitentialem autem antiquae ecclesiae disciplinam. satis explicavimus in tractatu *Dc Poenitentia* quinam fuerint eius limites et quaenam rationes.

E converso, sacramentum Extremae Unctionis nullum importat characterem sacerdotalem; confertur adultis; producit in sua iteratione certum ac maximum fructum; datur in conditionibus maximae indigentiae spiritualis; et praeterea consuetudo et lex prohibens iterationem est districta, constans et universalis. Nec ceterum ulla alia ratio sufficiens excogitari potest, sive ex reverentia sacramenti sive ex bono fidelium deducta, qua sufficienter compensaretur detrimentum

non iterati sacramenti et iustificaretur ecclesiastica lex prohibens iterationem, ut mox ostendetur.

Tertio adversarii tres proponunt positivas rationes, ex parte ipsius sacramenti praecipue petitas, quibus dicunt sufficienter eam Ecclesiae praxim et legem iustificari. *Prima* petitur ex maiori *reverentia sacramenti* apud fideles fovenda, ex qua ceteroquin indirecte procuratur etiam maius bonum suscipientis seu maior fructus sacramenti; nam si infirmus scit Extremam Unctionem nonnisi semel in eodem periculo sibi concedi, maiorem inde concipit reverentiam atque aestimationem sacramenti et cum maiori devotione ad illud accedit, ac inde maiorem etiam percipit fructum, cum a dispositione subiecti dependeat efficacitas huius praecipue sacramenti, quod speciali quodam modo in "oratione" consistit vel indoli orationis attemperatur. Ob similes causas Ecclesia prohibet ne pluries in die ab eodem missa celebretur aut communio suscipiatur. *Secunda ratio* petitur ex necessitate tuendi *validitatem sacramenti;* cum enim multi theologi defendant invaliditatem Extremae Unctionis iteratae in eodem mortis periculo, Ecclesia potuit hanc iterationem prohibere ne sacramentum probabili nullitati exponeretur. *Tertia* ratio deducitur ex *abusibus* qui possunt occurrere in collatione huius sacramenti, ut repugnantia illud suscipiendi ex parte fidelium et avaritia multorum sacerdotum qui in medio aevo enorme pretium pro administratione sacramenti exigebant.[37]

Attamen, prima ratio prorsus insufficiens videtur, si attendatur supra exposita maxima sacramenti utilitas, nec invocata comparatio cum vetita bina celebratione aut communione ullatenus tenet ob disparatas prorsus conditiones subiecti Extremae Unctionis. Si ea ratio quidquam in re nostra valeret, a fortiori commendaret iansenisticam praxim, ab Ecclesia severe reprobatam, arcendi fideles a frequenti usu sacramenti Eucharistiae. Nec *secunda ratio* melior dici potest; nam non apparet quomodo Ecclesia, fidelis sacramentorum in bonum fidelium dispensatrix, potuerit ex vano quodam timore iterationem tam utilis sacramenti ne quidem sub conditione permittere, sed potius diu ac districte prohibere, cum aliunde plura suppetant exempla sacramenti conditionaliter administrati. Pariter *tertia ratio* inepta est, tum qua parte suggerit Ecclesiam convenienter occurrere abusui sacramenti supprimendo ipsum usum, tum qua parte ex abusibus unius aetatis explicare contendit tam constantem ac districtam prohibitionem reiterandi sacramentum.

"Hanc rationem invocat *Kern (ibid.* 341; cf. 282-287) ad explicandum quomodo potuerit, favente auctoritate ecclesiastica, tam cito evanescere praxis iterandi sacramentum in eodem periculo mortis, quam ipse sustinet late invaluisse saec. 9-12; camque repetit unus vel alter, ut *Slater.*

SECUNDA RATIO deducitur ex ipsa indole, sacramenti, seu ex eius fine et effectu.

Hoc enim sacramentum ordinatur ad subveniendum, tam spiritualiter quam corporaliter, homini infirmo in periculo mortis constituto. Ex quo tria logice sequuntur:

Primo, quod possit iterari saltem in diversa infirmitate. Nam, cessante infirmitate, cessat ex parte subiecti conditio sub qua sacramentum suscipere potest et pariter ex parte ipsius sacramenti cessat finis et ratio causalitatis, quae fini attemperatur: et consequenter, iterata infirmitate, tam corporali quam spirituali, iteratur ex parte subiecti conditio susceptionis et ex parte sacramenti conditio finis et causalitatis ipsius.

Et haec est fundamentalis ratio, quam communiter assignant doctores inde a medio aevo cum S. Thoma, dicentes hoc sacramentum ideo repeti posse quia non habet, sicut Baptismus, Confirmatio et Ordo, *effectum perpetuum.* Ad rem S. *Thomas:* "Nullum sacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari, quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum, et sic fieret iniuria illi sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis et mentis, quae sunt effectus huius sacramenti, possunt amitti postquam fuerint per sacramentum effecta, ideo hoc sacramentum sine sui inuria potest iterari" *(Suppi,,* q. 33, a. 1).

Ad cuius rationis evidentiam et ad praecavendas sive ambiguitates sive *obiectiones,* haec nota:

1. Ratio iterabilitatis Extremae Unctionis non est tantum quia iteratur infirmitas corporalis, sed etiam quia iteratur simul infirmitas spiritualis seu reliquiae peccati ex novis culpis, ita ut si contingeret aliquem interim nullum peccatum committere (ob extraordinarium nempe donum perfectae confirmationis in gratia), sacramentum iterum ab eo suscipi non posset, etiam in iterata infirmitate. Oportet igitur utramque rationem, novae infirmitatis corporalis et novae infirmitatis spiritualis, copulare in unam indivisibilem rationem effectus non perpetui; cum enim effectus Extremae Unctionis sit subvenire homini in copulata infirmitate, est eo ipso non perpetuus, adeoque iterabilis, quemadmodum ipsa copulata infirmitas amitti ac redire potest.

Unde non valet *obiccrc* sacramentum in prima collatione contulisse totalem suum effectum, ac ideo non posse iterari; nam, redeunte spirituali infirmitate una cum corporali, consurgit iterum finis sacramenti. Praeterea inepte *obicerctur* Extremam Unctionem, ut constat ex ipso nomine, esse ultimum remedium adeoque repeti non posse,

cum post ultimum nihil sit; nam, ratio illius nominis est quia hoc sacramentum datur homini qui est in periculo mortis, qui nempe secundum communem hominum aestimationem est in extremis *(Suppi.,* q. 33, a. 1, ad 2).

2. Ratio iterabilitatis huius sacramenti non est proxime et immediate ipsa absentia characteris, sed generalius et indeterminate absentia effectus perpetui, quemadmodum proxima ratio initerabilitatis ipsius Baptismi non est praesentia characteris sed generalior ratio effectus perpetui, a qua ipsa impressio characteris dependet; ac propterea, si contingit aliquod sacramentum esse pro protracto aliquo tempore seu conditione initerabile (ut Matrimonium et, ut infra ostendetur, ipsam Extremam Unctionem), non sequitur per ipsum imprimi temporaneum aliquem characterem.

Propterea S. Thomas in corpore citati articuli affert solam rationem effectus non perpetui, nec nisi in resp. 1 (de qua mox) recolit absentiam characteris eo fine ut excludat effectum huius sacramenti esse aliquam hominis consecrationem sicut est effectus Baptismi. Confirmationis et Ordinis. Iam *Bonaventura* subtiliter notabat: "Generalis ratio quare sacramentum non debet iterari, est. quia effectus eius est perpetuus, qui non iteratur. Unde characteris impressio non est generalis ratio, sed potius effectus perpetuatio. Unde ex quo panis semel consecratus est, non debet amplius consecrari, quamvis non imprimatur ibi character; et similiter oleum benedictum non debet amplius benedici sive consecratum non amplius consecrari."[38]

3. Effectus Extremae Unctionis qui hic formaliter consideratur, ac dicitur non perpetuus, non est tantum res-et-sacramentum nec tantum res-tantum, sed modo generali et complexivo id quod per sacramentum producitur et ad quod sacramentum specifice ordinatur (in quo quidem includitur secundarie res-et-sacramentum. principaliter vero res-tantum, et in hac principaliter sanitas spiritualis et secundario sanitas corporalis).

Ceterum, ut constat ex dictis in art. 21 (p. 261 sqq.), res-et-sacramentum Extremae Unctionis est aliquid satis indefinitum et indeterminatum, in cuius explicatione non parum insudant theologi, quibusdam etiam illius existentiam negantibus vel in dubium revocantibus; unde satis incerte quis procederet si iterabilitatem sacramenti vellet directe concludere ex non perpetuitate rei-et-sacramenti, nec proinde consentimus *Kcrn* scribenti: "In quaestione nostra mea quidem opinione nihil potest ratione theologica cum fundamento statui, nisi supponatur doctrina S. Thomae aliorumque magnorum Scholae doctorum de 're

[38] *Op. cil.* (supra, in p. 32S) 591.

et sacramento.’” [1] Potius vicissim, ex stabilita relativa initerabilitate sacramenti, solidius arguitur ad existentiam rei-et-sacramenti, ut fecimus in eodem art. 21 (p. 271).

4. Effectus huius sacramenti consistit in sanatione subiecti, non vero in eius consecratione seu deputatione ad divinum cultum, sicut effectus Baptismi, Confirmationis et Ordinis in quibus propterea imprimitur character tanquam signum consecrationis. Omne quippe sacramentum sacrat seu sanctificat, sed non omne sacramentum consecrat seu deputat.

Inde falsitatis arguitur ea ratio seu *obiectio,* qua movebantur *Goffridus Vindocensis* et *Ivo Carnotensis* (cf. supra, p. 318 sq.), quod scilicet Extrema Unctio nequit iterari tum quia est sacramentum, et omne sacramentum importat initerabilem consecrationem, tum quia est unctio, et nulla unctio iteratur in Ecclesia, utpote consecrativa. Est tamen aliquo sensu verum quod omne sacramentum est iterabile, scilicet non ex parte subiecti sed ex parte ipsius sacramenti, quatenus nequit eadem forma repeti super eandem materiam, nec etiam potest bis sacramentum iterari ad obtinendum eundem individuum effectum (sic enim argueretur inefficacitas sacramenti), et quod Extrema Unctio, sicut ceterae unctiones, repeti nequit, scilicet ex parte suae materiae quae bis consecrari non potest, sicut chrisma Confirmationis aut panis Eucharistiae (cf. *Suppi.,* q. 33, a. 1; *C. Gent.* 4. 73; item dicta supra, p. 320).

Secundo ex eadem ratione sequitur quod Extrema Unctio possit quomodolibet iterari etiam in eadem infirmitate, seu saltem si adsit novum periculum mortis.

Nam conditio, ex parte subiecti requisita ad hoc ut sacramentum valide conferatur, non est ipsa infirmitas qua talis, sed status infirmitatis, ut dicitur, seu periculum mortis. lamvero, stante eadem infirmitate, hic status periculi mortis variare potest seu iterari, ita ut recedat et iterum accedat, et aliunde etiam infirmitas spiritualis (seu reliquiae peccati) interim redire potest per commissionem novorum peccatorum. ita ut simul iterum adsint duae conditiones requisitae ad validam sacramenti administrationem. Ergo in eadem etiam infirmitate. non secus ac in diversa infirmitate et ob eandem rationem. Extrema Unctio valide iterari potest.

Nec huic iterationi obstare posset nisi hypothetica inexistentia novorum peccatorum, ut si quis, ob brevissimum fortasse intervallum inter duo mortis pericula et eximiam eius sanctitatem, nullum prorsus peccatum commiserit, aut si in divina gratia perfecte confirmaretur;

[1] *Op. cit.* (supra, in p. 307) 350.

nam in eo casu finis sacramenti iterum non consurgeret, cum Extrema Unctio non possit bis auferre easdem reliquias peccati nec bis remittere eadem peccata sicut Poenitentia.

Inepte igitur *obiccretur* ratio quam sibi opponit S. Thomas, quia "uni morbo non debetur nisi una medicina" ac ideo in eadem infirmitate non oportet nisi semel spiritualem sacramenti medicinam adhibere; nam cum S. Doctore negatur suppositum, eo quod sacramentum non adhibetur proprie et formaliter ob infirmitatem qua talem, sed ob periculum mortis, quod quidem multiplicari contingit, eadem manente infirmitate.

Tertio ex eadem ratione sequitur quod Extrema Unctio non possit in eodem periculo mortis iterari, et sub hac conditione sit relative initerabilis.

Nam hoc sacramentum ordinatur non quomodolibet ad subveniendum infirmo, sed ad subveniendum ei ut in periculo mortis constituto; uni autem periculo unum correspondet sacramentum, et, quousque idem periculum manet, subsistit quoque ordinatio eiusdem sacramenti ad illud, quatenus semel administratum sacramentum sufficit ad subveniendum homini in toto illo periculo et eius *iteratio argueret insufficientiam efficacitatis eius.* Aliis verbis, hic iterum instaurari potest idem argumentum a S. Thoma allatum pro ipsa iterabilitate Extremae Unctionis ex non perpetuitate effectus, sed inverso modo, scilicet ex relativa perpetuitate eiusdem secundum durationem eiusdem periculi mortis; sicut nempe hoc sacramentum est absolute iterabile quia habet effectum absolute non perpetuum, ita etiam est relative initerabile quia idem effectus est relative perpetuus, quatenus confertur ad subveniendum homini pro tota duratione periculi mortis.

Idque confirmatur cum eodem S. Doctore a paritate cum Matrimonio, quod ideo, vivente altero coniuge, iterari non potest quia ordinatur ad subveniendum christiano pro toto illo statu et tempore quo manet alteri sub constituto vinculo coniunctus, ita ut eius effectus, quamvis absolute non perpetuus ob possibilem vinculi solutionem per mortem alterius coniugis, sit tamen relative perpetuus pro vinculatae vitae duratione. Ad rem S. *Thomas:* "Hoc [quod dicitur: Qui iterat sacramentum, facit iniuriam sacramento] intelligitur de sacramento quod inducit perpetuum effectum; tunc enim si iteratur sacramentum, datur intelligi quod primum non fuit efficax, et sic fit primo iniuria. sicut patet in omnibus sacramentis quae imprimunt characterem. Sed illa sacramenta quae habent effectum non perpetuum, possunt iterari sine iniuria sacramenti sicut patet de poenitentia. Et quia vinculum matrimoniale tollitur per mortem, nulla fit iniuria sacramento si mulier post mortem viri iterato nubat" *{Suppi.,* q. 63, a. 2, ad 1).

Ad cuius argumenti evidentiam et ad praecavendas sive ambiguitates sive *obiectioncs,* iterum haec nota:

1. Hoc argumentum non procedit ex sola ratione effectus veluti materialiter et divisive considerata, nam principalis ipse effectus Extremae Unctionis, seu abstersio reliquiarum peccati, non necessario durat toto tempore periculi mortis, cum possit amitti per commissionem novorum peccatorum; secundarius autem effectus seu res-et-sacramentum, ut supra notatum est, est aliquid non satis determinatum nec satis certum apud theologos ut in eo possimus solidam rationem pro initerabilitate sacramenti fundare, eo vel magis quod, prout saltem a quibusdam theologis concipitur (puta ut merus titulus auxiliorum actualium), non evidenter constat ipsum consistere in indivisibili, sicut characterem, et non posse augeri per iterationem sacramenti. Argumentum igitur procedit ex ratione effectus formaliter et copulative considerati, seu ex effectu ut in subiecto in periculo mortis constituto (non enim sacramentum ordinatur mere ad subveniendum infirmo, puta ad auferendas ab eo reliquias peccati, sed ad sic subveniendum infirmo in periculo mortis), ita ut haec ratio consurgat ex copulata ratione tum indolis effectus tum conditionis subiecti.

Atque exinde patet discrimen sive Extremae Unctionis sive Matrimonii a ceteris quinque sacramentis; nam illa duo respiciunt non solum effectum sed etiam subiectum, seu ordinantur ad effectum producendum non simpliciter sed ut in tali subiecto in peculiari statu constituto, cetera vero respiciunt simpliciter ac divisive ipsum effectum, vel, si placet, respiciunt quidem effectum et subiectum (nam omne sacramentum ordinatur ad producendum spiritualem effectum in subiecto), sed independenter a peculiari statu seu conditione subiecti.

Ratio autem quare Baptismus. Confirmatio et Ordo, sint nihilominus initerabilia (et quidem absolute talia), secus ac Poenitentia et Eucharistia, est eadem fundamentalis ratio perpetuitatis effectus, sed haec perpetuitas in effectu provenit non tam ex copulata quadam peculiari subiecti conditione, sed directe ex ipso effectu prout est quaedam subiecti consecratio, seu ad divinum cultum deputatio, quae in divinis est perpetua, sicut etiam in humana societate deputatio civis, militis et ducis, quantum est de se, perpetua reputatur. Ex quo iterum patet discrimen Extremae Unctionis et Matrimonii a ceteris sacramentis, quatenus medio modo se habent inter Baptismum, Confirmationem et Ordinem, ex una parte, quae sunt absolute initerabilia ratione ipsius effectus simpliciter considerati, et Eucharistiam atque Poenitentiam, ex alia parte, quae nec ratione effectus nec ratione subiecti initerabilitatem petunt.

Inde ruit *objectio* seu ratio quam adversarii, nominatim *Kern* * assumunt pro contraria sua opinione, quia scilicet effectus Extremae Unctionis nequit dici relative perpetuus pro duratione eiusdem periculi mortis eo quod reliquiae peccati (quomodolibet tandem intelligantur) possint in eodem periculo iterari ex commissione novorum peccatorum ac ideo indigeant removeri per iterationem sacramenti et per collationem gratiae sacramentalis quae ceteroquin est evidenter capax augmenti. Attendit enim haec objectio ad solam rationem effectus, materialiter et divisive, nec eam considerat, ut oportet, formaliter et copulative cum conditione subiecti, cui effectus vinculatur et pro qua datur; non enim sacramentum quomodolibet ordinatur ad subveniendum infirmo per remotionem reliquiarum peccati, sed ad sic ei subveniendum in tali periculo mortis, ita ut iterabilitas sacramenti in eodem periculo argueret insufficientiam efficacitatis eius relate ad illud periculum. Unde cum additur ab obiciente gratiam sacramentalem esse capacem augmenti,41 affertur nova ratio quae nonnisi fucatam parit evidentiam; nam id verum est abstracte tantum et absolute, seu considerata gratia in seipsa, non vero in concreto prout gratia confertur per hoc vel illud sacramentum; ita ipsa gratia initerabilis sacramenti Ordinis est absolute loquendo capax augmenti sed non prout de facto datur per hoc sacramentum quod numquam iterari potest, et similiter gratia Extremae Unctionis non est capax augmenti prout datur homini infirmo in hoc periculo mortis, cum detur ad plene audiuvandum infirmum in eo periculo, sed. secus ac gratia Ordinis, potest augeri vel potius iterari, et cum eadem quidem plenitudine, in diverso periculo mortis.

2. In hoc argumento iterum consideratur effectus Extremae Unctionis modo tantum indeterminato ac complexivo (i.e. non distinguendo inter rem-et-sacramentum et rem-tantum), nec indigenius directa consideratione ipsius rei-et-sacramenti, eo vel magis quod de huius existentia et indole non parum disputent theologi, ut iam supra notatum est (p. 351).

Unde inaniter *Kern* urget considerationem rei-et-sacramenti tanquam aliquid necessarium ac capitale in tota hac quaestione (cf. *ibid.)* et inaniter patroni utriusque sententiae iterabilitatem vel

* *Op. cit.* (supra, in p. 307) 351 sq., 362.

"Quaerit enim insistenter *Kern:* “Quaestio . . . est. . . : Potestne confortatio spiritualis ex opere operato crescere? Si respondeatur affirmando, Extrema Unctio valide in eodem mortis periculo iteratur. . . Tota . . . quaestio ... ad hanc reducitur: Potestne confortatio sacramento collata crescere? Affirmative respondendum esse, evidens est; nam confortatio secundum se utpote consistens in actibus fiduciae, spei, amoris divini, laetitiae spiritualis . . , nullis limitibus circumscribitur” *(ibid.* 351 sq.).

initerabilitatem sacramenti in eodem mortis periculo conantur immediate deducere ex iterabilitate vel initerabilitate rei-et-sacramenti quod dicunt consistere in iure ad auxilia gratiae, aliis (ut Kern) arguentibus quod tale ius potest augeri ac ideo sacramentum iterari/2 aliis (ut Billot, Straub, Van Noort, Spâcil) dicentibus tale ius augeri non posse (cum detur semel pro toto periculo mortis) nec ideo sacramentum iterari.43 Nam abstrahendo a falsa illa assignatione rei-et-sacramenti (quod in art. 21, p. 271-275, diximus consistere in solo interiori quodam animi solatio, disponente ad spiritualem alleviationem gratiae sacramentalis), adhuc illis doctoribus assignanda manet ratio cur res-et-sacramentum, quomodolibet intelligatur, sit iterabile vel initerabile, cumque ea non possit assignari ex ipsa natura illius rei-et-sacramenti (sicut initerabilitas seu indelebilitas characteris deducitur ex ipsa istius indole), necessario recurrendum erit ad supradictam indeterminatam rationem effectus Extremae Unctionis, prout nempe consistit in adiutorio infirmi in periculo mortis.

Ceterum non negamus quod, semel admissa in Extrema Unctione *existentia rei-et-sacramenti,* seu effectus inseparabilis a sacramento valido, et simul probata, ex eadem supradicta ratione, eius permanentia in tota duratione periculi mortis, amplius adhuc confirmatur initerabilitas sacramenti in eodem periculo ac plenius intelligitur quare etiam in casu quo fuerit validum et informe, sacramentum iterari

"*Kern:* "In Extrema Unctione res et sacramentum consistit in titulo sive iure remoto ad confortationem spiritualem et alia auxilia cum illa coniuncta; quod ius in subiecto oritur ex efficaci eius repositione in manu misericordiae divinae. Quaeritur ergo: Potestne ius ad confortationem spiritualem augeri? Cum ius dicat essentialem relationem ad suum obiectum, quaestio eadem est ac: Potestne confortatio spiritualis ex opere operato crescere? Si respondeatur affirmando, Extrema Unctio valide in eodem mortis periculo iteratur; si negando respondeatur, quaevis iteratio manente efficacia primae collationis declaratur irrita. Jam vero non videtur posse negari, dictum ius capax esse augmenti ex opere operato. Etiam in sacramentis characterem imprimentibus et in Matrimonio confertur ius ad auxilia gratiae, quae requiruntur ad obligationes susceptas bene explendas. In presbyteratu e. gr. confertur ius ad auxilia supernaturalia, quae requiruntur, ut presbyter bene valeat obire functiones sacerdotales. Verum hoc ius non est secundum se res et sacramentum, sed in re et sacramento, in potestate sacra per characterem obsignata includitur; ideoque tam parum ex opere operato potest intendi quam ipsa potestas Ordinis presbyteralis. Eodem modo dicendum de Baptismo, de Confirmatione et mutatis mutandis de Matrimonio. Cum vero ius ad confortationem ipsum sit res et sacramentum Extremae Unctionis, et ius essentialem dicat relationem ad suum obiectum, sequitur, ius ad confortationem posse augeri, si ipsa confortatio capax sit incrementi" *(loc. cit.).*

Billot: "In eodem periculo mortis sacramentum hoc reviviscere quidem potest, iterari vero non potest. . . Repugnat enim repeti sacramentum, quando proximus ejus effectus iam exsistit, qui nec augeri potest nec numero multiplicari, sicut alias dictum est de sacramentis characterem imprimentibus" *(De Ecclesiae sacramentis* II [ed. 7, Romae 1930] 261). *Spatii:* "Melius . . . argumentum sic proponitur: Immediatus effectus sacramenti unctionis est, ut aegroto detur ius (per 'rem et sacramentum') ad gratiam omniaque auxilia salutaria pro indigentiis et contra pericula gravis infirmitatis necessaria. Quod ius tamdiu manet quamdiu status gravis aegritudinis perdurat" *(op. cit.* [supra, in p. 298] 2S1).

non possit, nam in eo casu existentia rei-et-sacramenti, eaque sola, fundat reviviscentiam informis sacramenti, ita ut subiectum amissa gratia non defraudetur ratione ipsius initerabilitatis sacramenti, quae quidem defraudatio necessario contingeret si negatur existentia rei-et-sacramenti et consequens sacramenti reviviscentia (cf. dicta in art. 20, p. 256-259, et art. 21, p. 270 sq.).

Et in hoc ampliori sensu confirmativo, admitti etiam potest argumentum quod quidam deducunt ex ipsa *reviviscentia huius sacramenti,* quia nempe hoc sacramentum reviviscere potest toto tempore quo durat periculum mortis adeoque est eo toto tempore initerabile; ratio est quia haec reviviscentia fundatur in permanentia rei-et-sacramenti in toto illo tempore et quandiu manet res-et-sacramentum nequit ipsum sacramentum iterari. Sed iterum hoc argumentum, ut quid probet, reduci tandem debet ad principale illud quod supra proposuimus. Nam adversarii cum Kern quaerere adhuc possunt quare, permanente re-et-sacramento, sacramentum iterari non possit ad augendum praecise ipsum rem-et-sacramentum quod concipiunt ut augmentabilem titulum ad gratias alleviativas; cumque ratio afferri nequeat ex ipsa indole hujus rei-et-sacramenti (ut contingit de charactere sacramentali), oportet necessario ac ultimo recurrere ad primam rationem nuper allatam, quia scilicet hoc sacramentum suum totum effectum, indeterminate et complexive acceptum, non quomodolibet homini confert, sed cum essentiali referentia ad periculum mortis, ita ut sit sufficiens ac plenum auxilium pro tota duratione illius periculi.

NOTA. DE PRAXI LICITAE ITERATIONIS.[44]

Tria quaeri possunt, quae a theologis moralibus cum maiori vel minori concordia et probabilitate determinantur: 1. Quomodo novum periculum aestimandum sit, seu quandonam censeatur novum periculum adesse; 2. Quomodo in novo periculo sacramentum iterandum sit, seu utrum absolute an conditionate; 3. An sit obligatio iterandi sacramentum in novo periculo.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM de modo aestimandi existentiam novi periculi, tria simul copulata iudicii elementa attendenda sunt, quae moralem certitudinem vel saltem sufficientem probabilitatem iterati periculi praebere possunt:[45]

[M] Inter opera initio articuli relata (p. 287) confer peculiariter Noldin-Schmitt, p. 460sq.; A. D. S., p. 18 sq.; Kilker, p. 191-202; Mannaert, p. 7-13; Kiselstein, p. 118-122; Goucnard, p. 78-81; Cappello, p. 203-206, 222; Coronata, p. 603-607; Verhamme, p. 462 sq.

"Quidam auctores, ut Kilker *(ibid.* 192 sq.) et Cappello *(ibid.* 205 sq.), ponunt hic quaestionem: Utrum possit iterari sacramentum si infirmus, iam inunctus in proximo

Primum elementum est indicium peritorum seu medicorum, necnon ipsa *communis et vulgaris aestimatio.* Patet autem hanc communem aestimationem in condictu cedere debere rei veritati et ipsi iudicio medicorum nec posse fundare sacramentalem existentiam novi periculi ubi, physice loquendo vel ex asseveranti peritorum iudicio, novum periculum non adsit. Unde exaggerare videtur *Génicot-Salsmans* (quem sequuntur *Piscetta-Gcnnaro* et *Coronata)* scribens: "Si vere longum tempus, puta annus, effluxit, periculum quamvis verius physice iugiter permansisse dicendum sit, moraliter tamen ex aestimatione communi aliud censetur" (n. 423; cf. *Casus Conse.,* cas. 889).

Secundum elementum est indoles morbi. Nam quidam morbi (ut pneumonitis, morbi cardiaci, cholera, partus periculosus) facilius admittunt iterationem periculi mortis intra breve tempus, ita ut brevis infirmi alleviatio (puta per paucos dies vel forte etiam per paucas horas) censeatur aequivalere convalescentiae, et subsequens mortalis aggravatio censeatur novum periculum. Ad rem *Coronata:* "Casus certi periculi evasi et novi periculi esset, e.g., casus morbi *pneumonitis,* in quo morbo facile accidere solet ut primo periculo superato, si infirmus reincidentiam in morbum habeat, alterum et quidem maioris momenti periculum exsurgit. Quod accidere potest etiam in brevi spatio duorum aut trium dierum; et si accidat, Extrema Unctio iterari poterit. Casus certior et facilis occursus quo in eodem morbo pericula multiplicantur sunt casus infirmi *hydropisi* laborantis; in hoc enim morbo pericula multiplicari facile possunt. Idem dic de phthisi seu tubercolosi aut de morbis cardiacis."[5] Immo in certis morbis periculum mortis intra certas eiusdem diei horas iterari poterit ut e.g. in morbo cholera."[47]

Tertium elementum est tempus quo durat alleviatio a morbo, vel quo durat ipse morbus seu periculum mortis. Quae quidem distinctio est probe attendenda quoad hoc temporis elementum.

periculo mortis, allcviatur per aliquod tempus ita ut sit in periculo tantum remoto, ac subinde iterum incidit in periculum proximum. Afferunt autem pro affirmativa Bonaventuram, Laymann, De Augustinis, Prümmcr, O'Kanc, et ipsi rem resolvunt pro negativa, supposito, aiunt, quod illud remotum periculum maneat in se grave. Attamen haec quaestio hic extra locum ponitur ct inservit tantum ad augendam confusionem, cui ipse Kern *(op. cit.* [supra, in p. 307] 336-338) ansam praebet ex modo quo ponit praesentem quaestionem de initerabilitate sacramenti in eodem mortis periculo. Praefata illa quaestio tota pendet a quaestione, in art. 31 agitanda, *de modo quo sit intelligendum periculum mortis, in quo possit sacramentum conferri in ipsa prima eius administratione.* Si enim exigatur periculum proximum, ut quidam ex profatis doctoribus intelligere videntur, tunc clarum est in praefato casu posse iterari sacramentum, cum sit iteratum illud periculum mortis; si vero dicatur sufficiens omne verum seu grave periculum mortis, etsi non proximum, tunc pariter clarum est sacramentum in eo casu iterari non posse Unde nullum habetur discrimen inter utramque responsionem quod attinet ad ipsam quaestionem de non iterando sacramento in eodem periculo mortis.

* Cf. etiam Benedictum XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 8, n. 4.

*' *Institutiones turis canonici, De sacramentis* I (Taurini 1943) 604. Cf. Noldin-ScnMtTT. *loc. cit.;* Cappello, *op. cit.* 204.

Quandiu durare debeat *alleviatio a primo periculo,* in quo collatum est sacramentum, ut nova morbi aggravatio censeatur esse non mera protractio eiusdem periculi sed novum prorsus periculum, nequit modo generali assignari, cum id multum pendeat ab indole morbi et a conditionibus subiecti.

Theologi varias attentant determinationes quae gencratim practicum aliquem ac probabilem valorem habent, sed simpliciter valere non possunt. Quidam, ut monachi Hirsaugenses, relati a Benedicto XIV (cf. supra, p. 331), exigebant durationem *trium annorum;* quod quidem manifeste exaggeratum est. Plures olim doctores necnon particularium ecclesiarum statuta et manualia (supra relata, p. 330 sq.) exigebant durationem *unius saltem anni,* cuius pariter exaggeratae regulae physicam aliquam, sed satis ineptam explicationem, attentavit Albertus M. (cf. supra, p. 326 sq.). Quidam sobrius ac generalius requirebant *notabile aliquod temporis intervallum* (Manuale Camera-cense, cit. in p. 330: "Intervallum aliquanti temporis," Manuale Salisburgense, cit. in p. 330: "Post dierum aliquot intervalla," Suarez: "Aliqua diuturna mora"[48]); alii exigebant *plures menses* (Manuale Rhemense, supra p. 330); alii assignant *unum mensem* (Trullenchi, Bonacina, Viva, S. Alphonsus, D'Annibale, Lehmkuhl, Génicot-Salsmans,[40] O'Kane, Aertnys-Damen); alii tandem moderni-ores requirunt *unam hebdomadam vel aliquot dies* (puta quatuor vel quinque), saltem generatim et nisi natura morbi longius aut brevius tempus suggeret (Noldin-Schmitt, Telch. Gougnard. Prümmer. Cappello, Regatillo).

Ceterum plures, sive inter antiquiores (Estius. Hurtado) sive ac praecipue inter modernos (Gihr, Kern. Toner. Cappello), explicite notant temporis considerationem non esse per se necessariam, seu nullum certum temporis intervallum necessario requiri:"[0] ex quo sequitur pro aliquorum morborum natura posse sufficere intervallum etiam paucorum dierum, imo *et paucarum horarum,* idque explicite

"Eximius doctor apte scribit: "Constat necessarium esse status illos aegritudinis per aliquam diuturnam moram interrumpi, ita ut secundum communem existimationem diversi censeantur. Frivolum autem est unius anni interruptionem postulare [iuxta explicationem Alberti M.J. . . Alii unius mensis tempus assignant, voluntario magis arbitrio, quam certa ratione" (Disp. 40, sect. 4, n. 7).

""Necesse est ut saltem probabiliter iudicari possit infirmum c mortis periculo exiisse, puta si per notabile tempus, puta per mensem, non autem tantum per quatuor vel quinque dies, melius habuerit [Se refert ad S. Alphonsum. n. 7151" (n. 423).

'"*Kern:* "Multi auctores postulant, ut infirmus per longius tempus, e. gr. per mensem melius se habuerit. Verum tale spatium certe non exigitur per naturam sacramenti. Nam et hic valet illud s. Bonaventurae: 'Absurdum valde videtur, sacramenta regulari secundum motum astrorum'. Unde longius intervallum inter duplex discrimen vitae solum ideo cum ratione potest exigi, ut sacerdos tuto sibi valeat formare iudicium, infirmum vere fuisse extra periculum. Ad hoc autem non semper requiri integrum mensem, quo aegrotus melius se habuerit, clarum esse videtur" *{op. cit.* [supra, in p. 3071 336).

notant aliqui doctores, ut Cappello et Coronata. Solent tamen moderni tanquam generalem et practicam regulam, non quidem exclusivam sed positivam, hanc assignare: Periculum mortis cessasse censetur si infirmus per aliquod notabile tempus, seu per mensem vel etiam per hebdomadam, melius se habuerit, ac proinde nova morbi aggravate censetur esse novum ac distinctum periculum (ita fere ad verbum Cappello et Coronata).[81]

Difficilius autem resolvitur alterum punctum in hac quaestione de influxu temporis scilicet an et quomodo *ipsa duratio morbi seu periculi mortis* possit esse ratio quare periculum ipsum iteretur vel iteratum censeatur, ita nempe quod idem physicum mortis periculum veluti moraliter ac sacramentaliter scindatur atque aequivaleat duobus periculis, distinctis per intervallum alicuius aequivalentis remissionis morbi seu convalescentiae.

Supponitur hic, casus infirmi qui diu perseveret in mortis periculo, seu in eadem gravi conditione in qua sacramentum suscipi potest et ab eo infirmo de facto susceptum est. Omnes quidem doctores dicunt, et iuxta Codicem dicere debent, quod si revera idem omnino mortis periculum durat (per quot dies, menses vel annos, non refert), sacramentum iterari non potest. Quidam tamen, tres afferunt peculiares explicationes vel casus in quibus idem periculum possit moraliter ac sacramentaliter considerari ut duplex, ac proinde sacramentum saltem probabiliter et sub conditione iterari.

Quidam pauci, ut *Génicot-Salsmans* (supra cit., p. 358) *Piscetta-Gennaro* (n. 1030) et *Coronata* (n. 553), dicunt quod si periculum mortis durat per longum tempus, puta per plures annos, vel per annum vel per plures menses, sacramentum iterari potest, quia quamvis physice (seu physiologice aut pathologice) maneat unicum atque idem periculum, tamen moraliter et iuxta communem aestimationem, quae in hac re potiusquam medicorum iudicium sequenda est, censetur post tam longum tempus haberi novum periculum. Attamen, haec opinio, prout sonat, non videtur satis solida; nam, quamvis communis aestimatio esse queat unum ex elementis quibus quis possit sibi efformare iudicium de mutatione status infirmi et de physica realitate novi periculi, nequit tamen hanc ipsam realitatem substituere; secus dici etiam posset ipsam primam administrationem sacramenti esse validam etiam in periculo mortis mere putativo. Ceterum, praedicta communis aestimatio gratis affirmari videtur; nam potius de praedicto

[81] "Quoad hanc quaestionem de tempore confer J. McCarthy, "The Principal Effect of Extreme Unction. Repetition of the Sacrament," *The Irish Ecclesiastical Record* 75 (1951) 252-254.

infirmo dici solet quod per tot annos vel menses decubuit in continuo periculo mortis.

Alii, ut *O'Kanc l* quem refert nec reprobat *Kilkcr,* videntur docere quod ipsa diuturna permanentia periculi mortis (puta per annum unum, vel etiam per unum mensem, imo per unam hebdomadam, iuxta indolem infirmitatis) potest esse sufficiens vel probabile signum quod reapse, etsi non apparenter, status infirmi sit mutatus et aliud periculum mortis advenerit, eo quod in quibusdam gravibus infirmitatibus difficile concipi possit quod infirmus diu aequaliter perseveret, sed aut moritur aut aliquatenus alleviatur et iterum in periculum incidit. In quo casu potest sacramentum sub conditione iterari.[53] Haec opinio melior est quia supponit periculum mortis, apparenter quidem unum, reapse ac physice esse multiplicatum. Attamen minus practica videtur; nam ex una parte supponit aliquam infirmitatem quae non possit satis diu durare, cum tamen duratio infirmitatum, etiam gravissimarum, multum pendeat a physicis conditionibus subiecti, et ex alia parte vix concipi potest haberi veram interruptionem primi periculi, seu veram alleviationem et evasionem a periculo mortis, absque ullo sufficienti signo exteriori ita ut infirmus videatur in eodem periculo aequaliter perseverare. Potest tamen concipi huiusmodi rarior casus, ut si quis in ipso fere momento quo aegreditur a gravi statu pneumonitis, qui paucis tantum diebus durare solet, illico nova causa afficiatur (vulgo "complicatione") qua in eundem statum reducatur, quin tempus habuerit sufficientia signa pristinae meliorationis ostendere, ac in eo statu longius (puta per mensem) perseveret quam illa infirmitas patiatur.

Alii, ut *Diana, Dicastillo, Gobat, Elbel-Bierbaum, Kilker, Coronata,* docent, saltem ut probabile, quod si durante periculo mortis superveniat alius morbus, seu alia causa quae a priori morbo revera distinguatur (quae nempe non sit tantum quaedam illius sequela vel prosecutio, ut si infirmus mortaliter vulneretur aut venenum sumpserit) quaeque per se solam sufficeret ad constituendum periculum mortis, habetur saltem virtualiter iteratum mortis periculum, utpote

52*Notes on the Rubrics of the Roman Ritual* (Dublin 1922), n. S7S.

53"IK. *McDonald* (citandus in art. 31, p. 605) diversam explicationem affert, dicens quod in eo casu iterati sacramenti in protracta gravi infirmitate non agitur proprie de iteratione sacramenti sed de prima cius valida collatione, cum ipsa diuturna morbi permanentia ostendat infirmum antea nondum fuisse in proximo periculo mortis ac ideo praecedentem sacramenti administrationem fuisse invalidam. Haec explicatio duo supponit: primo, quod Extrema Unctio non possit valide administrari nisi in proximo periculo mortis, secundo quod infirmus nequeat diu permanere in eo proximo periculo; iamvero primum non est certum, imo rcicitur a quampluribus modernis (ut constabit ex dicendis in eodem art. 31), alterum vero nequit generaliter asseri de omnibus infirmis, etiam nempe de his qui robustiori gaudent organismo ct aptioribus curis subiciuntur.

a duplici causa seu morbo proveniens, ac ideo sacramentum iterari potest/4 Attamen haec opinio merito reicitur ab aliis, ut *P. Dens™ Noldin-Schmitt, A.D.S.* (in Collationibus Brugensibus), *Gougnard, Cappello, Regatillo.* Nam periculum mortis, etsi proveniat ex morbo tanquam ex causa, tamen est in infirmo tanquam in subiecto et. in ordine ad conferendum sacramentum, accipitur ut requisita subiecti conditio. Unde sive periculum proveniat ex una causa sive ex multiplici, dummodo influxus plurium causarum exerceatur eodem tempore, sacramentalis ratio illius conditionis non mutat et periculum mortis manet unum, seu unus status et una mortalis conditio eiusdem subiecti, proveniens ex pluribus causis; nec aliter ceteroquin rem concipit sensus ipse communis et vulgaris aestimatio, nemo enim dicet praefatum infirmum esse in duplici mortis periculo. Inepte autem Kilker provocat ad verba Codicis "In eadem infirmitate"; nam haec nequaquam accipiuntur materialiter, seu pro specifica aliqua infirmitate prout distinguitur ab alia, sed pro statu infirmitatis seu pro infirma conditione in qua subiectum versatur; Codex mere distinguit inter infirmitatem, seu infirmam subiecti conditionem, et discrimen, seu periculum mortis quod in eadem conditione iterari potest.

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM de modo, absoluto vel conditionato, quo sacramentum iterandum sit, responsio generaliter loquendo nullam patitur difficultatem. Nam si novum periculum certe moraliter adest, iteratio debet fieri absolute, si vero existentia novi periculi dubia est (sive ex rationibus intrinsecis, iuxta superius dicta de tribus elementis indicii, sive etiam ex extrinseca ratione dissensus doctorum), sacramentum nonnisi sub conditione iterandum est.

Ceterum casus dubii saepius occurrent qui requirant vel suadeant conditionatam administrationem. Ita, ut maneamus in magis dubiis casibus a doctoribus disputatis: si non per notabile tempus sed tantum per unum vel alterum diem (et a fortiori si per paucas horas) infirmus melius se habuerit; si per longum tempus, puta per annum,

'Ad rem *Kilker:* "The canon docs not forbid a second administration in such a case It uses the phrase *'in eadem infirmitate';* but this is not the case here. Even conceding NoIdin's point (which should be better proven by him) that it is but an increased danger of death, it can rightfully be claimed that there is a new illness. Indeed it seems truer to say that the man is in danger of death from a double source, and not from an intensified cause. Suppose that the first sickness receded, while the second danger still threatened the life of the man. If with Dens and Noldin we hold that no attention is to be given to the sources of danger, but simply to the status of the recipient, in this latter case no repetition can be made. If, however, we realize that the passing of the patient out of danger from that score means the passing of the *radix periculi* which created the condition in him necessary for the first unction, it would seem that a reiteration of the sacrament is wholly permissible. In practice, in regard to the original question, either opinion can be safely followed. Both seem to be endowed with probability, both intrinsic and extrinsic" *(op. cit.* [supra, in p. 297] 202).

" *Theologia Mechliniensis* (Mcchliniae 1865) 60.

infirmus in eadem gravi infirmitate perstiterit; si periculum mortis ex nova ac distincta causa aggravetur.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM de obligatione iterandi sacramentum, seu utrum sacramentum non solum possit sed etiam debeat iterari, plures doctores moderni (ut Noldin-Schmitt, Kilker. Cappello, Coronata) dicunt quod si certum sit adesse novum mortis periculum, sive ex repetita infirmitate sive in eadem infirmitate/' adest obligatio iterum praebendi infirmo sacramentum (quae obligatio est iustitiae in his qui curam habent animarum, secus solius charitatis). si vero existentia novi periculi in eadem infirmitate certa non sit. iterandi obligatio non datur (vel saltem nulla certa ratione probatur, ac ita indirecte negatur, iuxta principium: Lex dubia non obligat) adeoque sacramentum tunc iterari quidem potest, sed non necessario debet.

Tribus supradictis quaestionibus simul inspectis, haec pro praxi brevius dici possunt:

1. Si succedit nova mortalis infirmitas, postquam infirmus inunctus fuerit ac convaluerit, sacramentum iterum administrari potest ac debet.

2. Si in eadem infirmitate idem periculum mortis certe perdurat, sacramentum iterari non potest. Certe autem periculum perdurare censetur quando infirmus ab infirmitatibus chronicis, ut phthisi et hydropisi, alleviatur solummodo per breve tempus, seu per paucas horas aut etiam per unum vel alterum diem.

3. Si in eadem infirmitate certe successit novum mortis periculum. Sacramentum iterari et potest et debet, et quidem non conditionate sed absolute. Certe autem novum periculum successisse censetur cum ita pronuntiat indicium medicorum vel ipsa communis aestimatio: item, cum notabilis alleviatio infirmi (praesertim in morbis qui celeriter lethalem suum effectum producunt, ut pneumonite et morbis cardiacis) perduravit per notabile tempus, seu saltem per mensem (vel etiam per hebdomadam, si agatur de praedictis celerioribus morbis).'7

u Noldin-Schmitt (n. 44S) tamen distinguit inter iteratum periculum, ex repetita infirmitate ct iteratum periculum in eadem infirmitate, ac dicit in illo sacramentum conferri debere, in hoc vero conferri posse. Eandem distinctionem repetunt *Gotignard* ct *Cappello* (n. 309). Sed. ut bene advertit *Kilker,* et recentius McCarthy ("Repetition of Extreme Unction," *The Irish Ecclesiastical Record* 74 (1950] 363-365; "The Principal Effect of Extreme Unction Repetition of the Sacrament," *ibid.* 75 [1951] 247 254), nulla est ratio distinguendi cum in utroque casu infirmus indigeat eodem modo effectu sacramenti, cuius influxus cessat, cessante periculo mortis. Unde ipse etiam Cappello in alio loco (n. 287) contrariam sibi affirmationem profert, dicens in eadem infirmitate, iterato mortis periculo, sacramentum iterari debere. Ceterum ex ipso Codice res dirimi nequit, cum tantum asserat sacramentum, in eadem infirmitate ac mutato periculo, iterari posse, nihil dicens aut innuens de obligatione.

"Gougnard apte scribit: "Omnes certe censebunt periculum cessasse, si infirmus post unctionem frequentaverit ecclesiam et amicorum consortia, si aliquot menses intercesserint. ct interca infirmitas ita relaxata fuerit, ut infirmus ad instar valetudinarii vixerit" *(De Extrema Unctione* [Mcchliniae 1938] 80).

4. Si in eadem infirmitate nonnisi probabiliter habetur novum periculum, sacramentum iterari potest, et quidem sub conditione, non tamen necessario repeti debet, quia in mera probabilitate nequit fundari strictum ac certum ius infirmi ut ei sacramentum administretur.[58] Novum autem periculum probabiliter adesse censetur, si infirmus per aliquot dies (vel, in praedictis celerioribus morbis, per aliquot horas) melius se habuerit, vel si in statu periculi mortis per longum tempus (puta per annum et in celerioribus morbis per mensem) perseveret, vel si periculum mortis aggravetur ex novo morbo qui ex se solo sufficeret ad periculum mortis inducendum.

5. Generatim in omnibus casibus in quibus adest dubium de iterato periculo in eadem infirmitate, sacramentum iterari potest. Licet autem hoc intelligendum sit tantum de dubio positivo, quod proinde aliquam veram probabilitatem iterati periculi importat, ut notat S. *Alphonsus* (n. 715), tamen theologi morales communiter commendant post *Benedictum XIV* non esse nimis scrupulose procedendum in iudicio utrum adsit novum periculum, sed in dubio expedire ut quis in iterationem propendat.Quam commendationem Benedictus XIV (supra cit., p. 295) repetit ex *Van Esperi*™ scribente: “Discat parochus, ab iteratione huius Sacramenti se non debere scrupulose abstinere ob periculum nullitatis Sacramenti; sed dumtaxat, ne in disciplinam jam stabilitam impingat; adeoque si dubium sit, num forsan morbi status

M Unde exaggerare videtur *McCarthy, loc. cit.* (supra, in p. 363), qui docet etiam in eo dubii casu adesse obligationem ministrandi, assumens principium: “What may be done in these circumstances should be done.”

“ Iuxta dicta superius in Conclusione, non putamus opinionem Kern et aliorum de validitate iterati sacramenti in eodem mortis periculo sufficienter habere probabilitatem ut in praxim deduci possit, ad facilius nempe efformandum iudicium de liceitatc iterationis in praedictis casibus dubiis. Ceterum ea opinione non indigent, nec ad eam ullatenus attendere videntur, moralistae moderni in suis indulgentioribus regulis de iterando sacramento in casibus dubiis.

Imo unus vel alter clare significat ad eam opinionem non esse in praxi attendendum; ita *Rcgatillo* (n. 812) docens invaliditatem iterationis sacramenti in eodem periculo esse "practice certam ” Ipse *Toner,* qui sustinet eam opinionem esse solide probabilem, nonnisi caute et ambigue illius deducibilitatcm in praxim suggerit, scribens: “If this view were once generally accepted as the true theoretical solution of the question of repetition, the difficulties and inconsistencies in which current teaching is involved would disappear; while from a practical viewpoint the missionary priest would find himself relieved of what must often prove a burden to his conscience when he comes to apply the somewhat vague and inconsistent rules laid down for his guidance by standard authors. He would feel himself free to follow some safe interpretation of a mere disciplinary law, without worrying in each case as to whether he is exposing a Sacrament to invalidity. For this, practically speaking, is what he is called upon to decide, so long as the common theory is maintained that Extreme Unction cannot validly be repeated during the same danger of death. I am prepared, then, to believe that the average missionary priest will be ready to welcome this opinion if it can be shown to have reason and authority as well as simplicity on its side” (“Repetition of Extreme Unction,” *The Irish Theological Quarterly* 4 [1909] 132).

m Zeger Bernardus van Espcn (+ 1728), canonista lovaniensis, principiis jansenisticis quidem infectus sed in re canonica bene meritus, praecipue edidit *Ius ecclesiasticum universum* quod frequenter allegatur a Benedicto XIV in suo opere *De synodo dioecesana.*

ita fuerit mutatus, ut etiam juxta modernam disciplinam reiterari queat, magis pro reiteratione inclinandum; eo quod haec reiteratio conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini, tum quod per eam novum ipsi infirmo subsidium spirituale sperari possit."[01]

ART. 25. Utrum Hoc Sacramentum Sit Tantum Moraliter Necessarium Ad Salutem (3 p., q. 65, a. 4, c. et ad 3; *Opusculum de articulis fidei et Ecclesiae sacramentis,* § "Quaedam sacramenta"; *Suppi.,* q. 29, a. 3, ad 1 [ex *In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1]; *In 4 Sent.,* dist. 23, Expositio textus Magistri, ad finem; dist. 8, q. 1, a. 2, q. 1, sol. et ad 2. Cf. dist. 7, q. 3, a. 2, q. 1; *Suppi.,* q. 6, a. 5; q. 30, a. 1, ad 1; et alios locos parallelos vel connexos infra relatos (p. 404-409).[02]

STATUS QUAESTIONIS

Tertia Extremae Unctionis proprietas est eius *necessitas,* se habens non ex parte essentiae, sicut unitas et initerabilitas, sed ex parte existentiae, quae quidem hic consideratur non absolute et secundum se (necessitas institutionis) sed relative et ut in hoc subiecto (necessitas susceptionis).

S. *Thomas* in *Commentario super Sententias* (dist. 23) non insti-

*'0p. *cit.* (supra, in p. 288), n. 40, p. 109.

* Albertus Magnus, *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 3, ad 3 ct 4; a. 6, ad 1; dist. 7, a. 1, sol. ct ad 2 et 3; dist. 16, a. 50, q. 3, ad 1 et 2, *Opera omnia* (cd. S.C.A. Borgnet, Parisiis: Vivès 1890-1899) XXX 7, 13; XXIX 150, 648.

Alphonsus Liguori, *Theologia moralis* (ed. L. Gaude, Romae 1909) III 742 sq.; *Homo Apostolicus,* tr. 17, c. 1, n. 12.

Benedictus XIV, *De synodo dioeccsana,* 1. 8, c. 7, n. 4, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1105 sq.

Bonaventura, *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 3, ad 1; dub. 4 (super litteram Magistri), *Opera theologica selecta,* IV: *Liber IV. Sententiarum* (ed. minor, Ad Claras Aquas 1949) 584. 593; *Breviloquium,* pars 6, c. 11, *Tria opuscula ad theologiam spectantia* (ed. 5, Ad Claras Aquas 1938) 240 sq.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 184-192.

Gougnard, A., *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mcchliniae 1938) 69-74.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 363-372.

Kilker, A. J.. *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 265–282.

Lépicier, A. H. M., *Tractatus de sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 77-79.

Lercher, L., *Institutiones theologiae dogmaticae* IV/2.2 (cd. 3 retractata [ab Umbcrg quoad tractatum de Extrema UnctioneJ, Oenipontc 1949) 268-270.

SpAêil, Th., *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 108-111.

Straub, A., *De Ecclesia Christi* (Ocniponte 1912) II 284-286.

Suarez, Disp. 44, sect. 1, n. 1-7, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vives 1866) 863-865.

Tournely, II., *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 4, a. 2, *Praelectiones dogmaticae* (Parisiis 1765) IX 440 sq.

Verhamme, A., "De necessitate extremae unctionis," *Collationes Brugenses* 47 (1951) 65-69.

Weisweiler, H„ "Das Sakramcnt der Letzten Olung in den systematischen Werken der ersten Früscholastik," *Scholastik* 7 (1932) 555 sqq.

tuit specialem quaestionem de necessitate Extremae Unctionis, utpote quae sit minoris momenti ac facilioris solutionis, nec verisimiliter eam instituisset in ipsa *Summa Theologica* si ad hunc locum pervenisset, quemadmodum de necessitate Confirmationis peculiarem articulum non scripsit, utpote sufficienter determinata in generali quaestione de necessitate sacramentorum (3 p., q. 65, a. 4), ubi utrique sacramento moralem tantum necessitatem assignavit. Cum autem moderniores theologi hanc quaestionem circa utrumque sacramentum et praecipue circa Extremam Unctionem, variis distinctionibus variisque opinionibus complexam reddiderint, necessitas nobis incumbit, sicut in tractatu *De Confirmatione* 363 sqq. ita et hic, eam distincte exagitare. Fluctuans pariter dicendi ac distinguendi apud theologos varietas, quae praesentem quaestionem confusiorem reddit, cogit ad communes necessitatis notiones ac distinctiones breviter recolendas, antequam ad ipsius controversiae expositionem ac decisionem accedamus.

Et imprimis, ut dictum est in tractatu *De Confirmatione* 363, distinguendum est inter meram convenientiam et proprie dictam necessitatem (utut moralem tantum, quae importat maximam convenientiam). Aliquid enim dicitur mere conveniens ad aliquem finem si etiam sine ipso, seu ex aliis mediis, finis facile obtineri potest (sic eleemosyna dicitur conveniens ad impetrandam remissionem peccatorum quae etiam impetrari potest per orationem et ieiunium); dicitur vero necessarium si sine ipso, finis obtineri nequit. Necessitas autem duplex est, alia moralis tantum, alia stricta. *Moraliter necessarium* dicitur id sine quo finis non ita facile et convenienter, saltem ut in pluribus, obtinetur (etsi absolute obtineri possit), seu id quod habet peculiarem aliquem influxum in consecutionem finis qui nec in aliis mediis invenitur nec per proprium influxum aliorum mediorum facile et in communiter contingentibus compensari potest (hoc modo omne sacramentum est necessarium eo quod unumquodque sacramentum conferat peculiarem effectum qui nec per alia sacramenta nec extrasacramentaliter, saltem ordinarie, obtineri potest). *Stricta autem necessitas* duplex est: alia mere extrinseca et accidentalis, proveniens nempe *per accidens* ex aliqua connexa causa quae sit necessario ponenda (sic omne quod de se non est necessarium ad finem aliquem, fit per accidens necessarium ad illum si est aliunde requisitum ad ponendum aliud medium quod de se est necessarium ad consecutionem finis), et alia *intrinseca* et essentialis, seu quae competit alicui medio prout comparatur ad finem secundum semetipsum et abstrahendo a sua connexione cum aliis mediis et ab influxu ipsorum.

Haec autem stricta atque intrinseca necessitas iterum duplex est:

alia medii et alia praecepti. *Necessitas medii* habetur quando connexio alicuius medii cum fine est ab ipso inseparabilis, seu quando eius positio est absolute et indispensabiliter requisita ad attingendum finem, ita ut impotentia aut ignorantia non excuset. Quae quidem necessitas iterum duplex est, scilicet necessitas medii *in re* et necessitas medii *in rc vel voto,* prout praedicta connexio cum fine est ipsi medio connaturalis et intrinseca, ita tu sine ipso absolute et simpliciter non possit finis obtineri (sic gratia sanctificans est necessaria ad salutem) vel est tantummodo ab extrinseca institutione inducta, veluti quaedam condicio ad attingendum finem, ita ut sine tali medio finis absolute quidem obtineri non possit, non tamen simpliciter obtineri non possit, nam, cum aliunde coexistât aliud medium de se sufficiens ad attingendum eundem finem, ea extrinseca institutio nequit istius efficaciam supprimere sed potius intelligitur eam alligare ipsi efficaciae medii de novo instituti, ita ut prius medium dicatur influere in voto istius ac pro tanto dicatur esse hoc ipsum in voto (sic Baptismus est necessarius ad salutem, ita ut post eius institutionem contritio non valeat iustificare nisi ex voto Baptismi et sit veluti ipse Baptismus in voto).

Altera vero *necessitas, seu praecepti,* habetur quando connexio alicujus medii cum fine non est ab ipso inseparabilis nec eius positio est absolute et indispensabiliter requisita ad attingendum finem, sed potius ab eius positione excuset impotentia aut ignorantia, ut fert ipsa indoles omnis praecepti. Haec autem necessitas duplex est. iuxta juris fontem ex quo praeceptum seu obligatio descendit, scilicet necessitas *praecepti divini* et necessitas praecepti humani, puta *ecclesiastici.* Prior tandem iterum dividitur in necessitatem praecepti divini *naturalis* et necessitatem praecepti divini *positivi,* ubi vox "naturalis" non accipitur ad exclusionem ordinis supernaturalis quasi agatur necessario de lege naturali, sed in oppositionem ad dictamen positivum, et signat praeceptum fundatum ac deductum ex ipsa rei natura (sive agatur de aliqua re pertinente ad merum ordinem naturalem, sive pertinente ad ipsum ordinem supernaturalem) quin indigeat per positivum seu distinctum actum voluntatis exprimi ac intimari (cf. dicta in tractatu *De Poenitentia* I 494).[63]

[a] Ad rem S. Thomas, *In 4 Sent.,* dist. 17, q. 3, a. 1. q. 2: "Sacramenta sunt quaedam fidei protestationes; unde opportet ea fidei esse proportionata. Fides autem est supra cognitionem rationis naturalis; unde etiam sacramenta sunt supra rationis naturalis dictamina. Et quia jus naturale est quod non opinio genuit, sed innata quaedam vis inseruit, ut Tullius dicit, De invent, rhetor., 36; ideo sacramenta non sunt de jure naturali, sed de jure divino, quod est supernaturalc; et *quandoque etiam naturale dicitur, secundum quod cuilibet rei illud est naturale quod ei a suo Creatore imponitur:* tamen proprie naturalia dicuntur quae ex principiis naturae causantur; supra naturam autem quae ipse Deus sibi reservat, sine naturae ministerio operanda, sive in operationibus miraculorum, sive in revelationibus mysteriorum, sive in institutionibus sacramentorum;

Conspectus dictorum:

Convenientia
Necessitas
moralis
stricta
extrinseca et accidentalis *(per accidens')*
intrinseca et essentialis *(per se)*
medii
in re
in re vel voto
praecepti
divini
naturalis
ordinis naturalis (lex naturalis)
ordinis supematuralis
positivi
humani
ecclesiastici
civilis

Porro ad sensum praesentis quaestionis quod attinet, *omnes theologi in tribus sequentibus concordant:* 1. Extremae Unctionis susceptio non est tantum conveniens, sed etiam proprie necessaria ad salutem. 2. Est saltem moraliter necessaria; quod quidem duplex assertum iam sufficienter probavimus in generali quaestione de necessitate omnium sacramentorum in tractatu *De, sacramentis in genere* 340-342 et amplius quoad ipsam Extremam Unctionem illustrabitur infra in 3 Conci. 3. Per accidens, in quibusdam casibus, potest esse etiam stricte necessaria, supradicta nempe extrinseca et accidentali necessitate. Quod quidem est commune omnibus sacramentis, nominatin'! Confirmationi, Eucharistiae et Poenitentiae, ut ostensum est in propriis tractatibus et infra in Conci. 4 determinabitur quoad ipsam Extremam Unctionem.

Controversa igitur quaestio est an hoc sacramentum sit etiam *per se stricte necessarium,* necessitate vel medii vel saltem praecepti, et quidem vel praecepti divini, positivi nempe aut saltem naturalis, vel praecepti ecclesiastici (directe saltem ac sub gravi obligantis).

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Extremam Unctionem “per se non esse de *necessitate medii* ad salutem,” est *theologice certum,* saltem ex ipsa propositione Codicis

ct sic confessio quae sacramentalcm necessitatem habet, non est de jure naturali, sed divino.”

LC. (Can. 944), id his ipsis verbis asserentis. Hanc notam explicite tradunt plures theologi, ut Gougnard, Hervé (Doctrina catholica), Tanquerey, et ante Codicem De Augustinis, Billuart, Tournely.

An vero Extrema Unctio sit de necessitate praecepti, divini aut saltem ecclesiastici, libere disputatur, nec Codex hanc controversiam ullatenus diremit in ceteris verbis can. 944: "Nemini tamen licet illud negligere" (cf. infra, p. 425-429).

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

Iam apud ipsos mediaevales doctores haec quaestio decisive resoluta invenitur, et quidem in sensu negante strictam huius sacramenti necessitatem, tam medii quam praecepti. Sed quia quidam ex modernis defensoribus huius strictae necessitatis sententiam antiquorum, nominatim S. Thomae, Alberti M. et Bonaventurae, in dubium revocarunt et ad suum ipsum sensum trahere conati sunt, consultius videtur illorum mentem infra in ipsa Conclusione discutere et aperire, atque in praesenti nonnisi explicitam controversiam et opiniones post-tridentinorum theologorum, iuxta supradictam necessitatis divisionem, ordinatim referre.

PRIMA SENTENTIA: Extrema Unctio est necessaria, relativa quadam necessitate medii (in re vel voto).

Hanc sententiam, etsi non tot explicitis verbis, proposuit, tantum tamen ut probabilem, J. Kern, quem fere solitarius sequitur *J. Umberg* (Lercher-Umberg) sub quadam verbali mitigatione. Doctrina Kern ad haec puncta reducitur: 1. Extrema Unctio est ex Christi institutione necessaria tanquam *medium salutis*. 2. Est tamen taliter necessaria non omnibus infirmis in periculo mortis, quibus administrari potest, sed tantum ipsis *moribundis* seu in articulo mortis constitutis. 3. His ceteroquin est necessaria non simpliciter sed tantum *per se,* ita ut, ubi adsit physica vel moralis impotentia suscipiendi sacramentum, non necessario infirmus gratia sacramentali defraudetur, cum possit eam aliis mediis obtinere a divina misericordia. 4. Haec sententia proponitur tantum ut *probabilis*. Nihilominus ex hac ipsa huius sententiae obiectiva probabilitate sequitur certe in moribundo subiectiva necessitas seu *gravis obligatio* suscipiendi sacramentum, ita ut omittens certe graviter peccet.

KERN: "Propositio XIV. Probabile est, Extremam Unctionem infirmis moribundis per se necessariam esse ad salutem. Quare infirmus morti appropinquans per se gravi obligatione ad eam recipiendam adstringitur.

"In propositione dicitur: 'infirmis *moribundis*'; argumenta enim, quae afferentur, nullo modo ostendunt, omnibus cum periculo decumbentibus speciale hoc adiutorium divinum esse necessarium, sed solum suadent, illud requiri ad superandum extraordinarium salutis discrimen, quod imminet appropinquante exitu vitae.

Dicitur: 'Extremam Unctionem *per se* necessariam esse ad salutem'; minime enim intendimus affirmare. Dominum nunquam sine sacramento moribundis concedere auxilia, ad quae illud ordinatur, e.gr. in casu, quod est impossibilitas vel valde magna difficultas advocandi sacerdotem ex dissito loco, vel cum moribundus ex motivo virtutis solatio ultimi subsidii Ecclesiae renuntiat, ut praecaveat blasphemias impiorum familiarium aut ut parochum praeservet a periculo instanti contagionis etc. Est ergo sensus propositionis, Extremam Unctionem probabiliter necessariam esse omnibus infirmis moribundis tamquam medium ordinarium salutis, quod aliis auxiliis non suppleatur, nisi ex causa relative gravi recursus ad eam praetermittatur.

"Probatur I. pars [ex Concilio Tridentino] . . .

"Probatur II. pars. Est animadversum, pessimam esse illationem, si quis ex eo, qupd necessitas s. Unctionis non sit *certo* demonstrata, statim inferat: ergo etiam obligatio illam suscipiendi est tantum probabilis ideoque practice nulla. E contrario, si necessitas confortationis sacramentalis est probabilis, obligatio gravis eam expetendi per se est certa. Nam quivis homo obstringitur obligatione nulli dubitationi subiecta certo procurandi aeternam suam salutem. Id autem aperte non praestat, qui reicit salutis medium, cuius usus probabiliter est necessarius. Sane si homo morti per infirmitatem appropinquans renuat Extremam Unctionem admittere, potest ei dici: Si respuas auxilium, quod Deus per Ecclesiam misericorditer tibi offert, probabiliter tibi non suppeditabit alia via vires requisitas ad victoriam in ultimo certamine reportandam. Numquid licet ei respondere: Ergo est tantum probabile, me in aeternum periturum, si reiciam s. officium; tale periculum damnationis volo subire? . . . Profecto qui medicinam corporalem paratam sine causa rationabili sumere recusaret et oratione atque oblatis sacrificiis postularet, ut alia via sanaretur, Deum tentaret. Quidni idem dicamus de eo qui 'sanantis divinae gratiae dulcedinem' leviter negligit et alio modo a Deo muniri postulat?"[04]

UMBERG: "Thesis 59.— Subiectum necessarium seu obligatum ad suscipiendam Unctionem est per se quilibet catholicus remote capax non solum lege ecclesiastica (1), sed etiam lege divina tum necessitate medii (2), tum praecepti (3).

"*Valor:* Pars 1ⁿ est nunc communis doctrina; 2" pars est probabilis; item pars 3" . . .

"*Pars* P (necessitas *praecepti ecclesiastici'}* probatur:

"Mag. Eccl. 1. dicit *CJC* 944 et *Rit.* (Tit. V, Cap. l η. 1): 'Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud neglegere'; ergo qui illud neglegit, facit, quod non licet, i.e. peccat saltem leviter; ille autem 'neglegit', qui occasionem illud suscipiendi facile sibi procurare posset hocque omittit ex causa futili seu quadam socordia, non autem *e* causa iusta. e. c ad praecavendas blasphemias impiorum familiarium vel ad praeservandum sacerdotem a periculo instanti contagionis etc. -2. Dic 23, Martii 1656 5. *Officium* dixit s. Unctionem omitti posse 'ex gravi necessitate proportionata' . . .

"*Pars 2a* (de necessitate *medii.)*

"*CJC* et *Rit.* a) negant hoc sacramentum esse 'per se' necessarium necessitate medii 'ad salutem', i.e. ad gratiam sanctificantem recipiendam. — b) Eo ipso autem dicunt, idem 'per accidens' esse necessarium 'ad salutem'; nam, ut omnes unanimiter docent theologi, pro moribundo peccatore, qui neque confiteri et absolvi neque contritionem perfectam elicere valet, unicum medium 'ad salutem' seu ad acquirendum statum gratiae, est s. Unctio. — c) Negando necessitatem medii 'ad saltutem' non negant *necessitatem ad gratiam acquisitam conservandam,* et haec necessitas asserenda videtur ex his rationibus:

"*C. Tridentinum* a) in Proemio distinguit et inter sese opponit decursum vitae, pro quo sufficiant cetera sacramenta ad gratiam acquirendam et conservandam, et finem vitae, pro quo cetera sacramenta non sufficiant, sed provisum est per s.

** *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 364, 369.

Unctionem. Ergo per se sola Unctio praestat in fine vitae id, quod per se requiritur ad gratiam aut accipiendam aut retinendam. S. Synodus simul causam aperit, cur vita gratiae periclitetur et contra quam praesidium habeatur in s. Unctione, nempe infestationes diaboli, qui ad moribundum penitus perdendum omnes suae versutiae nervos intendit. — b) In idem vergit, quod Concilium Cap. 3 dicit: 'Iam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent . . . esse hanc Unctionem infirmis adhibendam . . . nulla ratione audiendi sunt, qui . . . docent, hanc Unctionem . . . esse . . . nec mandatum Dei. .

"Non apparet, quomodo elidi possit argumentum a *Kern* propositum: 'Si necessitas confortationis sacramentalis est probabilis, obligatio gravis eam expetendi per se est certa. Nam quivis homo obstringitur obligatione nulli dubitationi subiecta certo procurandi aeternam suam salutem. Id autem aperte non praestat, qui reicit salutis medium, cuius usus probabiliter est necessarius. Sane si homo morti per infirmitatem appropinquans renuat Extremam Unctionem admittere, potest ei dici; Si respuas auxilium, quod Deus per Ecclesiam misericorditer tibi offert, probabiliter tibi non suppeditabit alia via vires requisitas ad victoriam in ultimo certamine reportandam. Numquid licet ei respondere: Ergo est tantum probabile, me in aeternum periturum, si reiciam s. Officium; tale periculum damnationis volo subire?' Probabilismus hic non habet locum, cum agatur de effectu certe obtinendo , . ,

"*Pars 3a* (de necessitate *praecepti divini)* sequitur ex parte 2"; nam res necessaria necessitate medii eo ipso est etiam a Deo praecepta; ergo 1. probabiliter moribundo incumbit praeceptum divinum suscipiendi s. Unctionem ratione sacramenti, 2. certo ratione legis naturalis. — Proinde verba S. Jacobi: 'Inducat presbyteros Ecclesiae' continent praeceptum divinum idque probabiliter ratione sacramenti, certo ratione legis naturalis. Et hoc sensu accipi potest etiam *CJC* 944; '. . . nemini tamen licet illud neglegere' ".es

Posset quidem mens Kern fortasse intelligi de sola necessitate praecepti divini naturalis, ita ut ipse potius reponatur inter patronos sequentis sententiae, defensae v.g. a Cappello qui Kern vestigia fideliter sequitur, sed, attentis tum ipsa eius affirmatione quod Extrema Unctio sit "necessaria moribundis tanquam medium ordinarium salutis," tum omissione ipsius distinctionis inter necessitatem medii et necessitatem praecepti, quae communiter fit a theologis in hac materia ac ideo connaturaliter hic in ore Kern expectaretur, tum ipsis restrictionibus quibus ipse suam opinionem proponit (scilicet Extremam Unctionem esse probabiliter necessarium medium, et quidem non quoad omnes graviter infirmos sed quoad solos moribundos, et quidem tantum per se non vero simpliciter), quasque Cappello in sua mitiori opinione fere derelinquit, dicendum omnino videtur Kern quandam mitigatam seu relativam medii necessitatem, utut illogice, huic sacramento tribuere voluisse. Et de facto in hunc sensum eum interpretatur *Kilker,* scribens: "The first problem . . . is whether Extreme Unction is *per se* necessary *necessitate medii relativa.* It was evidently held to be such in some places [?]. . . Kern concords in this view, main-

*L. Lercher, *Institutiones theologiae dogmaticae* IV, 2.2 (ed. 3 retractata [ab Umberg quoad tractatum De Extrema Unctione], Oeniponte 1949) 268-270.

taining that it is at least probable that Extreme Unction is relatively necessary for salvation, *necessitate medii."M* Ceterum, ipse *Umberg,* sequens sententiam Kern, utitur ipsa explicita expressione "Necessitas medii," etsi hanc necessitatem inaniter conetur deflectere a fine salutis ad finem conservandae gratiae.

Ceterum ad hanc Kern sententiam logice reduci potest opinio eorum qui, ut *Diekamp, Otten, Cappello* et *Gougnard* (cf. infra, p. 374-376), quamvis explicite dicant Extremam Unctionem non esse de necessitate medii sed solius praecepti, hoc tamen praeceptum ita intelligunt naturaliter ac necessario involvi in ipsa sacramenti institutione et natura ut logice praesupponat ipsam medii necessitatem. Hanc utriusque opinionis cognationem satis clare fatentur ipsi Gougnard et Otten dum utramque in unam confundunt. Prior enim explicite simul refert Cappello, Diekamp et Kern pro eadem sententia (cf. infra, p. 376), alter vero candide scribit: "Plurimi . . . theologi [?] contendunt extremam unctionem ex ipsa natura rei esse eo sensu necessariam, ut saltem quilibet moribundus sub gravi tenetur ad eam suscipiendam. Et ratio est, quia hoc sacramentum institutum est ad confortandum animum in extremo agone luctantem, et infirmus hac confortatione maxime indiget ne daemonis tentationibus cedat et in aeternum pereat. Unde *licet hoc sacramentum non sit stricto sensu medium necessarium ad salutem, nihilominus est hujusmodi medium sensu latiore,* quatenus sine eo moribundus ordinarie non facile effugiet periculum mortis aeternae. Haec conclusio deducenda videtur ex declaratione Concilii Tridentini."07

SECUNDA SENTENTIA: Extrema Unctio est necessaria necessitate solius praecepti, sub gravi obligantis.

Hanc sententiam, iam praeformatam a *Petro Soto* (f 1563; quem refert et impugnat Suarez) tenent non pauci theologi posttridentini (Suarez, f 1617, neminem praeter Soto refert), ut *Cornelius a Lapide* (f 163 7),08 *Habert* (f 1668),00 *Merbesius* (t 1684),70 *Juénin* (t 1727),71 *Tournely* (t 1729; infra cit.), *Roncaglia* (t 1737),72 *Drouin* (f 1742),73 *Antoine* (t 1743),74 *Concina* (f 1756; infra cit.), *Petrus Dens* (t 1775),75 5. *Alphonsus* (t 1787; infra cit.), *Weinhart,*

** *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 267 sq.
*' *Institutiones dogmaticae* VI (Chicago, 1925) 271.
** *Comm, in epistulam S. lacobi* 5. 14.
" *De Extrema Unctione,* c. 7, q. 2.
w *Summa Christiana, De Extrema Unctione,* q. 9.
"*De sacramentis in genere et in specie,* disp. 7, q. 9, c. 2.
n *Theologia moralis, De Extrema Unctione,* q. 7.
" *De re sacramentaria,* 1. 7, q. S, c. 2.
'· *Theologia moralis, De Extrema Unctione,* q. 7.
" *Theologia Mechliniensis, De Extrema Unctione.*

Scavini, De Augustinis, Ferrcres, Herrmann, Godejroy, Diekamp, Otten, L'Ami du Clergé, Lépicicr, Cappello, Gougnard, Daflara, Lercher, Jorio. Consentit, fere unicus inter schismaticos orientales, *Theophylactus Gorskij* (cf. infra, p. 383).

Ceterum non parva varietas inter hos auctores invenitur cum conantur explicare originem et indolem talis praecepti. Nam quidam loquuntur de praecepto divino, alii de ecclesiastico, alii de utroque; praeterea quidam intelligunt praeceptum positivum, alii praeceptum naturale, quod iuxta quosdam est directum et particulare, iuxta alios vero est indirectum ac generale. Varii dicendi modi ad sequentes reduci possunt:

1. *Agitur de praecepto divino positivo,* i.e. directe et expresse propositum in revelatione.

Id probatur praecipue tum ex verbis Iacobi: "Inducat presbyteros" quae sonant non meram exhortationem sed proprium mandatum, tum ex pluribus documentis Traditionis quae verba illa Iacobi vocant mandatum apostolicum, tum ex ipsis expressionibus Cone. Trid.: "Suscipi ac ministrari debet. . . Est haec unctio infirmis adhibenda. . . Haec unctio mandatum Dei habet. . . Haec extrema unctio a fidelibus sine peccato contemni non potest. . . Neque tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posset" (cap. 3, *Denz.* 910).

Ita inter alios *Cornelius a Lapide, Habert, Juénin, Tournely, Concino, Weinhart.*™

TOURNELY aliorum augmenta sic apte resumit, addens etiam alias quasdam rationes, allatas a patronis subsequentium explicationum de praecepto divino naturali et de praecepto ecclesiastico:

"Fideles, dum gravis, et periculosa premit infirmitas, jure ac praecepto tum Divino, tum Ecclesiastico, teneri sacram infirmorum Unctionem percipere.

"Prior pars probatur, tum ex laudatis saepius Jacobi verbis, quae gratis et sine fundamento ad merum consilium seu exhortationem inflectuntur: verba enim haec: inducat Praesbyteros, imperantis sunt ac praecipientis, non consulentis tantum, et adhortantis. Tum ex ipso effectu primario hujus Sacramenti, qui certe maxime necessarius est in lucta illa extrema quam infirmus a daemone sustinendam habet: tunc enim necesse est vegetiorem esse animum, et magis ad caelestia erectum; tunc omnia mundana desideria exuenda, et deponenda, tunc maxime (si unquam) anhelandum ad intimam cum Deo unionem, Apostolo dicente: Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Tum ex comparatione hujus Sacramenti cum Sacram. Confirmat, sicut enim peccaret haud dubie contra jus ac mandatum Divinum, qui imminente persecutione. cum necesse est fidem intrepido animo sustineri ac defendi, non curaret de percipiendo Confirmationis Sacramento; ita pariter, et ille qui in periculo vitae constitutus, non confugeret ad Unctionem sacram, cujus vi praemuniri debet adversus ultimos, sed graviores daemonis impetus. Tum denique ex Cone. Trid. sess. 14. c. 3. ubi ait nulla ratione audiendos esse qui docent Unctionem hanc 'nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habere . . . et a fidelibus sine peccato

''Verba Weinhart invenies citata infra, p. 391.

contemni posse.' Supponit igitur Synodus, esse Dei mandatum de sacra L'nctione percipienda, nec posse sine gravi peccato contemni, quod expresse definit can. .5. ejusdem Sessionis. Porro qui recusaret, vel non curaret percipere sacram illam Unctionem, si non animo, saltem facto ipso censetur illam negligere, contemnere, ac parvi facere effectum ad quem illa destinatur; quae certe dispositio pessima est. ac verum involvit contemptum. Unde Patres Cone. Colon, an. 1549. 'Ecclesiastica sepultura eos privandos esse decernunt qui infirmitatis suae tempore Unctionem Sacram respuerint, ac contempserint.' Denique videtur haec fuisse mens atque doctrina Cone. Cabil. II an. 813. can. 48. 'Secundum B. Apostoli Jacobi,' inquit, 'documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi, oleo quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyt. ungi debent.'

"Altera pars, praecepto nimirum Ecclesiastico teneri fideles periculose decumbentes sacram infirmorum Unctionem percipere, probatur: tum quia Ecclesia jubet ac vult id omne a suis observari, quod est jure ac praecepto Divino necessarium: tum quia de facto summa semper cura, et sollicitudine commendavit illud Sacramentum, sicut facile est ostendere veteribus monumentis, ex Origene, Chrysostomo, Augustino, Innoc. I. Gregorio I. antea laudatis, quae eadem sollicitudo ad subséquentes quoque aetates promanavit . . . Denique mandatum illud ecclesiasticum probant manifeste omnes Ecclesiarum Rituales Libri, in quibus ritus administrandi hoc sacramentum praescribitur. 'Secundum auctoritatem Canonicam', ait Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in suo Poenitentiali, 'ne illis (infirmis) janua pietatis clausa videatur, orationibus, et consolationibus ecclesiasticis, sacra Unctione olei inuncti, secundum statuta SS. Patrum, communione Viatici reficiantur.' """

2. *Agitur de praecepto divino tantum naturali,* seu non expresse proposito in revelatione, sed implicite contento ac necessario procedente ex ipsa institutione sacramenti, seu ex ipsa natura instituti sacramenti. Quod quidem naturale praeceptum *bijarie explicatur:*

Quidam enim, ut *Petrus Soto* (verisimiliter), *Diekamp, Otten, L'Ami du Clergé, Cappello, Gougnard, Dajjara,* loquuntur de *praecepto particulari* et directo, quatenus nempe ipsa natura sacramenti, prout importat peculiarem gratiam quae nullis aliis mediis, de lege saltem ordinaria, conferri potest, estque iuxta Tridentinum, firmissimum praesidium conditum a Christo pro peculiari illa circumstantia finis vitae, necessario ac directe exigit ut ab infirmis saltem moribundis hoc peculiare remedium suscipiatur. Unde Diekamp ait: "Quae institutio praeceptum divinum hoc sacramentum suscipiendi includit" (quod repetunt Gougnard et Daffara), et Cappello signantius scribit: "Sacramentum extremae unctionis est per se necessarium vi suae institutionis." Hi doctores in sua probatione et explicatione non aliter procedunt ac ipse Kern, supra relatus in prima sententia, nec reapse ab ipso videntur discrepare nisi quod explicite fateantur hanc, quam sustinent necessitatem, non esse medii sed tantummodo praecepti; quod quam illogice dicatur infra ostendetur (p. 387, cf. supra, p. 372).

:: *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 4, a. 2, *Praelectiones theologicae* IX (Parisiis 1765) 440 sq.

PETRUS SOTO hanc sententiam implicite proposuisse videtur, De ipso enim scribit *Suarez:* "Ab hac . . . communi sententia [i.e. nullum esse praeceptum suscipiendi sacramentum] videtur dissentire Pet. Soto, lect. 2 de hoc sacramento; sentit enim sacramentum hoc sine peccato non omitti, etiamsi per negligentiam omittatur, quod verum non esset, nisi esset sub praecepto."[78] Ceterum si haec Soti affirmatio intelligatur de gravi seu contemptuosa negligentia, absolveretur ipse ab hac opinione, nam ageret non de praecepto suscipiendi hoc sacramentum sed de alio generali praecepto non contemnendi sacramenta, de quo nullum est dubium sed quod est extra quaestionem.

DIEKAMP: "Necessitas praecepti extremam unctionem suscipiendi ex eo sequitur quod Christus hanc unctionem Christianis gravi morbo laborantibus conferendam instituit. Quae institutio praeceptum divinum hoc sacramentum suscipiendi includit. Concilium Tridentinum igitur merito docet: 'hanc unctionem mandatum Dei habere', et 'esse hanc unctionem infirmis adhibendam', et 'suscipere hoc sacramentum debent' (S. 14, cp. 3). Ergo hoc sacramentum suscipere libero hominum arbitrio non relinquitur."[79]

OTTEN citavimus supra (p. 372), qui ceteroquin ad ipsam Kern opinionem propius accedit, cum non distinguat inter necessitatem medii et necessitatem praecepti nec explicite dicat agi de sola praecepti necessitate, quinimo contrarium innuere videatur.

L'AMI DU CLERGÉ: "Selon lui [i.e. le Concile de Trente] Notre Seigneur a voulu doter les fidèles à tout moment de leur vie, de remèdes salutaires contre les traits du démon, leur ennemi. Pour cela, il a institué les sacrements: les uns pour guérir les blessures reçues dans le cours de la vie qui s'écoule, un en particulier contre les traits de la dernière heure. L'extrême onction est donc le remède ordinaire institué par le Christ pour les fidèles en danger de mort. Or peut-on négliger un remède ordinaire, ordonné de lui-même, de par l'institution du Christ, à un état déterminé, quand on se trouve dans cet état? Ce serait en quelque sorte tenter Dieu, mépriser son secours, que de n'y point recourir. Et alors peut-on dire encore qu'il n'y a pas obligation, et obligation grave, pour le fidèle, en danger de mort, de recourir à l'extrême onction? Et. cette fois sans faire appel a des raisons adjacentes, mais entrant au coeur même de la question, ne doit-on pas dire qu' *en vertu même de l'institution faite par Jésus-Christ, il y a un commandement grave* pour le fidèle de recevoir le sacrement d'extrême onction?"[80]

CAPPELLO: "Nostra sententia, omnibus argumentis hinc inde allatis mature perpensis, haec est: 1" Sacramentum extremae unctionis per se non est de necessitate medii, sed nihilominus est per se necessarium vi suae institutionis ad salutem, quamvis non simpliciter et absolute. 2° Quare obligatio suscipiendi hoc sacramentum certa est, ct quidem probabilius — speculative loquendo, nisi causa iusta excuset — obligatio gravis, attenta ipsa rei natura. Id manifesto ex dictis patet.

"Argumentum praecipuum deducitur ex verbis Concilii Tridentini. Sane in proemio doctrinae de sacramento extremae unctionis, Patres Tridentini docent, clementissimum Redemptorem nostrum servis suis quovis tempore voluisse de salutaribus remediis contra omnia hostium tela esse provisum; et aperte distinguunt inter decursum vitae et finem cius, inter remedia concessa hominibus in decursu vitae ct remedia data in exitu vitae. Docent autem, Christum Dominum finem vitae sacramento extremae unctionis tamquam firmissimo praesidio munivisse. Inde patet, pro infirmis in periculo mortis versantibus *unicum esse constitu-*

[77] Disp. 44. sect. 1, n. 3, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vives 1866) 8o3.
[78] *Theologiae dogmaticae manuale* IV (Iuxta ed. 9 versionem latinam secundam curavit A. Hoffmann, Tornaci 1946) 393.
[79] 50 (1933) 809 sq.

tum medium ordinarium ideoque per se necessarium, quo eorum salus in tuto ponatur, scii, sacramentum extremae unctionis."[81]

GOUGNARD in unum confundit hanc opinionem cum opinione tum S. Alphonsi mox explicanda tum Kem supra relata, scribens post citata verba L'Ami du Clergé et Cappello: "Ergo merito dicitur [cum S. Alphonso] hominem ad recipiendum sacramentum obligari ex lege caritatis, quae requirit, ut quisque sibi medium adeo proficuum et firmissimum praesidium, ut a Concilio Tridentino vocatur, procuret in supremo agone, quo daemonis insidiae aliaeque tentationes infirmum maxime pulsant. Et concludere licet cum Diekamp [Citat praefata verba istius doctorisj ... Et eandem sententiam explicans Kern . . . addit [Citat quaedam ex supra relatis verbis huius auctoris] , . . Cum sit medium ordinarium, ad hoc recurrere tenentur homines, nisi justam causam impedientem habeant. Et cum salus aeterna res gravis est, sub gravi tenentur per se; in praxi adesse possunt, per accidens, rationes excusantes."[82]

Alii vero, ut *Roncaglia, Detis, S. Alphonsus, De Augustinis, Marc-Gestermann, Herrmann, Godejroy, Lépicier,* loquuntur tantum de *praecepto generali et indirecto,* utut de facto et occasionaliter fundato in ipsa institutione seu in ipsa natura instituti sacramenti. Dicunt nempe quod, quamvis nullum sit, aut certo adesse probari possit, praeceptum sive positivum sive naturale, obligans directe et particulariter ad hoc sacramentum suscipiendum, tamen, semel a Christo instituto tam salutari remedio pro moribundis, alia lex consurgit vel potius indirecte extenditur ad hunc particularem casum et incipit obligare in hac particulari materia, scilicet ipsa generalis lex charitatis erga semetipsum, quae obligat hominem ad consulendum suae aeternae saluti ac ideo obligat infirmum ad suscipiendum tam salutare remedium sine quo, in suo angustioso statu, nonnisi difficile salutem consequi potest.

In hanc explicationem praecipue insistit, post Roncaglia, 5. *Alphonsus,* qui, etsi agnoscat contrariam sententiam de nulla obligatione esse "communem et satis probabilem," tamen in alteram magis inclinare videtur, dicens eam "etiam probabilem et omnino suadendam sibi apparere" (cf. infra dicenda, p. 377). Alii tamen, ut *Lépicier,* praeter influxum legis charitatis inducunt etiam ac praecipue influxum legis non contemnendi instituta media salutis, dicentes omissionem tam salutaris sacramenti, in ea circumstantia spiritualis angustiae moribundi, necessario implicare contemptum sacramenti, ad quem vitandum consurgit gravis obligatio sacramentum ipsum suscipiendi. Ceterum, hanc contemptus necessariam resultantiam proponunt, veluti ad abundantiam, etiam quidam ex patronis praecedentis explicationis, uti L'Ami du Clergé et Cappello (cf. infra, p. 439).

[81] *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 191 sq. Observa ibi Cappello pro certa habere obligationem suscipiendi sacramentum, etsi de ipsa eius gravitate nonnisi probabilius iudicct.

[82] *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mechliniae 1938) 72.

5. *ALPHONSUS:* "Quaeritur: an sit obligatio sub gravi suscipiendi hoc sacramentum? *Prima* sententia affirmat. Et hanc tenent Concina, Merbesius, Habert. Roncaglia; item S. Bonaventura ct Petrus Soto apud Escobar. Diversa tamen hic auctores ratione utuntur: Roncaglia, quia videtur talis infirmus graviter delinquere contra caritatem sui ipsius. Alii vero, quia verba Apostoli: 'Inducat presbyteros', praeceptum inducunt. *Secunda* vero sententia communis, ut fatetur ipse Merbesius, et satis probabilis, negat . . . Hoc tamen non obstante, prima sententia etiam probabilis et omnino suadenda mihi apparet: non tam ratione praecepti quia de eo saltem non constat, quam ratione caritatis erga se ipsum. Nam licet moribundus possit aliis praesidiis se roborare, tamen in tali statu constitutus, ex una parte cum magna difficultate ad bonos actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriae tunc sunt debiliores; et ex altera, vehementiores sunt (ut ait Tridentinum) daemonis insidiae. Unde ingenti periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi qui negligit se munire hoc sacramento, a Christo Domino instituto tamquam firmissimo praesidio in tanto conflicto."[83]

Non clare apparet cuinam sententiae S. Doctor in hoc loco magis faveat et in quam simpliciter inclinet. Utramque quidem probabilem dicit (unam "etiam probabilem," alteram "satis probabilem"); cum tamen alteram communem dicat eiusque rationem signantius exponat, videtur in eam speculative magis inclinare, cum vero primam dicat esse "omnino suadendam" videtur in hanc practice potius inclinare. Nobis videtur S. Doctor in hanc priorem opinionem potius propendere, etsi cum manifesta formidine speculativae veritatis contrariae sententiae; idque magis ostendunt verba quibus ipse explicat quare suadenda sit illa opinio, nam simpliciter asserit "ingenti periculo se exponere videri tenationibus succumbendi [eum] qui negligit se munire hoc sacramento." Praeterea, quaenam sit hic mens S. Doctoris licet deducere ex alio eius opere *Praxis Confessorii,* quod ipse apposuit secundae editioni *Theologiae moralis* a. 1755 et in quo illam sententiam vocat "valde probabilem," scribens: "Si deinde confessarius adverteret, moribundum jam esse in statu quo *teneretur* suscipere Extremam Unctionem et ille respueret, patefaciat ei magnos effectus hujus sacramenti . . . Si vero, hoc non obstante, infirmus non acquiesceret et pergeret nolle ungi, *valde probabiliter plures DD. docent* (Lib. VI [Theol. moralis], n. 733) eum lethaliter peccare, saltem adversus charitatem erga seipsum, cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate."[84]

Eadem ceteroquin fluctuatio reflectitur in discipulis S. Alphonsi ex Congr. SS.R. *Gatidée* in notis ad hunc locum S. Doctoris ait eum potius adhaerere alteri ac communi sententiae. *Herrmann* mere exscribit verba S. Alphonsi nec quidquam addit nisi quod de hac re a doctoribus disputatur. *Aertnys* (ed. 6, a. 1901) consentit communi sententiae neganti proprie dictum praeceptum, addens tamen quod in praxi moribundus qui negligit suscipere sacramentum videtur se exponere periculo tentationibus succumbendi. *Aertnys-Damen* vero quaestionem indecisam relinquit scribens: "Cum S. Alphonso utramque sententiam probabilem habemus." *Mare-Gestermann* vero in supradictam priorem opinionem decisive propendit ac ita sententiam S. Doctoris interpretatur, scribens: "Datur autem practice obligatio gravis suscipiendi extremam unctionem. Ratio horum etiam desumitur ex caritate, quam infirmus sibi debet et quae in mortis periculo maxime urget. Cfr. S. Alph., VI, 733; H. Ap. XVII, 12."[85]

GODEFROY: "L'extrême onction étant pour le malade la source de biens surnaturels très précieux, il est certain que le précepte de la charité envers soi-même oblige à la recevoir. Mais est-elle nécessaire au salut? A-t-elle été instituée comme un moyen obligatoire auquel le malade doit recourir sous peine de péché grave? Les théologiens n'ont jamais été d'accord sur ce point. La plupart nient qu'il y ait

[u] *Theologia moralis* (ed. L. Gaudé, Romae 1909) III 742 sq.
[v] *Praxis Confessorii ad bene excipiendas confessiones* (ed. G. M. Blanc, critice curata a L. Gaudé, Romae 1912) 174 sq.
[w] *Institutiones morales Alphonsianae* II (ed. 20, Lugduni 1946) 418.

une obligation stricte et directe de recevoir l'extrême onction; ils regardent comme un conseil et non comme un ordre les paroles de saint Jacques".[80]

LEPICIER: "Gravis adest per se obligatio suscipiendi sacramentum extremae unctionis . . . *Ratio theol.* — Licet non constet de aliqua lege positiva, sive divina, sive ecclesiastica, obligationem formaliter faciente suscipiendi sacramentum extremae unctionis, hoc ipsum tamen quod Dominus noster medium istud formaliter instituerit ad subveniendum infirmitati hominis in extremo positi, rationem praecepti, et quidem gravis, profecto induit, maxime si considerentur pericula damnationis aeternae homini tunc, ex parte daemonis aut etiam infirmitatis carnis imminentia: quae si rite perpendantur, apparebit *neglectum suscipiendi hoc sacramentum aequivalerc formali contemptui,* ideoque gravis peccati rationem induere.

"*Explicatur.* — Licet moribundi alio forsam possint praesidio se roborare, puta oratione, tamen, cum hinc quidem ob morbi oppressionem viribus debiliores sint, illinc vero vehementiores tunc urgeant daemonis insidiae, ideo magno illi se videntur exponere periculo tentationibus succumbendi, qui hoc sacramento, tanquam validissimo in conflictu praesidio, se munire neglexerint: unde sic agentes dicendi erunt *peccato gravi, contra caritatem sibimet debitam,* se exponere."[87]

3. *Agitur de praecepto ecclesiastico.*

Ita praecipue *Habert, Tournely, Concina, Gougnard, Lerchcr, Jorio.* Qui quidem generatim loquuntur de utroque praecepto divino et ecclesiastico (Habert, Tournely, Concina, Gougnard), unus tamen vel alter (Lercher et Jorio) videntur loqui de solo praecepto ecclesiastico. Item quidam (ut Concina) loquuntur de praecepto *implicito,* scilicet contento in ipsa praxi tum suscipiendi Extremam Unctionem tum eam summa cura et sollicitudine fidelibus commendandi, quae praxis vim legis obtinet; alii insistunt in ipso praecepto explicito, contento in variis ecclesiarum libris ritum administrationis praescribentibus; alii (signanter Tournely) utroque modo praeceptum assignant.

Quidam alii doctores inter modernos theologos practicos, signanter *Kilker, Coronata* et *Rcgatillo,* admittunt ecclesiasticum praeceptum, obligans sub levi tantum, ac contentum in can. 944 Codicis C. (cf. infra, p. 426). Attamen eos seiungimus a praesenti opinione, tum quia negant grave praeceptum (quod hic maxime interest) tum quia ipsum leve praeceptum non necessario ab ipsis intelligitur proprium ac directum.

TOURNELY supra citavimus (p. 373 sq.).

CONCINA: "Par est utriusque sacramenti, et confirmationis, et extremae unctionis ratio. Ergo aeque pioscribi meretur opinio negans praeceptum suscipiendae unctionis extremae, ac opinio negans praeceptum suscipiendae confirmationis. Quid? Ecclesia catholica sacramenta habet otiosa, indifferentia, in cassum instituta? utique non adest praeceptum expressum, et peculiare ab Ecclesia latum, jubens hanc sacramenti susceptionem; sed consuetudo perpetua, constans et universalis fidelium suscipiendi hoc sacramentum vim legis obtinet. Quorsum tot Ecclesiae

"Extrême Onction, Questions morales et pratiques," *Dictionnaire de Théologie Catholique 5. 2* (1913) 2020.

Tractatus de sacramento Extremae Unctionis ct de sacramento Ordinis (Romae 1928) 77 sq.

studia in asserendo adversus Novatores hoc sacramento, si nulla urgeret necessitas, nullumque praeceptum ejusdem usus?'"[1]

GOUGNARD: "In Codice luris Canonici, can. 944, continetur praeceptum ecclesiasticum, sufficienter explicatum ex iis quae de praecepto divino diximus."[9]

LERCHER: "Pleriquc theologi cum S. Thoma censent ex fontibus revelationi' non certo probari praeceptum juris divini ad hoc sacramentum suscipiendum. Habetur vero praeceptum cedes, in Cod j.c. 944.[10] Hic tamen auctor explicite non significat tale praeceptum obligare sub gravi.

JORIO: "II canone [944 del Codice] . . . si limita a stabilire che I'Olio Santo non è di nécessita di mezzo. Ha forse con cio voluto lasciare impregiudicata la questione, che si agita fra i teologi. cioë se sia lOlio Santo di nécessita di precetto divino ed ecclesiastico, o almeno *ecclesiastico soltanto?* Non lo crediamo . Dopo il Codice quest' obligo, se non erriamo, è ammesso dal canone sopra riferito. quando dice: 'Nondimeno a nessuno è lecito di trascurarlo (il Sacramento)'; e ciô vuol significare che commette peccato più o meno grave chi trascura di riceverlo. potendo; chi poi lo rifiutasse ostinatamente non potrebbe avere i funerali della Chiesa. I moralisti . . . questionano; ma intanto il diritto conclama 'A nessuno è lecito . . .' S'indaghi pure la *ratio decidendi,* pero, trovatala. non ci si dica che la cosa sia illecita per questa o quell'altra ragione e non già per il precetto. essendo inconcepibile peccato senza Ia legge."[11]

TERTIA SENTENTIA: Extrema Unctio non est stricte necessaria neque necessitate medii neque necessitate praecepti, tam divini quam ecclesiastici, adeoque nulla adest per se obligatio (saltem gravis[12]) eam suscipiendi, nec nisi per accidens contingere potest ut quis obligetur ad eam suscipiendam ac graviter peccet eam omittendo.

Haec sententia cuius rationes dabimus infra in Conci. 1 et 2, fuit et adhuc est *longe communior* apud theologos tam dogmaticos quam morales, ut fatentur et ipsi adversarii. Suarez ait: "Communis sententia"[13] (imo videtur intelligere: "Simpliciter communis," nam pro contraria adducit solum Petrum Soto qui videatur dissentire); Laymann, Billuart et S. Alphonsus: "Sententia communis" (imo Billuart ait: "Communis ct certa"): Kern: "Longe maior pars theologorum censet . . Cappello: "Haec sententia longe communior est."

Ut interim omittamus antiquiores theologos usque ad Cone. Trid., qui eidem sententiae adstipulantur imo posterioribus ipsi tradiderunt. ut infra ostendetur (p. 397-414), citari possunt inter multos: *Navarrus* (t 1586),[93] *Henriquez* (t 1608),[94] *Estius* (f 1613),[95]

---

[1] "*De sacramento Extremae Unctionis,* c. 4, n. S, *Theologia Christiana dogmatico-moralis* X (cd. Γ Neapolitana, 1775) 15.

[2] Cf. supra, p. 376.

[3] *Institutiones theologiae dogmaticae* IV (ed. 2, Oeniponte 1935) 597.

[4] *La Sacra Unzionc dcgli Injcrmi* (Romae 1935) 67-69.

[5] "Hoc addimus ob exceptionem quorundam modernorum, qui. ut diximus supra (p. 37S), admittunt aliquod ecclesiasticum praeceptum obligans sub levi.

[6] *Manuale* (sive *Enchiridion confessoriorum et pocnitcntium),* c. 22, n. 16.

[7] *Theologia moralis summa,* 1. 3, c. 10. n. 3.

[8] *In 4 Sent* , dist. 23, § 15.

Suarez (f 1617),[08] *Coninck* (f 1633),[07] *Diana* (f 1633),[08] *Laymann* (f 1635),[00] *Tamburini* (f ‡675), *De Sainte-Beuve* (f 1677),[2] *Salmanticenses* (saec. 17),[3] *Salmanticenses morales'* *Frassen* (t 1711),[5] *Lacroix* (f 1714),[®] *Sporer* (t 1714)/ *Babenstuber* (t 1726),[8] *Billuart* (t 1757),[°] *Wirceburgcnses* (Munier, t 1759),[10] moderni dogmatici" *Pesch, Paquet, Tanquerey, Straub, McGuinness, Lahitton, Hervé, Van Noort-Verhaar, Zubizarreta, Boyer, Denis, Abdrzuza, Sold,* moderni moralistae *Ballerini-Palmieri, Aertnys* (ci. supra, p. 377), *D'Annibale, Lehmkuhl, Noldin-Schmitt, Génicot-Salsmans, Sabetti-Barrett, Bucceroni, Vermeersch, Vcrmeersch-Creusen, Kilker, Prümmcr, Merkelbach, Piscetta-Gcnnaro, Coronata, RegatiUo.*

Apud hos aliosque defensores huius sententiae notandum est duplex discrimen: 1. Quidam explicite vel aequivalenter eam proponunt ut certam (v.g. Billuart explicite: "Communis et certa"); alii vero, praesertim inter modernos, tantum ut probabilem. 2. Quidam videntur nullum peccatum, neque veniale, deprehendere, per se quidem loquendo, in simplici omissione sacramenti; alii vero dicunt haberi peccatum veniale, quod quidam (ut Noldin-Schmitt et Regatillo) deducunt ex solo praecepto charitatis erga semetipsum, alii autem (ut Génicot-Salsmans, Prümmer et Kilker) etiam ex ipsa actuali lege canonica (can. 944).

SUAREZ: "Est communis opinio, nullum esse affirmativum praeceptum de suscipiendo hoc sacramento, etiam in extremo vitae discrimine. Ita D. Thomas, in 4, d. 23, art. 1, q. 3, ad 1, ubi in hoc sensu negat hoc sacramentum esse de necessitate salutis; non enim agit de sola necessitate medii, sed etiam praecepti, ut patet, quia in hoc constituit differentiam inter hoc sacramentum et Eucharistiam. Idem sentit Palud. . . . Soto . . . Gabriel . . . Sylvest. . . . Navarr. . . . Cajet. . .. Armilla . . . Victor. . . . Ruard. . . . Covarr. . . .

"Qui fundantur, quia tale praeceptum neque ex natura rei sequitur ex institutione hujus sacramenti; nec invenitur a Christo, vel ab Ecclesia traditum; ergo asser-

MDisp. 44, sect. 1, n. 1-7.
" *De sacramentis et censuris,* disp. de Extrema Unctione, dub. 10.
" *Antoninus Diana . . . coordinatus* (curavit Martinus de Alcolca) t. 2, tr. 4, rcsol. 25.
" *Theologia moralis,* 1. 5, tr. 8, c. 7.
l *luris divini, naturalis et ecclesiastici moralis explicatio,* t. 2, 1. 6, c. 2, § 5, n. 7.
' *De sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 3.
' *Cursus theologicus,* tr. 17, disp. 9, dub. 2, § 3.
' *Cursus theol.,* tr. 7, c. 4, punct. 2.
' *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, circa iinem.
'*Theologia moralis,* 1. 6, pars 2, n. 213.
' *Theologia moralis,* tr. 7, c. 1, sect. 2, § 4.
' *Cursus Theologiae moralis (seu Ethica supernaturalis),* tr. 8, disp. 7, a. 1, n. 4.
* *Tractatus de Extrema Unctione,* diss. un., a. 7.
10 *Tractatus de sacramentis Poenitentiae et Extremae Unctionis,* disp. 3, c. 2, a. 3.
" Plures, ut *Hurter, Billot, H Mazzella, Hugon, Larnicol, Garrigou-Lagrange, Piolanti,* nihil habent de hac quaestione quam Moralistis abdicare videntur. Facile tamen suspicari licet quod communi S. Thomae sententiae connaturaliter suffragium suum dedissent si de ea scripsissent.

endum non est. Major probatur, quia sacramentum hoc non est medium necessarium ad salutem, sed tantum utile, et ad melius esse; ergo ex vi suae institutionis non affert secum praeceptum. Minor vero patet, quia nec tale praeceptum invenitur scriptum; Jacobus enim promulgans hoc sacramentum, nullum verbum apposuit vim praecipiendi habens, sed simpliciter dixit: 'Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, etc.' Neque etiam in Conciliis repentur . . . Nec etiam tale praeceptum sufficienti aliqua traditione aut consuetudine introductum est, cujus argumentum est, quod Theologi tale preceptum non agnoscunt. Nec Concilium Tridentinum aliquid hujusmodi insinuavit; nam, sess. 7, de sacramentis in genere, solum dixit, non omnia esse singulis ad salutem necessaria; in sess. vero 14, agens de hoc sacramento, tantum dixit, non posse a Christianis sine peccato contemni. Praeterea Ecclesia cum tempore interdicti permittat ministrari fidelibus ea sacramenta, quae sunt necessaria, hoc minime permittit, ut patet ex c. 'Quod in te', de Poenit. et remiss., et sequenti libro, suo loco latius dicemus; ergo signum est usum hujus sacramenti absolute non esse necessarium, atque adeo non esse in praecepto divino; de Ecclesiastico autem certum est nullum extare; ergo."[12]

FRASSEN: "Petes: Quaenam sit obligatio suscipiendi hoc sacramentum?

"Respondeo primo, quod si Extrema Unctio attendatur secundum se et absolute in ordine ad hominem constitutum in morbo periculoso, fideles adultos ad sui receptionem non obligat, siquidem ad id tenerentur, vel necessitate medii, vel necessitate praecepti. Non prima, quia hoc Sacramentum non est tantae necessitatis, ut sine ejus receptionem salus non possit comparari; siquidem nullo ex capite talis necessitas colligitur, quia nullum extat praeceptum vel in Scriptura, vel in Traditione, vel in Canonibus, aut praxi Ecclesiae. Non quidem in Scriptura, si enim aliquod hujus Sacramenti suscipiendi esset praeceptum, maxime peteretur ex verbis S. Jacobi: at ita non est, siquidem S. Jacobus solum ibi promulgat hoc Sacramentum, et magis hortatur fideles ad ejus receptionem, quam illam praecipiat: igitur non est obligatio illud suscipiendi sub peccato. Neque etiam ex Canonibus, aut praxi Ecclesiae, quia praxis Ecclesiae non fundatur in obligatione, sed in utilitate consequenda ex hujus Sacramenti receptione. Neque etiam ex Canonibus, nullus enim canon apparet, ex quo colligatur haec necessitas; quare Ecclesia tempore interdicti prohibet dari moribundis Sacramentum Extremae Unctionis, cap. 'quod in te de poenit. et remissione', quod certe non prohiberet, si esset illis necessarium necessitate medii, vel praecepti, ob eam enim rationem non prohibet illis dari Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae per modum viatici.

"Respondeo secundo, quod si hoc Sacramentum consideretur per ordinem ad quasdam circumstantias speciales, puta scandali, vel contemptus, aut conscientiae, aliquando fideles adulti ad ejus receptionem obligantur, quisque enim tenetur vitare scandalum, et ea sibi media procurare, quae ex conscientia judicat esse necessaria ad salutem consequendam: at ex omissione receptionis hujus Sacramenti potest interdum oriri scandalum, puta vel suspicio haeresis, vel hujus Sacramenti contemptus, si nempe aliquis bene audiens apud omnes, sciat se constitutum in morbo periculoso, et communem esse fidelium praxim. ut hoc Sacramentum in tali statu recipiatur, illud tamen respuit coram pluribus, sicque dat occasionem suspicandi. quod sit haereticus; vel ex parte conscientiae, si nempe infirmus dubitet de sua Contritione, nec possit suscipere Sacramentum Poenitentiae, cujus ope fiat ex attrito contritus, in eo casu tenetur sibi procurare hujus Sacramenti receptionem, ut nempe habeat media sufficientia ad salutem."[13]

BJLLUART: "Petes . . . utrum hoc sacramentum sit necessarium ad salutem? *R.* 1°. Non est vi suae institutionis necessarium necessitate medii ad salutem. Est communis et certa; tum quia supponit gratiam et amicitiam Dei per poenitentiam,

l: Disp. 44. sect. 1, n. 2, *Opera omnia* XXII (cd. C. Berton, Parisiis: Vives 1S66) 863.

"De sacramento Extremae Unctionis, disp. 3, q. 3, *Scotiis Academicus X* (editio nova, Romae 1902) 631 sq.

cujus est complementum; tum quia gratia confortans animum aegroti potest aliunde haberi. 2°. Neque videtur necessarium necessitate praecepti divini vel humani, per se directe obligantis. Est communior cum Auctore 3 p. q. 65, a. 40, ubi dicit hoc sacramentum non esse necessarium, sed utile tantum. *Ratio* est, quia nullum assignari potest praeceptum stricte per se obligans ad susceptionem hujus sacramenti, sive in S. Scriptura, sive in traditione, sive in decretis conciliorum aut summorum pontificum. Non debet autem asseri praeceptum sine gravi et aperto fundamento. Ergo."[14]

NOLDIN-SCHMITT: 'Obligatio suscipiendi sacramentum extremae unctionis non potest dici per se gravis, nullum enim exsistit praeceptum sacramenti huius suscipiendi. Ncgligentia autem, qua quis data occasione ex mera socordia hoc sacramentum non recipit, certe veniale peccatum est. Et sane praeceptum suscipiendi extremam unctionem non potest colligi 1) ex rei natura, cum ad salutem per se non sit necessaria; neque 2) ex verbis s. Jacobi: 'inducat presbyteros'; quae verba ex se non magis ut praeceptiva accipi debent, quam verba immediate praecedentia; ecclesia autem nunquam declaravit ea praeceptiva esse; neque 3) ex voluntate ecclesiae, quae tale praeceptum nunquam dedit; verba enim cn. 944; 'nemini licet illud negligere' praeceptum sub gravi obligans non continent. Cf. De confirmatione n. 93. Neque tandem 4) ex institutione huius sacramenti: etenim affirmari nequit illud pro moribundis esse unicum medium ordinarium procurandae salutis Deumque ei, qui hoc sacramentum suscipere negligit, necessarias gratias negare, quibus in ultima lucta iuvetur. Haec confirmantur ex his, quae habet catechismus romanus.

"De obligatione suscipiendi extremam unctionem hucusque eadem agitabatur quaestio ac de confirmatione. Novus Codex consulto abstinuit ab ea dirimenda atque de utraque solum dicit: 'nemini licet eam negligere.' Cum ergo status quaestionis hisce non sit mutatus, utraque sententia auctorum retinet suam probabilitatem. Obligatio levis suscipiendi hoc sacramentum ex praecepto caritatis desumenda est, quo unusquisque sibi procurare tenetur tam utile praesidium in extremo periculo. Qui tamen data occasione hoc sacramentum suscipere renuit, graviter peccare potest aut ratione scandali aut ratione contemptus."[15]

Huic tertiae sententiae consentiunt generatim etiam theologi *Orientales Schismatici,*[16] etsi latinorum distinctiones necessitatis medii et praecepti negligere soleant. Ipsi *libri symbolici* nihil explicite proferunt de sacramenti necessitate, si excipiatur *Confessio fidei Critopuli* (de qua mox), minoris ceteroquin auctoritatis.

Inter antiquiores theologos, *Gabriel Severus* (**t** 1616),[17] *Metrophanes Critopulus* (**t** 1639),[18] et *Silvester Lebedinskij* (**t** 1808),[19] distinguunt sacramenta in necessaria et non necessaria seu tantum utilia, et inter haec ultima referunt Euchelaeum, seu Extremam Unctionem. Recentiores quidem theologi, ut *Dyovuniotis,*[20] *Mesoloras, Andrutsos, Rallis* et *Malinovskij,*[21] ea distinctione reiecta vel omissa,

[14] *Tractatus de Extrcma-Unctione,* diss. un., a. 7, *Cursus theologiae* (Parisiis 1901) X 23.

[15] *"Summa theologiae moralis* (cd. 26, Ocniponte 1940) **III** 459 sq.

[16] Cf. SpAcil, *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana." n. 74. Romae 1931) 108-111.

[17] Σιψταγμάτιορ *π«ρι των αγΙων και 'κρών μυστηρίων* (Venetiis 1691) 33.

[18] *Confessio fidei,* c. 5; Apud E. I. Kimmel, *Monumenta fidei ecclesiae orientalis* (lenae 1850) **II** 90-93.

[19] *Compendium theologiae classicum* Irussice] (Mosquac 1805) 474.

[20] Τὰ *μυστήρια* (Athenis 1913) 23

[21] *Summa orthodoxo-dogmaticae theologiae* Irussice] IV (Scrghicv Posad 1909) 55.

omnia sacramenta necessaria dicunt, attamen hanc eos necessitatem non intelligere stricte sed tantum modo generali et confuso (prout nempe importat utramque strictam et moralem necessitatem) ex eo apparet quod simul docent subiectum gratia sacramentali non privari nisi ex contemptu, non autem ex mera neglegentia, susceptionem sacramentorum omittat, et Extremam Unctionem esse necessariam iis qui in talibus circumstantiis inveniuntur ut hac medicina indigeant; imo *Rallis*[22] explicite ait necessitatem Extremae Unctionis esse intelligendam ut moralem et ritualem, non vero ut canonicam seu praeceptivam, cum nulla lege praecipiatur sub poena.

Fere unicus *Th. Gorskij,* theologus russus, allata ipsa distinctione necessitatis medii et necessitatis praecepti, numerat Extremam Unctionem inter sacramenta quae sunt de necessitate praecepti, scribens: "Duplex sacramentorum necessitas spectatur, altera medii, ut sine illis salus aeterna obtineri nequeat, stante ordinaria lege divina; altera necessitas praecepti, quorum sacramentorum omissio si aliquo casu contingat, non hoc ipso statim sequitur dispendium salutis. . . Necessaria necessitate praecepti sunt eucharistia, chrisma, extrema unctio in casu infirmitatis, ordo seu sacerdotium ratione communitatis . . . coniugium ratione societatis."[3]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Extrema Unctio non est per se stricte necessaria ad salutem, necessitate medii.

Probatur 1. *Ex sensu Ecclesiae.*

Cone. Trid. nonnisi Baptismum et Poenitentiam exhibet tanquam media necessaria ad salutem. Exhibita generatim necessitate seu utilitate omnium sacramentorum, contra Protestantes asserentes eorum superfluitatem (sess. 7, can. 4 de sacr. in gen.: "Si quis dixerit, sacramenta novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua . . . A.S."), Concilium docet Baptismum esse "non liberum" (sess. 7, can. 5 de Bapt.), sed "necessarium ad salutem" (sess. 14. cap. 2, sess. 5, can. 4) quippe qui se habet ut "justificationis instrumentum" (sess. 6, cap. 7) "per quod Christi meritum applicatur" (sess. 5, can. 3). Poenitentiae autem necessitatem parem facit ipsius Baptismi necessitati, eam vocans "secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam" (sess. 6, cap. 14; cf. sess. 14, cap. 1 et 2),

[3] Ikpi *των μυστηρίων* (Athenis 1905) 125.
MGorskij (pseud. O.E.M.), *Orthodoxae orientalis ecclesiae, dogmata seu doctrina Christiana de credendis* (Mosquae 1831) 241. Apud Spatii,, *op, cit.* (supra, in p. 365) 109.

"sacramentum lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus" (sess. 14, cap. 2; sess. 6, can. 29) atque ideo "iure divino necessarium" lapsis remedium (sess. 14, cap. 5 et can. 6 et 7; cf. cap. 2 et 4).

Talem vero ad salutem necessitatem de nullo alio sacramento Concilium praedicat, ne quidem de Eucharistia,[14] et multo minus de Extrema Unctione, quam, etsi efferat ut "poenitentiae et totius Christianae vitae consummativum . . . [necnon] finis vitae firmissimum praesidium" (sess. 14, prol. de E. U.) et ut "ritum mandatum Dei habentem" atque fidelibus "ministrandum" ab eisque "suscipiendum," nulla tamen stricta necessitate urget sed a solo contemptu directe defendit, inquiens: "Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posset" (sess. 14, de E. U., cap. 3).

Hunc ceteroquin Ecclesiae sensum interpretatur concors sententia theologorum, abnegantium huic sacramento tale genus necessitatis, atque authentice declaravit *Codex J.C.* (can. 944) explicita et doctrinali affirmatione: "Hoc sacramentum per se non est de necessitate medii ad salutem," ubi incisum "per se" non aliam excipit medii necessitatem quam eam quae aliunde, seu non ex ipsa rei natura, contingere potest quibuscunque mediis, tam sacramentalibus quam extrasacramentalibus.

Unde supradicta opinio *Kern,* quatenus logice tendit ad asserendam aliquam, utut diminutam aut relativam, medii necessitatem, male sonare videtur nec, saltem post Codicem, taliter formulari potest.

Probatur 2. *Ex denegata huic sacramento ipsa necessitate divini praecepti.*

Si enim Extrema Unctio, ut probabitur in Conci, seq., non est necessaria necessitate praecepti divini, nec est necessaria necessitate medii. Nam haec necessitas connaturaliter induceret necessitatem praecepti divini saltem naturalis, tum quia lex naturalis praecipit propriae saluti consulere ac ideo sumere necessaria media salutis a Deo condita,[15] tum quia eadem voluntate qua Deus vult ut homo assequatur finem salutis, vult quoque ut homo assumat media ad illum finem instituta, quae quidem voluntas esset frustranea, nisi esset imperativa, seu si relinqueretur homini facultas pro libito ea media sumendi vel praetermittendi.[16]

Cf. tractatum *De Eucharistia* I 497 sq.; ct hic infra, p. 385, 405, 409, ubi de doctrina S. Thomae.

15 Cf. tractatum *De Baptismo et Confirmatione* 122.

Cf. tractatum *De Poenitentia* I 485; II 475.

Probatur 3. *Ex ipsa indole et effectu huius sacramenti.*

Illud est de necessitate medii ad salutem, sine quo, ex natura rei aut ex positiva institutione, justificatio et consequenter salus absolute obtineri non potest, ita quod ab eius positione neque impotentia neque ignorantia excuset. Iamvero, absque Extrema Unctione potest justificatio et salus obtineri, nam Extrema Unctio est sacramentum vivorum seu supponit vitam gratiae et statum justificationis iam acquisitum per Poenitentiam cuius ipsa est merum complementum, atque pro suo specifico effectu habet remotionem non ipsius peccati sed reliquiarum peccati, quae quidem ex peccato procedunt sed a peccato separantur nec in peccatum necessario ducunt nec salutis assecutionem impediunt etsi aliquatenus retardent. Ergo Extrema Unctio nullam habet necessitatem medii, quae solis sacramentis mortuorum, Baptismo scilicet et Poenitentiae, competit, nec ipsi Eucharistiae concedi potest nisi prout, ob praevalentem eius excellentiam, continetur quodammodo in voto in ipsis sacramentis mortuorum, ut explicatum est in tractatu *De Eucharistia* I 506-517.

Ceterum, hanc conclusionem iam generaliter statuimus in tractatu *De sacr. in genere* 340-342, ubi cum S. *Thoma* (3 p., q. 65. a. 4. infra cit., p. 404) distinximus inter tria sacramenta absolute necessaria, sine quibus nempe finis haberi non potest, scilicet Baptismum, Poenitentiam et Ordinem ('quorum duo priora referuntur ad finem seu bonum individui, tertium vero ad bonum societatis ecclesiasticae), et tria sacramenta moraliter tantum necessaria, sine quibus nempe finis non ita convenienter habetur, scilicet Confirmationem, Extremam Unctionem et Matrimonium (quorum duo priora iterum referuntur ad bonum individui, tertium vero ad bonum commune). Ubi etiam addidimus, ex mente S. Thomae, Eucharistiam utramque necessitatem participare sub diverso tamen respectu, prout consideratur ut bonum individuale vel ut bonum ipsum commune.

Inde patet quid dicendum sit ad supra relatam (p. 369) *Kern sententiam de quadam mitigata seu relativa necessitate medii:*

1. Extrema Unctio ex sua institutione est quidem medium necessarium ad salutem, non tamen sine quo salus non habetur, sed tantum sine quo salus non ita convenienter habetur. In opinione Kern videtur fieri confusio inter necessarium medium et necessitatem medii; medium enim aliquod potest habere duplicem necessitatem ad finem, scilicet strictam (quae potest esse medii vel praecepti) et moralem (quae secundum se est nec medii nec praecepti).

2. Extrema Unctio idem genus necessitatis retinet sive relate ad

moribundos, seu in articulo mortis versantes, sive relate ad eos qui in solo periculo mortis constituuntur. Sacramentum enim est institutum generaliter in bonum eorum qui sunt in periculo mortis, sive sint in simplici periculo mortis sive in ipso extremo periculo seu in articulo mortis, adeoque relate ad utrosque eandem habet necessitatem et efficacitatem, ex ipsa unitate finis et essentiae deductam; nequit enim unum atque idem sacramentum duplicem finem ac necessitatem habere, nec aliunde magis et minus ex parte conditionis subiecti valet mutare speciem necessitatis ac duplicare finem et efficacitatem eiusdem sacramenti. Unde inepta est illa Kern distinctio inter moribundos et alios infirmos nec valet fundare relativam quandam necessitatem medii in hoc sacramento relate ad solos moribundos.

3. Si Extrema Unctio esset moribundis medium ex sua institutione et natura stricte necessarium ad salutem, esset tale simpliciter seu absolute, sicut Baptismus et Poenitentia, ita ut nec impotentia nec ignorantia excusaret, et sic haberetur proprie ac simpliciter necessitas medii quae ab omnibus theologis et ab ipso Codice I.C. huic sacramento denegatur. Id patet ex ipsis conceptionibus et definitionibus quae a doctoribus de necessitate afferuntur (cf. supra, p. 366-368); medium enim, a cuius positione excusat ignorantia vel impotentia, non est ex sua natura aut non est stricte necessarium ad finem, sed vel est mere conveniens ex sua natura ac redditur necessarium ex voluntaria impositione (stricta necessitas positivi praecepti) vel est necessarium ex sua natura non tamen stricte sed tantum moraliter (necessitas moralis). Unde ineptum est Kern tentamen creandi novum aliquod genus necessitatis medii, diminutae nempe aut relativae.

4. Mirum non est Kern suam opinionem proponere tantum ut probabilem, nam ex ipsa prima sua fronte tam peregrina apparet ut nullam sibi spem certitudinis repromittere possit.

5. Ceterum ipse finis, ob quem Kern talem probabilitatem defendit ut nempe possit inde deducere id quod practice magis interest, scilicet gravem ac certam obligationem suscipiendi hoc sacramentum in articulo mortis, simpliciter frustratur, eo praecise quod falsa sit illa illatio a probabilitate talis necessitatis sacramenti ad certitudinem obligationis illud suscipiendi.

Si probabile quidem esset Extremam Unctionem esse de necessitate medii ad salutem, ea illatio teneret, quia, ut aiunt Moralistae, non licet uti probabilismo ubi agitur de medio necessario ad aeternam salutem et pars tutior in favorem legis praevalere tunc debet: sed quia e converso certum est Extremam Unctionem non esse de necessitate medii ad salutem, eius necessitas, quomodolibct a Kern intelligatur (nec ceteroquin aliter logice intelligi potest quam ut necessitas

praecepti, cum inter cluas has necessitates media non cietur) et quantumvis probabilis, nequit certam parere obligationem, cum, iuxta commune Moralistarum principium, lex dubia non obliget, maxime in dubio de ipsa legis existentia, et usus probabilismi sit licitus ubi non agatur de re proprie ac simpliciter necessaria, necessitate nempe medii, ad salutem.

Unde videmus patronos utriusque sententiae, negantis scilicet vel affirmantis strictam Extremae Unctionis necessitatem, ad praefatam illationem Kern, cui videntur adhaerere Cappello (n. 271) et Umberg (supra cit.) nequaquam descendere, sed implicite vel explicite significare gravem obligationem suscipiendi sacramentum non esse practice certam vel in praxi urgeri non posse. Ita ipse S. *Alphonsus* dicit tantum sententiam affirmantem gravem obligationem "omnino suadendam sibi apparere"; *Noldin-Schmitt* (n. 447) ait "infirmum non teneri sub gravi suscipere extremam unctionem"; ipse Cappello in sua ultima ac resolutiva conclusione non affirmat nisi graviter peccare eum qui cum scandalo vel ex contemptu recusat sacramentum suscipere (n. 272, 3°); *Arregui* (n. 667) docet obligationem suscipiendi Extremam Unctionem "per se probabiliter non esse gravem"; *Kilker* scribit: "From a glance at the mighty names aligned upon either side of the question, it can be seen that adherence to either side is entirely justifiable. Practically, however, the reception of Extreme Unction cannot be urged as a serious obligation."[27] Nec iuvat citationes longius protrahere.

Conclusio 2. Extrema Unctio non est per se stricte necessaria necessitate praecepti, sive divini tam naturalis quam positivi, sive etiam ecclesiastici.

Probatur per tres partes.

Γ PARS. NON DATUR PRAECEPTUM DIVINUM NATURALE.

Id ostenditur tum indirecte, seu ex ipsa iam reiecta medii necessitate, tum directe, seu ex consideratione ipsius naturae instituti sacramenti ex qua sola naturale praeceptum fluere posset, ut explicatum est supra (p. 367).

Et primo quidem, si Extrema Unctio esset de necessitate praecepti divini naturalis, esset eo ipso etiam de necessitate medii. Nam. ut innuimus supra (p. 384), necessitas praecepti naturalis fundatur ac Huit immediate ex ipsa necessitate medii; ideo enim in homine consurgit obligatio sumendi aliquod medium ad finem, quia illud ex sua natura et indole (seu vel ob connaturalem et intrinsecam rationem

[27] *Op. cit.* (supra, in p. 372) 280.

vel ex extrinseca institutione) habet necessariam connexionem cum fine ita quod sine eo finis absolute obtineri non possit, et aliunde ipsa voluntas qua Deus vult ut homo assequatur finem salutis necessario quoque imperat ut homo sumat media ad illum finem ordinata.

Secundo, ex consideratione ipsius naturae instituti sacramenti nequaquam fluit tale praeceptum. Nam, ut satis dictum et explicatum est supra (p. 385) cum S. Thoma, hoc sacramentum non est necessarium ad hoc ut simpliciter obtineatur finis salutis sed tantum ad hoc ut convenientius obtineatur (necessitas moralis), idque constat ex eius specifico effectu, ex quo natura ipsa determinatur quique consistit in auferendo non ipsum peccatum sed reliquias peccati, salutis aeternae non exclusivas.

Unde frustra insudant Kern aliique doctores in explicando, ex ipso *capite 2 Cone. Trid.,* quomodo Extrema Unctio sit necessarium auxilium, specialiter a Deo conditum pro statu finis vitae tanquam "consummativum poenitentiae" et "finis vitae firmissimum praesidium" praesertim contra spiritualia pericula et daemonum tentationes. Nam totum hoc verum est, sed extra quaestionem, cum exinde sequatur tantum mera magna convenientia huius sacramenti seu eius moralis necessitas; si enim quis strictam necessitatem inde colligere vellet, non aliam habebit nisi necessitatem medii quae ab ipso Codice I.C., Cone. Tridentini interprete, explicite denegatur. Unde inepte concludit Kern: "Inde [i.e. ex cap. 2 Cone. Trid.] consequitur, pro infirmis moribundis unicum esse constitutum medium ordinarium ideoque per se necessarium, quo eorum [moribundorum] salus in tuto ponitur: sacramentum exeuntium."[28] In his aliisque adversariorum assertionibus fit perpetua confusio inter moralem necessitatem et strictam medii necessitatem.

Praeceptum etiam generale et indirectum, seu indirecte et mediate procedens ex ipsa natura et institutione sacramenti, frustra a quibusdam theologis (cf. supra, p. 376-378) invocatur; nam lex charitatis nequit strictam suam obligationem ad hanc materiam extendere, cum agatur de materia de se non stricte sed tantum moraliter necessaria. Unde iterum ab adversariis fit continuata confusio et illegitimus transitus a morali ad strictam necessitatem. Quaestio enim ad hoc iugiter redit: estne hoc sacramentum ex natura sua stricte an tantum moraliter necessarium ?, atque iterum eadem responsio datur: non est stricte necessarium quia non ordinatur ad iustificandum sed tantum ad reliquias peccati auferendas, ita ut sine ipso, et sine specifica eius gratia sacramentali, salus aeterna aliis mediis, tam sacramentalibus quam extrasacramentalibus, comparari queat.

[28] *Op. cit.* (supra, in p. 370) 368.

Ubi observa nos non dicere absque hoc sacramento per alia media comparari posse ipsam eius specificam gratiam, sed tantum salutem aeternam; nam ea gratia alleviativa et reliquiarum peccati sanativa, prout est precise specificus effectus huius sacramenti nullo alio modo comparari potest, saltem secundum ordinarias leges divinae Providentiae[29] (ut patet ceteroquin de omnibus sacramentis ex ipso conceptu specifici effectus), et in hoc quidem fundatur ipsa moralis necessitas sacramenti. Unde non ex hoc praecise vim habet nostrum argumentum quod gratia sacramentalis Extremae Unctionis possit etiam aliis mediis obtineri, sed ex hoc quod haec ipsa gratia, quamvis non possit nisi per hoc sacramentum obtineri, tamen de se non est stricte necessaria ad salutem quae potest ab ipso infirmo etiam aliis mediis obtineri, quamvis non tam convenienter quam per gratiam Extremae Unctionis, in eius auxilium peculiariter ordinatam.

Ad rem *Suarez:* "Haec sententia [Petri Soto]. simpliciter loquendo de praecepto, sufficienter fundari non potest, et ideo a communi sententia recedendum non est. Nam quod hoc sacramentum sit per se utilissimum, et interdum ex accidenti possit esse necessarium, non satis ostendit praeceptum per se annexum huic sacramento ex vi religionis, aut charitatis Dei; hae namque virtutes non obligant sub praecepto ad id quod melius est, neque etiam charitas propria, ut per se constat. Et quamvis videatur quaedam prodigalitas spiritualis, sine cogente causa perdere tantum spiritualem fructum, tamen intrinsece ac per se non est peccatum mortale, quia sine illo fructu potest diligi Deus super omnia, et salus aeterna obtineri. Neque etiam ex parte periculi, cui homo se exponit, in articulo mortis omittendo tale remedium contra insidias inimici, est per se peccatum mortale, quia potest aliis modis subvenire sibi per orationem et sacrificia, quia licet hoc sacramentum multum ad hoc conferat, non est tamen necessarium medium, nec ob illius carentiam exponit se homo morali ac proximo periculo peccandi mortaliter in alio genere, seu consentiendi alicui tentationi daemonis."[30]

Ad haec Suaresii verba *Kern* obiciendo observat: "Contra argumentum ex necessitate confortationis Suarez excipit (Disp. 44. s. 1, n. 4): Homo 'potest aliis modis subvenire sibi per orationem et sacrificia, quia licet hoc sacramentum multum ad hoc conferat, non est tamen necessarium medium. . *Verum haec deberent non tantum asseri, sed etiam probari;* per se enim nequaquam sunt evidentia. . . Quod Suarez, sine probatione addit: 'Nec ob illius carentiam exponit

[29] Cf. tractatus *De sacr. in genere* 219 sq., *De Baptismo et Confirmatione* 346, et hic infra, p. 411.

[30] *Op. cit.* (supra, in p. 381), n. 4, p. 864.

se homo morali et proximo periculo peccandi mortaliter in alio genere seu consentiendi alicui tentationi daemonis/ difficile conciliatur cum iis, quae Tridentinum nos docet de horrenda ultima lucta, contra cuius pericula clementissimus Redemptor ordinaverit tanquam firmissimum praesidium sacramentum Extremae Unctionis."[31] Cui concinit *Cappello: "Praecipuum argumentum* [sententiae Suaresii, Billuart et aliorum], *nostro aliorumque indicio, quovis destituitur valore.* Homo, aiunt, 'potest *aliis modis* subvenire sibi per orationem et sacrificia',— 'gratia confortans animum aegroti potest *aliunde* haberi'.[32] Id *gratis* asseritur, dum probandum foret. Certe homo in statu gratiae constitutus, si bene oret, a Deo impetrat auxilia supernaturalia, ut possit daemonis tentationibus resistere. Sed Christus D. nequaquam promisit, aegroto qui *ex mera negligentia* nolit admittere saluberrimum auxilium quod ipsi tamquam medium ordinarium in vitae discrimine exhibetur, alio modo esse provisum. Agitur quippe de omissione *ex mera negligentia.* Si omitteretur ex impossibilitate absoluta vel relativa seu ex causa gravi, tunc quidem foret dicendum, Deum pro sua infinita misericordia consulere *aliunde* moribundo."[33]

Attamen haec omnia leviter dicuntur, ut satis patet ex dictis. Quod enim Suarez nobiscum asseruit, hoc nempe sacramentum non esse necessarium medium, iam antea breviter ipse probaverat, hanc afferens ex S. Thoma rationem quod Extrema Unctio ordinetur tantum "ad melius esse" salutis (cf. supra, p. 380 sq.). Quae ratio, amplius a nobis nuper explicata, nedum "quovis valore destituatur," fuit et est, de indicio frequentissimorum theologorum, validum fundamentum denegandi existentiam divini praecepti de suscipienda Extrema Unctione. Ultima verba ex Suaresio obiecta nullam involvunt inconciliabilitatem cum his quae docet Tridentinum, nisi gratis fingatur Concilium docere plus quam moralem necessitatem huius sacramenti. Ceterum, frustra ab adversariis accumulantur affirmationes de periculo cui quis se exponeret negligendo susceptionem sacramenti; nam tales expressiones facile ambiguae sunt ac insinuativae alicuius peccati quod sequitur non ex ipsa simplici sacramenti omissione, sed ex gradu et rationibus negligentiae, vel ex contemptu, vel ex aliis particularibus causis, de quibus agetur in Conci. 4 quaeque sunt accidentales et extra quaestionem.

Pariter obligatio quam quidam, ut *Lépicicr* (cf. supra, p. 376), conantur indirecte deducere *ex generali lege non contemnendi sacramenta,* falsa ratione fulcitur; nam in simplici omissione rei non absolute necessariae nequaquam contemptus per se implicatur, quippe

[n] *Op. cit.* (supra, in p. 370) 367 sq.
[32] Suarez, disp. 44. sect. 1, η. 4; Billuart, diss. un., a. 7.
[33] *Op. cit.* (supra, in p. 376) 188.

qui simplici omissioni aut neglegentiae addat rationem despectus sive parvae aestimationis. Unde ipse *S. Alphonsus* eam deductionem et rationem explicite respuit, scribens: "Utrum autem qui sciens et volens negligit hoc sacramentum suscipere dicatur contemnere? Affirmant Merbesius et alii. — Sed negant communius et probabilius Suarez, Salmant.; Palaus cum Sa, etc. Quia in tantum dicitur contemnere qui illud negligit, quia parvi facit; non vero qui non vult suscipere ob aliquam repugnantiam, vel quia putat non esse in praecepto. Et huic congruit id quod dixit Martinus V in bulla. Constantiae edita (ut refert Merbesius[11]), ubi: 'Hoc sacramentum (nempe Extremae Unctionis) neque negligi sine culpa, neque contemni posse sine peccato mortali'. Unde videtur Pontifex satis expressisse quod contemptus hujus sacramenti gravem quidem importat culpam: negligentia vero, non plus quam levem. — Vide dicta *de Sacrani. Confirm., n. 182, ad 3°*, quae huic sacramento etiam congruunt."[34]

IIa PARS. NON DATUR PRAECEPTUM DIVINUM POSITIVUM.

Nam tale praeceptum si adesset, colligeretur ex fontibus revelationis et Ecclesiae propositione. lamvero neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex Ecclesiae documentis, neque ex interpretatione et sensu antiquorum theologorum usque ad Cone. Trid.. illud colligi potest. Ergo non datur.

Ex verbis ipsis institutionis scu promulgationis, lac. 5. 14: "Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae" supradicti adversarii (p. 373) facile sibi videntur verum praeceptum colligere. Quam exegesim inter primos explicite proposuit *Cornelius a Lapide* [1] inquiens ibi "non tantum consilium sed et praeceptum" contineri, ac susceperunt ceteri, praecipue *Tournely,* scribens ea verba "gratis et sine fundamento ad merum consilium seu exhortationem inflecti . . . [cum] imperantis sint ac praecipientis, non consulentis tantum et adhortantis" (cf. supra, p. 373) et *Wcinhart* confidenter asserens: "La réception de ce sacrement n'est pas absolument nécessaire, 'necessitate medii', on a même prétendu qu'il n'y a pas de commandement à ce sujet, de sorte que ce ne serait pas l'absence, mais le mépris de l'Extrême-Onction qui serait coupable. Mais les paroles de S. Jacques suffisent pour établir le précepte, et. par conséquent, la nécessité du sacrement."[37]

[11] De hoc tamen documento ci. infra, p. 418.

[1] *Op. cit.* (supra, in p. 377) 743.

Talem exegesim nequaquam contineri in verbis S. *Thomae:* "Jacobus simul praeceptum edidit dc confessione facienda, ct extrema unctione percipienda" *(Suppi.,* q. 6. a. 5), ostendetur infra, p. 409.

[34] "Onction (Extrême)" *Dictionnaire Encyclopédique de la Théologie Catholique* 16 (1862) 363.

Attamen ex ipso textu, i.e. ex verbo "Inducat," nihil colligi potest, cum possit significare sive praeceptum sive consilium, et, ut apte notat *Suarez,* "Jacobus promulgans hoc sacramentum, nullum [aliud] verbum apposuit vim praecipiendi habens," imo verbum ipsum "inducat" *(προσκαλίσάσθω)* videtur potius innuere consilium cum exprimat actum seu manifestationem desiderii ex parte infirmi, ut observat *J. Chaîne.*™ Si vero attendatur contextus, hic potius videtur favere sensui meri consilii; nam verba "Oret" et "Psallat" in parallelo versiculo praecedenti (v. 13: "Tristatur aliquis vestrum? oret. Aequo animo est? psallat") certe non sonant praeceptum orandi et multo minus psallendi; agitur ergo in tota pericope de variis consiliis quae Apostolus tradit fidelibus pro variis vitae circumstantiis ac necessitatibus.

Quam quidem exegesim explicite tradunt plures auctores, etiam moderni, ut *Noldin-Schmitt, Bord,*™ *Kilker* et *De Ambroggi*eandem ceteroquin videtur iam ipse *Beda* tradidisse, scribens in suo commentario super lacobum: "'Infirmatur quis in vobis? etc.' Sicut dederat contristato, sic dat consilium et infirmanti . . . , tristato praecipiens ut ipse pro se oret et psallat, infirmanti autem vel corpore vel fide mandans ut qui majorem sustinuit plagam, plurimorum se adjutorio, et hoc seniorum curare meminerit" *(ML* 93. 39).

Quidquid sit, non videtur ex illis verbis quidquam solide deduci posse sive pro sive contra opinionem de divino praecepto suscipiendi hoc sacramentum.

Ex antiquae traditionis documentis, usque ad saec. 12, *quae retulimus in art. 1 (tom. 1,* p. 94—173) ac per tres periodos distribuimus, nihil solide deduci potest quo adstruatur divinum praeceptum suscipiendi Extremam Unctionem. Etsi enim in eis plures inveniantur expressiones quae prima fronte tale praeceptum sonare videntur (uti: lacobus praecepit; Hoc mandant praecepta Dei; Ex apostolica auctoritate; Secundum evangelium et apostolicum praeceptum; Iuxta statuta Patrum et decretalium; Unctio est adhibenda; Quilibet fidelis

" *προσκαλ(σάσθω* "exprime un acte, on un désir de la part du malade" *(L'épitrt dr Saint Jacques* [Paris 1927] 126).

"'"Le texte de saint Jacques ne lui est pas contraire [i.e. à l'opinion commune des théologiens]. L'apôtre emploie, au verset 13, la même tournure qu'au verset 14: quelq'un est-il malheureux, qu'il prie; est-il dans la joie, qu'il chante des cantiques; quelq'un est-il malade, qu'il appelle les presbytres. . . Mais l' écrivain inspiré n'intime certainement pas aux fidèles, qui sont dans l'allégresse, l'ordre strict d'entonner des chants pieux. Il est à croire que semblablement il ne veut pas imposer a ceux que la maladie afflige l'obligation rigoureuse de recevoir les onctions purificatrices des presbytres" *(L'Extrême Onction* [Bruges 1923] 59).

'"*Le epistoîe cattoliche di Giacomo, Pietro, Giovanni et Giuda* ("La Sacra Bibbia," cd. S. Garofalo, ed. 2, Torino 1949) 78.

hanc unctionem sibi acquirere debet; Fidelis, non recipiens unctionem, salutem suam operari dissimulat), tamen sive ex contexta oratione sive ex parallelismo et concordantia diversorum textuum facile apparet ibi agi vel de lege institutionis seu promulgationis sacramenti (ita ut: Secundum mandatum Iacobi, significet: Iuxta institutionem seu promulgationem factam a Iacobo), vel de praecepto administrandi sacramentum quod respicit non subiectum sed ministrum, vel de praecepto non recurrendi ad profanas et superstitiosas unctiones derelinquendo vel neglegendo sacram unctionem Ecclesiae, vel de emphatica expressione moralis necessitatis sacramenti quod fidelibus suscipiendum proponitur.

In prima periodo (a Didache circa initium saec. 2 ad Innocentium I initio saec. 5) bis tantum occurrit explicita referentia huius sacramenti ad textum Iacobi, i.e. apud Origenem et Chrysostomum, eaque nonnisi his verbis ab *Origene* introducitur: "Illud quod Jacobus apostolus dicit . . . ," quae quidem expressio nullum sonat praeceptum *(ibid.,* p. 98). Athanasius quidem refert multos infirmos tempore persecutionis "maluisse ita aegrotare ac periclitari, quam ut Arianorum manus capiti suo imponeretur" seu ab his haereticis Extremam Unctionem susciperent *(ibid.,* p. 103), sed ex verbo "periclitari" non sequitur Athanasium habere hoc sacramentum ut absolute necessarium ad salutem (secus ageretur de ipsa necessitate medii), nec ut stricte necessarium necessitate praecepti, nam nemo dici potest spiritualiter periclitari quando nequit observare positivum praeceptum, a quo ipsa impossibilitas excusat. In *Canonibus Hippolyti* agitur tantum de obligatione ipsius cleri, seu de infirmo qui "debet a clero visitari" ut possit ab episcopo sacramentum accipere *(ibid.,* p. 110).

In secunda periodo (ab Innocentio I initio saec. 5 ad Bedam initio saec. 8), multiplicatis iam referentiis ad textum Iacobi, praeter indifferentes expressiones "Iacobus dicit," "Deus per Iacobum loquitur, vel instruit," "Secundum Iacobum,"[41] proferuntur quaedam ex supradictis formulis quae praeceptum sonare videntur.

Ipse quidem *Innocentius I* in praeclaro sui testimonio de hoc sacramento nullatenus praeceptum indicat, imo in quibusdam verbis contrarium potius suadere videtur, scilicet: "(Fideles aegroti] sancto oleo chrismatis perungi *possunt,* quod . . . non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis *licet" (ibid.,* p. 116). In eodem textu S. Pontifex vetat Extremam Unctionem ministrari infirmis qui sunt adhuc publice poenitentes; attamen exinde non intendimus inferre absentiam divini praecepti suscipiendi hoc sacramentum, quia ibidem Innocentius

" Cf. ari. 2, tom. 1, p. 263.

etiam vetat eisdem infirmis ministrari cetera sacramenta, nominatim Poenitentiam et Viaticum quae sunt de divino praecepto. Ceterum sensus illius praescriptionis satis ambiguus est, ut notavimus in art. 1 *(ibid.,* p. 116, in nota).

Possidius loquitur de sacramento administrato iuxta "'modum ab apostolo definitum" *(ibid.,* p. 123) ; ubi non agitur de praecepto suscipiendi sacramentum sed de eius institutione seu promulgatione, vel, si placet, de mandato Christi decernente ipsam existentiam sacramenti.

Isaac Antiochenus conqueritur de sacramenti negligentia aut contemptu apud fideles ("Negligitur oleum apostolorum et martyrum," •'Signationem contemnunt," *ibid.,* p. 126); sed talis negligentia et contemptus pro obiecto habet non ipsum sacramentum sed ministros; reprobantur nempe ii qui sacramentum accipiunt ab indebitis ministris, seu a monachis, seposito ministerio legitimi sacerdotis.

Similem sensum et reprobationem continent haec verba *loannis Mandakuni,* loquentis de divino praecepto circa unctionem: "Quid nobis mandant praecepta Dei? Nonne nobis mandant, ut omnia opera nostra in tutela et praesidio crucis reponamus; nonne nobis mandant orationem pro infirmis et unctionem olei, et illis, qui a satana affliguntur, ieiunium et orationem? Qui haec spernit atque ad libros magicos et mulieres incantatrices recurrit, versatur extra praecepta et religionem christianam" *(ibid.,* p. 127). Agitur nempe non de divino praecepto suscipiendi unctionem sed de praecepto non recurrendi ad profanos et superstitiosos ritus, sepositis ritibus et mediis a Deo conditis. Idem sensus subest verbis *Caesarii Arclatcnsis:* "Sicut scriptum est [fideles] oleo benedicto a presbyteris deberent perungere, et omnem spem suam in Deo ponere," nec recurrere ad superstitiosos ritus, ad praecantatores et ariolos *(ibid.,* p. 128 sq.). Idemque praecipit *Eligius Noviomensis:* "Quoties aliqua infirmitas evenerit, non quaerantur praecantatores . . . sed qui aegrotat, in sola misericordia Dei confidat, ut Eucharistiam corporis et sanguinis Christi cum fide et devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat" *(ibid.,* p. 132).

Cassiodorus loquitur generaliter de "ammonitionibus" (necnon de "salutari regula'') a lacobo fidelibus traditis in sua epistola, ac subinde ait quod in infirmitate Apostolus "presbyterum dicit adhibendum, qui oratione fideli et olei sancti perunctione concessa, salvet eum qui videtur afflictus" *(ibid.,* p. 131). Ipsa vox "ammonitio" generaliter sonat; verba vero "presbyterum esse adhibendum, etc." possunt significare vel praeceptum ministrandi ex parte sacerdotis, vel praeceptum non recurrendi ad indebitos ministros, aut indebitos ritus (ut apud

Isaac Ant., Mandakuni, Caesarium et Eligium), vel meram ammonitionem seu indicationem spiritualis remedii ab Apostolo propositi.

Statuta S. Sonnatii referunt solum praeceptum ministrandi sacramentum: "Extrema unctio deferatur laboranti et petenti. . . Fidelibus pie sacramenta ministrent [pastores]" *(ibid.,* p. 131). Eundem sensum continent verba Callinici in sua *Vita S. Hypatii:* "Infirmum oleo sacro inungi debere" *(ibid.,p.* 134), necnon quod refertur in *VitaS. Eutychii:* "Sic solebat facere cunctis aegrotantibus, qui ad se accedebant [i.e. ungebat eos oleo sancto]; quemadmodum et divus Jacobus praecepit: 'Infirmatur, inquiens, aliquis ex vobis, inducat praesbyteros Ecclesiae . . .' " *(ibid.,* p. 135).

In tertia periodo (a Beda initio saec. 8 ad saec. 12) praeceptivae expressiones multiplicantur, quarum quaedam satis ambiguae prima fronte videri possunt; attamen, tum ex generali concordantia et parallelismo doctrinae variorum scriptorum tum ex examine singulorum textuum, apparet non aliam illis expressionibus subesse significationem quam varium illum sensum supra assignatum/2 Imo duo praecipua documenta, scilicet Innocentii I (supra rei.) et Bedae, a quibus cetera immediate ac fere serviliter dependent, satis clare suggerere videntur nullum adesse proprie dictum ac directum praeceptum divinum de huius sacramenti susceptione.

Plura documenta saec. 8-9, ut Egbertus Eboracensis, Capitulare Caroli Magni, Capitulare Aquisgranense. Gerbaudus Leodiensis. Thcodulphus Aurelianensis, Amalarius Metensis, Rodulphus Bituricensis. Hincmarus Rhemensis, Herardus Turonensis, Cone. Cabillonense. Cone. Aquisgranense. Cone. Moguntinum, Regino Prumensis, Cone. Turonense, Ratherius Veronensis *(ibid.,* p. 146-157). insistunt in solo praecepto et *obligatione ministrandi* Extremam Unctionem. Ex quo illegitime inferretur praeceptum suscipiendi.

Quidam, ut lonas Aurelianensis, Walafridus Strabo, et Haymo Halberstadiensis, repetentes verba ipsius Bedae. dicunt "morem esse Ecclesiae, ab ipsis apostolis traditum, ut infirmi ungantur oleo pontificali benedictione consecrato." Ubi nullum indicatur suscipiendi praeceptum, etiam in more seu consuetudine fundatum, sed potius sermo est de *divina institutione* tum sacramenti tum consecrationis olei in eo adhibendi.

Quidam, ut Isaac Antiochenus, Cone. Cabillonense. Rodulphus Bituricensis, lonas Aurelianensis, Cone. Ticinense, Aefricus Cantuariensis *(ibid.,* p. 126, 154-157; cf. infra, p. 432), mere conqueruntur

,s In p. 393.

de *negligentia* fidelium relate ad susceptionem huius sacramenti, sed ipsam hanc neglegentiam nequaquam exponunt ut gravem infractionem alicuius distincti ac proprie dicti praecepti divini.

Beda (**t** 735) verba lacobi de suscipiendo sacramento videtur interpretari de mero consilio, non secus ac eiusdem verba de orando et psallendo in tempore tristitiae, indifferenter in utroque casu adhibens expressionem "consilium, praeceptum, mandatum" ("Sicut dederat contristato, sic dat consilium infirmanti," "Infirmanti mandans," "Tristato praecipiens"; *ibid.,* p. 142,3).

Poenitentiale Egbcrti Eboracensis (**t** 764) habet: "Hanc unctionem quilibet fidelis, si possit, acquirere sibi debet, et statuta, quae ad eam pertinent" *{ibid.,* p. 146). Ex his verbis non necessario deducitur strictum praeceptum, sed potius in eis videri potest emphatica commendatio moralis necessitatis sacramenti, ut suadet ipsa ratio quae immediate sequitur: "Quoniam scriptum est quod quicumque hanc disciplinam habuerit, anima ejus aeque pura sit post obitum ac infantis qui statim post baptisma moritur"; sensus nempe totius pericopae videtur esse: Si quis vult tam magnum effectum consequi, debet suscipere hoc sacramentum. Ceterum, ipsum incisum "si possit" videtur emollire sensum necessitatis in verbo "debet."

Agobardus Lugdunensis (**t** 846), reprobans quasdam superstitiosas fidelium consuetudines, ait: "Melius enim facerent, si . . . ad Ecclesiam currerent, ungendi oleo, secundum praeceptum evangelicum et apostolicum" *{ibid.,* p. 151). Praeceptum hic indicat vel praeceptum non recurrendi ad superstitiosos ritus, ut supra apud Caesarium et Eligium, vel apostolicam institutionem seu promulgationem sacramenti, ut supra apud Walafridum, Haymonem et Possidium. Hunc alterum sensum referunt etiam verba *Rabant Mauri:* "Jacobo apostolo ita praecipiente" et *Amulonis Lugdunensis:* "Juxta evangelicum et apostolicum praeceptum."

lonas Aurclianensis (a. 829) ait: "Multis namque propter ignorantiam. multis propter incuriam, haec olei unctio ab usu recessit. Quibus autem in usu non est, necesse est ut in usu veniat. Unde oportet ut quando quis infirmatur, non a divinis et divinatricibus . . . sed ab Ecclesia . . . unctione sanctificati olei, sibi remedium . . . postulet" *{ibid.,* p. 151). Verba "necesse est" non implicant obligationem recipiendi sed necessitatem redintegrandi apud fideles usum sacramenti et repellendi tum ignorantiam et incuriam plurium erga sacramentum tum eorumdem proclivitatem recurrendi ad superstitiosas unctiones.

Paschasius Radbertus (**t** 865): "Secundum Apostolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio

" Praecipuam partem textus nuper retulimus, p. 392.

plurimorum, post sanctificatio unctionis" *(ibid.,* p. 153). Hic necessitas ("adhibenda est") refertur ad ordinem et modum subveniendi infirmis, non vero ad strictam obligationem infirmi suscipiendi unctionem. Eundem sensum habent haec Paschasii verba in sua *Vita S. Adalhardi:* "Cum coepisset . . . episcopus a nobis percunctari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est, deberet [Adalhardus] perungui; interrogavimus eum utrumne vellet" *(ibid.,* p. 154).

Hincinarus Rheniensis (**t** 882) de sola stricta obligatione ministrandi sacramenta et de varia (stricta vel morali) horum necessitate ad salutem loquitur cum scribit: "Nec reverens [Odacrus, episcopus intrusus] divinum judicium, nec pensans quantum periculum sit . . . quantis rusticanarum parochiarum in tanto tempore presbyteris defunctis, ipsarum parochiarum parvuli sine baptismo perire potuerunt, quanti viri, quantae feminae, sine reconciliatione et sacri olei unctione atque sancta communione, et sine eorum animarum per orationes solemnes commendatione de isto saeculo exierunt" *(ibid.,* p. 155).

Cone. Ticinense a. 850 non necessario strictum suscipiendi praeceptum, sed potius gravem admonitionem de morali sacramenti necessitate, proponit in his verbis: "Magnum sane et valde appetendum mysterium [est Extrema Unctio]. . . Sed quia frequenter contingit ut aegrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci presbyter congruenter admonere, quatenus ad hanc spiritualem curam secundum proprias possibilitatis vires vicinos quoque presbyteros invitet" *(ibid.,* p. 156).

Aejricus Cantuariensis (**t** 1005?) eandem admonitionem discrete proponit, cum ait: "Quidam vero aegroti hoc [i.e. olei unctionem] nihili pendunt, et aegritudine sua se non concedunt ungi. Dicam quid de iis docuit Jacobus Domini apostolus, qui credentibus ait: . . . 'Infirmatur quis in vobis? . . .' " *(ibid.,* p. 157).

Saec. 11 *Petrus Damianus, Bonizo* et *Theophylactus,* qui signanter de hoc sacramento loquuntur *(ibid.,* p. 158 sq.), nihil peculiare dicunt de eius necessitate.

THEOLOGI SAEC. XII AD SAEC. XVI, seu usque ad Cone. Trid., *signanter Albertus M., Bonavcntura et S. Thomas* quos ceteri facile sequuntur, solam moralem necessitatem huius sacramenti communiter docent, si forte excipiatur una vel altera vox, apparenter discordans, quae ceteroquin haud difficulter ad communem chorum revocari potest.

Saec. 12 Goffridus Vindocensis, Ivo Carnotensis et Petrus Cluniacensis, in sua controversia de iterabilitate huius sacramenti (de qua in art. praec.) quaestionem de eius necessitate directe non tangunt.

cum nullam peculiarem connexionem habeat cum ea controversia. *Petrus Cluniaeensis* (t 1158) quidem ait: "Iterari . . . necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem. Istud indicant et ipsa verba hoc praecipientis Apostoli: Infirmatur . . . quis in vobis . . *(ibid.,* p. 161), sed in hac ratione agitur tantum de necessario nexu inter existentiam peccatorum et iterabilitatem sacramenti, et verba "Praecipientis Apostoli" referuntur non ad necessitatem suscipiendi sed ad mandatum institutionis.

Summa Sententiarum (medio saec. 12) : "Si *ex contemptu* hoc sacramentum praetermittitur vere periculosum est et damnabile."" Hic tantum affirmatur necessitas vel praeceptum non contemnendi sacramentum, non vero necessitas illud suscipiendi, imo haec potius excludi videtur eo ipso quod prior tantum exhibeatur.

Petrus Lombardus (t 1160) eadem verba repetens, addit mentionem culpabilis negligentiae: "Si *ex contemptu vel negligentia* sacramentum hoc praetermittitur, periculosum est et damnabile."[45] Quidam, ut Kilker et Cappello post Suarez, putant per additionem rationis negligentiae Lombardum favere sententiae de necessitate praecepti, seu hanc necessitatem innuere, cum mera negligentia rei non praeceptae nequeat dici periculosa et damnabilis. Attamen nihil probat Magistrum ibi agere de mera negligentia prout opponitur contemptui et non potius de tali gravi negligentia quae, ratione suae causae et modi, generet contemptum vel aequivaleat contemptui, ita ut agatur de eadem contemptus ratione duplici modo, pro duplici origine, expressa, scilicet formaliter et aequivalenter seu causaliter. Imo hic alter sensus suadetur ex ipso parallélisme cum *Summa Sententiarum,* cuius verba exscribit Lombardus, et proponitur explicite ab ipsis immediatis Magistri commentatoribus, scilicet *Bonaventura* et S. *Thoma* infra referendis (p. 401 et 406).

Robertus Paululus (t 1178) eadem *Summae Sententiarum* ac Lombardi verba repetit sub magis emphatica ac determinata forma: "Hoc sacramentum contemnere damnabile est. Sine contemptu absque eo decedere, damnabile non est."[46]

Alanus de Insulis (t 1202) e contrario videtur strictam sacramenti necessitatem docere, scribens: "Est autem hoc sacramentum necessitatis: si quis enim tempus habuerit, non impediente necessitate, et unctus non fuerit, in periculum animae ei cedet.""

[44] Pars 2, tr. 6, c. 15, *ML* 176. 154.
[45] *Sententiae,* l. 4. dist. 23, n. 2, *ML* 192. 899.
[46] *De caeremoniis, sacramentis, officiis et observationibus ecclesiasticis,* l. 1, c. 27, *ML* 177. 396.
[47] *Theologicae regulae,* rcg. 113, *ML* 210, 682.

Attamen ex parallélisme» aliorum doctorum videntur haec verba explicari posse vel de stricta obligatione non contemnendi aut crasse negligendi susceptionem sacramenti, vel de morali sacramenti necessitate ita ut periculum animae intelligatur large pro difficultate, non vero pro impossibilitate, consequendi salutem ob neglectam sacramenti susceptionem. Parum enim verisimile videtur Alanum tantopere discrepare ab aliis doctoribus eiusdem aetatis.

ALBERTUS M., In 4 Sent., dist. 23, ubi de Extrema Unctione, non ponit specialem quaestionem de necessitate, sed, agens de materia huius sacramenti (a. 3) et de ejus ministro (a. 6), hanc quaestionem distincte tangit, ter explicite negans Extremam Unctionem esse sacramentum necessitatis, eamque opponens Baptismo:

"Sacramentum baptismi est sacramentum necessitatis, et ideo materiam accipit communem, quae tamen convenientiam ponit ad suum effectum: sed in isto sacramento [Extremae Unctionis] neutrum horum est: quia *nec necessitatis est,* nec est communis aliqua materia, ut ita poneret convenientiam ad effectum suum."[48]

"Quia [Extrema Unctio] *non est sacramentum necessitatis,* sufficienter periculo infirmorum provisum est in hoc quod ministri sunt parati: et si non contingat ipsum, dummodo sit desiderium sumendi, sufficit coram Deo ad salutem, licet non ita forte cito plenae liberationis effectum consequatur infirmus."[49]

"Exercitium sacramenti conceditur [simplici] sacerdoti propter periculum infirmorum [etsi ei non concedatur consecratio olei, episcopo reservata] : saepe enim hoc contingit in sacramentis divinis. Et hoc ideo fit, quia Ecclesia secundum consilium Dei instructa, omnibus modis infirmis consulit in utilitate sacramentorum: et ideo tales vult habere ministros, quales de facili possunt haberi ab his qui sacramenta habent percipere: cum autem illi sint infirmi, in sacramento isto placuit Deo, quod essent simplices sacerdotes qui in omnibus locis de propinquo haberi possent. Et propter necessitatem voluit quod omnis homo omnem hominem baptizare posset: nihilominus tamen tenet ordinem in aliis, in quibus non est periculum sine sanctificatione materiae [i.e. alia sacramenta, ut Extremam Unctionem, non omnis homo ministrare potest, sed iuxta ordinem, nec ullum sequitur periculum ex eo quod ab ipsis ministris nequeant conferri sine praevia consecratione materiae, *cum non sint necessaria* sicut Baptismus]."[50]

Ceterum superius in *dist. 7,* explicite agens *de necessitate Confir-*

" *hi 4 Seni.,* dist. 23, a. 3, ad 3, *Opera omnia* XXX (cd. S. C. A, Borgnct, Parisiis: Vives 1894) 7.

"*Ibid.,* ad 4.

" *Ibid.,* a. 6, ad 1, p. 13.

mationis, distinguit inter necessitatem absolutam, sine qua salus non habetur, et necessitatem conditionalem (scilicet relativam, vel, ut nunc dicimus, moralem), atque illam concedit soli Baptismo et Poenitentiae, hanc vero Confirmationi, Eucharistiae et Extremae Unctioni: "Dicendum, quod necessitas est multiplex, sicut determinatur a Philosopho in libro V *Metaphysicae.* Est enim *necessitas absoluta:* et hac necessitate non est necessaria confirmatio ad salutem. Est iterum *necessitas conditionis,* scilicet finis alicujus: ut si debeat homo manere in vita, necesse habet comedere. Ita potest dici quod necessaria est confirmatio ad salutem: si debeat fides robuste et sine pavore defendi in impugnationibus hostis: licet enim alias ex gratia in baptismo percepta habeat unde stet, non tamen hoc habet ex gratia specialiter ordinata ad robur contra debilitatem quae est ex fomite deprimente, . . . et si debeat hoc robur haberi, necessarium est confirmari. . .

"Dictum Hugonis ['Quid prodest si per baptismum erigeris, nisi per confirmationem ad standum confirmeris?'] dupliciter potest intelligi: uno modo ut loquatur in casu ubi *contemptus* religionis excludit sacramentum: quia contemnere sacramentum est condemnabile, *quamvis in se non sit necessarium.* Alio modo potest dici, quod non dicit hoc: quia ex hoc sequitur condemnatio [necessitas absoluta], sed quia *ut frequenter sequitur* ex debilitate cadendi in pugna spirituali [necessitas moralis]. . .

"Morbus dupliciter expellitur per gratiam sacramenti: uno modo quoad culpam, et sic expellitur in baptismo quoad originalem culpam, et in poenitentia quoad culpam actualem: et ex hac expulsione habetur sufficientia salutis. Alio modo expellitur quoad poenam inclinantem in culpam, et quoad hoc expellitur *in confirmatione, et sacramento altaris, ct extrema unctione:* et ex hoc habetur sufficientia roboris ad pugnandum contra hostes spirituales."[51]

Tandem, in *dist. 16,* cum agit de Poenitentia, transeunter iterum tangit rationem necessitatis Confirmationis, cui supra assimilaverat Eucharistiam et Extremam Unctionem, atque comparans Confirmationem cum Eucharistia quoad ipsam rationem necessitatis, scribit: "Eucharistia licet dignissimum sit sacramentorum quantum ad rem contentam, non tamen est necessaria ei qui aedificatur in Christiana religione, sicut confirmatio: quia pugna instat Christiano continua: et ideo necesse est, quod Christianus fundetur in illa. . . Confirmatio *non est sacramentum necessitatis:* sed quia Christiana religio non tantum attendit ea quae sunt necessitatis, sed etiam *ea quae sunt perfectionis,* ideo necesse est quod sustinentia perfectionem aedificii

[51] *hi 4 Sent.,* dist 7, a. 1, sol., ad 2 ct 3, *ibid.* XXIX 150.

in fundamento ponantur. Pugna autem persecutionis est de perfectione vitae et religionis Christianae: et ideo ut super quod aedificetur, praemittitur Confirmatio in fundamento. Unde in primitiva Ecclesia statim confirmabantur postquam erant baptizati."[82]

Summa igitur doctrinae Alberti M. haec est: Extrema Unctio non est absolute necessaria ad salutem, sicut Baptismus, sed tantum, sicut Confirmatio, "conditionaliter," seu attento non ipso generali fine salutis, sed "fine aliquo" particulari, i.e. ad habendam specialem gratiam sacramentalem, cuius "contemptus est condemnabilis" vel cuius defectus frequenter inducit periculum salutis. Ex quibus omnibus comparationibus et restrictionibus satis patet S. Doctorem solam proponere necessitatem moralem, non vero strictam necessitatem sive medii sive etiam praecepti. Unica difficultas contra hoc deduci potest et ab adversariis (ut Kern, Cappello et Umberg) deducitur ex ambiguis illis verbis dist. 23: "Et si non contingat ipsum [sacramentum] dummodo sit desiderium sumendi, sufficit coram Deo ad salutem"; sed quia eadem difficultas occurrit in textu S. Thomae, Alberti discipuli, congruentius infra resolvetur ubi de Angelici doctrina.

BONAVENTURA, pariter specialem quaestionem de necessitate Extremae Unctionis non instituit, sed plura occasionaliter dicit, quibus significat hoc sacramentum non esse strictae, sed tantum moralis necessitatis.

In 4 Sent., dist. 23, a. 1, q. 3, ad 1. obicienti quod hoc sacramentum deberet habere, sicut Baptismus, materiam communem seu non consecratam, cum sit sacramentum eorum qui maxime sunt "in articulo necessitatis," respondet: "Ad illud . . . quod obicitur de communitate materiae, dicendum quod istud *non est sacramentum necessitatis.*"[53]

In fine eiusdem distinctionis 23, *dub. 4* super litteram Petri Lombardi scribit: "Item quaeritur de hoc quod [Magister] dicit: 'Si ex contemptu vel negligentia sacramentum hoc praetermittitur, periculosum est' etc. Videtur enim male dicere, quia negligentia in his quae *non sunt de necessitate salutis* non generat periculum nec facit hominem dignum damnatione. Respondeo quod 'vel' non tenetur disiunctive, sed magis intelligitur subdisiunctive [aut, si placet, copulative, ita ut 'vel' sit idem ac 'et']; unde non intelligitur hoc de qualibet negligentia, sed solum de negligentia quae generat contemptum sive quae habet contemptum annexum. Unde ita iudicandum est sicut iudicatur de Sacramento altaris."[84]

[u] *In 4 Sent.,* dist. 16, a. 50, q. 3, ad 1 et 2, *ibid.* 648.

[53] *Opera theologica selecta,* IV: *Liber IV. Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 584.

[84] *Ibid.* 593.

Suarez (Disp. 44, sect. 1, η. 3), et post ipsum unus vel alius modernus, male interpretatur sententiam S. Doctoris ac si implied praeceptum suscipiendi Extremam Unctionem eo quod in ultimis verbis assimilet hoc sacramentum Eucharistiae quae est de praecepto divino. S. Doctorem negare strictam necessitatem Extremae Unctionis apparet tum ex ipso textu, in quo explicite docet solam negligentiam contemptuosam parere periculum salutis, tum ex ipsa asserta paritate cum necessitate Eucharistiae; nam in *dist. 12,* parte 2, a. 2, q. 1, ubi explicite agit de Eucharistiae necessitate, pariter docet "sacramentum hoc *non esse de necessitate, quantum est de sua institutione;* sed si est, hoc est ex assumpto officio [puta pastoris] vel mandato superaddito . . . quod instituit Ecclesia, ut fideles communicarent semel in anno et in morte. Unde, *si quis negligit, non est sine contemptu;* ideo peccat mortaliter."[55] Non clare apparet quo sensu S. Doctor videatur negare ipsum praeceptum divinum suscipiendi Eucharistiam, loquens tantum de praecepto ecclesiastico, nec utrum velit etiam in hoc parificare Extremam Unctionem Eucharistiae ac si etiam de Extrema Unctione esset strictum praeceptum ecclesiasticum; sed hoc unum certum est, scilicet ex instituta illa paritate inter utrumque sacramentum nullatenus sequi Extremam Unctionem esse de divino praecepto, iuxta mentem Bonaventurae; in utroque casu et in utroque textu S. Doctor totam rationem necessitatis reducit ad obligationem non contemnendi susceptionem sacramenti.

Eodem modo S. Doctor loquitur in *dist. 7,* a. 3, q. 2, in quaestione *de necessitate Confirmationis,* quam explicite pqpit et in qua distinguit, sicut Albertus M., duplex genus necessitatis, scilicet "necessitatem simpliciter et necessitatem conditionatam" (seu relativam aut moralem) quam dicit tunc tantum generare periculum salutis cum quis ex negligentia contemptuosa sacramentum non suscipit: "Quaeritur, utrum gratia Confirmationis sit de necessitate salutis. . . Dicendum quod est *necessitas simpliciter* et est *necessitas conditionata.* Simpliciter non est gratia Confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione, scilicet pugnanti et vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti. . . Ex institutione . . . Ecclesiae est quod nullus ab hoc sacramento excipitur, sed omnes suscipere debent, ut sint strenui pugnatores; et ideo, si quis, cum habet locum et tempus et opportunitatem, *negligendo contemnit,* periculo se exponit. . . xAuctoritas Hugonis [dicentis: Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret'] . . . intelligitur ratione negligentiae et contemptus institutionis Ecclesiae...

[55] *Ibid.* 279.

Ad illud quod obicitur ad oppositum, quod [Confirmatio] non est necessaria simpliciter, verum est, quia morienti et non contemnenti sufficit gratia baptismalis. . . Est igitur necessaria gratia Confirmationis, non sine qua simpliciter non sit salus, sed sine qua, vel per sacramentum vel alias accepta, pugnando non pervenitur ad salutem."[56]

In Breviloquio, parte 6, c. 5, S. Doctor distinguit sacramenta in tres classes, attento ordine dignitatis: "Quaedam sunt Sacramenta, quae praecipue respiciunt excellentiam virtutis sive dignitatis, ut Sacramentum Confirmationis et ordinis; quaedam, quae respiciunt indigentiam necessitatis, ut baptismus et matrimonium, quorum unum generat, alterum regenerat ad existentiam debitam; quaedam autem media, ut Eucharistia, poenitentia et unctio extrema."[57] Hinc nihil directe pro vel contra nostram quaestionem deduci potest, quoniam ex una parte Extremae Unctioni denegatur simplex et universalis necessitas Baptismi quae ipsi Poenitentiae non convenit, et ex alia parte ipsa assimilatur Poenitentiae et Eucharistiae quin ulterius dicatur in quo haec tria sacramenta differant quoad ulteriorem rationem non universalis necessitatis (Poenitentia enim est absolute necessaria non omnibus sed tali subiecto, i.e. peccantibus post Baptismum).

In c. 11 tamen, ubi agit directe de Extrema Unctione, S. Doctor proponit solam moralem necessitatem huius sacramenti, scribens: "Hujus sacramenti operatio [Et idem dic de necessitate] debet regulari a fine; et finis est, quia introductum est *ad salutem felicitatis perpetuae facilius et expeditius consequendam;* et hoc fit per devotionem sursum levantem et per exonerationem a culpis venialibus et aliis sequelis, quae deorsum deprimunt. . . Sic disponitur homo per hoc Sacramentum *ad plenitudinem sanitatis* per deletionem omnis venialis peccati."[58]

Ceterum, ipsa tota doctrina Bonaventurae de specifico effectu Extremae Unctionis, consistente in remotione peccatorum venialium (quae nullo modo obstant fini salutis aeternae),[59] ad hanc logicam conclusionem ducit ut hoc sacramentum sit tantum de morali necessitate.

Summa igitur doctrinae Bonaventurae haec est: Extrema Unctio "non est sacramentum necessitatis" sicut Baptismus; "non est de necessitate salutis"; in eius omissione "solum negligentia quae habet contemptum annexum" est culpabilis seu damnabilis; de Extrema Unctione "ita iudicandum est sicut indicatur de Sacramento altaris"

[56] *Ibid.* 162 sq.
[57] *Tria opuscula ad theologiam spectantia* (cd. 5, Ad Claras Aquas 1938) 218.
[58] *Ibid.* 240sq.
[59] Cf. *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 1; *Breviloquium,* p. 6, c. 11, nuper cit.; item supra, art. 11, p. 56-58.

adeoque ipsa "non est de necessitate quantum est de sua institutione, sed si est, hoc est ex mandato superaddito quod instituit Ecclesia." Quibus omnibus excluditur stricta necessitas, tum medii tum praecepti divini, et sola indicatur necessitas moralis (salva fortasse stricta necessitate praecepti ecclesiastici), qua nempe hoc sacramentum est necessarium non "simpliciter" ad salutem, sed "conditionate" seu sub conditione, i.e. ad hoc ut quis "salutem facilius et expeditius consequatur," quatenus obtinet "plenitudinem sanitatis per deletionem omnis peccati venialis."

S. *THOMAS* pariter peculiarem articulum de necessitate huius sacramenti non habet, sed de ea agit tum in generali ac distincta quaestione de necessitate omnium sacramentorum, tum transeunter et occasionaliter in variis locis, signanter in expositione ipsius litterae Petri Lombardi et in *Suppi.*, q. 29, a. 3, ad 1.

3 *p., q. 65, a. 4:* "Necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitae humanae. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria. Duo quidem personae singulari; baptismus quidem simpliciter et absolute; poenitentia autem, supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiae, quia 'ubi non est gubernator, populus corruet,' ut dicitur Prov. xi, 14. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta. Nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctio poenitentiam; matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat."

In hoc textu, S. Doctor posita generali quaestione "An omnia sacramenta sint de necessitate salutis," distinguit *duplicem necessitatem* ad finem (in casu: ad finem salutis), unam iuxta quam aliquid dicitur necessarium quia "sine eo non potest haberi [aliter: esse] finis," alteram iuxta quam aliquid dicitur necessarium quia "sine eo non habetur finis ita convenienter" (vel, ut ait in q. 72, a. 1, ad 3, quia "operatur ad perfectionem salutis"); cum autem addat hoc secundo modo aliquid "non esse simpliciter necessarium ad finem," dici potest S. Thomam distinguere inter necessitatem simpliciter acceptam et necessitatem secundum quid acceptam. Priorem autem tribuit Baptismo (necessitatem quam dicit simpliciter et absolutam), Poenitentiae (necessitatem quam dicit simpliciter sed non absolutam, seu conditionalem et suppositivam, quae nempe supponit existentiam

peccati post Baptismum) et Ordini (necessitatem provenientem ex bono communi Ecclesiae; cf. *Suppi.,* q. 29, a. 3, ad 1, infra cit.). Alteram tribuit Confirmationi, quatenus perficit Baptismum, Extremae Unctioni, quatenus perficit Poenitentiam, et Matrimonio, ex parte boni communis seu quatenus conservat multitudinem Ecclesiae (ac ita quodammodo et indirecte perficit Ordinem).

De Eucharistia autem S. Doctor nullum verbum ibi facit,[60] eo quod, ut notavimus in tractatibus *De sacr. in genere* 340-342 et *De Eucharistia* I 506-517, de mente S. Thomae est quod hoc sacramentum participat, sub diverso quidem respectu, utramque necessitatem.[61]

Eandem sacramentorum distinctionem fusius S. Doctor exponit *In 4 Sent.,* dist. 7, q. 1, a. 1, q. 2, et breviter resumit in *3 p., q. 72, a. 1, ad 3,* agens de Confirmatione, necnon in q. 73, a. 3, et in *Suppi.,* q. 29, a. 3, ad 1, infra cit., agens de ipsa Extrema Unctione. *In 4 Sent.,* dist. 8, q. 1, a. 2, q. 1, sol. et ad 2, infra cit., paulo aliter, pro diverso scopo, eam distinctionem tradit.

Ibid., ad 3: "Licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus sacramenti ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum quod non est de necessitate salutis. Alioquin omnes qui non accipiunt ordinem, et qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiusmodi sacramenta."

S. Doctor Matrimonium et Ordinem indigitat sub expressione "Sacramentum quod non est necessarium ad salutem," implicite significans quod, ubi nulla fit appositio, expressio "Sacramentum necessarium ad salutem" convenit solis Baptismo et Poenitentiae, per quae fit remissio peccatorum salutem impedientium, ita ut, simplici locutione et nulla apposita particula determinante, Extrema Unctio non sit necessaria ad salutem (etsi sit necessaria secundum quid, relative et moraliter); idque ceteroquin S. Doctor explicite ait de Confirmatione et Extrema Unctione in *Suppl.,* q. 29, a. 3, ad 1, infra cit.

In eadem responsione S. Doctor obicienti quod "in omni sacramento contemptus religionis impedit salutem . . . [adeoque] omnia sacramenta sunt de necessitate salutis" respondet quod ipsa omissio, imo ipsa *simplex negligcntia, susceptionis sacramenti non est contemptus sacramenti* nisi quoad sacramenta quae sunt de necessitate salutis, hoc iterum intelligens de solis Baptismo et Poenitentia, non vero de aliis sacramentis, ut patet tum ex *Opusculo de articulis fidei*

[60] Attamen *In 4 Sent.,* dist. 7, q. 1, a. 1, q. 2, S. Doctor ait: "Hoc modo (i.e. moraliter] confirmatio et *omnia alia [sacramenta* praeter Baptismum et Poenitentiam] sunt necessaria. Vcrumtamcn contemptus cujuslibet sacramenti est periculosum."

[61] "Cf. 3 p., q. 73, a. 3; q. 80, a. 11; *Suppi.,* q. 29, a. 3, ad 1, infra cit.; *In 4 Sent.,* dist. 7, q. 1, a. 1, q. 2; dist. 8, q. 1, a. 2, q. 1, sol. et ad 2; dist. 12, q. 3, a. 2, q. 1, sol. et ad 1.

et Ecclesiae sacramentis, infra cit., tum ex *In 4 Sent.,* dist. 7, q. 1, a. 1. q. 2,02 tum ex ipso hoc textu, explicite quidem quoad Ordinem et Matrimonium et implicite, ex contexta materia, quoad cetera tria, tum ex 3 p., q. 72, a. 1, ad 3, et a. 8, ad 4 quoad Confirmationem, tum ex *Expositione textus Magistri* infra cit. quoad Extremam Unctionem; quoad ipsam Eucharistiam S. Doctor id directe non dicit, forte quia ipsa participat de utraque necessitate stricta et morali, ut supra dictum est (cf. *In 4 Sent.,* dist. 12, q. 3, a. 2, q. 1, ad 2).

Opusculum de articulis fidei et Ecclesiae sacramentis: "Quaedam sacramenta sunt de necessitate salutis, sicut [= scilicet] Baptismus et Poenitentia, quibus non existentibus non potest homo salvari. Alia vero sacramenta non sunt de necessitate salutis, quia sine eis potest esse salus, nisi propter contemptum sacramenti."

Hic breviter et apte traditur doctrina duorum praecedentium textuum.

Suppi., q. 29, a. 3, ad 1 (ex *In 4 Sent., dist. 23, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1):* "Multa Dominus fecit et dixit quae in Evangeliis non continentur. Illa enim praecipue curaverunt Evangelistae tradere quae ad necessitatem salutis et Ecclesiae dispositionem pertinent. Et ideo potius institutionem baptismi et poenitentiae et Eucharistiae et ordinis factam a Christo narraverunt quam sacramentum extremae unctionis, quae neque est de necessitate salutis, neque ad dispositionem sive distinctionem Ecclesiae pertinet."

S. Doctor hic agens directe de Extrema Unctione, recolit brevitér distinctionem sacramentorum in duo membra, alia quae pertinent ad necessitatem salutis (Baptismus, Poenitentia et suo modo Eucharistia) vel ad necessitatem boni Ecclesiae seu ad dispositionem sive distinctionem societatis (Ordo. Nulla fit mentio Matrimonii), alia quae ad neutrum finem sunt necessaria (Confirmatio et Extrema Unctio). Hic S. Doctor utrumque sacramentum Confirmationis et Extremae Unctionis simpliciter parificat et de utroque ait: *"Non sunt de necessitate salutis."* Idem dicit inferius *q. 32, a. 3, ad 2:* "Baptismus est sacramentum necessitatis, non extrema unctio," necnon *In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 3, q. 1, ad 3; q. 2, a. 1, q. 2, ad 2.

In 4 Sent., dist. 23, Expositio textus Magistri, ad finem: " 'Sed ex contemptu vel negligentia', *contra.* Negligentia in his quae non sunt de necessitate salutis, non est damnabilis. — Et dicendum quod hoc magis accipiendum est copulative quam disjunctive: non enim quaelibet negligentia, sed negligentia ex contemptu procedens, vel contemptum inducens damnabilis est."

** Nuper cit., p. 405, in nota.

Hic S. Doctor, agens de Extrema Unctione, breviter ac distincte resumit duo praecedentia asserta, scilicet Extremam Unctionem *non esse de necessitate salutis* et cius omissionem non esse de se illicitam *nisi connccctatur cum contemptu.*

In 4 Sent., dist. 8, q. 1, a. 2, q. 1, sol. et ad 2: "Sacramenta novae legis tripliciter se habent ad veterem legem. Quaedam enim essentialiter fuerunt in veteri legi, quamvis non ut sacramenta novae legis, sed magis secundum quod sunt in officium vel actum virtutis; sicut poenitentia, ordo, et matrimonium. Quaedam fuerunt, secundum aliquid eis respondens non essentialiter, sicut baptismus et eucharistia. Quaedam autem nihil respondens habuerunt in veteri lege, sicut confirmatio et extrema unctio.

"Cujus ratio est, quia prima tria sacramenta non solum sunt sacramenta; sed poenitentia est actus virtutis; ordo autem pertinet ad officium dispensationis sacramentorum; matrimonium autem ad officium naturae; et ideo in qualibet lege requiruntur. Baptismus autem et eucharistia sunt sacramenta tantum gratiam continentia; et ideo ante tempus gratiae esse non debuerunt. Sed quia sunt sacramenta necessitatis, baptismus quidem quantum ad effectum, eucharistia autem quantum ad fidem ejus quod repraesentatur per ipsam; ideo oportuit quod in lege Moysi haberent aliquid respondens: sed *confirmatio et extrema unctio* sunt sacramenta gratiam continentia; et ideo in veteri lege esse non debuerunt. Et *quia non sunt sacramenta necessitatis,* sed cujusdam superabundant perfectionis; ideo non oportebat quod haberent aliquid respondens, cum non esset tempus plenitudinis gratiae; et ideo haec duo non fuerunt praefiguranda aliquibus expressis figuris, similiter neque prima tria, sed tantum duo media, scilicet eucharistia et baptismus. . .

"Perfectio eucharistiae est simpliciter major quam perfectio confirmationis et extremae unctionis, sed illae sunt majores secundum statum: quia perfectio eucharistiae, quae est per conjunctionem ad principium sanctitatis est omnibus de necessitate salutis; sed perfectio Spiritus sancti ad robur quae est in confirmatione, vel perfectio purgationis a reliquiis peccati, quae est in extrema unctione, non est omnibus necessaria; et ideo perfectioni eucharistiae debet aliquid respondere in qualibet lege, non autem perfectioni confirmationis et extremae unctionis nisi in lege in qua est status perfectionis, quae est lex gratiae."

S. Doctor hic, agens de figuris Eucharistiae et inquirens an debuerit in A.T. praecedere aliquod sacramentum figurale sive Eucharistiae sive ceterorum sacramentorum N.T., iterum distribuit sacramenta in

tria membra, et de tertio membro, comprehendente Confirmationem et Extremam Unctionem, ait nullum habuisse correspondons in A.T. quia haec duo sacramenta "*non sunt sacramenta necessitatis* [sicut Baptismus et Eucharistia], sed cujusdam superabundantis perfectionis. . . [Nam] perfectio Spiritus sancti ad robur quae est in confirmatione, vel perfectio purgationis a reliquiis peccati, quae est in extrema unctione, non est omnibus necessaria."

In 4 Sent., dist. 7, q. 3, a. 2, q. I: "Suscipere baptismum est in praecepto, cum sit sacramentum necessitatis. . . Sed sacramentum confirmationis non est necessitatis, sed utilitatis alicuius consequendae causa accipitur."

Hic S. Doctor explicite negat Confirmationem esse *de praecepto,* et rationem assignat quia non est sacramentum necessitatis; ob eandem ergo rationem et ob toties ab eo praedicatam paritatem inter Confirmationem et Extremam Unctionem, sentit etiam hoc sacramentum non esse de praecepto.

Summa igitur doctrinae S. Thomae haec est: Extrema Unctio "non est de necessitate salutis" vel si placet "non est simpliciter necessaria ad finem," salutis, quasi "sine ipsa non possit haberi finis," est tamen secundum quid necessaria quatenus "sine ipsa non habetur finis ita convenienter"; in hac necessitate Extrema Unctio simpliciter aequiparatur Confirmationi; omissio seu negligentia Extremae Unctionis non est per se illicita seu damnabilis nisi sit "neglegentia ex contemptu procedens vel contemptum inducens." Quae omnia excludunt strictam necessitatem, sive medii sive praecepti, et solam includunt moralem necessitatem seu magnam convenientiam ad salutem (vel, si placet, strictam necessitatem non ad obtinendam ipsam salutem, sed ad eam obtinendam tali modo seu conditione, scilicet per deletionem reliquiarum peccati quae est proprius effectus huius sacramenti).

Nec valet ex verbis S. Thomae deducere solam exclusionem necessitatis medii, retenta stricta *necessitate praecepti.* Nam haec etiam evidenter excluditur omnibus praedictis rationibus et signanter ex ratione negligentiae non culpabilis; si enim Extrema Unctio praeciperetur, eius omissio esset necessario culpabilis et aequivaleret ipsi contemptui praecepti.

Ceterum in ultimo textu citato S. Doctor explicite negat Confirmationem esse de praecepto, praecise quia non est sacramentum necessitatis, et ob eandem rationem idem intelligit de Extrema Unctione, quam constanter associat Confirmationi in hac quaestione de necessitate. Unde cum grano salis legenda sunt sequentia verba, in quibus prima fronte S. Doctor videtur loqui de praecepto suscipiendi

Extremam Unctionem illudque comparare praecepto confitendi: "Quia ea quae sunt de necessitate salutis tenetur homo in hac vita implere, ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc vel baptismum suscipiendum. Et propter hoc etiam Iacobus simul praeceptum edidit de confessione facienda, et extrema unctione percipienda" *{Suppi.,* q. 6, a. 5). Absque manifesta enim contradictione cum tota doctrina et verbis nuper relatis nequit S. Doctor hic velle assimilare Extremam Unctionem Poenitentiae et Baptismo quoad eorum necessitatem; unde verba "praeceptum de confessione facienda et extrema unctione percipienda" sunt accipienda in sensu abstractive simul et distributive, nempe pro aliquo mandato quod pro Poenitentia intelligatur stricte seu praeceptive, pro Extrema Unctione vero tantummodo large et commendative. Quod enim S. Thomas principaliter et proprie intendit, est probare necessitatem confessionis in articulo mortis, ac ideo commemorat praeceptum Iacobi de confessione, quod non potuit convenienter facere nisi commendando simul mandatum de Extrema Unctione, quod illi in eodem contextu associatur. Sensus igitur textus est: Confessio est stricte necessaria in articulo mortis (ubi sit peccatum mortale); propterea Iacobus dum commendat (praecepto late dicto) fidelibus in articulo mortis Extremam Unctionem, simul proponit praeceptum (proprie dictum) confitendi.

Nec valet opponere exemplum Eucharistiae quae est de praecepto tum divino tum ecclesiastico. Nam, ut ex dictis patet, S. Thomas non simpliciter aequiparat Eucharistiam Extremae Unctioni, aut ceteris sacramentis praeter Baptismum et Poenitentiam, sed ei concedit quoque strictam medii necessitatem ex qua necessario consurgit ratio praecepti, et propterea S. Doctor alibi explicite loquitur de praecepto tum divino tum ecclesiastico Eucharistiam suscipiendi (3 p., q. 80. a. 11; *In 4 Sent.,* dist. 12, q. 3, a. 2, q. 1, sol. et ad 1 et 2).

Inde patet quam inepte quidam adversarii, ut Kern, Cappello et Umbcrg, sententiam horum doctorum, et nominatim S. Thomae, in dubium revocent, immo in suum javorem convertere conentur. Pro quo quidem unice adducunt textum sive ex Alberto M. sive ex S. Thoma, quo significatur effectum sacramenti posse sine sacramento obtineri sed *non sine voto seu proposito sacramenti.* Ex quo sic arguunt: Effectus Extremae Unctionis nequit haberi sine proposito saltem suscipiendi hoc sacramentum; iamvero hoc propositum certe deest si ex negligentia omittitur sacramentum; ergo qui ex negligentia omittit sacramentum nequit consequi effectum sacramenti; ergo susceptio sacramenti est stricte necessaria ad salutem, saltem necessitate

praecepti, a qua nonnisi impotentia vel ignorantia excusat quarum utraque potest consistere cum voto sacramenti.

Textum *Alberti M.* dedimus supra (p. 399 et 401). Textus S. *Thomae* sic se habet: "Quamvis effectus principalis alicuius sacramenti possit haberi sine actuali perceptione illius sacramenti, vel sine sacramento, vel per aliud sacramentum ex consequenti; numquam tamen haberi potest sine proposito illius sacramenti. Et ideo, quia poenitentia est principaliter instituta contra actualem culpam, quodcumque aliud sacramentum actualem culpam deleat ex consequenti, non excludit necessitatem poenitentiae" *{Suppi.,* q. 30, a. 1, ad 1). Observat igitur *Kern:* "Ex quo textu [Alberti M.] etiam apparet, defensores oppositae sententiae non bene ad s. Thomam aliosque scholasticos ob hoc solum provocare, quod dicunt, Extremam Unctionem non esse sacramentum necessitatis; ostendendum enim esset de singulis, eos ne desiderium quidem sive propositum s. Unctionis sumendae necessarium censere ad vincendum in ultima lucta. Concinit *Cappello* sub hac asseverantiori forma: "Haec verba [S. Thomae] sunt seria consideratione attendenda, utpote quae valorem habent decisivum: scii, effectus principalis extremae unctionis, qui est alleviatio et confortatio aegrotantis, potest quidem haberi etiam sine actuali perceptione sacramenti, sed numquam sine proposito sacramenti. Porro propositum certe deest, si ex mera negligentia non suscipitur. Ergo."[04]

Ceterum in favorem huius objectionis posset quis plures alios textus accumulare, in quibus S. Thomas continuo docet non posse gratiam sacramentalcm haberi saltem sine voto suscipiendi ipsum sacramentum. Id enim dicit de *omnibus sacramentis* in genere *{Suppi.,* q. 30, a. 1. ad 1; *In 4 Sent.,* dist. 24, q. 1, a. 2, q. 3, ad 2; *Quodlib.* 4, a. 10 [alias: q. 7, a. 1]), peculiariter de *Baptismo et Poenitentia {C. Gent.* 4. 72; *In 4 Sent.,* dist. 17, q. 3, a. 1, q. 1, sol. et ad 1; *Quodlib.* 4, a. 10), de solo *Baptismo* (3 p., q. 68, a. 2, c. et ad 1 et 3; q. 73, a. 3) de sola *Poenitentia (Suppi.,* q. 30, a. 1. ad 1), *De Eucharistia* (3 p., q. 72, a. 6, ad 1 et 3; q. 80, a. 11), de ipsa *Confirmatione* germana Extremae Unctionis (3 p., q. 72, a. 6, ad 1 et 3).

Attamen frustra ex his textibus et ex doctrina in eis contenta arguitur ad probandam strictam necessitatem sacramenti, iuxta mentem S. Thomae. Id imprimis esset velle explicare clarum per obscurum: nam ex dictis patet S. Doctorem clare docere Extremam Unctionem non esse ad salutem necessariam, et ita quidem quod ipsa

[03] *Op. cit.* (supra, in p. 370) 366; cf. 370.
[04] *Op. cit.* (supra, in p. 376) 190.

ncgligentia sacramenti non est damnabilis nisi aliunde connectatur cum contemptu sacramenti; unde absque manifesta contradictione S. Doctor nequit simul habere votum huius sacramenti tanquam stricte necessarium ad salutem. Ceterum, tota haec adversariorum obiectio, quam supra in logica forma reconstruere conati sumus, est merum sophisma, confundens necessitatem ad obtinendum effectum sacramenti cum necessitate ad obtinendam ipsam salutem, atque ab una ad alteram necessitatem illogice pertransiens; unde negatur ultimum consequens et ultima consequentia praefatae obiectionis. S. Thomas enim docet quidem votum sacramenti esse *necessarium ad obtinendum effectum sacramenti* seu gratiam sacramentalem (concesso quod gratia sacramentalis possit haberi etiam sine susceptione sacramenti per solum votum sacramenti, modo nempe alibi explicato®'), sed non dicit votum sacramenti esse *necessarium ad obtinendam ipsam salutem,* quod aliunde verum est de solis sacramentis quae, utpote peccati remissiva uti Baptismus et Poenitentia, sunt ad ipsam salutem stricte necessaria, tunc enim votum sacramenti, necessarium ad consequendum effectum sacramenti necessarii ad salutem, fit eo ipso mediate necessarium ad consequendam ipsam salutem. Hinc patet harmonia doctrinae S. Thomae: Is nempe qui negligit suscipere Extremam Unctionem, ac consequenter caret eius voto, effectum sacramenti consequi nullo modo poterit, et nihilominus, nisi adsit contemptus sacramenti, poterit ipsam salutem obtinere, quia hoc sacramentum, etsi sit necessarium ad producendam specialem gratiam sacramentalem. non est necessarium ad ipsam salutem, eo quod praecise ipsa gratia quam confert non est necessaria ad salutem cum non sit remissiva peccati, proprii salutis obstaculi, sed hanc remissionem supponat et nonnisi accidentaliter perficiat.

Unde non mirum est ipsum *Kern* suam explicationem verborum S. Thomae, quibus Cappello "valorem decisivum" tribuit, tandem eleganter transmittere et ipsi auctoritati Angelici logice valedicere, scribens: "Deinde animadvertimus, nos probabilitatem assertionis. Extremam Unctionem infirmis moribundis per se esse necessariam, deducere ex iis, quae nos docet Concilium oecumenicum longe post aevum Doctoris angelici concelebratum. S. Thomas in nullo suorum operum, in quibus tractat de Unctione infirmorum, commemorat terrificam illam luctam contra daemonem, quam moribundis instare Concilium nos instruit; numquam dicit, confortationem sacramentalem specialiter ordinari ad vincendas vehementissimas tentationes. quibus in fine vitae adversarius humanae naturae animas perdere conatur. Quare *salva reverentia principis theologorum* licet dicere, solam eius

's Cf. tractatus *Dr sacr. in genere* 219 sq . *De Baptismo et Confirmatione* 346.

auctoritatem non sufficere ad evertendam sententiam, quae ex doctrina Concilii oecumenici post ipsius tempora celebrati probatur."**

Alberti M, verba (cit. in p. 399) maiorem difficultatem prima fronte prae se ferunt, cum videantur asserere necessitatem voti sacramenti ad ipsam salutem. Attamen, ne manifesta fingatur contradictio cum his quae S. Doctor clare docet, scilicet Extremam Unctionem, sicut ipsam Confirmationem, esse tantum conditionaliter necessariam seu non ad ipsum finem salutis, sed "ad finem aliquem" proportionatum effectui sacramenti (ad tollendas nempe reliquias peccati, seu ad procurandam salutem tali modo, i.e. abstergendo reliquias), et sine Extrema Unctione per solum Baptismum et Poenitentiam "haberi sufficientiam salutis" (cf. supra, p. 400), necesse est ea verba cum grano salis ita explicare ut concordent his explicitis ac principalibus assertis, nec ceteroquin dissentiant ab ipsa concordanti ac parallela doctrina S. Thomae.

Triplex igitur sensus assignari potest: *Primo,* verba "Dummodo sit desiderium sumendi" possunt accipi large de absentia contemptus, quatenus haec sit implicitum quoddam ac interpretativum desiderium, iuxta illud "Qui tacet consentire videtur," ita ut ea verba correspondeant his S. Thomae: "Dum tamen non praetermittatur ex contemptu sacramenti" (3 p., q. 72, a. 3, cf. supra, p. 406 sq.); tunc sensus est: Ubi non sit contemptus, infirmus qui non suscipit sacramentum habebit nihilominus a Deo cetera auxilia sufficientia ad salutem, quamvis per haec non tam cito ac plene effectum liberationis seu sanationis consequatur ac si sacramentum susciperet. Hunc sensum suadent ipsa verba quae Albertus habet de Confirmatione (cui assimilât Extremam Unctionem): "Dictum Hugonis [de necessitate Confirmationis] . . . potest intelligi: uno modo ut loquatur in casu ubi contemptus religionis excludit sacramentum: quia contemnere sacramentum est condemnabile, quamvis in se non sit necessarium" (cf. supra, p. 400). *Secundo,* verba "Sufficit ad salutem" possunt accipi large pro salutari effectu sacramenti (non pro ipsa aeterna salute), ita ut sensus sit: Si adest desiderium sacramenti quod suscipi non potest, infirmus consequitur nihilominus a Deo effectum sacramenti, etsi non plene. *Tertio,* dici potest S. Doctorem prae oculis habere casum, sat frequentem, in quo revera hoc sacramentum ex variis circumstantiis evadit *per accidens* stricte necessarium ad salutem, ac inde recte significare votum saltem sacramenti tunc esse necessarium ad salutem. Quem sensum suadet tum ipsa obiectio cui S. Doctor respondet in illis verbis quaeque sic incipit: "Nulli ita

****Op. cit.** (supra, in p. 370) 370 sq.

frequenter sunt in periculo sicut infirmi," tum alia responsio quam S. Doctor addit ad suprarelatum dictum Hugonis de necessitate Confirmationis, scilicet: "Alio modo potest dici, quod [Hugo] non dicit hoc, quia ex hoc sequitur condemnatio, sed quia ut frequenter sequitur ex debilitate cadendi in pugna spirituali."

Posteriores theologi usque ad Cone. Trid. eandem fere doctrinam concorditer transmittunt; ita inter praecipuos: *Scotus* (t 1308), *Durandus* (f 1334), *Paludanus* (t 1342), *G. Biel* (t 1495), *Cajetanus* (f 1534),[07] *Victoria* (f 1546) et *D. Soto* (t 1560).[ee]

Ceterum non diffitemur quosdam non tam explicite aut perspicue loqui ut videantur absolute excludere rationem proprie dicti ac directi praecepti suscipiendi hoc sacramentum, imo quosdam, attendentes fortasse ad moralem ipsam sacramenti necessitatem, seu maximam ejus utilitatem, vel ad extrinsecas rationes quae possunt inducere per accidens ipsam strictam ejus necessitatem, loqui de necessitate vel praecepto suscipiendi sacramentum; in quo casu varii doctores explicandi sunt ex contextu tum communiorum principiorum, quae tradunt de generali necessitate suscipiendi sacramenta et de proprio ac specifico effectu huius sacramenti, tum variarum scholarum, puta thomisticae vel scotisticae, quibus aggregantur. Ita, iuxta supra expositam doctrinam S. Thomae explicari potest *Paludanus* thomista cum ex una parte docet hoc sacramentum non esse per se necessarium (7w *4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 3, conci. 3; q. 3, a. 2, conci. 1) et ex alia parte alibi docet illud esse necessarium ratione praecepti (dist. 9, q. 1, a. 1, conci. 3).

Durandus, constans S. Thomae adversarius, nihil in hac re habet quo Angelico contradicat. Agens de subiecto Extremae Unctionis, haec tantum de eius necessitate transeunter scribit: "Exituri de hoc mundo si sint sani habent aliud remedium, scilicet poenitentiae, et ideo non indigent extrema unctione, quae est quasi in supplementum poenitentiae; infirmi vero indigent tali remedio, ideo eis solis est conferendum."[09] Cum autem loquitur de Confirmatione, ponit explicite quaestionem de eius necessitate, ac respondet: "Non est sacramentum simpliciter necessarium ad salutem. Est tamen necessarium in casu, scilicet quando imminet persecutor coram quo fides est confitenda, et habetur copia ministri confirmare volentis et valentis."[70] In priori textu non plusquam moralis necessitas exhibetur. In altero vero Durandus

[07] *Summa,* v. Extrema Unctio.
[ee] *In 4 Seni.,* dist. 23, q. 1, a. 1, § "Argumentum autem contrariae partis."
[09] *In Petri Lombardi Sententias theologicas commentariorum libri* IIII, 1. 4, dist. 23, q. 4 (Venctiis: G. Bindoni 1S86) 359 verso.
[70] *Ibid.,* dist. 7, q. 1, p. 306 verso.

videtur tantummodo exaggerare strictam Confirmationis necessitatem quae per accidens oriri potest tempore persecutionis.

Scotus ex sua ipsa sententia de specifico effectu huius sacramenti, consistente in finali remissione peccatorum venialium, connaturaliter deducitur ad negandam eius strictam necessitatem. Inde docet ideo sacramentum ab infirmo suscipi quia secus peccatum veniale "retardaret eum a gloria, nisi amoveretur et deleretur virtute sacramenti," ac bis inde concludit Extremam Unctionem "non esse sacramentum necessitatis, sicut alia sacramenta, Baptismum videlicet et Poenitentiam."[71] Agens autem de Confirmatione, cui in hac re Extremam Unctionem assimilât, docet ipsam negligentiam qua quis sacramentum "dimittit cum tempus opportunum adsit" esse culpabilem et "judicari contemptum"; cum tamen ibi etiam loquatur de "crassa negligentia," verisimile est ipsum non agere de mera et simplici negligentia secundum se, sed de ea quae, ex motivis vel circumstantiis omissionis, "generat contemptum vel habet contemptum annexum" ut loquitur Bonaventura, aut "ex contemptu procedit vel contemptum inducit," ut ait S. Thomas.

Ad rem ipse: "Confirmatio non est sic de necessitate, quin sine ipsa possit homo salvari. . . Parvulo non est necessaria, qui statim evolat; nec etiam adulto, qui remanet pugnaturus, si non dimittatur ex negligentia, vel contemptu. Alio modo dicitur necessarium hoc sacramentum, *quia non potest salubriter contemni, neque dimitti, cum tempus opportunum adsit, neque ex crassa negligentia,* et sic est Confirmatio necessaria pugnaturo."[72]

"[Sacr. Confirmationis] non est necessarium ad salutem . . . [nam] baptizatus per solum Baptismum salvatur; est tamen necessarium adulto sic quod non contemnat, *sicut dicitur 'Extra' dc sacra unctione,* ubi dicitur in Glossa, quod non est plenus Christianus qui contemnit .. . [Adultus] debet suscipere, id est. non contemnere, et pro tempore congruo suscipere in effectu; *judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata, non susciperetur."*[73]

DOCUMENTA ECCLESIAE inde a saec. 13 cum doctrina ipsa theologorum pari passu procedunt et in eundem sensum colliniant.

Decretalia Gregorii IX (f 1241), c. xi, X, 5, 38, praescribunt, ex ipso anteriori Constituto *Innocenta III* (circa a. 1214): "Poenitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod vere poenitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum etiam decendentibus

[71] *In I Sent.* (Opus Parisiense], dist. 23, q. un., *Opera omnia* XXIV (Parisiis: Vives 1894) 344, 346.
[72] *Ibid.,* dist. 7, p. 6.
[73] *Im 4 Sent.* (Opus Oxonicnscl, dist. 7, q. 2, *ibid.* XVI 702 sq.

denegetur. Licet autem *per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam ecclesiastica sepultura,* concedimus tamen ex gratia, ut clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in coemeteriis ecclesiae sine companarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur."[71]

Cum olim, ex ipso iure communi, tempore generalis interdicti concederetur quidem infirmis absolutio a peccatis et viaticum, denegaretur vero Extrema Unctio una cum ecclesiastica sepultura,[75] ea prohibitio satis clarum indicium est Ecclesiam non reputasse Extremam Unctionem esse necessariam ad salutem, neque necessitate medii, ut est Poenitentia, neque sola necessitate divini praecepti, ut est Eucharistia in articulo mortis. Propterea ante Codicem iuristae et moralistae, tam antiquiores quam recentiores, sat communiter docebant ab ea prohibitione excipiendum esse casum in quo Extrema Unctio censeatur esse per accidens unicum remedium salutis pro infirmo, si nempe ei Poenitentia et Viaticum administrari nequeant aut non certo ac secure dari queant.[70]

Vim huius indicii reicit *Kern* et, post ipsum, *Cappello,* dicentes quod gratis supponitur non potuisse Ecclesiam ob gravissimas causas boni communis denegare hoc sacramentum infirmis tempore interdicti, quemadmodum antiquitus, teste Innocentio I († 417), quibusdam peccatoribus in articulo mortis, concessa Poenitentia, denegabatur ipsum Viaticum etsi huius susceptio sit de divino praecepto, eo vel magis (addunt) quod Extrema Unctio non sit, sicut Poenitentia, absolutae necessitatis, et moribundus ob huiusmodi Ecclesiae prohibitionem excusetur a suscipiendo sacramento et possit praeterea aliis modis a divina benignitate succurri.[77]

[71] *Decretales,* l. 5, tit. 38 "De Poenitentiis et Remissionibus," c. 11, *Corpus Iuris Canonici,* Pars II: *Decretalium collectiones* (ed. A. L. Richter et A. Friedberg. Lipsiae 1881) 887.

[70] "Haec prohibitio non amplius viget, ex *Codice I.C.,* can. 2270, §1: "Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat monentibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis ministrare, sed prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, salvis exceptionibus de quibus in § 2 huius canonis et in can. 2271, 2272."

[75] Cf. J. Dicastillo (-f- 1653), *De censuris et poenis ecclesiasticis,* disp. 5, n. 130sqq.; A. Reiffenstuel (-f 1703), *Ius canonicum universum,* l. 5, tit. 39, n. 203; Lehmkuhl, *Theologia moralis* (Friburgi Br. 1902) II 648; Bucceroni, *Theologia moralis* (Romae 1908) II 476; Aertnys, *Theologia moralis* (Paderborn 1901) II 397 sq., scribens: "Interdictum simpliciter latum . . . privat administratione et receptione. . . a) Eucharistiae; nisi sumatur per modum Viatici. . . b) Extremae Unctionis; excipiunt DD. casum, quo infirmus nullum aliud Sacramentum recipere potest."

[77] "Ad rem *Kern* (quem abbreviat *Cappello):* "Si moribundus versetur in impotentia obtinendi hoc praesidium vel ei renuntiet ex gravi ratione, quae coram Domino omniscio valeat, fidelissimus Salvator alio modo succurret. Quare infirmus, cui Ecclesia denegat Extremam Unctionem excepto casu, quo ad acquirendum statum gratiae exigitur, non conicitur in moralem impotentiam superandi pericula salutis impendentia in articulo mortis. Quaestio igitur est: Potestne Ecclesia haec sciens ob gravissimas causas boni communis, cuius intuitu poenam interdicti infligit, sacramentali subsidio privare infirmos,

Attamen huiusmodi evasio levis videtur. Nam imprimis non explicat praedictum discrimen inter Viaticum et Extremam Unctionem in ea Ecclesiae prohibitione, si iuxta mentem Ecclesiae utrumque sacramentum esset pariter de divino praecepto; nec dici potest Viaticum praestare Extremae Unctioni quoad efficacitatem, quin potius hoc sacramentum frequenter efficacius operetur ob suam sanativam ac veluti poenitentialem indolem, ratione cuius a quibusdam collocatur medium inter sacramenta mortuorum et sacramenta vivorum. Praeterea, nimis leviter supponitur universalem Ecclesiam sufficientes rationes habere potuisse ut explicita ac constanti lege impediret ne infirmi pro tempore interdicti observarent divinum praeceptum suscipiendi Extremam Unctionem; nec valet recursus ad invocatam praxim antiquae Ecclesiae et legem Innocentii I, nam textus Innocentii patet variis interpretationibus[78] atque gratis Kern assumit in eo concedi Poenitentiam, denegari vero Viaticum, cum e contra explicite dicatur ideo Extremam Unctionem infirmis poenitentibus denegari quia eis "reliqua sacramenta negantur."

Ceterum praedicta adversariorum suppositio indirecte quoque infirmatur ab ipsa constanti praxi Ecclesiae auferendi omnem casuum poenitentialium reservationem in articulo mortis, fatente ipso *Concilio Tridentino:* "Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione [casuum nempe reservationis] aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt" (sess. 14, cap. 7, *Dcnz.* 903).

Statuta Synodalia Andegavensia (sub Guilelmo Maioris episcopo) a. 1294: "Nosque accepimus, referentibus fide dignis, quod dictum sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittitur: immo ut verius loquamur, ex sacerdotum rapacitate et avaritia, qui in collatione hujus sacramenti

si eo non habeant opus ad acquirendam gratiam sanctificantem? Neganti incumbit onus probandi. Sed caveat, ne sua probatione damnet antiquam Ecclesiam, quae teste Innoccntio I (Ep. 6, ad Exuperium, n. 6) quibusdam peccatoribus in hora mortis concessit quidem Poenitentiam, denegavit autem Viaticum, quamvis moribundus iurc divino ad illud recipiendum teneatur; ostendat etiam, ut argumentum contra nos valeat, cur ipse aegrotus ex gravi ratione sacramento licite renuntiet cum spe, Deum sibi non defuturum, Ecclesia autem nc ex gravissima quidem causa boni communis idem sacramentum denegandi ius habeat, si sit per se, at non absolute, necessarium. Talis probatio, ni fallor, nunquam proferetur. Ceterum merito mireris, cur tot theologi ob pericula transitus censeant Viaticum moraliter necessarium, minime vero sacramentum ex specifica sua natura contra illa pericula ordinatum" *(op. cit.* fsupra, in p. 370| 371 sq.).

[78] Cf supra, p. 393, ubi diximus verba Innocentii aliunde favere nostrae sententiae de absentia divini praecepti quoad hoc sacramentum, sed simul abstinuimus a conficiendo argumento cx ipsa prohibitione concedendi Extremam Unctionem infirmis poenitentibus.

novas et insolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina quibus jacens inungitur aegrotans."[70]

Attento contextu tum communis doctrinae theologorum illius aetatis tum ceterorum documentorum Ecclesiae, nihil cogit vocem illam "periculosum" accipere plus quam ut emphaticam expressionem maximae utilitatis seu moralis necessitatis sacramenti, nec verba "quadam negligentia" accipere in sensu simplicis negligentiae, quae nempe nullatenus sit connexa cum contemptu sacramenti; ceterum in ultimis verbis causa omissionis sacramenti potius in avaritiam sacerdotum refunditur.

Synodus Rhemensis ct Trcccnsis: "Saepe moneant sacerdotes populum quod priusquam quartum decimum annum compleverint, maxime Sacramentum extremae Unctionis petant, et recipiant reverenter, si timeatur verisimiliter de morte infirmorum, quia necessarium est ad salutem istud Sacramentum, si possit haberi."[80] Nihil cogit verba "Necessarium ad salutem" intelligere in sensu strictae necessitatis, cum et ipsa moralis necessitas sit vera necessitas et ita tunc accipiebatur etiam in communi doctrina theologorum. Ceterum, ipsa appositio "Si possit haberi" emollire videtur illius necessitatis vim.

Joannes XXII (1316-1334), agens de Confirmatione, in quadam epistola ad Ossinium regem Armenorum, scribit: "Licet . . . sacramentum ipsum non sit a fidelibus contemnendum, tutius tamen est illud sine periculo, quod necessitatem non habet, omittere quam si ab iis, a quibus illud conferri non licet . . . non sine gravi periculo inaniter conferatur."[81] Quod hic dicitur de sola Confirmatione, scilicet eam esse sacramentum non necessarium, quamvis nec contemnendum, atque a fidelibus tutius omitti quam ab indebitis ministris suscipi, applicari potest, iuxta mentem Ecclesiae, etiam Extremae Unctionis. Nam haec duo sacramenta in hac quaestione de necessitate pari passu procedunt, tum in doctrina mediaevalium theologorum, cui loannes XXII videtur suam declarationem accommodare (ut constat ex manifesto parallelismo illorum verborum cum verbis S. Thomae et Bonaventurae supra relatis), tum in ipsis documentis Ecclesiae, ut constat ex comparatione documentorum infra relatorum cum his quae citavimus in tractatu *De Confirmatione* 365 et praecipue ex comparatione duorum canonum Codicis I.C. (can. 787 de Confirm, et can. 944 de

" Apud MartenE, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* 1. 1, p. 2, c. 7, a 2, n. 10 (Rotomagi 1700) 111.

" Apud De Sainte-Beuve, *De sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 3, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 126.

"Apud Raynaldum, *Annales ecclesiastici,* ad annum 1318. n. 11.

Extr. Unet.) qui videtur mentem praecedentium omnium documentorum authentice interpretari.

Martinus V (1417-1431), *Bulla "Inter cunctas"* 22 febr. 1418, inter interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas, hanc habet: "Item, utrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremae unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter" *(Denz.* 669).

Hic manifeste proponitur tantum praeceptum non contemnendi sacramentum, imo agitur de ipso haereticali contemptu Wicleffitarum et Hussitarum tendente in negationem ipsius existentiae sacramenti. *Merbcsius* textum Martini V sequenti modo citat, vel glossat, ut inde fortasse videatur confortare suam sententiam de stricta necessitate huius sacramenti (cf. supra, p. 372): "Hoc sacramentum neque negligi sine culpa, neque contemni posse sine peccato mortali." 5. *Alphonsus* (supra cit., p. 391) ex ipso Merbesio recitat eadem verba tanquam Martini V, sed ex distinctione illa inter negligentiam, quae dicitur mere culpa, et contemptum, qui dicitur peccatum mortale, infert contra ipsum Merbesium quod mera sacramenti negligentia non est nisi leve peccatum. Unus vel alter recentior theologus, ut *Kilker,* eadem verba tribuit Martino V ex S. Alphonso qui ex Merbesio desumpsit.

Concilium Parisiense (alias: Senonense) a. 1528 (decr. 10): "Ne hic noster ungendi infirmos ritus Christi praeceptum, non tamen sacramentum, esse videretur, 'Si quis infirmatur' (inquit Jacobus) 'in vobis, inducat presbyteros ecclesiae'" *(Harduin* 9. 1942). Hic agitur de praecepto institutionis; sensus enim est: verba lacobi ostendunt non solum quod ritus unctionis est a Christo institutus, sed etiam quod est verum Christi sacramentum.

Cone. Coloniense a. 1536 (pars 7, cap. 50): "Est autem unctio impendenda cum expositione unctionis et mandati Apostolici, quod sic habet: 'Infirmatur quis in vobis! inducat presbyteros ecclesiae'" *(ibid.* 2011). Suarez, referens hunc textum, dicit illum favere sententiae Petri Soto quod hoc sacramentum sit de praecepto divino; idemque iudicat Benedictus XIV.[82] Attamen, ex una parte agitur directe de praecepto ministrandi, non vero suscipiendi, et ex alia parte "mandatum apostolicum" significat potius praeceptum institutionis seu promulgationis, ut vidimus supra in pluribus documentis praemediaevalibus.

Cone. Coloniense a. 1549 (cap. 38): "Relatum nobis in concilio

[82] *Df synodo dioecesana,* 1. 8, c, 7, n. 4.

est, impios quosdam homines infirmitatis suae tempore unctionem sacram respuisse ac contempsisse: quamobrem statuimus, ut si quis sacramentum illud nobis ab Apostolo Jacobo tantopere commendatum contempserit, ecclesiastica careat sepultura" *(ibid.* 2110). Agitur de contemptu sacramenti, nec ceterum dicitur lacobum praecepisse sed commendasse.

CONC. TRIDENTINUM, sess. 14 de Extrema Unctione, etsi huius sacramenti maximam utilitatem seu moralem necessitatem commendet et exaltet, nihil tamen dicit ex quo divinum praeceptum illud suscipiendi deduci possit. Idque patet vel ex ipso summario examine expressionum quae ad hanc rem referri possunt.

Concilium hoc sacramentum vocat *"Poenitentiae et totius humanae vitae consummativum"* necnon *"firmissimum praesidium quo Christus finem vitae munivit"* (prologus). His verbis utilitas sacramenti, adeoque eius moralis necessitas, emphatice proponitur, sed stricta necessitas, etiam solius praecepti, non necessario ex eis deducitur, ut infra amplius contra adversarios declarabitur.

Dicitur hoc sacramentum esse ab Apostolo *"commendatum"* (cap. 1), sed non dicitur esse praeceptum, imo additur Apostolum "presbyteros adducendos esse ad infirmum ungendum *hortari"* (can. 4).

Est sermo "de *praescriptione* eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum *debent"* (cap. 3); at si praescriptio et obligatio intelligi potest (et aliunde scimus intelligi debere) relate ad ministrantes, non necessario intelligitur respicere etiam suscipientes. Proprie ibi non agitur de necessitate sive suscipiendi sive etiam ministrandi sacramentum. sed de necessariis conditionibus requisitis sive in ministro sive in subiecto; explicite nempe declaratur solos et omnes sacerdotes esse proprium ministrum et solos infirmos in periculo mortis esse proprium subiectum.

Declaratur "esse hanc unctionem infirmis *adhibendam"* (cap. 3): sed iterum agitur de necessitate conditionis ex parte subiecti, seu non aliis quam infirmis posse sacramentum ministrari; in quo quidem implicatur etiam praeceptum aliquod respiciens solum ministrum, non proprie ut ministret sacramentum sed ut solis infirmis ministret, si quando ministrat. Unde in priori schemate cap. 3, pro illis verbis "Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam," legebatur: "Declaratur etiam non esse hanc unctionem nisi infirmis adhibendam."[83]

Docetur "hanc unctionem non esse humanum figmentum vel ritum

[83] Apud A. Theiner, *Acta genuina ss. oecuntenici Concilii Tridentini* (Zagabriae in Croatia (18741) I 590.

a Patribus acceptum, sed *mandatum Dei* et promissionem gratiae habere" (cap. 3). Attamen ibi agitur non de mandato susceptionis sed solius institutionis, scilicet definitur tantum Extremam Unctionem esse verum sacramentum a Christo institutum, ut constat etiam tum ex can. 1, in quo ea verba explanantur, tum ex sensu quem ipsi Protestantes dabant illi expressioni, docentes duo tantum sacramenta Baptismi et Eucharistiae habere mandatum Dei seu divinam institutionem.

Docetur ac definitur "hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato *contemni non posse* . . . neque tanti sacramenti contemptum absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posse" (cap. 3 et can. 3). Sed ibi agitur de solo praecepto non contemnendi sacramentum, et de gravi peccato contemptus, imo, ut patet ex contextu, agitur de ipso haereticali contemptu proveniente ex ipsa negatione existentiae sacramenti, ut apud Protestantes qui dicebant hoc sacramentum non habere "mandatum Dei" sed esse "figmentum humanum" et "Ecclesiam Romanam in hac administranda unctione non observare quod beatus Iacobus praescripsit." In priori schemate cap. 3 contemptuosum illud haereticorum peccatum sub hac maiori emphasi proponebatur: "Tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere contingere nequaquam posset nec aliud prorsus esset quam salutis et divinae gratiae atque adeo ipsius Spiritus sancti qui per os apostoli Iacobi hoc sacramentum fidelibus commendavit insignis despectus atque contemptio."[84]

Concilium hanc quaestionem de sacramenti necessitate directe nullatenus tetigisse, apparet, praeterquam ex ipso proposito textu, tum ex primo illius schemate, in quo nihil peculiare additur aut mutatur quod huc faciat; tum ex actis Concilii seu ex disputationibus theologorum et Patrum (cf. apud Theiner) quorum nullus hanc quaestionem tangit; tum ex ipso fine discussionis ac definitionis conciliaris, qui fuit damnatio doctrinae Protestantium, nam hi negabant ipsam existentiam sacramenti nec ideo curabant de eius necessitate quam ceteroquin, iuxta ipsorum principia, facile concessissent, imo necessitati ipsius Baptismi parem fecissent, si semel sacramentalitatem Extremae Unctionis admisissent.

Si quidquam ceteroquin ex doctrina Concilii deduci posset, totum cederet in favorem nostrae sententiae. Nam ex una parte quaedam Concilii verba suggerunt hoc sacramentum non esse per se stricte necessarium, cum nempe ipsum efferatur ut obiectum commendationis et adhortationis Apostoli et tantum dicatur non esse contemnendum, et ex alia parte Concilium longe aliter loquatur de necessitate tum

[84] *Ibid.* S91.

Baptismi et Poenitentiae, quae sunt de necessitate medii ad salutem (cf. supra, p. 383 sq.), tum etiam Eucharistiae, quae est, simpliciter loquendo, de sola praecepti necessitate: ita in sess. 13, cap. 2, declaratur: "Salvator noster . . . sacramentum hoc instituit ... et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit. . . Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animi cibum" *(Denz.* 875); cap. 5: "[Hoc sacramentum] fuit a Christo Domino, ut sumatur, institutum"; sess. 21, cap. 1: "Sancta ipsa Synodus . . . declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum" (cf. can. 1); in his verbis et in toto cap. 1 manifeste supponitur adesse praeceptum divinum suscipiendi Eucharistiam et ex hac ipsa suppositione negatur contra Protestantes tale praeceptum sese extendere ad modum suscipiendi sub utraque specie.

Adversarii autem ex his quae Concilium dicit in prologo, quod nempe Extrema Unctio sit "Poenitentiae et totius vitae consummativum" et praecipue "firmissimum praesidium quo Christus finem vitae munivit" contra peculiares et vehementiores impugnationes quibus "adversarius noster . . . omnes suae versutiae nervos intendit ad perdendos nos penitus," conantur *indirectum argumentum* deducere, quod quidem est unicum allatum a Kern pro sua opinione et ut praecipuum exaltatur a Cappello (cf. supra, p. 370 sq., 375). *Kern* ex ea Concilii doctrina concludit: "Inde consequitur, pro infirmis moribundis *unicum esse constitutum medium ordinarium* ideoque per se necessarium, quo eorum salus in tuto ponatur: sacramentum exeuntium," idemque fere ad verbum concludit *Cappello.* lamvero, haec consequentia illegitima est, et ipsum consequens, i.e. "Extrema Unctio est unicum medium ordinarium" falsum est vel saltem ambiguum. Hoc enim sacramentum, cum conferat specialem gratiam infirmi auxiliatricem quae per nullum aliud sacramentum, saltem de providentia ordinaria, conferatur, est utique unicum medium ordinarium quo talis gratia confertur et quo infirmus tali speciali modo adjuvetur, sed nequaquam est unicum medium ordinarium quo simpliciter infirmus adiuvetur; unde Extrema Unctio est necessaria infirmo non ut id sine quo salutem, etiam ordinarie, non possit consequi, sed ut id sine quo non tam facile, expedite et convenienter, eam consequi possit; in quo praecise consistit ratio moralis necessitatis quam solam dicimus huic sacramento convenire.

Catechismus Cone. Trid. pariter nihil profert quod divinum praeceptum sonet, sed potius quaedam eius expressiones contrarium saltem suggerunt. Docet enim Deum "ut ex hac mortali vita decedentes,

expeditiorem ad coelum viam haberemus. Extremae Unctionis Sacramentum instituisse" (p. 2, c. 6, n. 1); ubi nonnisi moralis necessitas indicatur. Ait quod "Extremae Unctioni propriam Sacramenti rationem convenire . . . maxime perspicuum fieri potest, si verba, quibus sanctus Jacobus Apostolus huius Sacramenti *legem promulgavit,* attendamus" (n. 3); ubi manifeste agitur de sola lege institutionis. Addit "Innocentium quoque Primum hoc Sacramentum fidelibus maxime *commendare"* (n. 3); ubi, si agitur non de sola institutione sed de ipsa susceptione sacramenti, non praeceptum profertur sed sola commendatio. Tandem magis ad rem ait: "Maxime . . . [fideles] cohortandi sunt, ut huius saluberrimi olei Sacramentum sancte et religiose *sibi administrandum curent"* (n. 12); ubi de sola cohortatione et de sola cura sacramentum suscipiendi sermo est. Ceterum, mens Catechismi colligitur etiam ex parallelismo eorum quae dicit de necessitate Confirmationis quaeque citavimus in tractatu *De Baptismo et Confirmatione* 365.

Quaedam decisiones SS. Congregationum, quibus supponitur vel declaratur Extremam Unctionem posse omitti pro ratione proportionate gravi, videntur satis suggestivum signum persuasionis S. Sedis quod huius sacramenti susceptio non sit de divino praecepto. A. 1645 S. *C. de Propaganda Fide,* interrogata a missionaris lesuitis in China utrum posset hoc sacramentum omitti ea ratione "quia chinenses, magno zelo ducuntur erga uxores, filias, et alias mulieres, et scandalum sument ex huiusmodi actionibus," respondit negative ob illius rationis insufficientiam.[85] Tamen a. 1656 S. *Officium,* eadem ab iisdem missionariis interrogatione accepta, affirmative respondit, scilicet "ex gravi necessitate proportionata posse omitti quaedam sacramentalia in Baptismate foeminarum, ac etiam posse omitti ipsum Sacramentum Extremae Unctionis."[86] Quam decisionem S. *Officium* a. 1669 confirmavit in responsione ad iteratam interrogationem, declarans utraque decreta a. 1645 et 1656 esse in vigore nec sibi invicem opponi.[87] A. 1754 eadem S. Congregatio vicario apostolico Algeriae declaravit pestis diffusionem non esse sufficiens motivum Extremae Unctionis omittendae.[88]

Praecipuum illud *decretum* S. *Officii* 23 martii 1656 sic se habet: "Secundo quaeritur: Utrum omnia sacramentalia in Baptismate foeminarum adultarum adhibenda sint. Quaeritur iterum: utrum sufficiat

" *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide* (Romae: Ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1907) I 31 sq.

"*Ibid.* 3S.

"*Ibid.* 64.

"Haec quatuor decreta extant etiam in *Fontibus I. C.* n. 459, 730, 741, 805.

ioemînisj petentibus tantum, Extremae Unctionis Sacramentum conferre. Quaeritur iterum: num etiam petentibus negandum cum incommoda et pericula christianitatis totius prudenter futura praeviden-tur. Ratio dubitandi est, incredibilis apud Sinas foeminarum modestia, zelus et laudabilis earum ab omni virorum, non solum congressu, sed et aspectu fuga; qua in re, nisi magna adhibeatur a missionariis cautela. scandalum ingens Sinis datur, totaque christianitas evidentissimo periculo posset exponi. Sacra Congregatio, juxta ea quae superius proposita sunt censuit: Ex gravi necessitate proportionata posse omitti quaedam sacramentalia in Baptismate foeminarum, ac etiam posse omitti ipsum Sacramentum Extremae Unctionis."

Benedictus XIV in Constitutione "Firmandis" 6 nov. 1744, §9, et Encyclica "Ex quo primum" 1 mart. 1756, £44–46, nihil aliud facit nisi transeunter commendare utilitatem huius sacramenti et recolere "leges circa illius ministrationem servandas ut scilicet solis fidelibus graviter aegrotantibus . . . ministretur."

Non immerito tamen hic adduci potest sequens practica regula, quam ipse Benedictus XIV praebet episcopis in suo opere *De synodo dioeccsana* quaeque saltem ostendit quid S. Pontifex, etsi ut privatus doctor, senserit de vi praecedentium documentorum Ecclesiae: "Cum tamen celerem commendat hujus Sacramenti administrationem. abstineat [episcopus] a verbis quae videantur significare ejusdem recipiendi absolutam necessitatem; ne secus videatur ipse quaestionem dirimere hactenus indecisam: adhuc quippe litigant theologi num fideles periculoso morbo laborantes, quique jam Penitentiae Sacramento sua peccata expiarunt, et Eucharistico pane sunt refecti, teneantur insuper aut divino, aut saltem ecclesiastico praecepto extremam Unctionem suscipere."[89]

Cone. Pragense a. 1860 (tit. 4, cap. 9): "Numquam firmiori Dei praesidio indigemus, quam dum crescente infirmitate mortis timor animum occupat, et praeteritorum delictorum memoria exagitamur.. <, atque dum illa cura vehementer nos angit, imminere indicium Dei [advertimus]. . . Auxilii a solo Deo expectandi necessitatem auget impetus diaboli calcaneo nostro hac praesertim occasione insidiantis. . . Quod certissimum auxilium et piissimum lenimen cum Dominus benignissime nobis praestet per sacramentum extremae unctionis: facile intelligunt tum parochi, tum graviter decumbentes, eorumque familiares et medici, *quanto studio debeant curare,* ut periculose aegroti

[89] *De synodo dioeccsana,* l. 8, c. 7, n. 4, in Micne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1106.

hoc exoptatissimo remedio muniantur, et ne quid sacramenti gratiam impediat, solliciter cavere."[00]

Verba "quanto studio debeant curare" non necessariam important praecepti necessitatem, sed instantem exhortationem, fundatam tum in morali sacramenti necessitate tum in ea stricta necessitate quae in pluribus casibus oriri potest per accidens.

Cone. Colocense (Colocza in Hungaria) a. 1863 (tit. 3, cap. 10): "Agant proinde pastores animarum, ut fidelium aegre decumbentium rationem habeant, quos si expedierit *suscipiendi hujus sacramenti obligationis* paterne admoneant."[01]

Attentis aliis Ecclesiae documentis, aegre intelligeretur hoc provinciale concilium velle declarare existentiam proprie dicti praecepti divini, aut ecclesiasticam obligationem imponere; ipsa appositio "Paterne admoneant" vim verbi "obligationis" satis emollire videtur. Ceterum, Concilium potius quam strictam necessitatem ad salutem, proponere necessitatem ad consequendam propriam gratiam sacramentalem, quae nempe nonnisi per hoc sacramentum obtinetur, apparet ex his verbis quae ibidem fere immediate praecedunt: "Solliciti sint porro pastores animarum, ne ullus nisi inopinata mortis specie occumberet, ad aeternitatem sine hujus sacramenti subsidio transeat, ne destituatur salutaribus illis fructibus, quibus hoc sacramentum aegroti anima repletur."

Cone. Baltimorense ***II*** a. 1866 (tit. 5, cap. 7, n. 306): "Quum igitur Christus Dominus per Apostolum loquens *praecepto urgeat,* quumque tam salutares effectus ex hoc Sacramento profluant, curent omni, quo par est, studio animarum pastores, ut ex populo sibi commisso *unusquisque, qui ad id tenetur,* salutari hoc praesidio munitus de vita discedat."[02]

Prima verba de Christi praecepto referuntur potius ad pastores; ultima verba, quae sonant ipsorum fidelium obligationem, restrictiva ac conditionalia sunt, ac pro tanto ambigua. Ceterum, improbabile videtur hoc concilium ab aliis Ecclesiae documentis dissentire.

Rituale Romanum, tit. 5, c. 1, n. 1 (ed. post Codicem), fere ad verbum refert verba ipsius Codicis: "Extremae Unctionis Sacramentum . . . , quamvis per se non sit de necessitate medii ad salutem, neminem tamen licet negligere, et omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est." *Ibid.,* c. 4 "De visitatione et cura

[n] *Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis* V (Friburgi Brisgoviae 1879) S12sq.

[''] *Ibid.* 655.

[''] *Ibid.* **III** (1875) 480.

infirmorum," η. 10, habet: "Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit aegrotum, ne daemonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat quo minus ea, *quae ad salutem pertinent,* opportune procuret, et, qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac periculosam procrastinationem, *quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit,* in diesque, fallente diabolo, perducit."

De priori textu dicetur infra; in altero vero non agitur de sola Extrema Unctione sed etiam de Poenitentia et Eucharistia, quarum prima est de necessitate medii, altera de necessitate divini praecepti.

CODEX I.C., can. 944: "Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, *nemini tamen licet illud négligere;* et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant."

In hoc canone duo clare proponuntur: hoc sacramentum non esse de necessitate medii; tamen non licere illud negligere (ita ut negligentia sacramenti sit prohibita, adeoque illicita, adeoque peccatum). In secundo membro evidenter declaratur aliquod praeceptum, cum sine praecepto nihil sit illicitum nihilque peccatum. Sed *quaestio est de indole praecepti quod a Codice declaratur vel imponitur,* scilicet: 1. an a Codice dirimatur controversia theologorum de gravi obligatione sacramentum suscipiendi; 2. an in eo agatur de directo praecepto suscipiendi sacramentum; 3. an agatur de praecepto etiam ecclesiastico; 4. ad quodnam generale ac indirectum praeceptum reducatur obligatio a Codice proposita; 5. an agatur de levi tantum obligatione.

Inter ipsos adversarios qui admittunt existentiam divini praecepti suscipiendi sacramentum pauci sunt qui, ut *Lépicicr, Marc-Gestermann, Otten, Diekamp,* et aliquatenus *Jorio,* ita loquuntur ut videantur docere in Codice declarari illud divinum praeceptum ac ideo dirimi praedictam theologorum controversiam. Alii adversarii, ut *Ferreres* et *Gougnard,* vident in Codice solum ecclesiasticum praeceptum et concedunt per Codicem nullatenus dirimi praedictam controversiam. Defensores vero nostrae sententiae de absentia gravis obligationis nullum in verbis Codicis vident directum ac grave praeceptum, tam divinum quam ecclesiasticum, atque dicunt Codicem nullo modo tetigisse praedictam theologorum controversiam de gravi obligatione. Hi generatim etiam addunt in omissione, seu simplici nec contemptuosa negligentia sacramenti, haberi culpam levem; sed hanc quidam, ut *Génicot-Salsmans* et *Merkelbach,* deducunt non ex ipso Codice sed ex sola lege charitatis erga seipsum (Génicot) aut generalius ex

irrationabili inotivo quod inducit negligentiain (Merkelbach); alii vero ac communius, praecipue ac explicite *Kilker, Coronata* et *Regatillo,* eam deducunt sive ex lege charitatis sive etiam ex ipso Codice.91 Ex quo sequitur quod, iuxta priores doctores, in Codice nullum imponitur novum praeceptum, etiam sub levi, sed mere declaratur aut confirmatur generale ac divinum praeceptum charitatis erga seipsum, aut prudenter ac rationabiliter se gerendi relate ad media salutis. Dicimus igitur:

Primo, Codex noluit controversiam theologorum de gravi praecepto dirimere. Id apparet ex eo praecise quod taceat de praecepto in tali contextu in quo eius mentio connaturaliter expectaretur. Supposita enim communi theologorum distinctione inter necessitatem medii et necessitatem praecepti, Codex explicite unam affirmat et simul alteram explicite tacet; si autem adesset praecepti necessitas eamque vellet Codex exprimere, connaturalis ac logicus processus in eius verbis sic sonare deberet: "Quamvis hoc sacramentum non sit de necessitate medii, tamen est de necessitate praecepti, et ideo non licet illud negligere"; omissio igitur mentionis praecepti illogicam redderet Codicis expressionem nisi subintelligatur fieri ex industria, ita ut mens Codicis sit: "Quamvis hoc sacramentum non sit de necessitate medii, et aliunde disputari possit an sit de ipsa praecepti necessitate, adhuc tamen non licet illud negligere." Ut scite animadvertit *Génicot-Salsmans* (n. 424): "Si daretur gravis obligatio, Ecclesia eam iam saepius scripta lege proposuisset" et maxime in ipso Codice I.C.

Res confirmatur ex his quae Codex docet de necessitate Confirmationis in can. 787, in quo eadem verba can. 944 referuntur, scilicet: "Quamquam hoc sacramentum [Confirmationis] non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere.Illogice autem quidam adversarii, ut *Diekamp* et *Datfara,* videntur non eandem vim utrique canoni tribuere.

Secundo, praeceptum, a Codice propositum, non est directe et immediate ipsum praeceptum suscipiendi sacramentum, seu non habet pro immediato obiecto ipsam susceptionem sacramenti, sed tantum *non negligentiam sacramenti.* Id patet tum ex ipsis verbis, non enim dicitur: Unusquisque obligatur ad suscipiendum sacramentum, sed: Nemini licet negligere sacramentum, i.e. Unusquisque obligatur ad

bJKilker: "Two venial sins can rightly be laid at the feet of those who neglect it, one of disobedience against the precept of this canon and the other of a lack of charit) toward one's self" *(Extreme Unction* (St. Louis 1927] 280). *RegatiUc:* "Levis obligatio utique est, ex praecepto charitatis erga sc ipsum, quo quisque sibi procurare tenetur tam utile praesidium in mortis periculo, et cx c. 944" *(Ius Sacramentarium* [ed. 2, Santander 1949] 439).

91 Cf, tractatum *De Baptismo et Confirmatione* 368 sq.

non negligendum sacramentum, tum ex eo quod secus necessario ageretur de gravi obligatione cum agatur de materia gravi, ac propterea quidam adversarii, hac distinctione inepte seposita, logice inferunt obligationem suscipiendi Extremam Unctionem esse de se gravem.

Tertio. Codex non imponit aliquod proprium suum ac ecclesiasticum praeceptum, sed tantum declarat vel, si placet, urget applicationem ipsius divini ac *generalis praecepti* non negligendi media salutis. Nam ex una parte ipsa verba Codicis non necessario sonant praeceptive sed potius declarative (non enim dicitur: Iniungimus, obligamus; sed: Nemini licet) et ex alia parte nulla apparet peculiaris ratio, quare Codex imponeret praeceptum iam tam certe ab ipso Deo impositum et tam clare omnibus notum (ita inepte quis argueret Codicem imponere praeceptum non fornicandi si in aliquo canone diceretur: Nemini licet fornicari). Unde in negligentia suscipiendi sacramentum unicum committitur peccatum, scilicet non contra praeceptum Codicis sed contra divinum praeceptum non negligendi media salutis.

Quarto, hoc divinum praeceptum non necessario reducitur ad legem charitatis erga seipsum, sed generalius ad *legem prudentiae* qua homo tenetur rationabiliter se gerere ac ideo absque rationabili seu proportionato motivo non omittere media salutis a Deo peculiariter sibi praestita.05 Ex quo sequitur non quamlibet omissionem sacramenti esse culpabilem, sed eam tantum quae proprie ac positive negligentia dici potest, seu quae motivum non habet rationabile ac proportionatum. Vox enim negligentiae ambigua est. cum possit accipi vel mere negative et abstractive, pro mera nempe rei omissione, vel positive et contrarie, pro omissione nempe rei debitae, quo sensu saepe aequivalet inertiae, pigritiae et socordiae.0β Primo modo, negligentia huius sacramenti seu ipsum merum factum non suscipiendi sacramentum nullam culpam, neque levem, importat, cum de susceptione sacramenti nullum detur directum praeceptum; et hoc est quod docet S. *Thomas* in Expositione textus Magistri (supra cit., p. 406), inquiens: “Non quaelibet negligentia, sed negligentia ex contemptu procedens, vel contemptum inducens damnabilis est” et in 3 p., q. 65. a. 4. ad 3 (cit. in p. 405), scribens: “Licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus sacramenti ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum quod non est de necessitate

” Huc facit quod 5. *Thomas,* loquens dc Baptismi omissione seu dilatione, scribit: “Hoc pensandum est ex causa dilationis, quia, sicut dicit Philosophus *IPhys.,* l S, c. 1], voluntas non retardat facere opus volitum nisi propter aliquam causam rationabilem Unde, si causa dilationis baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum vel aliquid hujusmodi baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale; alias non” *(Suppi.,* q. 6, a. 5).

MCf. Forceluni, *Lexicon totius latinitatis,* ad vv. Negligentia. Negligens.

IT.

salutis." Secundo vero modo, negligentia huius sacramenti importat necessario aliquam culpam, inductam ex influxu irrationabilis motivi quod inducit ad sacramentum omittendum, atque illi influxui proportionatam.

Quinto, exinde sequitur eam negligentiae culpam non necessario esse levem ut quidam putare videntur, *sed aut levis aut gravis,* iuxta praedictam proportionem, et certe gravis evadit cum tanta sit ut connectatur cum ipso sacramenti contemptu, seu non tantum ut ab ipso contemptu procedat (quod secundum se est grave, ex nativa gravitate ipsius contemptus) sed ut "contemptum inducere" possit (ut ait S. Thomas) aut ex circumstantiis, iuxta commune iudicium, "contemptui aequivalere praesumatur" (ut ait Benedictus XIV).[07]

Attentis tamen communiter contingentibus, verum est id quod generaliter affirmant doctores morales, scilicet in omissione Extremae Unctionis committi regulariter aliquam culpam eamque levem; idque aptius quam alii sic exprimit *Merkelbach:* "Tam magnum salutis medium atque firmum praesidium, occasione oblata et secluso sat magno incommodo, praetermittere in proximo mortis periculo, regulariter non fit ex rationabili motive, ac proinde solet includere culpam levem. Unde can. 944: 'Quamvis hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere. . .' "[08]

//Zn *PARS. NON DATUR PRAECEPTUM ECCLESIASTICUM, SALTEM PROPRIUM AC DIRECTUM.*

Quidam rari theologi non existentiam praecepti ecclesiastici concludunt ex ipsa non existentia praecepti divini; ita *Wirceburgenses* scribentes: "Ecclesia non injungit praeceptum de suscipiendo aliquo sacramento, nisi praeceptum divinum supponatur: nullum autem exstat praeceptum divinum de extrema unctione suscipienda; ergo neque praecepto ecclesiastico urgemur ad sacramentum hoc obeundum."[00] Principium huius illationis, si intelligatur de ipsa impossibilitate (i.e. Ecclesiam non posse praecipere susceptionem alicuius sacramenti nisi prius sit praecepta a iure divino) solidum valorem

[07] *De synodo dioecesana,* I. 8, c. 7, n. 4: "Verum, etsi expediat ut episcopus hanc controversiam [theologorum] declinet, indubitanter tamen asserere poterit, non posse sine gravi culpa ejusmodi Sacramentum aut contemni, aut cum aliorum offensione et scandalo negligi aut praetermitti. . . Nec praeterea incongruum esset addere *facile Sacramenti contemptum praesumi* in infirmo qui cum vita periclitetur, extremam Unctionem sciens et volens petere negligit, multoque magis, si eam sibi a parocho exhibitam recipere renuat" (in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV [Parisiis 1941] 1106).

[08] *Summa theologiae moralis* (ed. 3, Brugis [1939]) III 68S.

[00] *De sacramento Unctionis Extremae,* a. 3, *Theologia dogmatica, polemica, scholastica et moralis* (Parisiis 1880) X 284.

simpliciter non habet, nec peculiaris ratio quare similem illationem admisimus de praecepto confessionis in tractatu *De Poenitentia* II 527-530 (quia nempe confessio peccatorum mortalium est res secundum se difficillima) ullatenus valet de susceptione Extremae Unctionis; si vero intelligatur de facto seu consuetudine, in ipsa quidem rei congruitate fundata (i.e. Ecclesiam non solere praecipere susceptionem alicuius sacramenti nisi sit iam praecepta a iure divino, quod ab Ecclesia subinde determinatur quoad aliquas circumstantias), suum valorem habet quia Ecclesia non solet, nisi ex gravi ratione, gravia praecepta multiplicare, praecipue ubi sit timor frequentis transgressionis, et in hac ipsa materia confirmatur ex ipsa absentia praecisi ac determinabilis praecepti Ecclesiae de recipienda Extrema Unctione, non obstante maxima huius sacramenti utilitate, et ex ipsa generali ac indeterminata expressione canonis 944 Codicis I.C. ex qua, ut diximus supra, nullum directum praeceptum erui potest.

Et ratio quidem facile intelligitur quae potest explicare absentiam talis praecepti, quia nempe, ob multorum fidelium sive incuriam, sive inanem timorem, sive ineptum aut superstitiosum conceptum sacramenti exeuntium, periculum esset frequentis transgressionis huiusmodi praecepti ac novo peccato onerandi conscientiam eorum qui in eo statu versantur in quo maxime a peccatis purgari indigent.

Ad factum autem quod attinet, ex duplici capite existentia alicuius ecclesiastici praecepti erui posset et ab adversariis erui dicitur, scilicet vel ex explicita lege vel ex ecclesiastica ac diuturna consuetudine vim legis habente.

lamvero explicita lex in nullo documento invenitur. Quod enim attinet ad *generalia documenta,* quae nempe totam Ecclesiam respiciunt, unicum quod invocari potest est *can. 944 Codicis I.C.,* nec ipsi adversarii ex aliis generalibus documentis, puta ex Cone. Trid., ecclesiasticum praeceptum eruere contendunt, sed ipsum potius praeceptum divinum. lamvero, ut supra fusius ostendimus, ille canon non continet impositionem praecepti ecclesiastici, sed declarationem generalis praecepti divini non negligendi sacramenta, et ceteroquin, etiam si contineret distinctum praeceptum ecclesiasticum, hoc praeceptum iterum non respiceret immediate ipsam sacramenti susceptionem sed obligationem non negligendi sacramenti susceptionem (quae ceteroquin obligatio non necessario esset gravis, communiter, ut videtur, fatentibus vel non refragantibus ipsis adversariis). Ex ipsis pariter *particularibus documentis variarum ecclesiarum,* sive ratione suae concordandae considerentur ut signum generalis voluntatis totius Ecclesiae, sive accipiantur tantum ut expressio uniuscuiusque particularis

ecclesiae, nulla ratio distincti praecepti erui potest; sed, ut patet ex attenta illorum analysi supra instituta (p. 396-424), in eis continetur tantum vel praeceptum seu affirmationem divinae institutionis, vel praeceptum ministrandi sacramentum respiciens sacerdotes, vel necessitas redintegrandi usum sacramenti apud fideles, vel emphatica et urgens commendatio moralis necessitatis sacramenti, vel etiam in quibusdam illorum videri potest, sicut in Codice I.C., declaratio generalis ac divini praecepti non negligendi sacramenta. Quae omnia valent de ipsis fortioribus et ambiguioribus expressionibus quas supra notavimus in *Poenitentiali Egberti Eboracensis, Concilio Ticinensi, Synodalibus Andecavensibus, Synodo Rhemensi et Treccnsi, Concilio Colocensi* et *Cone. Baltimorensi.*

Unde inepte *Tournely* in illis documentis videt manifestum praeceptum ipsius Ecclesiae, scribens: "Mandatum illud ecclesiasticum probant manifeste omnes Ecclesiarum Rituales Libri, in quibus ritus administrandi hoc sacramentum praescribitur";[1] nec etiam consentimus quibusdam ex nostris fautoribus, concedentibus in illis contineri verum sed particulare praeceptum singularum ecclesiarum, uti *De Sainte-Beuve* scribenti: "Nullo praecepto ecclesiastico singuli fideles adulti tenentur suscipere in exitu Unctionem infirmorum; quaedam tamen leges privatarum ecclesiarum ad id obstrinxerunt quosdam de Ecclesia [Citat quaedam ex supradictis documentis]."[2]

Nec ipsa consuetudo, utut perpetua, constans et universalis, tum suscipiendi hoc sacramentum tum summa cura illud ministrandi, quam praecipue urget *Concina* (cf. supra, p. 378), dici potest aequivalere praecepto aut vim legis habere. Nam haec praxis spontanee fluit et apte explicatur ex ipsa maxima utilitate ac morali necessitate huius sacramenti, non vero ex quadam persuasione strictae obligationis illud suscipiendi, quod quidem requiritur ad hoc ut consuetudo vim legis assequatur.

Inepte etiam quidam adversarii arguunt ex eo quod non intelligeretur in sacerdote stricta obligatio administrandi hoc sacramentum, nisi daretur in subiecto stricta necessitas illud suscipiendi. Nam talis conclusio mille instantiis falsa demonstratur (cogita v.g. de variis strictisque obligationibus pastorum administrandi sacramenta, puta accedentibus ad frequentem nec necessariam communionem vel confessionem), quoniam officium ministri non fundatur in subiecti obligatione sed in istius iuribus. ius enim et officium correlativa reputantur.

[1] Cf. supra, p. 373 sq. j.

[2] *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 3, in MlCNE, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 125.

Conclusio 3. Extrema Unctio est per se moraliter necessaria ad salutem, nec tantum mere conveniens.

Probatur. *Ex fine seu eflectu huius sacramenti.*

Ut observatum est supra (p. 366), illud dicitur ad aliquem finem moraliter necessarium sine quo ille finis non ita facile et convenienter, saltem ut in pluribus et ordinarie, obtineri potest, quatenus nempe habet, relate ad consecutionem finis, talem peculiarem influxum qui nec in aliis mediis invenitur nec per aliorum mediorum influxum facile, in communibus saltem circumstantiis, compensari potest.

Atqui talis est Extrema Unctio relate ad finem salutis. Nam ex una parte Extrema Unctio confert specialem gratiam sacramentalem, ad finem salutis proxime et excellenter ordinatam, scilicet tum interiorem ac physicam abstersionem reliquiarum peccati, qua perficitur opus iustificativae sanationis inceptum per Poenitentiam, quemadmodum per sic dictam convalescentiam sanatio corporalis completur, ac ita homo proxime disponitur ad illam gloriosam salutem in quam nihil inquinatum incurrit, tum exteriorem saltem ac moralem roborationem. qua anima, una cum corpore languescens atque ad limina aeternitatis appropinquans, sustinetur et confortatur sive in seipsa sive relate ad exteriora agentia contraria, peculiariter ad ultimas nec remissiores daemonum impugnationes. Ex alia vero parte, haec specialis et excellens gratia, qua homo ad gloriam immediate praeparari dicitur, est etiam specifica huic sacramento, ita nempe quod per influxum aliarum causarum, tam sacramentalium quam extrasacramentalium. nec ullatenus conferri nec de facili compensari queit, in communibus saltem circumstantiis et iuxta ordinarias Providentiae leges. Nec ideo refert quod ea specialis roboratio per alia media compensari ac suppleri queat, aut quod ipsa specifica abstersio reliquiarum peccati possit immediate conferri a Deo, qui suam virtutem sacramentis non alligavit; nam primum fit per accidens, indirecte et sub diversa ac minus convenienti ratione (ut dictum est in tractatu *De sacr. in genere* 219), alterum vero esset aliquid omnino exceptionale et iuxta extraordinarias Providentiae leges, quibus incerte quis se committeret, nec ceteroquin absque ipsius sacramenti voto contingeret.

Ergo Extrema Unctio est non tantum quomodolibet conveniens, sed proprie, etsi moraliter tantum, necessaria ad salutem, ita ut sine ipsa finis salutis non ita facile ac convenienter ab infirmo obtineatur.

Quae quidem necessitas, ob peculiares circumstantias sive subiecti moraliter deficientis sive mortis probabiliter appropinquantis ac neces-

sario aeternam sortem obsignantis, tanta est, ut plures doctores sibi persuaserint eam attingere vim strictae divini praecepti necessitatis, imo ulterius unus vel alter diminutam quandam ac relativam medii necessitatem ei tribuere attentaverit. Et haec quoque propria ipsa ratio est ac fundamentum, tum ipsius culpae, quae in negligentia huius sacramenti facile contingere solet, tum instantium admonitionum ac severiorum querelarum, quibus antiqua praesertim documenta *(relata in toni. 1,* p. 166 sqq.) ad tanti remedii diligentem susceptionem fideles impellunt. Quorum non pigeat haec saltem insigniora recolere:

Isaac Antiochenus (**t** 460): "Negligitur oleum apostolorum et martyrum," "Signationem contemnunt."

Cone. Cabillonense a. 813: "Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, quae corporis animaeque medetur languoribus."

Rodulphus Bituricensis (**t** 868) idem ad verbum repetit.

lonas Aurelianensis (a. 829): "Multis namque propter ignorantiam, multis propter incuriam, haec olei unctio ab usu recessit. Quibus autem in usu non est, necesse est ut in usum veniat."

Cone. Ticinense (a. 850): "Illud quoque salutare sacramentum . . . solerti praedicatione populis innotescendum est: magnum sane et appetendum mysterium. . . Sed quia frequenter contingit ut aegrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci presbyter congruenter admonere."

Acfricus Cantuariensis (**t** 1005?): "Quidam vero aegroti hoc [sacramentum] nihili pendunt, et in aegritudine sua se non concedunt ungi. Dicam quid de eis docuit Jacobus . . . : 'Infirmatur quis in vobis? . . .' "

Synodalia Andegavensia a. 1293: "Nos quoque accepimus, referentibus fide dignis, quod illud Sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est in hac vita migrare, ex quadam negligentia, omittatur."

Catechismus Cone. Trid.: "Maxime . . . [fideles] cohortandi sunt, ut huius saluberrimi olei Sacramentum sancte et religiose sibi administrari curent" (p. 2, c. 6, n. 12).

Rituale Romanum supra cit., p. 424 sq.

Benedictus XIV (**f** 1758) supra cit., p. 428, in nota.

Concilia Pragcnse a. 1860, *Colocense* a. 1863 et *Baltimorcnse* a. 1866, supra cit., p. 423 sq.

Card. P. Gasparri in suo Catechismo, ad can. 944 Codicis I.C. observat: 'Odiose crudeliterque vel per speciem amoris ac prudentiae id facit, cuius interdicto vel negligentia sacerdos ad ministranda morientibus Sacramenta non tempestive advocatur. Fratrem tuum, O Christiane qui sic agis, supremis Religionis auxiliis solatiisque destituis;

fortasse facultatem ac modum ipsi adimis aeternae beatitatis assequendae. O quam gravis erit a te ratio petenda'."[3]

Aliorum doctorum querelas sic apte colligit *D. JORIO:* "Ma quel che non possiano comprendere è come vi siano, tra i cristiani, non pochi malati e malati al punio di trovarsi in periculo di perdere anima e corpo, i quali non si prendano nessuna cura di chiedere la celeste medicina, lasciataci dal medico divino, vale a dire il Sacramento dcllOlio Santo, detto anche dell 'Estrema Unzione. ma che noi a scanso di equivoci e fobic, preferiamo chiamare, con una espressione dei Concilio di Trento, *Sacra Unzione degi 'Infermi,* per guarire, a un tempo, dalla malatia dell'anima e del corpo.

"Citiamo un esempio: in una parrochia di Roma, con circa 14000 anime, afndata ai benemeriti Missionary dei Sacro Cuore, con un parroco coito e zelante, muoiono in media. 100 parrocchiani alTanno. Ebbene, 12 di questi muoiono senza i Sacramenti; 14 riceveno l'assoluzione e lOlio Santo in istato d'incoscienza; 74 soltanto si muniscono con le debite disposizioni, degli ultimi sacramenti. Aggiungasi che il parroco ha istituito un'associazione per essere awertito dei malati gravi eventualmente esistenti in parrocchia!

"E quali potranno essere, ci domandiamo, le cause di questa strana condotta da parte di molti infermi che pur si dicono cattolici. in special modo nelle grandi città? Esse sono parecchie a nostro avviso, ma ci limiteremo ad indicar le principali.

"La prima è l'ignoranza delle verità religiose, sia speculative che pratiche. con la colpevole conseguenza di una fede languidissima, se non proprio morta

"Altra causa sta nel pregiudizio di credere che lOlio Santo sia il passaporto infallibile per l'eternità; pregiudizio awalorato, purtroppo. dall'arbitraria interpretazione data comunemente al nome di Estrema Unzione, quasi che si tratti di unzione riservata agli estremi momenti della vita, mentre invece il significato vero e proprio dell'aggettivo 'estrema' non è di ultima nella vita, ma nella serie delle unzioni sacramentali — dopo quelle cioè del Battesimo e della Cresima — oltre la quale non v'è da aspettarsene altra. Che se il più delle volte diventa l'ultima della vita, cio è imputabile ai malati e piu ancora ai loro familiari.

"Una terza causa è invero l'esagerato e ingiusto riguardo umano verso l'infermo da parte dei parenti, i quali temono di spaventarlo esortandolo ai Sacramenti della Chiesa, quasi si trovasse egli in pericolo di morte. 'Coloro che ci amano, scrive il P. Faber, fanno un grande sacrificio di se stessi in dirci questo. E' la più benigna di tutte le benevolenze. benché sarebbe peccato e crudeltà il non farlo. Per questa interessata crudeltà moite anime sono ora nell'inferno. Vi sono madri che vi hanno cosi precipitato i loro figli, senza badare che, nel tenersi cosî disumanamente silenziose, lo fecero per utilità propria e non per quella della loro prole. Vi furono mariti che perdettero pure in tal modo l'ultima occasione di salvarsi, perche l'amore della loro moglie era amor proprio, velato da amor di sposa. Oh. quell'amore che antepone il corpo all'anima è un amore ben piccolo sulla terra!'[4]

"Talora, poi, l'infermo medesimo, pur desiderando ricevere i Sacramenti, vi rinunzia, per timore di allarmare, con tal richiesta i parenti: e non pensa, stolto e crudele verso se stesso, ch'egli si avvia rapidamente verso la morte, e. quel che è più tremendo, verso il tribunale di Dio.

"Un'ultima causa, che chiamereno causa di tutte le altre, è l'azione diabolica direttamente o indirettamente spiegata a danno delle anime, per quell'innato odio che Satana nutre verso di esse, in particolar modo nel momento piu critico della vita, momento da cui dipende l'eternità. Non si comprenderebbe nè l'ignoranza crassa e supina di certe verità, nè la stoltezza del pregiudizio. nè il crudele umano

[3] *Catechismus Catholicus* (cd. 15, Typis Polyglottis Vaticanis 1934) 230, in nota.
[4] *Conference spirituali.* Vcrsionc italiana di L. Musa, Torino, Marictti.

riguardo — cose da noi sopra deplorate — senza il sofiio malefico, diretto o indiretto, dello spirito infernale."5

Conclusio 4. Extrema Unctio est per accidens etiam stricte necessaria in quibusdam casibus, ratione praesertim defectus aliorum mediorum salutis, vel scandali vitandi, vel contemptus praecavendi, ita ut tunc sacramentum non suscipiens graviter peccet.

Probatione peculiari haec conclusio non indiget, sed mera expositione et applicatione, cum ipsa clare derivetur ex generalibus principiis, et sit communis aliis sacramentis, ut ostendimus, data occasione, in praecedentibus tractatibus *Dc Baptismo et Confirmatione* 126, 370 sq., *De Eucharistia* I 531, *De Poenitentia* I 514-516; II 481.

Generale ipsum principium est quod, cum assecutio salutis sit stricte necessaria, haec ipsa necessitas extenditur consequenter ad omne id sine quo salus assequi non possit. Tale autem aliquid potest esse *vel per se,* i.e. ratione sui aut immediate, ac ita necessaria sunt ea quae, sive ex natura rei aut positiva Dei institutione ad salutem ordinantur (stricta necessitas medii), sive saltem directe praecipiuntur, divino nempe aut ecclesiastico gravi praecepto, ita ut eorum transgressio sit grave peccatum ac ideo impediat salutem (stricta necessitas praecepti); *vel per accidens,* i.e. non ratione sui et immediate, sed ratione alterius quod sit per se necessarium, quatenus nempe contingat hoc sine illo poni non posse. Et hoc altero modo contingere potest ut aliquod sacramentum quod, sicut Extrema Unctio, per se non sit nisi moraliter necessarium, fiat per accidens stricte necessarium ad salutem. Unde practice dici potest tunc Extremam Unctionem fieri per accidens stricte necessariam ad salutem, eiusque omissionem importare ex parte subiecti grave peccatum, cum absque eius susceptione nequit adimpleri aliud praeceptum urgens sub gravi.

Moderni moralistae, praecipue cum S. *Alphonso* et post *Suarez, tres casus proponunt,* in quibus Extrema Unctio fit per accidens stricte necessaria, scilicet casum defectus aliorum mediorum salutis, casum scandali et casum contemptus sacramenti de quo non parum disputant et varia proferunt. S. *Thomas* nonnisi tertium casum explicite indicat (tum generaliter de sacramentis, tum particulariter de Confirmatione et de Extrema Unctione), ea fortasse ratione quod, ut mox explicabitur, primus casus sit parum practicus, secundus vero sit valde accidentarius et aliunde rarior, et uterque ceteroquin ad ipsum tertium casum reduci possit; ceterum S. Doctor in *Suppi.,* q. 6, a. 5, agens de necessitate per accidens non differendi susceptionem Baptismi,

5 *La Sacra Unzione degli In/crnti* (Roma 1935) 9-12.

alios quoque casus eorumque reducibilitatem ad tertium indirecte indicat, scribens: “Si causa dilationis baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum vel aliquid hujusmodi baptismum differat, dilatio baptismi erit peccatum mortale; alias non.”

Primus casus est dejectus aliorum mediorum salutis, si nempe infirmo praesto non sint alia media acquirendi justificationem, signanter alia sacramenta, praeter solam Extremam Unctionem.

In hoc casu dupliciter de necessitate sacramenti iudicari potest, iuxta duplicem statum infirmi, prout nempe ipse sit sensibus destitutus vel sui compos.

S/ *infirmus sit sensibus destitutus,* nequit, ut patet, esse quaestio de necessitate quae pariat in ipso subiecto obligationem suscipiendi (nec proinde de gravi peccato non suscipiendi), sed de necessitate secundum se inspecta necnon de consequenti obligatione ministrandi in sacerdote qui non sit pastor (nam pastor tenetur ex officio sacramenta infirmis ministrare). lamvero, ut in illo statu Extrema Unctio sit secundum se stricte necessaria oportet tum ut subiectum sit adhuc in peccato mortali tum ut non possit suscipere aliud sacramentum (non loquimur de actu contritionis, quia supponimus infirmum esse vere nec tantum apparenter inconscium, i.e. absque actuali usu rationis et voluntatis), seu si nequeat baptizari quia est iam baptizatus, nec absolvi quia non potest elicere attritionem (iuxta communem et antiscotisticam sententiam de necessitate praesentis attritionis), nec recipere Viaticum puta ob impossibilitatem deglutiendi, nec confirmari quia aut est iam confirmatus aut non habet intentionem habitualem hoc sacramentum suscipiendi, nec ordinari quia aut est iam ordinatus aut eandem intentionem non habet, nec uniri in Matrimonium quia aut est coniugatus aut non expressit intentionem contrahendi. Quae quidem dicimus supponendo, cum sententia communiori, sacramenta vivorum conferre per accidens primam gratiam subiecto saltem habitualiter attrito.

Pariter quod attinet ad obligationem ministrandi, seclusa quidem obligatione iustitiae in pastoribus, tunc tantum, speculative loquendo, in ceteris ministris gravis charitatis obligatio ministrandi ex ipsa sacramenti necessitate consurgeret, cum ex una parte minister probabiliter sciret infirmum esse in peccato mortali (puta quia ille in deliquium incidit antequam absolveretur a peccatis) et ex alia parte infirmus non possit suscipere aliud sacramentum quo iustificari queat. Cum tamen valor absolutionis conditionatae sit valde incertus (quia iuxta communem sententiam fundatur in praesumptione praesentis attritionis) et praedicta sententia de accidentali influxu sacramentorum

vivorum in iustificationem non sit certa, ac ideo Extrema Unctio maneat unicum certum medium iustificationis in infirmo inconscio et mortaliter peccatore, practice loquendo exurgit in sacerdote gravis obligatio ministrandi Extremam Unctionem infirmo sensibus destituto quem scit non fuisse sacramentaliter absolutum.

Si vero infirmus sit sui compos, quaestio proprie moveri potest de stricta necessitate suscipiendi sacramentum, ubi nullum aliud medium iustificationis praesto sit.

Ut autem apte observant *Suarez* et S. *Alphonsus,* hic casus vix practicus dici *potest, } cum ex una parte hoc sacramentum nequeat administrari nisi a sacerdote qui simul potest absolutionem conferre et ex alia parte semper infirmo adsit remedium actus perfectae contritionis.

Potest tamen aliquis hypotheticus aut rarus casus construi ex aliquo defectu contingente ex parte duorum ordinariorum mediorum iustificationis, scilicet sacramenti Poenitentiae et contritionis, ex quo susceptio Extremae Unctionis reddi posset necessaria tanquam unicum salutis remedium. Primo enim potest fingi quod minister non possit absolvere (si nempe fingatur Ecclesiam non omnibus sacerdotibus absolvendi facultatem concedere pro articulo mortis), aut nesciat absolvere (quae crassa ignorantia est prorsus inaudita), aut nolit absolvere velit tamen ungere (quae pariter insignis malitia aut stupiditas vix reperibilis est); pariter fingi potest quod ipse infirmus nolit confiteri ob periculum proprii vel alterius detrimenti (puta scandali, revelationis sigilli, expositionis complicis) et simul ignoret se in quibusdam casibus posse nihilominus dimidiate confiteri seu confessionem materialiter non integram instituere. Tunc utique duplex manet ei iustificationis remedium, scilicet aut Extrema Unctio aut contritio, ac ita speculative loquendo non tenetur Extremam Unctionem suscipere, cum *possit eligere actum contritionis de cuius etiam elicientia posset esse moraliter certus. Secundo tamen ac ulterius fingi potest quod infirmus, tota illa circumstantia supposita, non possit perfecte confiteri, aut nolit conari ad perfecte conterendum, aut non sit moraliter certus de sua contritione, aut sit potius moraliter certus se habere meram attritionem. Tunc unicum medium salutis esset Extrema Unctio, quae proinde evaderet per accidens stricte necessaria ita ut eius omissio esset peccatum mortale.

Ceterum, etiam in priori hypothesi, quod nempe infirmus sibi videretur moraliter certus de sua perfecta contritione, probabiliter ei incumberet practica obligatio sacramentum suscipiendi, proveniens ex

**Suarez:* "Sed hic casus imprimis rarissimus est" (Disp. 44, see. 1, n. 7). S. *Alphonsus:* "Sed bene aiunt Suarez et Palaus hunc casum vix accidere posse" (n. 733).

lege charitatis non sese exponendi gravi periculo salutis, eo quod facile ipse falli posset in sua certitudine de realitate perfectae suae contritionis ac ideo cum gravi imprudentia ei se committeret, saltem in circumstantia proximi periculi mortis. Ad rem *Suarez:* "Responderi... potest, hanc obligationem [recipiendi Extremam Unctionem] tunc vigere, etiamsi homo reputet se contritum, eo quod facile decipi potest, et in re ipsa non habere contritionem, et ob eam causam damnari, ideoque gravi periculo suae damnationis videtur se exponere omittendo hoc sacramentum. Quae ratio est satis apparens, quantum ad obligationem ex charitate propria, propter damnum irreparabile, quod imminet, et propter difficultatem, et incertitudinem verae contritionis. Et mihi certe valde probabilis res est, quamvis non adeo certa, quin aliis sit locus opinandi oppositum, dicendo, eum, qui moraliter est certus de contritione, non se exponere periculo, etiamsi alia media, quae praecepta per se non sunt, omittat; maxime cum non sit certum sacramentum hoc facere ex attrito contritum. Sed ego majorem diligentiam censeo pro salute aeterna adhibendam esse, ex lege saltem charitatis."[7]

Ceterum hic casus in quo infirmus, speculative vel practice loquendo, teneretur ad suscipiendum sacramentum ut unicum medium salutis, reduci potest ad casum virtualis contemptus sacramenti, quatenus infirmus videtur implicite parvi pendere sacramentum, illud non suscipiens ex eo tantum quod non sit per se nisi moraliter necessarium ad salutem.

Secundus casus est grave scandalum, quod ex omissione sacramenti contingere posset.

Hunc casum sic proponit S. *Alphonsus:* "Posset infirmus peccare mortaliter ... si omittendo [sacramentum], scandalum daret, puta si ratione circumstantiarum inducerentur alii ad suspicandum quod ipse sit haereticus, vel ad nihil faciendum hoc sacramentum. Ita Salmant., Holzmann, et Palaus cum Suarez, Sà, Coninck, Laymann, Bonacina et communi."[8] *Frasscn* casum magis determinat scribens: "Ex omissione receptionis hujus Sacramenti potest interdum oriri scandalum, puta vel suspicio haeresis, vel hujus Sacramenti contemptus, si nempe aliquis bene audiens apud omnes [maxime si sit sacerdos, parochus, episcopus], sciat se constitutum in morbo periculoso, et communem esse fidelium praxim, ut hoc Sacramentum in tali statu recipiatur, illud tamen respuit coram pluribus, sicque dat occasionem suspicandi quod sit haereticus."[9]

[7] *Op. cit.* (supra, in p. 381), n. 7, p. 865.
[8] *Op. cit.* (supra, in p. 377) 743.
[9] *Op. cil.* (supra, in p. 381) 632.

Haec tamen observa: 1. Hic casus est omnino generalis, cum contingere possit in omissione quorumlibet praeceptorum aut mediorum salutis. 2. Est omnino accidentarius; nam scandalum non provenit per se ex ipsa omissione Extremae Unctionis (cum per se non inducatur scandalum ex omissione rei non praeceptae), sed potius ex copulatis circumstantiis qualitatis infirmi (ut si sit religiosus, sacerdos, parochus, episcopus) et consuetudinis fidelium facile sacramentum suscipientium, ex quibus oritur suspicio haeresis vel contemptus sacramenti. 3. Est facile reducibilis ad casum virtualis contemptus sacramenti. 4. Proprie adesse intelligitur cum ex omissione sacramenti alii inducuntur ad peccatum, nam scandalum proprie habetur cum ex unius facto alii ad peccandum excitantur. 5. Vere adesse tunc tantum intelligitur cum per omissionem sacramenti datur grave scandalum, quo nempe alii inducuntur ad peccandum mortaliter.

Hinc sequitur hunc casum esse potius rarum, cum ordinarie ex omissione sacramenti ex parte unius vel alterius infirmi fideles non inducantur ad graviter parvi pendendum sacramentum aut ad temere iudicandum de fide vel spirituali salute omittentis. Ad rem *Suarez:* 'Oportet tamen advertere, scandalum proprie esse, quando ex unius facto alii ad peccandum excitantur, quod scandalum tunc maxime est peccatum mortale, quando alii inducuntur ad peccandum mortaliter, efficaciter, vel cum periculo morali, quantum est ex parte operantis. In praesenti ergo raro intervenit hujusmodi scandalum in hoc rigore et proprietate, tum quia ex eo quod aliquis sit negligens in sumenda unctione extrema, rari sunt qui inducuntur ad similem omissionem, cujus occasio tunc non occurrit; tum etiam quia, licet ad hoc inducerentur exemplo alterius, non inducerentur ad peccandum mortaliter, per se loquendo, ut ex dictis constat; et ideo ex eo solo capite non esset proprium et rigorosum scandalum. Posset tamen eam rationem habere, si eo exemplo inducerentur fideles, vel ad parvipendendum hoc sacramentum, vel ad negligenda generaliter remedia suae salutis, vel ad judicandum temere et cum publica detractione de salute spirituali talis personae, vel alia similia, quae respectu communitatis non sunt sine gravi periculo multorum peccatorum mortalium, vel certe non sine gravi detrimento spirituali ejusdem communitatis, quod interdum posset sufficere, ut scandalum sit grave peccatum.'"[10]

Tertius casus est contemptus sacramenti.

Talis contemptus dupliciter intelligi potest, formaliter nempe et virtualiter. Si intelligatur formaliter, certum quidem est per eum committi grave peccatum, imo, ut, ait Cone. Trid., "ingens scelus et

[10] *Op. cit.* (supra, in p. 381), n. 5, p. 864.

ipsius Spiritus Sancti iniuriam" (Z>ewz. 910), sed improprie hic affertur ut casus in quo per accidens susceptio sacramenti fit stricte necessaria; nam tunc non amplius proprie quaestio est de suscipiendo sacramento sed de eo non contemnendo, cum quis possit simul sacramentum non suscipere et illud non contemnere. Quaestio igitur tantum esse potest de *virtuali contemptu,* an scilicet ipsa sacramenti omissio formaliter non contemptuosa, possit in quibusdam circumstantiis evadere virtualiter contemptuosa ita ut, ad hoc vitandum, oporteat sub gravi sacramentum suscipere. In quo quidem varii auctores varie sentiunt aut vario modo loquuntur.

Quidam, ut *Major* (apud Suarez), *Merbesius* (apud S. Alphonsum), *Lcpicicr, Cappello* et *L'Ami du clergé* (qui aliunde etiam docent Extremam Unctionem esse per se stricte necessariam de praecepto) dicunt quod ipsa negligentia sacramenti, in eo nempe qui sciens et volens sine iusta causa (puta ex socordia vel ex aliqua repugnantia orta a timore aut humano respectu) illud praetermittit, ea ratione innixus quod non sit praeceptum, est virtualis et gravis contemptus. Ad rem *Cappello:* intelligi potest, cur sacramentum hoc contemnere non censeatur is, qui sine iusta causa detrectet illud recipere. Scimus quidem plures negare, contra alios, in tali casu haberi contemptum.[11] Sed ubi quis ex mera negligentia saluberrima medicina a Christo D. instituta et tradita non utitur, vix aut ne vix quidem saltem a virtuali et implicito contemptu videtur excusari posse."[12] *Lépicier:* "Nec bene a quibusdam dicitur aliquem excusari posse ob repugnatiam quam erga sacramentum hoc persentiat, cum huiusmodi repugnantia gravem defectum vel fidei vel charitatis arguat, nisi adsit invincibilis ignorantia."[13] *L'Ami du Clergé:* "Peut-on négliger un remède ordinaire, ordonné de lui-même, de par l'institution du Christ, à un état déterminé, quand on se trouve dans cet état? Ce serait en quelque sorte tenter Dieu, mépriser son secours, que de n'y point recourir."[14]

Alii vero ac communius dicunt in praedicta mera negligentia non haberi per se virtualem contemptum (saltem gravem). Ita (ut nonnisi quosdam ex antiquioribus referamus) S. *Thomas* (cit. in p. 406), *Bonaventura* (cit. in p. 401),[15] 5. *Alphonsus* (cit. in p. 391) et *Suarez* qui signanter scribit: "Quidam . . . putant hic sufficere ad contemptum, quod quis, sciens et videns, directe nolit recipere sacra-

"Cf. S. Alph., lib. V, n 733.
Op. cit. (supra, in p. 376) 189.
'*Op. cit.* (supra, in p. 378) 79.
"In textu supra relato, in p. 37S.
"*Scotus* in hac re potius ambigue loquitur, ut notavimus supra, p. 414.

mentum hoc, licet ad id solum moveatur ex notabili negligentia seu accidia, aut ex nimio aliquo timore humano. . . Sed in rigore hoc satis non est ad contemptum, licet moraliter praesumatur; si tamen quis solum moveretur ex eo quod non est sibi praeceptum, et aliunde repugnantiam vel difficultatem sentit, non esset contemptus, nec mortale peccatum, per se loquendo, et seclusis aliis periculis vel scandalis. *Oportet ergo ut quis parvipendat sacramentum et jructus ejus* [formalis contemptus], *qui modus contemptus vix potest in aliquo reperiri, nisi laboret aliquo errore vel haeresi circa tale sacramentum.*"[16]

Ceterum hanc quaestionem iam negative cum his doctoribus resolvimus supra (p. 427),[17] ubi diximus vocem negligentiae ambiguam esse ac dupliciter accipi posse, negative nempe pro mera rei omissione, et positive pro omissione rei debitae. In priori sensu negligentia sacramenti nullam prorsus importat culpam, et multo minus contemptum; in altero vero sensu importat quidem semper aliquam culpam, imo levem vel gravem iuxta gravitatem motivi quod ad omissionem inducit, sed non necessario importat virtualem contemptum, etiam si non ex mero timore et difficultate oriatur sed ex ipsa socordia vel accidia, nam haec non necessario procedit ex eo quod parvipendatur sacramentum, sed potest procedere ab ipso eodem timore et difficultate vel a mera humanae naturae mollitie et fragilitate. Potest tamen in quibusdam circumstantiis contingere ut, ratione peculiaris necessitatis subiecti copulata cum facili, imo sibi directe oblata, sacramenti susceptione, ea negligentia tam crassa evadat ut contemptui fere aequivaleat aut saltem contemptum sacramenti continere praesumatur, quatenus nequeat homo tam utile, tamque facile oblatum sibi sacramentum, rationabiliter simpliciter praetermittere nisi (seclusa crassa ignorantia) aliquo errore seu haeresi circa indolem et virtutem sacramenti laboret. Quo sensu scribit *Benedictus XIV:* "Nec praeterea incongruum esset addere facile Sacramenti contemptum praesumi in infirmo qui cum vita periclitetur, extremam Unctionem sciens et volens petere negligit, multoque magis, si eam sibi a parocho exhibitam recipere renuat."[19]

[16] *Op. cit.* (supra, in p. 381), n. 6, p. 865.

[17] Eodem modo hanc quaestionem resolvimus quoad sacramentum Confirmationis in tractatu *De Baptismo et Confirmatione* 371.

[18] In textu citato supra, p. 428, in nota. Eodem modo supra interpretati sumus verba *Scoti* (p. 414) et *Synodalium Andegavensium* (p. 416).

ART. 26. Utrum Extremae Unctioni Competat Peculiaris Indoles Sacramentalis.

CONCLUSIO *affirmativa.*

Exponitur et probatur.

Peculiaris indoles huius sacramenti resultat ex dictis in praecedentibus capitibus (Cap. 2, 3, 4) de eius materia, forma et effectu, ex quibus essentia sacramenti constituitur eiusque specifica ratio consurgit. Sufficit ergo quasdam notas exinde referre et in brevem summam colligere.

Quemadmodum peculiaris indoles sacramenti Eucharistiae provenit ex ipsa continentia Corporis Christi, qua panis species repletur ac vivificatur, et propria indoles sacramenti Poenitentiae procedit ex copulata virtute poenitentiae qua totum sacramentum imbibitur, ita praecipue ex consortio materialis infirmitatis cum spirituali ipsa curatione, quae per sacramentum praebetur, peculiaris ratio Extremae Unctionis eiusque discrimen a ceteris ritibus derivatur, attentis tribus elementis quibus omne sacramentum componitur, scilicet sacramento-tantum, re-et-sacramento, re-tantum.

SACRAMENTUM-TANTUM triplicem ostendit peculiaritatem ac discrimen, scilicet in materia remota, in materia proxima et in ipsa forma.

Quoad *materiam remotam,* Extremae Unctioni cum Confirmatione peculiaris est illius benedictio seu praesanctificatio, ita nempe quod materia remota non sit merum ipsum elementum olei, sicut aqua in Baptismo et panis in Eucharistia, sed oleum prius consecratum et ad sacramenti usum per consecrativam benedictionem essentialiter ordinatum, antequam, in ipso usu seu unctione, sacramentali ipsa elevatione et efficacitate per formam verborum iterum benedicatur ac consecretur. Cujus praeviae ac necessariae consecrationis, triplicem in art. 3 (tom. 1, p. 358-361) rationem assignavimus: primam scilicet, quia Extremae Unctionis et Confirmationis materiam Christus suo ipsius usu nequaquam consecravit, sicut Baptismi et Eucharistiae materiam sanctificavit; alteram, quia in gemino illo sacramento quaedam gratiae plenitudo confertur, quam oportuit per pleniorem ipsius materiae consecrationem significare; tertiam, eamque soli Extremae Unctioni convenientem, quia nempe in hoc sacramento confertur etiam peculiaris effectus corporalis sanitatis, ad quem significandum materia olei de se apta non est nisi speciali quadam investitura ad id per consecrationem ordinetur.

Materia proxima in quadam unctionum pluralitate consistit, quae exigitur ac fundatur sive in ipsa pluralitate sacramentalis ac principalis effectus, qui est generalis curatio spiritualium vulnerum ex pluribus organorum radicibus provenientium, sive etiam in ipsa analogia corporalis ac multiformis infirmitatis, quae ita est secundarius effectus ut ab ea sacramentalis symbolismus ipsius principalis effectus pendeat ac perficiatur, nam ut dictum est in art. 7 (tom. 1, p. 549 sq.), tota essentia et finis huius sacramenti in eo consistit ut mediante sanitate corporali ipsam spiritualem curationem significet et impetret.

In art. 5 *(ibid.,* p. 466 sqq.) dictum est hanc unctionum pluralitatem pertinere ad essentialem integritatem sacramenti, quippe quae compleat sacramentalem significationem, etsi sine ipsa, seu in unica unctione, salvari possit tota essentia sacramenti; in quo quidem fundatur necessitas sive adhibendi plures unctiones in ordinaria sacramenti administratione, seu extra casum necessitatis, sive supplendi posterius omissas unctiones ubi. ratione necessitatis, sacramentum in una generali unctione collatum fuerit (cf. *ibid.,* p. 456 sq., 461 sqq., 471-476).

Praeterea in art. 23 (hic, p. 282-286) ostensum est quomodo, non obstante hac unctionum pluralitate, sacramentum sit vere ac specifice unum, unitate quidem non solum integritatis, seu perfectionis, sed etiam, ut aiunt, indivisibilitatis, ratione cuius in singulis unctionibus nequaquam, etiam partialiter, essentia sacramenti salvatur; ac inde pariter eius discrimen ostendimus a sacramentis Ordinis, Eucharistiae et Poenitentiae, quorum primum est unum sacramentum unitate totius potentialis (ex quo fit ut variae ordinationes inter se separari queant, cum in unaquaque tota essentia, etsi non tota virtus, sacramenti salvetur), Eucharistia vero est una unitate totius integralis, ita tamen ut, secus ac in Extrema Unctione, in unaquaque parte seu specie salvetur, etsi partialiter tantum, essentia sacramenti. Poenitentiae tandem neutra unitas, totius nempe potentialis aut integralis, convenit, cum ipsa constet partibus non secundum totum sacramentum sed in sola materia, ita tamen ut istae partes necessario ac inseparabiliter ipsam materiam constituant, quo sensu soli Poenitentiae proprie ac stricte competit sacramentales partes habere.

Forma verborum in hoc sacramento, et in ipso solo, est *essentialiter dcprccativa,* utut proprie sacramentalis et effectiva. Cuius rei ratio ac necessitas iterum colligitur, ut dictum est in art. 7 (tom. 1, p. 547-550). praecipue ex effectu corporalis sanationis, quatenus hic ex una parte influit essentialiter in significationem sacramenti eiusque formae, cum tota essentia et finis huius sacramenti in eo consistat ut, mediante

ipsa sanitate corporali, efficaciter significet spiritualem sanationem, et ex alia parte est incertus et expectatur futurus, ac ideo oportet ut hanc suae incertitudinis rationem reflectat in ipsam formam, exigens in ea modum aliquem deprecativum.

RES-ET-SACRAMENTUM, ut fuse explicavimus in art. 21 (p. 261-275), peculiarem importat difficultatem tum quoad eius existentiam tum ac praecipue quoad eius essentiam seu praecisam indolem. Unde vidimus theologos in sex saltem abire sententias et explicationes, aliis illud ita exaggerantibus ut ad formam usque ac dignitatem cuiusdam quasi-characteris eveherent, aliis vero illud ita extenuantibus ut ad merum quendam iuridicum titulum reducerent, aliis tandem ipsam ejus existentiam negantibus aut in dubium revocantibus. Ceterum, in ipsa nostra explicatione, iuxta quam res-et-sacramentum est aliquid physicum et habituale, seu quaedam solativa dispositio per sacramentum in animam inducta ut viam praeparet ipsi sacramentali gratiae, seu abstersioni reliquiarum peccati, ac sit ulterius fundamentum reviviscentiae frustratae gratiae, propria natura huius rei-et-sacramenti adhuc satis obscura manet ob ipsam peculiarem ac veluti mysteriosam indolem huius tam parvi ac simul tam fecundi sacramenti.

Consequenter, ipsa quoque huius sacramenti informitas eiusque reviviscentia quae cum re-et-sacramento connectuntur difficilius quam in ceteris sacramentis explicantur, ut apparet ex dictis in art. 20 (p. 250-261).

RES-TANTUM, seu ultimus effectus huius sacramenti, duas exhibet praecipuas ac notabiles peculiaritates, ut constat ex dictis in Capite IV, art. 10-1 S. Prima est ipse effectus *corporalis sanitatis.* Nam nullum aliud sacramentum directe ordinatur ad aliquem effectum corporalem, sed cetera omnia in supernatural! animae regione multifariam suam activitatem exauriunt, nec nisi indirecte et ex quadam morali gratiae in corpus refluentia, ad materiales quoque effectus interdum sese extendunt, uti Eucharistia extinguens carnalem concupiscentiam et una cum Baptismo conferens ius ad gloriosam corporis resurrectionem. Ob analogiam nempe et intimam connexionem, qua corporalis et spiritualis infirmitas vel sanitas in mortis praesertim periculo copulantur, sacramentalis medicina, a divina ipsa Sapientia concinnata, utramque simul infirmitatem respicit et ad utramque extenditur sanitatem.

Altera est magna *ubertas simul ac varietas spiritualium ipsorum effectuum* qui huic sacramento tribuuntur, scilicet: abstersio reliquiarum peccati, qua complet effectum Poenitentiae: subsidiarius quidam

influxus in ipsam remissionem peccatorum mortalium, ratione cuius Extrema Unctio videtur accedere ad utrumque sacramentum mortuorum; peculiaris etiam influxus in remissionem tum venialium peccatorum tum poenae temporalis, ratione cuius assimilari potest cuidam baptismo aeternitatis; animi roboratio ac confortatio qua imitatur indolem Confirmationis; plenaria quaedam sanatio, vi cuius hoc sacramentum, ad limen aeternitatis consistens, ceterorum sacramentorum opus quodammodo perficit et absolvit. Ex qua quidem mirabili ac fluctuanti ubertate, difficultas ipsa consequitur assignandi proprium ac specificum effectum, sub quo ceteri procedunt ac colliguntur, ut patet ex non paucis disputationibus theologorum in art. 11-18 exagitatis.

Pro coronide sive huius articuli de sacramentali indole Extremae Unctionis, sive utriusque praecedentis capitis de eius effectibus et proprietatibus, iuverit schematicam comparationem instituere inter *tria sacramenta spiritualis curationis seu sanationis,* Baptismum scilicet, Poenitentiam et Extremam Unctionem,[1] ut inde appareat quomodo unum sit alterius complementum et quomodo ipsa Extrema Unctio revera dici possit cum S. Thoma, "sacramentum . . . ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis" (C. *Gcnt.* 4. 73), imo, cum Cone. Trid., "non modo poenitentiae, sed totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum" *(Denz.* 907).

BAPTISMUS	*POENITENTIA*	*EXTREMA UNCTIO*
1. Baptismus	*Secundus Baptismus*	*Baptismus aeternitatis*
Sacramentum Trinitatis	Spiritus Sancti[20]	"Oleum Crucifixi"[21]
Lavacrum aquae	Lavacrum lacrymarum	"Unctio sancti olei"[22]
Prima poenitentia	"Poenitentia secunda"	Ultima poenitentia[23]
2. Sacramentum mortuorum	*Sacr. mortuorum*	*"Sacr. infirmorum"*[2*]
(in Adam)		
Sacr. peccati originalis	Peccati actualis	Reliquiarum peccati
Sacr. vitae	Resurrectionis	Curationis[25]
Sacr. regenerationis	Remissionis	Abstersionis

[1] Similia schemata confecimus in tractatibus *De Baptismo et Confirmatione* 352, *De Eucharistia* I 475, et *De Poenitentia* IV 565.

* Iuxta Io. 20. 22 sq. "Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata. . ." *Isaac Antiochenus,* qui etiam habet: "Oleum apostolorum et martyrum."

[2] *Cone. Aquisgranense,* saec. 9, et alii passim sub simillimis expressionibus.

[3] "Publicae poenitentiae sacramentum" *(Ivo Carnotensis),* "Poenitentia quaedam infirmorum" *(Bellarminus),* "Poenitentiae consummativum" *(Cone. Trid.).*

[4] Occurrit potius sub forma "Sacramentum unctionis infirmorum" *(Hugo a. S. Victore, Petrus Lombardus, Catechismus Cone. Trid.).*

[5] Ad mentem S. *Thomae, Suppl.,* q. 30, a. 1.

BAPTISMUS	*POENITENTIA*	*EXTREMA UNCTIO*
Sacr. justificationis	Reconciliationis	Finalis reconciliationis[26]
Sacr. nativitatis	Sanationis	Convalescentiae[27]
3. *Sacramentum ablutionis*	*Sacr. absolutionis*	*"Sacr. unctionis"*[28]
Sacr. professionis	Confessionis	Orationis[29]
Sacr. purificationis	Satisfactionis	Indulgentiae
Prima unctio renatorum	Secunda unctio poenitentium	Extrema Unctio infirmorum
4. *Sacramentum fidei*	*Poenitentiae*	*Sfiei*[30]
lanua Ecclesiae	Clavis Ecclesiae	Exitus Ecclesiae
"Sacr. intrantium"	"Redeuntium"	"Exeuntium"[31]

[25] "Oleum sanctae reconciliationis" *(Vita S. Tresani).*

[26] S. *Thomas,* 3 p., q. 65, a. 1: "Necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quae quidem est duplex. Una quidem est sanatio quae sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali vita est poenitentia. . . Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium. Et loco huius in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias."

[27] Doctores saec. 12-13 communiter. Quidam habent: "Sacramentum unctionis infirmorum".

[28] Praecipue apud Graecos: *ἔυχίλαιον* (Oleum orationis).

[29] Ad mentem mediaevalium iuxta 5. *Thomam,* 3 p., q. 65, a. 1.

[30] Ita *Petrus Pictaviensis.* Ultima appellatio "Sacramentum exeuntium" resumitur subinde sat frequenter, ut a S. *Thoma, Bonaventura,* et *Cone. Tridentino.*

CAPUT VI

DE SUBIECTO

Subiectum apte reponitur inter extrinsecas causas sacramenti, utpote quod tanquam causa materialis in qua, concurrit veluti ab extrinseco sive ad eius efficientiam sive etiam quodammodo ad eius constitutionem, cum materia intrinseca seu unctio absque subiecto quod ungatur intelligi non possit.

Ut dictum est in tractatu *De sacr. in genere* 339, subiectum dupliciter respicit sacramentum: uno modo *nioralitcr,* seu prout sacramentum est sibi medium necessarium ad assequendum finem salutis, et ita consideratur in quaestione de *necessitate* quam agitavimus in capite praecedenti (art. 25) inter proprietates huius sacramenti; alio modo *physice,* seu prout est id in quo sacramentum suscipitur, ac inde exurgit quaestio, in praesenti capite expendenda, de *requisitis* sive ad validitatem sive ad fructuositatem sacramenti. Ut autem in eodem tractatu notavimus (p. 342, 363, 432, 435), haec requisita, stricte loquendo, distinguuntur in capacitatem, conditionem et dispositionem, quorum duo priora respiciunt ipsam validitatem, tertium vero per se respicit solam fructuositatem seu gratiae effectum, atque ita ab invicem differunt ut *capacitas* dicat aliquid requisitum *in subiecto,* quasi pertinens ad ipsam subiecti naturalem indolem nec pendens ab eius voluntate (v.gr. status viatoris); *conditio* vero sit aliquid requisitum in subiecto et *a subiecto,* i.e. pendens ab eius voluntate, quin tamen subiectum disponat ad effectum sacramenti tanquam ad aliquam formam (talis est intentio suscipiendi); *dispositio* tandem sit aliquid non solum in subiecto et a subiecto requisitum sed praeterea illud disponit ad suscipiendum ultimum effectum sacramenti (seu gratiam), qui solus vera dispositione indiget, utpote qui, secus ac primus effectus (puta character), recipitur in subiecto tanquam forma in se completa et perfecta (talis est fides et bonitas).

Porro in tractatu *De sacr. in genere* (art. 22-25), diximus ad capacitatem omnis sacramenti duo pertinere, scilicet naturam humanam et statum viatoris, unicam vero generalem conditionem esse intentionem suscipiendi, requisitam tandem dispositionem in sacramentis

vivorum esse per se statum gratiae, per accidens vero attritionem cum bona fide; unde hic restat inquirendum an peculiaris indoles huius sacramenti aliquid plus requirat sive ad validitatem, tam ex parte capacitatis quam ex parte conditionis, sive ad fructuositatem seu ex parte dispositionis. Ceterum, haec ultima quaestio de requisita dispositione iam sufficienter persoluta est sive in tractatu *De sacr. in genere* (art. 25), ubi ostendimus supradictam dispositionem sufficere in omni sacramento vivorum, sive in praesenti tractatu (art. 13, p. 125 sqq.), ubi determinate addidimus eam etiam in hoc sacramento stricte requiri, nec indolem peccatorum remissivam, quae ipsi peculiariter tribuitur, sufficere ad ipsum parificandum sacramento Poenitentiae ita ut per se sufficiat sola attritio ad peccatorum mortalium remissionem. *Restat igitur agitanda quaestio de requisitis ad validitatem, seu de capacitate ct conditione,* cui, ratione opportunitatis, appendetur quaestio de licita sacramenti administratione, quae sive cum eius validitate sive cum eius liceitate connectitur.

Totam materiam in *septem sequentes articulos* distribuimus:

Valida administratio
- *Capacitas*
  - Natura humana / Status viatoris — art. 27
  - Adulta aetas — art. 28
  - Infirmitas spiritualis scu conditio peccatoris — art. 29
  - Infirmitas corporalis — art. 30 i art. 31 I
- *Conditio*
  - Intentio I Character baptismalis (— art. 32
- *Licita* administratio — art. 33

ART. 27. Utrum Subiectum Capax Huius Sacramenti Sit Solus Homo Viator.

STATUS QUAESTIONIS

Post dicta in tractatu *De sacr. in genere* 342-344 de requisito statu viatoris ad susceptionem sacramentorum, nulla peculiaris ratio exigeret ut hic instituamus specificum articulum de hoc requisito quoad Extremam Unctionem, nisi ad hanc materiam referretur quaestio de absolutione dubie mortuorum necnon connexa ac celebris *quaestio de morte rcali ct morte apparente,* quam, agentes *De Poenitentia* IV 600 ad hunc tractatum remittere maluimus.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Subiectum capax huius sacramenti est solus homo viator.

Probatur.

1. *Solum hominem* hoc sacramentum recipere posse, sequitur imprimis ex ipsa generali indole omnis sacramenti quod, utpote signum sensibile, non convenit angelis, quorum cognitio est pure spiritualis, et, utpote collativum gratiae, non convenit brutis aut cuilibet inferiori naturae quae nequit ad supernaturalem perfectionem sanctificationis seu participationis divinae naturae elevari, cum sola rationalis creatura possit Deum cognoscere et amare. Idipsum praeterea sequitur ex peculiari indole Extremae Unctionis quae, utpote instituta ad adiuvandum infirmos, non convenit angelis, corporalium conditionum expertibus, et, utpote ordinata ad tollendas reliquias peccati, non convenit iis qui aut peccare, ut bruta, aut poenitere, ut angeli, non possunt.

2. *Solum viatorem* hoc sacramentum recipere posse, sequitur imprimis ac generaliter, quoad omnia sacramenta, tum ex eo quod sensibile sacramentum applicatur corpori ut per corpus anima in eo contenta sanctificari possit, nec ideo convenit corpori post mortem, saltem in statu separationis ab anima, tum praecipue ex eo quod sacramentum ordinatur ad gratiam primo dandam aut augendam aut restituendam *(Cone. Trid.,* sess. 7, proemium), quod quidem absolute non convenit statui termini, in quo aeterna animi sors decisa est et anima immobiliter se habet circa carentiam, acquisitionem et augmentum gratiae. Praeterea id sequitur etiam ex ipsa propria indole Extremae Unctionis, quatenus ex una parte instituta est pro statu infirmitatis, quod ultra mortem non subsistit, neque in corpore separato ac corrupto, neque in corpore cum anima glorificato, neque etiam in corpore cum anima damnato, et ex alia parte ordinatur praecise ad praeparandam animam ad mortem seu ad tutum ingressum in aeternitatem.

Unde neque damnati, neque animae purgantes, neque beati, sunt capaces huius sacramenti. Ratio autem quare Christus non potuit hoc sacramentum suscipere nequaquam desumitur ex absentia status viatoris. nam Christus, ut homo, etsi esset comprehensor ac beatus quoad beatitudinis essentiam, erat simul etiam viator secundum conditiones inferioris naturae nondum glorificatae.

Inepte autem obiceretur quaedam *antiqua praxis ungendi mortuos,* quam fuse retulimus in art. 1 (tom. 1, p. 187-191). Nam, ut ibidem dictum est, ea praxis praecipue invaluit apud Monophysitas et Schis-

maticos Orientales et tanquam abusus apud ipsos proscripta est, donec complete extingueretur, nec, si excipiatur unus vel alter doctor, ea unctio considerata fuit proprie tanquam sacramentum sed potius tanquam quoddam sacramentale, ut vel ex eo patet quod nonnisi defunctis sacerdotibus, clericis et monachis adhiberetur. Ceterum, similes proscripti abusus deprehenduntur apud quasdam sectas quoad administrationem ipsius Baptismi, Eucharistiae et Poenitentiae (cf. tractatus *Dc sacr. in genere* 344; *De Eucharistia* I 491; *De Poenitentia* IV 566, 845; cf. 819 sq., 821 sq.).

Conclusio 2. Dubie mortuis Extrema Unctio potest ac debet sub conditione administrari.

Probatur.

Quod in dubio de morte *possit* Extrema Unctio sub conditione administrari,[1] sequitur ex generali regula de conditionata collatione sacramentorum, quam peculiariter statuimus et explicavimus in quaestione de absolutione conditionata in tractatu *De Poenitentia* III 582 sqq. In casibus nempe dubiis, in quibus periclitaretur ipsa validitas sacramenti, licet, ex proportionata causa fundata in ipsa stricta vel saltem morali necessitate alicuius sacramenti, illud sub conditione conferre. Nam sacramenta sunt principaliter instituta in utilitatem hominis, qui finis in dubiis casibus potest probabiliter obtineri per sacramenti applicationem. Nec aliunde obstat ratio reverentiae sacramenti; nam haec ratio ex una parte nequit obstare ipsi principali fini sacramenti, et ex alia parte compensatur, in suo aliquali detrimento probabilis invaliditatis sacramenti, tum ex fine operantis, i.e. ex proportionata causa utilitatis subiecti, tum ex ipso modo operandi, scilicet ex appositione conditionis, qua explicite excluditur attentata frustratio sacramenti.

Quod autem in eo dubio *debeat* sacramentum administrari, sequitur ex hoc ipso quod possit. Nam ex hac possibilitate, fundata in praesumptione durationis vitae, exurgit in subiecto ius accipiendi sacramentum et in ministro consequens obligatio (justitiae vel charitatis, iuxta ministri qualitatem) illud tribuendi.

Utraque pars Conclusionis de possibilitate et obligatione conditionatae administrationis, valet generaliter quoad omnia sacramenta, peculiariter vero tum quoad sacramenta quae sunt de stricta necessitate medii, seu Baptismo et Poenitentia, tum quoad sacramenta collata

'In tractatu *De Poenitentia* III 606 sq. retulimus peregrinam et ineptam sententiam *Caraniuclis,* dicentis in dubio dc morte sacramenta non sub conditione sed absolute ministranda esse.

moribundis, nominatim Poenitentia et Extrema Unctione, ratione nempe peculiaris necessitatis hominis in articulo mortis, et, in praesenti casu hominis sensibus destituti et apparenter mortui, specialissimo modo convenit Extremae Unctioni, prae ipsa Poenitentia, cum, ob certiorem eius applicationem in illo casu, Extrema Unctio possit evadere unicum medium salutis, ut dictum est supra (p. 435).

Ceterum, praesens Conclusio in comperto est apud theologos, praecipue rccentiores, atque sancita est in ipso Rituali ct in Codice I.C.

Iam S. *Carolus Borromeo* in suis *Instructionibus* notabat: "Ministrabit autem [sacerdos], dum aeger integris sensibus est. Quodsi aliqua morbi vi infirmus oppressus, dubitatur, vivusne sit, an mortuus; tunc diligenter de hoc sacerdos videbit, consulto etiam medico, si tanta temporis brevitate potest. Si non potest, et in dubio est, ea conditione utetur: 'Si es vivus, per istam. . "[2]

Suarez (**t** 1617) communem sensum coaevorum theologorum sic exprimit: "Quando dubium est, an fidelis vere sit mortuus, nec potest veritas omnino explorari, ac merito timetur, ne, dum exploratur veritas, moriatur, dari potest et debet hoc sacramentum sub conditione, aut verbis expressa, aut mente concepta, 'si non est mortuus'. Generale enim omnibus sacramentis est, ut in casibus dubiis possint hoc modo ministrari; nam per adjunctam conditionem tollitur omne periculum irrogandi injuriam sacramento; et ministrando illo modo vitatur periculum privandi proximum magno subsidio, et remedio suae salutis, cujus fortasse adhuc capax est; ideoque in hac doctrina omnes Summistae et Theologi conveniunt."[3]

Codex I.C., can. 941: "Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione."

Rituale Romanum (ed. post Codicem), tit. 5, c. 1, repetitis iisdem Codicis verbis (n. 9), addit: "Si . . . dum inungitur infirmus decedat. Presbyter ultra non procedat. . . Quod si dubitet an vivat adhuc. Unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: 'Si vivis, per istam sanctam Unctionem, etc.' " (n. 13 sq.).'

[3] *Acta Ecclesiae Mediolanensis,* vol. 2, toni. 1, pars 4 (cd. A. Ratti [subinde Pius XI], Mediolani 1890) 1366.

'**In** 3 p., q. 84 sqq., Disp. 42, s. 1, n. 1, *Opera omnia* **XXII** (ed. C. Berton, Parisiis: Vives 1866) 848.

' In tractatu *De Poenitentia* III 610 sq diximus ex his verbis Ritualis nequaquam sequi conditionem esse oralitcr ct exterius exprimendam, sed, sicut in cctcris sacramentis, sufficere ut interius, imo etiam implicite tantum, exprimatur. Ut notavimus supra (art. 20. p. 259), agentes de conditionata ministrations ratione dubiae dispositionis, numquam est apponenda conditio "Si es dispositus," ne facilius frustretur validitas ct reviviscentia sacramenti; in praesenti casu de dubia morte apponatur conditio "Si vivis." vel generalior ct aptior conditio "Si cs capax" (vel "Si tibi prodesse potest") quae refertur ad sola ct omnia requisita validitatis.

hi determinando autem quandonam habeatur sufficiens seu probabile dubium, de morte nondum secuta, in quo fundatur possibilitas sive liceitas ct obligatio huius conditionatac administrationis, theologi non prorsus conveniunt nec uno modo loquuntur, praesertim post recenter a quibusdam agitatam *CELEBREM QL'AESTIONEM DE MORTE REAL! ET MORTE APPARENTE?*

Inter theologos dogmaticos pauci sunt qui, ut *Lépicier* et *Ilugon,* hanc quaestionem expendant, aut etiam tangant, idque necessario debetur angustis limitibus quos sibi praefigunt. Inter ipsos theologos morales, plures vix aut breviter tantum rem tangunt, eam potius relinquentes magis practicis ac pastoralibus doctoribus. Dabimus hic brevem elenchum principalium operum ipsorum signanter theologorum, nam circa ipsam quaestionem de morte apparente, absque peculiari applicatione ad theologiam, plura quoque extant profanorum auctorum opera; Dr. S. kard testatur adfuisse suo tempore plus quam mille publicationes de tota hac materia. Inter auctores mox referendos, utilius et facilius, pro nostro scopo, conferuntur *Ferreris, L'Ami du Clergé, Kilker, Lépicier, Sosio d'Angelo, Michel, Cappello.*

Ami (L') ou Clergé 44 (1927) 113-127; 50 (1933) 729-733; 51 (1934) 845-847.

Antonelli, J., *Medicina pastoralis, in usum confessoriorum et curiarum ecclesiasticarum* (Romae 1920) II 563-613.

Barry, R. D.. "The Case of Those Who are Unconscious," *The Clergy Review* (1932) 206-218.

Batigne, 1·'., "Reflexions sur TEglise et le diagnostic de la mort,'" *Bull. Soc. Mid. S. Luc,* ‹S. *Come el S. Damien* 40 (1934) 209-236.

Berardi, A., *Praxis confessoriorum* (cd. 4), n. 694; *De doctrina nova circa mortem realem et apparentem relate ad sacramenta,* Faenza 1907.

Blanc-Benet, *El criteria catolico cn las cicncias medicos* 6 (1903).

Bon, H., "Documents sur l'agonie, à propos des réflexions du Dr Chevrier sur l'agonie." *Bull. Soc. Méd. S. Luc, S. Conte et S. Damien* 37 (1931) 129.

Capellman, C., *Medicina pastoralis,* Aquisgranae 1890.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis* HI *De Extrema L'nctione* (ed. 2, Taurini 1942) 168-171.

Chevrier, "Quelques réflexions sur l'agonie," *Bull. Soc. Méd. de S. Luc, S. Corne et S. Damien* 36 (1930) 165-186.

Creazzo, *Studio sulla morte apparente e la morte reale,* Roma 1913.

D'Alès, A., "La lucidité des mourants," *Etudes* 210 (1932) 152-162.

D'Angelo, S., *La morte reale ed apparente c l'amministrazione dei sacramenti* (ed. 2. Torino 1928) 5-9, 53-71.

De Jongh, H., "La mort réelle et la mort apparente," *La* Γ/e *Diocésaine* I (1907) 158-163.

Dell'Acqua, *La morte vera e la morte apparente,* Milano 1897.

D'Halluin, M., *Le problème de la mort. Extrait de la Revue de Philosophie* 23. 23; *La résurrection du coeur,* Lille 1904; *La mort, cette inconnue!,* éd 2, par Ch. Hcderer, Paris 1952.

Duclos, H., "Le médecin et le mourant," *La Vie Spirituelle* 45 (1935) 202-206.

Feijôo (sacc. 18), *Contra el abuso de acelerar mas que conviene los entierros,* item *Schales de la muerte actual, Cartas cruditas,* cd. Rivadcneyra, Madrid.

Ferreres. I. B., *Casus* 2, n. 1192 sq.

- Varii articuli in *Razbn y Fe* 8 (1903) 10G-107, 236-238, 371-375; 9 (1903) 99-115; iidem articuli in *The* |.4»irn?onl *Ecclesiastical Review* 33 (1905) 168-173, .'73-285, 34 7-361, 484-495, 587-595; 34 (1906) 7O-7S.

---*La muerte real y la muerte aparente con relacidn a los Santos Sacramentos,* Madrid 1904. Hoc opus varias habuit versiones, in linguas gallicam, italicam, germanicam, anglicam, lusitanicam, hungaricam, quarum tres priores curavit et documentis ampliavit *I. B. Gcniesse: La mort réelle et la mort apparente ct leurs rapports avec l'administration des sacrements,* Paris 1906; *Death, Real and Apparent in Relation to the Sacraments,* St. Louis, Mo. 1906; *La morte reale c la morte apparente, in relazionc ai sacramenti, alla frequenza dellc inumazioni premature, ai messi per rianimare i presunti morti, ct per isfuggire ai pcricoli di esserc sepolti vivi,* Roma 190S; *Der wirkliche Tod und der Scheintod,* Coblenz 1908.

Antiquiores enim loquebantur de dubio mortis in suppositione quod ea quae communiter habentur pro signis mortis (scilicet generaliter: totalis absentia exteriorum signorum vitae; particulariter: putrefactio, rigor cadavericus, livor cadavericus, cessatio maxime vitalium functionum circulationis sanguinis, in pulsatione cordis manifestatae, et respirationis pulmonum) sint revera signa ipsius mortis, vel, si placet,

-------- *Compendium theologiae moralis* (ed. 13, post Codicem 3, Barcinone 1919) 11 507-514: "Appendix. De iis, qui probabiliter adhuc vivunt, quamvis vulgo recenter mortui credantur, sacramento donandis."

Filocalo, A., "Estrema Unzione in caso di morte apparente," *Palestra del Clero,* a. 16 (1937), v. 2, p. 114-117, 206-209.

Gannard, *La mort apparente et la mort réelle,* ed. 2, Paris 1890.

Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiae moralis* (Bruxellis 1922) II 392.

Geniesse, I. B., *vide:* Ferreres.

Gennari, Card„ in *Monitore Ecclesiastico* 19 (1907) 378.

Gougnard, A., *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mcchliniae 1938) 68.

Guérard, G., *L'instant de la mort,* Paris 1934.

Handron, G. H., "The Physician and the Sacraments (Extreme Unction)," *Linacre Quarterly 'I* (1939) 28-31.

Heylen, V., *Tractatus de Poenitentia* (ed. 8, Mechliniae 1946) 319 sq.

Hugon, E., *Tractatus dogmatici* III: *De sacramentis in communi et in speciali ac de novissimis* (cd. 14, Parisiis 1948) 665-667.

Icard, S., *La mort réelle et la mort apparente,* Paris 1897; *Le signe de la mort réelle,* Paris 1905; *La constatation des décès,* Paris 1911.

Kiselstein, G., "Mort apparente et administration des sacrements," *Revue Ecclésiastique de Liège* 19 (1927-1928).

Lépicier, A. M., *Tractatus de sacramentis in communi* (Parisiis 1921) 261-268: "Appendix 2. Utrum semper distinguendum sit inter mortem apparentem et mortem realem, ita ut in omni casu liceat homini sacramenta ministrare post mortem apparentem"; *Tractatus de sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 90-95; *Dell'anima umana separata dal corpo,* ed. 3, Vicenza 1935 (in hoc opere non directe agitatur praesens quaestio, sed explicatur modus quo unio animae cum corpore eiusque separatio intelligenda est).

Maroto, P.. "Dubia circa canones extremae Unctionis applicandos casibus mortis apparentis," *Apollinaris* 1 (1928) 176-180.

Merkelbach, B. H., *Summa theologiae moralis* III (ed. 3, Brugis 1939) 623.

Michaud, H., "La mort apparente et l'administration des sacrements," *Revue Apologétique* 63 (1936) 280-297.

Michel, A„ "Mort," *Dictionnaire de Théologie catholique* 10. 2 (Paris 1929) 2495-2500.

Noldin-Sciimitt, *Summa theologiae moralis* (ed. 26, Oeniponte 1940) III 301.

O'Malley, A., *The Ethics of Medical Homicide and Mutilation,* New York 1922.

Paste, P., "La morte apparente e l'Estrcma Unzione," *La Scuola Cattolica* 14 (1929) 182-191; "Ancora deU'Estrema Unzione in caso di morte apparente," *Palestra del Clero,* a. 16 (1937), v. 2, p. 206-209.

Randall, W. J., "Real and Apparent Death in Relation to the Administration of Sacraments," *Catholic Medical Guardian* 8 (1930) 8-13.

Sanford, A., *Pastoral Medicine. Revised and Enlarged by a Chapter on the Moment of Death by the Rev. Walter M Drum, SJ.,* New York 1905.

Svoboda, R.. "Dor sakramcntelle Dienst am Krankenbett (Zur arztlichen Déontologie)," S. *Lukas* 4 (1936) 46-50.

Tebb, W. — Vollum, E. P., *Premature Burial,* London 1896.

Thieman, P., "Morte aparente e extrcmc-unçâo," *Revista eclesiastica brasileira* 12 (1952) 635 sq.

Van Acken, B., "Apostolat zum Beistand der Sterbenden," *Theologisch-praktische Quartalschrift* 91 (1938) 455-471.

Van Grinsven, M., "Toediening dor sacramenten bij een autoongeluk," *Nederlandsch Kalholieke Stemmen* 27 (1927) 119-122.

Vermeersch, A., *Theologia moralis* III (Romae 1948) 394.

Villada, P„ *Casus Conscientiae, his praesertim temporibus accommodati* (1884-1887), V. 3, sect. 7, η. 76.

in suppositione quod mors apparens coïncidât cum morte reali seu cum ipsa effecta separatione animae a corpore, ac inde iudicabant tunc tantum sacramentum conditionate conferri posse, cum de his signis non certo constaret. Recentius vero, ea suppositio a pluribus doctoribus impugnata est, qui, testimonio medicorum innixi,' docuerunt: 1. Mortem realem non coincidere cum morte apparente (i.e. cum morte vulgariter certa ex supradictis signis) sed semper vel fere semper serius contingere, iuxta naturam causae quae mortem inducit, ita ut in casu quo mors causatur per communes seu lentas infirmitates, vita latenter adhuc duret per dimidium saltem horae, post praedicta signa, in casu vero quo mors inducitur per repentinas vel violentas causas, vita adhuc longius protrahatur, per plures nempe horas vel etiam dies, et in utroque casu unicum certum signum mortis realis sit generalis et evidens corporis putrefactio. 2. Inde sequi sacramenta Poenitentiae et praecipue Extremae Unctionis posse ac debere administrari etiam post aliquod tempus a morte apparente, saltem nempe et in omni casu intra mediam horam et, in casu mortis repentinae vel violentae, etiam intra unam vel plures horas, imo generaliter in omni casu conferri posse absque temporis restrictione, quousque praedictum certum signum generalis ac evidentis putrefactionis non appareat.

Haec est, in summa, theoria illa de morte reali et morte apparente eiusque applicatio ad conditionatam administrationem tum Poenitentiae tum ac praecipue Extremae Unctionis.

Inter praecursores hujus opinionis citantur praesertim notus moralista *Cl. Lacroix* (f 1714) et hispanus benedictinus *Feijôo* (saec. IS).[1]

Quaestionem ipsam signanter et explicite posuit et in supradictis

'Signanter *Coulenot, Laborde, Blanc* (supra relatorum) aliorumque doctorum *Medicinae Academiae Barcinonensis SS. Cosmae et Damiani,* quorum iudicium consulto exquisivit Ferrercs (cf. infra).

[1] In duobus operibus: *Contra el abuso de acelerar mas que conviene los entierros,* et *Senales de la muerte actual,* hic auctor vivaciter impugnat communem aestimationem iudicandi cum certitudine de realitate mortis ex absentia exteriorum signorum vitalium functionum, nominatim circulationis sanguinis et pulsationis cordis, asseritque impossibile esse cognoscere prccisum mortis momentum. Eius verba in opere *Senates de la muerte actual* (252, sect. 4) sic anglice refert Kilker *(Extreme Unction* [St. Louis 1927] 21Osq.): "No one knows . . . what is the soul's last influence on the body, nor in what precise condition the body must be in order to preserve its union with the soul. Hence it is impossible to know just when a man dies. Let us take a body that has so wasted away as to seem utterly lifeless; let it be without respiration, without color, without feeling, without motion. We can be certain of only one thing about this body. There is in it no perceptible soul-influence. But what is to make us sure that in some one or other of the internal organs the soul does not perform some function or other? You tell me that life comes to an end when the blood ceases to flow and the heart ceases to beat. I ask you how you know this. You can be sure of no such thing unless by divine or angelic revelation. All we can be certain of is the absence of an> vital action that may be perceived by the senses."

terminis resolvit initio huius saeculi *I. B. Ferreres* S.J., qui suam activitatem et opera, necnon plurium auctoritatum suae opinioni consensum, sic ipse breviter compendiatur: "Neminem latet quanti momenti sit hanc quaestionem recte perpendere, cum ex prudenti eius solutione, non modo temporalis hominum vita, sed maxime aeterna plurimis in casibus pendeat. Quare in eam et omnia nostra contulimus studia et clarissimos Doctores Medicae Academiae Barcinonensis SS. Cosmae et Damiani rogavimus, ut sapienti suo indicio hanc quaestionem, qua parte physiologica est, illustrare dignarentur. Quod quam abunde illi pro sua sapientia ac pietate praestiterint, videre licet apud ephem. *El Criteria Catolico en las Ciendas Medicas,* vl. 6 (anni 1903), ubi lector inveniet, tum egregias dissertationes *Doctoris Blanc,* tum etiam conclusiones hac de re ab insigni illa Academia (omnes fere unanimiter) approbatas. Postquam votum Academiae nobis transmissum fuit, quaestionem primo pertractavimus in *Casibus,* vol. 2, n. 1192 seq.; uberius vero postea apud ephem. *Razân y Fc,* vol. 8 et 9: articulos deinde collegimus in opusculo, cui titulus est: *La mucrte real y la mucrte aparente con relation a los Santos Sacramcntos,* quo lectorem saepe remittemus. Hoc opusculum *italice, gallice, anglicc, gcrmanice, lusitane* et *hungarice* iam translatum est illudque 'nulli sacrorum Pastorum ignorare fas esse' ait *Acta S. Sedis;* et adiungendum esse omni cursui theologiae moralis iudicat Card. *Gennari,* apud *Il Monitore.* Plures dioecesanae Synodi, immo et Concilium Provinciale Caesaraug. opusculi doctrinam probarunt et in praxim esse deducendam statuerunt. Pius vero X idem opusculum indicavit utilitate plenum pro humanitate, pro scientia ac pro religione et ardenter se desiderare dixit, ut haec doctrina a medicis praesertim ac sacerdotibus cognoscatur. Clariss. *Antonelli,* in suo praeclaro opere *Medicina pastoralis,* vol. 2, p. 3, cc. 2 et 3, doctrinam opusculi totam suam fecit. Cfr. *Ferreres,* La muerte real, etc., nn. 160-214, edit. 4". Dignae sunt, ut legantur opusculi nostri versiones gallica, italica, vel germanica, ubi auctor harum versionum, *Dr. Genicsse,* multa documenta magni ponderis diligentissime collegit."*

Praecipuum opus Ferreres cui titulus *La muerte real y la mucrte aparente con relation a los Santos Sacramcntos* in italicam, gallicam et germanicam linguam vertit ac. pluribus documentis ampliatum, vulgavit eruditus sacerdos belga */. B. Genicsse.* Praeter illius opinionis commendationes, quas ab ipso Ferreres audivimus, aliae accesserunt tum ex parte plurium dioecesanarum synodorum et provincialium ac

* *Compendium theologiae moralis* (ed. 13, post Codicem 3, Barcinone 1919) II 507, in nota.

regionalium conciliorum,[1] tum ex parte pastoralium et moralium theologorum, nominatim *Genicsse, Card. Gennari, Antonelli, Alberti, Noldiii, Cappello, Kilker,* qui uno ore dicunt ad hanc opinionem in administratiine utriusque sacramenti Poenitentiae et Extremae Unctionis attendendum esse, et plures ad easdem fere ipsius Ferreres conclusiones descendunt, etsi in minoribus determinationibus aliquatenus inter se discrepent.

Non defuerunt tamen illius opinionis impugnatores. Praecipue *Lépicier* eam decisive ac constanter reiecit" ut "novam et suspicioni dantem locum," "a communi hominum, Ecclesiae et Scripturae sensu dissona," "nutanti fundamento" innixam, "periculosam," "ecclesiasticae disciplinae vulnus indigentem." "plurima et gravia inconvenientia" inducentem, "ad minus tanquam suspectam habendam." Huic Lépicier impugnationi suffragium dedit *Hugon,* qui imo, ulterius procedens, ait quod, etiam dato et non concesso primo asserto illius opinionis, scilicet mortem realem contingere post mortem apparentem et animam adhuc corpori unitam permanere, negandum esset alterum assertum, scilicet sacramentum tunc conferri posse, nam in eo casu homo non est vivus secundum communem aestimationem et sacramenta sunt a Christo instituta secundum ea quae respiciunt communem aestimationem. Praeterea, *Berardi,* qui opinionem Ferreres prius commendaverat in opere *Praxis confessoriorum* et in quadam epistola ad Genicsse (25 mart. 1905), subinde eam reiecit in opere *De doctrina nova circa mortcm realem et mortem apparentem relate ad sacramenta,* admittens periodum vitae latentis in solis casibus mortis repentinae, nequaquam vero in casibus mortis ex ordinariis morbis contingentis. Similiter sensit *Merkelbach,* distinguens inter tres casus, scilicet mortis ordinariae, mortis repentinae et mortis intermediae (seu quae ex morbo quidem diuturno, sed cum accelerante "complicatione," inducitur) et admittens periodum vitae latentis, ac consequentem possibilitatem administrandi sacramentum, tantummodo in secundo et tertio casu. Accessit etiam aliquatenus *Vcrmeersch,* quatenus consensum suum opinioni de morte apparenti ita emollit ut dicat sacramentum conferri posse intra semi-horam a morte apparenti saltem si non adsit vir

[1] Mia synodi diocccsanac: *Matritensis* (Madrid; l. 2, til. 3. const. 6) a. 1909. *Malacilana* (Malaga) a. 1909. *Manilanensis* (Manila) a. 1911. *Pisana* a. 1920; Concilia provincialia *Caesaraugustanum* (Zaragoza; c. 6. tit. 2) a. 190S. ct a. 1923. In ipso *Rituali Cameraccnsi* (Cambrai), approbato a S. C. Rituum, apposita est haec observatio: "Hic animadvertere oportet mortem veram cum specie mortis non necessario congruere, ac proinde extremam unctionem quibusdam esse ministrandam qui spiritum jam remisisse videntur" (lit. 5. c. 1, n. 21).

In duplici opere supra relato, p. 452.

peritus qui secutam mortem testetur, et de ulteriori Ferreres determinatione, quam in parenthesi refert, non iudicat sed indicio illius auctoris relinquit. Nec aliter iudicare videtur *Génicot-Salsnians.*

Ceterum inter ipsos strictiores defensores opinionis Ferreres non parva notatur varietas tum in eorum magis vel minus decisivo consensu, tum in eorum determinationibus et expressionibus. Plures inde gradationes observantur inter duo extrema opposita Ferreres et Lépicier, quae possunt sequenti modo colligi iuxta auctores mox citandos: 1. Ferreres; 2. Noldin et Cappello; 3. Vermeersch et Génicot; 4. Berardi et Merkelbach; 5. Lépicier et Hugon.

FERRERES: "In antecessum tanquam principium hodie ab omnibus admissum statuendum est, homini sensibus destituto, quandiu probabiliter adhuc vivit, conferenda esse sub conditione Sacramenta, quibus ille forte indigeat: quod intelligendum est etiam pro casu, in quo tenuis tantum adsit probabilitas de illius hominis vita. . . Oportet ergo investigare quousque probabile sit homines adhuc vivere, qui tamen exterius mortui videntur. . .

"*Dico* igitur 1°: Probabiliter omnes homines, post instans, in quo iam mortui censentur, adhuc perstant in vita per aliquod temporis spatium, longius vel brevius iuxta naturam causarum mortem afferentium. . . *Dico* . . . 2°: Non datur signum aliquod nec complexus signorum, vi cuius in homine instans mortis certo cognosci queat, saltem si rigiditatem cadavericam et plene comprobatam generalem totius organismi putrefactionem excipias. . . *Dico* 3°: In illo, quem mors repentina videtur occupasse, tempus vitae latentis probabiliter se protendit quousque in illo manifesta putrefactionis signa appareant. . . . *Dico* 4°: In iis vero, qui ordinario morbo decedunt, probabiliter vita adhuc latenter durat post dimidium saltem horae, ex quo vulgo mortui censebantur; imo multo plus, si mors (ut saepe, etiam in his casibus, contingere solet) accidenti repentino debeatur ideoque promptius accidat, quam natura diuturni illius morbi exposcebat. . .

"*Corollarium.* Igitur in praxi semper (vel fere) poterit sacerdos absolvere et extrema unctione munire adultum, qui *vulgo* recenter mortuus absque ultimis Sacramentis credatur, nisi mors per generalem cadaveris corruptionem fuerit certo comprobata.

"Etenim eos, qui repentino accidenti correpti exstinguuntur, probabilissimum est per *plures horas* et aliquando per integros dies versari in statu mortis apparentis. Quoad illos vero, qui longa infirmitate vexati, vel chronico morbo pereunt, res adhuc facilius expeditur. 1° quia hi generatim, dum certe adhuc vivunt, solent Sacramentis donari; 2° quia saltem statim ac illi credantur mortui advocabitur sacerdos ideoque ante horae dimidium ab instanti, quod vulgo mortis appellatur.

"Immo his in casibus, etiam si adveniat sacerdos post illud horae dimidium, poterit *generatim* adhuc absolvere apparenter mortuum: 10 quia multoties etiam iis in adiunctis mors debetur repentino alicui accidenti, quod mortem attulit citius, quam sperabatur, et tunc status mortis apparentis plus temporis protenditur, probabiliter ad duas vel tres horas (cfr. Feijôo, l. c., § NI); 2° quia generatim saltem sacerdoti non constabit, illum statum non deberi repentino illi accidenti; 3° quia illud horae dimidium intelligitur postquam *peritus* medicus, adhibitis *accuratissimis* auscultationibus et aliis observationibus, iam nullum vitae vestigium percipit; atqui saepe saepius, vel non adest *peritus* medicus, vel non adhibentur illae accuratissimae observationes; ergo saltem in hac hypothesi, etiam post horae dimidium, ex quo vulgo creditur mortuus, poterit adultus absolvi, vel extrema unctione donari."[11]

[11] *Op. cit.* (supra, in p. 454) 507-513: "Appendix de iis, qui probabiliter adhuc vivunt, quamvis vulgo recenter mortui credantur, sacramento donandis."

NOLDIN-SCHMITT: "Ex physiologicis experimentis constare videtur, mortem realeni i.e. ipsam separationem animae et corporis non accidere eodem tempore, quo functiones vitales respirationis et circulationis cessant, sed vitam post ultimam expirationem per aliquod tempus latenter adhuc perdurare. Quanto tempore vita post mortem apparentem adhuc perduret, tum a qualitate morbi tum a complexione moribundi dependet. In morte ordinaria ultra semihoram (per diem alii putant) protrahi potest. Sunt autem causae mortis, in quibus diutius (per diem, nonnulli etiam per triduum putant) vita latens haberi potest: si qui in aqua suffocati sunt (saltem si corpus est albi, non caerulei coloris), laqueo suspensi, fulgure vel electricitate tacti, apoplexia, epilepsia, haemorrhagia, intoxicatione, cholera etc.

"Ex quibus colligitur homini, qui ex communi aestimatione iam censetur defunctus, si ex diuturna infirmitate obiit, intra semihoram, si vero ex repentino morbo vel repentino accidenti obiit, intra duas (immo plures) horas sacramenta necessaria sub conditione administrari posse, quia probabiliter saltem adhuc vivit."12

CAPPELLO: "Procul dubio extrema unctio, sicut cetera sacramenta, nequit ministrari iis qui vere mortui sunt, iis nempe quorum animae a corpore iam separatae sunt, cum sint incapaces omnino. Sed incertum est, saltem in nonnullis casibus, utrum haec separatio locum habeat statim ac homo communiter spiritum exhalasse dicitur. . . Hinc quaestio de morte reali et de morte apparente. Mors realis habetur, cum homo reapse moritur, seu cum anima a corpore separatur. Mors apparens adest, cum homo reapse adhuc vivit seu anima nondum a corpore est separata, sed nulla vitae signa exhibet aut exterius exhibere valet.

"Ad probandum certo mortem realem non sufficiunt signa plus minusve probabilia. sed requiruntur signa omnino certa. Signa probabilia mortis ea omnia sunt, quibus communitei hominem esse iam mortuum censetur, scii, pallor membrorum, defectus circulationis et respirationis, praesertim pulsationis cordis, vultus cadavericus, cessatio caloris vitalis, maculae cadavericae, etc. Signa certa iuxta peritos sunt ista duo: 1° rigor cadavericus; 2° generalis totius organismi putrefactio. Sed facile minime est distinguere inter rigorem cadavericum et rigorem spasmaticum. tetanicum, asphyxicum etc., qui locum habent in quibusdam morbis etiam ante mortem. . . Practice signum certum omnino est unum, nempe putrefactio, quae totum organismum afficit eaque dignoscitur ordinarie ex maculis subviridibus, quibus pellis coloratur, praesertim inter costas, ab inflatione ventris, ab odore characteristico sibi proprio. Nonnulli alia quoque signa recensent, quae potius media dicenda sunt ad mortem realem propulsandam vitamque subiecto tuendam. Scii, applicatio currentis electricae altae potentialitatis, non talis tamen quae forte vivum occidere valeat; si nulla habetur reactio, pro certa morte certissime standum est. Item usus adrenalini per iniectiones et rhytmicae linguae tractationes, quae si maneant sine effectu, dicendum, mortem revera accidisse. . .

'Omnibus mature perpensis, haec videntur statuenda: 1° Certum est recenter mortuos, nondum inunctos, posse inungi, quamdiu signum certum mortis non appareat, seu quamdiu probabile est eos adhuc vivere . . 2° Speculative loquendo, tempus utile illud esset quod currit usque ad certum signum mortis . . . scii, usque ad putrefactionem vel saltem ad rigorem cadavericum. 3° Practice perpendendae erunt omnes et singulae circumstantiae, praesertim spectanda causa mortis, utrum subitanea necne. Usque ad dimidiam circiter horam a momento existimati decessus, quilibet recens mortuus potest inungi, etiam si obitus acciderit ex lento morbo; usque ad unam horam, et forte duas horas, si mors fuerit repentina, aut partim morbo lento aut causae subitaneae sit tribuenda, dummodo interim signum certum mortis non apparuerit. In utroque casu, cum adsit vera probabilitas pro morte apparente, extrema unctio potest et per se debet conferri. In aliis casibus, generatim ultra tempus modo indicatum, probabilitas minor est eaque

r'*Summa theologiae moralis* (ed. 26, Oenipontc 1940) III 301.

tenuis et forte tenuissima exsistit; idcirco extrema unctio potest quidem conferri, at minime constat de stricta obligatione eam ministrandi."[13]

VERMEERSCH: "Ob non ita pridem emissa placita de morte apparente, sacramentum conditionate conferri potest, saltem absente viro perito qui de perfecta morte nos certiores reddat, intra semi-horam a momento quo. vulgari iudicio, mors secuta est; immo intra horam, si subitanea morte quis affectus fuerit. (Immo R. P. Ferreres, *Comp. theol. mor.,* II, 855, existimat conferri posse absolutionem et Extr. Unet, saltem per semi-horam. ex quo peritus medicus, omni inspectione facta, personam defunctam esse declaravit). Cfr. plura valde benigne dicta de ista re. apud Ferreres, op. c. η. 849-856."[1,1]

GENICOT-SALSMANS: "Evidenter extrema unctio dari nequit ei qui iam mortuus sit. Sed cavendum ne citius pronuntietur infirmum iam animam exhalasse. Etenim difficile est, praesertim iis qui in arte medica imperiti sunt, certo agnoscere num iam exspiraverit qui brevi antea adhuc signa vitae edebat et in quo proinde nondum apparet rigor cadavericus vel initium putredinis: quae sola videntur medicis prorsus certa mortis signa. Ita apparens cessatio functionum cerebri vel respirationis suspensio quandoque non impedit quominus vita remaneat; neque omnis errandi formido abest medicis dum auscultatione praecordiali videntur sibi percipere quemlibet cordis motum cessasse. — Quare, remoto periculo contemptus sacramentorum in astantibus, inungendus est qui paulo antea, puta ante semihoram, exspirasse videtur, vel etiam diutius si casus fuerit subitaneus. Cfr. c. 1213. — Cas. 884-S."[14]

MERKELBACII: "Non possunt absolvi (aut inungi) etiam sub conditione si moraliter *certo* mortui sunt. Sed ex recentioribus experimentis constat vitam per aliquod tempus posse in corpore manere, etiam quando quis ultimum suspirium edere visus est. quia generatim vita non nisi successive a corpore recedit. Hinc quidam ex iis qui apparenter mortui erant (v. g. suffocati, aquae vel igni erepti), post 1res horas, rythmico linguae tractu, ad vitam reducti sunt. Quapropter, ceteris positis conditionibus, absolvi (et inungi) possunt ii qui tali processu quaedam signa vitae saltem sensitivae praebent; imo, sub conditione, ii qui quamvis mortui videantur, iuxta ordinaria signa, prudenter supervivere existimantur.

"*hi praxi,* deficiente certo mortis signo, si non possit hic et nunc haberi iudicium medici: a) In casu mortis *omnino repentinae,* absolvi *generatim* possunt infra duas vel 1res horas, quia tunc aliquatenus probabile est per aliquod tempus manere vitam propter resistentes vires vitales quae non subito destruuntur; non diutius, quia probabile amplius non est, etsi stricte possibile sit, in casu extraordinario, vel per aliquot dies vitam manere latentem. Excipitur, si mors fuerit *violenta,* v. g. ex compressione vel abruptione membrorum principalium, quia tunc mors est evidens, b) In casu mortis *ordinariae* ex diuturno et paulatim consumptive morbo, non possunt absolvi, quia vitam manere non est probabile, c) In casu mortis *intermediae,* ex morbo diuturno, sed cum influxu repentino novo, quae 'complicatio' audit et expectatam mortem valde accelerat, videntur posse absolvi per lapsum circiter semihorae post apparentem obitum.""[15]

LEPIC1ER: "Recentiori tempore invecta est sententia quae tenet, semper et in omnibus casibus, distingui debere mortem apparentem a morte reali. et hanc quidem illa tempore posteriorem esse, adeo ut possit sacerdos, imo obligatione teneatur, homini qui iam spiritum emisisse videatur, et in quo cessaverit omnis cordis pulsatio aut motus quicumque corporis, per aliquod temporis spatium, puta quadrantis, vel

[13] *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 168-170. |H|

[14] *Theologia moralis* III (ed. 4 a Creuscn recognita. Romae 1948) 394.

[15] *Institutiones theologiae moralis* (ed. 10. post Codicem 3, Bruxellis 1922) 392.

[1,1] 'Summa *theologiae moralis* (ed. 3, Brugis (1939)) III 623.

mediae, aut etiam, iuxta plures, unius vel alterius horae, sacramenta poenitentiae et extremae unctionis, servatis servandis, subministrare. — Quale de hac sententia, quam hodierno tempore multi sequuntur, iudicium ferri debeat breviter hic exponemus, inquirendo tamen potius quam definiendo, cum adhuc desideretur hac super re Ecclesiae explicita definitio vel formalis declaratio. , .

‘‘Porro, primo loco, menti succurrit positionem hanc, quae communiter proponitur ut novum scientiae adinventum, ab antiquis iam quadamtenus fuisse cognitam: quantum scilicet ad aliquos casus, quales videlicet, puta, ex syncope, apoplexiae ictu, aquarum praefocatione, etc., de die in diem eveniunt. Nimirum, in hisce casibus, ultro agnoscendum est non semper mortem realem coincidere cum morte apparenti, sed intervallum aliquod, sat longum, inter utramque saepius intercedere, quam ob rem licitum est taliter decumbenti sacramenta, saltem sub conditione ministrare. . . Quod autem hac in re revera novum est. et sic suspicioni dat locum, est universalitas quae huic sententiae a recentioribus theologis datur, quasi videlicet semper et in omnibus casibus verificetur praefata distinctio temporis inter mortem apparentem et mortem realem. Porro, quoties de re aliqua cum dogmate connexa agitur, novellitas alicuius sententiae praesumptionem contra eamdem facere iure meritoque censetur. . .

“Animadvertimus hoc sententiae huic vitio vertendum videri, quod, ex pluribus, et quidem rite constitutis casibus, in quibus homines, qui mortui habebantur, adhuc vita fruentes deprehensi sint, velit universaliter evinci hominem, post communia mortis signa, vita, si non in actu secundo seu in operibus vitae, saltem in actu primo, seu in ipsa viventis substantia, semper adhuc frui. Nimirum, argumenta, quae ab huius sententiae patronis proferuntur nimis empirica videntur, quam ut inde universalis norma deduci prudenter valeat: ex hoc enim quod unus vel alter homo, vel etiam plures homines, cum iam crederentur mortui, postea tamen inventi sint adhuc vita fruentes. id speciali morbi, quo occubuerunt indoli adseribi potest, quin inde concludere fas sit. in communi hominum sorte poni, ut nonnisi post certum temporis spatium mors reipsa incedat. . .

“At praeterea, praefata sententia, generalibus enuntiata terminis, *non solum sensui hominum communi, verum etiam Ecclesiae, imo Sacrae Scripturae, loquendi modo adversatur.* Nimirum, sicut apud vulgus tunc mortuus quis censetur, quando auras vitales emiserit atque omni motu destitutus apparuerit, cum vita sensitiva in motu maxime manifestetur; ita in scripturistica, aeque ac in ecclesiastica dicendi ratione, hoc implicite continetur, hominem tunc pro mortuo haberi, quando ab aere, tamquam spiritu, ducendo, et a vitali motu edendo, quieverit. Sic. ut unum adducamus exemplum, non aliter Domini Nostri lesu Christi mors ab Evangelistis designatur, nisi per hoc verbum, ‘expiravit.’ ut habent S. Marcus (XV. 37i et S. Lucas (XXIII. 46), vel ‘emisit’ aut ‘tradidit spiritum.’ ut ponunt respective S. Mathaeus (XXVII. 50) et S. loannes (XIX. 30). Non aliter quoque momentum transitus animae designat Ecclesia, dum in Ordine commendationis animae’ ait (Tit. V., cap. VIII, η. 1): ‘Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime . . . orationi instandum est'; et postea (ibid., n. 2): ‘Egressa anima de corpore, statim dicatur,’ etc.; ubi evidenter insinuat Ecclesia, mortis momentum, ordinarie loquendo, id est in iis qui ex contracto morbo decedunt, illudmet esse, quod communiter reputatur, dum videlicet halitus omnisque vitalis motus in moribundo deficere videtur. . .

"Quam vero periculosa sit sententia quam impugnamus inde apparet, primo, quod cum temporis intervallum, quod intercedere supponitur inter mortem apparentem et mortem realem. non uniformiter ab omnibus assignetur, hinc multa hac in re ambiguitas, multa fluctuatio habeatur necesse est. ex quo admiratio fidelibus non parva, aliis longius tempus, aliis braevius, assignantibus. Praeterea, opportune notabitur, per sententiam quam examini modo subiicimus. haud parvum ccclesi-

asticae disciplinae vulnus infligi. Neminem quippe latet, hanc esse praesentis aevi miserandam conditionem, ut frigescente caritate, apud multos iam invaluerit mos sacerdotem a moribundi lectulo arcendi, usquedum sensuum usum amiserit, ne, ut aiunt, adspectus ministri Dei animum aegroti nimium commoveat atque mortem ei subinferat. Multos etiam tenet, quoties de sacramentis parentibus vel coniunctis administrandis agitur, damnabilis valde socordia: cum eorum animus circa temporalia remedia praestanda videatur unice sollicitus, caelestibus penitus neglectis. Porro, quis non viderit praedictum mundanum timorem, vel etiam animi socordiam plurimum confoveri, simul ac apud vulgus generalis invaluerit sententia, hominem apparenter mortuum adhuc semper per aliquod tempus revera vivere, ac proinde posse omnes indiscriminatim homines Ecclesiae sacramentis refici, vel postquam ultimum emiserint spiritum?"[17]

"Neminem effugere potest, sententiam hanc, quam impugnamus, novitatem ita sapere, ut *ad minus tanquam suspecta haberi debeat.* Enimvero, an putandum est Ecclesiam, quae a Spiritu Sancto edocta est et ab ejus ductu constanter regitur, per tot anteacta saecula, nihil de praefata distinctione suspicatam fuisse, et permisisse ut infiniti homines beneficio sacramenti extremae unctionis privarentur, qui utique hoc sacramentum suscipere potuissent, semel ac pastoribus hoc factum innotuisset, videlicet homines, post mortem apparentem per aliquod temporis spatium adhuc vivere? Certe, quoties de re cum dogmate intime connexa agitur, sententiae novellitas praesumptionem contra eamdem facere iure meritoque censetur."[18]

HUGON: "Quaestio de morte apparente. — Fortunam obtinuit plurium peritorum, imo et theologorum, opinio, mortem reapse contingere post mortem apparentem, ita ut homo adhuc supervivat, etiam postquam ultimum suspirium emiserit. Ratio est, aiunt, quia anima non exit de corpore, quamdiu tot vivunt in illo cellulae; quaedam autem veram vitam, etiam post mortem apparentem, expromere pergunt. *Quam sententiam confutat cl. P. Lépicier,* utpote contrariam sensui hominum communi, necnon Scripturae et Ecclesiae; nam ubique asseritur homo reapse obiisse, quando spiritum emisit vel exspiravit. Nec sufficit opponere quasdam cellulas adhuc vitae munia retinere; sed probandum esset illas vivere per animam humanam, quod quidem nulla facta censere sinunt.

"*At, data non concessa hypothesi, minime tamen valeret Extrema Unctio.* Etenim materia sacramentorum, ut valida sit, debet esse talis in communi hominum aestimatione; sicut in Eucharistia massa non cocta, licet chimice non differat a pane, est invalida materia, quippe quae non censeatur panis in communi aestimatione. Quocirca, in casu de quo hic agitur, ut valida sit Extrema Unctio, oportet ut homo dici possit *vivus* et ut significari possit sanatio corporalis, eo quod hoc sacramentum ad sanationem tum corporis tum animae ordinatur. Atqui, quando homo exspiravit, non potest dici vivus juxta usitatum loquendi modum, nec amplius significari potest sanatio corporalis; licet anima supponatur remanere adhuc in quadam corporis cellula, non tamen homo remanet in conditione vitae humanae, sed ita *extra nostrum mundum* ponitur, ut tempus obitus computetur a momento quo exspiraverit homo. Ergo, data etiam illa hypothesi et etiamsi persisteret anima in aliqua organismi parte, non tamen valeret sacramentum. Aliis verbis, non haberetur subjectum Extremae Unctionis capax, quod debet esse homo in conditione vitae humanae existens. nondum extra nostrum mundum positus. A fortiori, deesset subjectum Poenitentiae aptum, quod debet humanos actus aliqua saltem ratione elicere; hi autem humani actus ne concipi quidem possunt in homine qui dicitur exspirasse. . .

,! *Tractatus de sacramentis in communi* (Parisiis (19211) 261 268: "Appendix 2."

*' *Tractatus de sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 94. Ibidem p. 9O-n5 auctor fere repetit rationes et obicctiones iam allatas in priori loco tractatus *De sacr. in communi.*

"Non tamen oppositam sententiam, quam hodie multi defendunt, ut Ferreres, Geniesse, *L'Ami du Clergé* (24 février 1927), intendimus reprobare."[19]

Quid sit igitur nobis de his opinionibus dicendum?

1. Quod in quibusdam casibus, praecipue repentinae aut violentae mortis, mors realis tardius sequatur quam apparens, clarum est et ab omnibus admissum, quin sit necesse ad peculiares medicorum inquisitiones recurrere. Ac ideo facile conceditur in his casibus generatim haberi sufficientem probabilitatem et praesumptionem de duratione vitae, quae legitimet administrationem sacramenti intra aliquam brevem moram a momento mortis apparentis. Ceterum nemo exacte assignare valebit limen inter casus violentae aut repentinae mortis et casus mortis ordinariae, nec a fortiori regulam generalem de spatio temporis utilis intra quod sacramentum apparenter mortuis administrari queat.

2. Utraque tamen generalis Ferreres affirmatio quod nempe in omnibus casibus habeatur temporis intervallum inter mortem apparentem et mortem realem, et quod unicum certum signum mortis realis sit rigor cadavericus ac simul evidens putrefactio totius organismi, exaggerata videtur. Id nullo satis probabili argumento ostenditur, sed potius e contrario infirmari videtur rationibus allatis a Lépicier,[20] etsi hae rationes non sint simpliciter cogentes.

3. Negari ceteroquin non potest praedictae opinioni accessisse amplum doctorum recentiorum suffragium, saltem in eo sensu quod in sacramenti administratione oportet accuratius et instantius, quam antea fieri solebat, in considerationem accipere sat frequentem possibilitatem durationis vitae latentis sub statu mortis apparentis. Item negari nequit eam opinionem, etiam in strictiori sua forma, qua profertur a Ferreres, habere solidam probabilitatem, saltem extrinsecam, ob evidentem consensum aut favorem ei a pluribus moralistis concessum.

4. *Ad praxim quod attinet,* cum ex una parte ea opinio sit saltem extrinsece probabilis et qua talis a pluribus de facto in praxim deducatur, Ecclesia aliunde non contradicente nec de ista re quidquam adhuc declarante,[21] et ex alia parte ad licite administrandum sacramentum, praecipue in casibus necessitatis, sufficiat etiam minima solida

[19] *Tractatus dogmatici,* III: *De sacramentis in communi ct in speciali ac de novissimis* d. 14, Parisiis 1948) 665-667.

[20] Confer etiam A. Michel, "Mort," *Dictionnaire de Théologie Catholique* 10. 2 (Paris 1929) 2498 sq.

[21] Imo liceitas illius praxis videtur insinuari in *Codice I. C.,* can. 1213 (coll, cum can. 941) statuente: "Nullum corpus sepeliatur, *praesertim* si mors repentina fuerit, nisi post congruum temporis intervallum, quod satis sit ad omnem prorsus de vero obitu dubitationem tollendam." Idem repetit *Rituale Romanum* (ed. post Codicem, tit. 6, c. 1 De exsequiis, n. 3).

probabilitas/- tuto minister sequi potest plurium doctorum regulam iuxta quam, nisi adsit evidens (iuxta omnes) signum mortis, ut generalis corporis putrefactio, sacramenta Poenitentiae et Extremae Unctionis conferri possunt in omni casu usque ad *dimidiam circiter horam* a morte apparente (seu a momento quo, etiam ex iudicio medici, mors ex apparentibus signis contigerit) et in casu repentinae vel violentae mortis usque ad *unam vel duas circiter horas.*

Ceterum auctores non prorsus uno modo tempus assignant. *Ferrera* loquitur de dimidia saltem hora pro casibus ordinariis, de pluribus horis pro casibus repentinis, imo ex eius sententia sequitur tempus posse indefinite extendi quousque nempe non appareat evidens ac generalis putrefactio corporis. De facto quidam, ut *Kilker* et *D'Angelo* hanc ipsam deductionem pro praxi proponunt.-3 Quidam rariores doctores pro casibus ordinariis assignant pauca momenta (anglice "minutes"). ut *Capellman* (qui loquitur de paucis momentis), *Villada, Noldin* (in prima editione) et *Alberti* (qui loquuntur de sex momentis). Generatim auctores assignant mediam horam pro casibus ordinariis, et unam aut etiam plures horas pro casibus repentinis. In particulari, pro casibus ordinariis *Noldin-Schmitt, Génicot-Salsmans, Vermeersch, Gougnard* assignant semihoram; *L'Ami du Clergé* et *Heylen* circiter semihoram: *Antonelli, Kilkcr* et *Lahitton* saltem semihoram; *Piscetta-Gennaro* semihoram aut etiam integram horam; pro casibus repentinis, *Génicot-Salsmans* plusquam semihoram; *Vermeersch* unam horam; *Cappello* unam vel forte duas horas; *Merkelbach* et *Gougnard* duas vel tres horas: *Lahitton* tres horas; *Noldin-Schmitt* duas immo plures horas; *Hcylcn* duas vel plures horas: *Piscetta-Gennaro* plures horas.·l

"Ad rem laciunt verba *Lacroix:* "Est gravis obligatio ex caritate, ut sacerdos in extrema necessitate proximi operetur ex opinione probabili saltem aliorum, ut habet communis Isententia]. . . ; immo opinio etiam tenuiter tantum probabilis practicari debet, si alias proxime periclitaretur salus aeterna proximi, ut tenent multi et graves auctor *(Theologia moralis,* l. 6, p. 2, tr. 4, dub. 3, a. 2, q. 158 l Ravennae 17611 II 305).

■' *Kilkcr* scribit: "It will be easily seen that sufficient authority can be educed from the various opinions to allow a very wide latitude of action. In practice a priest is amply justified in anointing a man supposedly dead (from a sudden and unexpected cause) up until the time when advanced decomposition has set in. This period may last for many hours and even thru several entire days, depending of course, upon the rapidity with which the putrefaction occurs" *(Extreme Unction* (St. Louis 1927] 220).

D'Angelo, ulterius procedens, assignat pro ipsis casibus ordinariis indefinitum tempus quousque succedat rigiditas cadavcrica, scribens: "Questa probabilità di vita latente, e quindi quest'obligo grave di amministrare i sacramenti, dura: 1° nelle morti inprowise sino a che non si presenti la putrefazione; 2° nolle morti che sequono la vecchiaia o le malattie ordinarie sino a che non si presenti la rigidità cadaverica" *(La morte reale ed apparente e l'amministrazione dei sacramenti* (ed. 2. Torino 1928] 60).

Ch. D› Clercq adhuc generosius iudicare videtur, scribens: "La mort peut n'êlre qu'apparente: en cas de maladie, la vie risque encore de se prolonger une demi-heure apres la constatation médicale de la mort: si cette constatation n'est pas faite, et elle

Admonent autem doctores, in tali conditionata administratione utriusque sacramenti, et signanter Extremae Unctionis, removendum esse, quantum fieri potest, periculum contemptus sacramenti, oriens ex adstantium scandalo seu admiratione, ita nempe ut Extrema Unctio non solum conferatur in unica unctione, omissis omnibus aliis caeremoniis et orationibus, sed etiam veluti furtive, seu tali modo quo adstantium attentio eludatur (puta ungendo celeriter frontem infirmi aut etiam ungendo solam manum, si unctio frontis nequeat fieri sine certa ac gravi adstantium admiratione, cum, ut dictum est in art. 4. tom. 1, p. 451 sq., valde probabiliter valida sit unctio in qualibet corporis parte) ; quod si attentio eludi non possit, congrua admonitio et explicatio facti praedictum contemptus periculum praecavere poterit.

ART. 28. Utrum Subiectum Capax Huius Sacramenti Sit Solus Et Omnis Adultus *{Suppi.,* q. 32, a. 3. et 4: cf. 3 p.. q. 80, a. 9, c. et ad I).20

ne le sera que très rarement, on peut encore administrer le sacrement *plusieurs heures après le décès* supposé. On ne doit donc pas avoir d'hésitation a continuer le rite si l'on croit que le sujet meurt tandis qu'on est en train de le lui conférer. En cas de 'mort subite', la survie peut être parfois de *plusieurs jours* (can. 1213). Mais on évitera tout scandale, en administrant toujours l'extrême-onction sous condition après une mort apparente, soit en donnant une explication, soit en agissant secrètement" *(Des sacrements* ["Traité de droit canonique," publié par R. Naz, II, Paris (1947)] 206).

"Varii auctores explicite dicunt vel manifeste supponunt apparenter mortuis sacramenta *nonnisi conditionate* administrari posse. Unde miramur id non advertisse *Fr. a P. Sold* cum scripsit: "Secundum solidas medicorum et moralistarum opiniones, generatim post mortem apparentem anima in corpore perseverat per aliquod tempus, quod potest aliquas horas protrahi, secundum diversas causas mortis. *Si igitur, sacerdos inungit aegrotum recenter mortuum, potest absolute hoc facere;* si vero iam aliquod intercesserit temporis intervallum, poterit ungere sub conditione, non enim cum certitudine de morte reali illi constat, nisi cum signa corruptionis appareant, vel cum mors provocata fuerit modo qui omnem dubium avocet, v. gr. amputatione capitis, etc." *(De Extrema Unctione* I"Sacrae Theologiae Summa," edita ab hispanis Patribus S. J., t IV. tract. 4, Matriti 19511 570).

"Albertus Magnus, *ht 4 Sent.,* dist. 23. a. 10 et 12.

ALPHONSUS Liguori. *Theologia moralis* (ed. Gaudé, Romae 1909) III 731-733, 741.

Andrieux, L., "Le Viatique et l'Extreme-Onction des enfants. II L'Extrême-Onction," *Revue pratique d'Apologélique* 14 (1912) S1-100.

Benedictus XIV, *De synodo dioeccsana,* I. 8, c 6. in Migne. *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1S41) 1100-1103.

Bonaventura, *ht 4 Sent.,* dist. 23. a. 2, q. 2; *Breviloquium,* pars *2, c.* 11.

Cappello, F. M.. *Tractatus canonico-moralis de sacramentis* III *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1042) 152-156.

Kern, J,, *De sacramento Extrema·' Unctionis* (Ratisbonae 1907) 307-316.

Kilker. A. J, *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 135-145. 256-263.

Koerperich, G.. "De subjecto Extremae Unctionis," *Collationes Xamurcenses* 30 (1936) 14-25.

Launoy, J.. *De sacramento Unctionis Infirmorum liber. Explicata Ecclesiae traditio circa statum et aetatem infirmorum sacram Unctionem suscepturorum,* c. 4 et 5, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 562-566.

Martène, E., *De antiquis Ecclesiae ritibus,* I. 1. pars. 1, c. 7, a. 1. n. 3 (Rotomagi 1700) 562-566.

Prümmer. D,, "The Recipient of Extreme Unction \ccording to the New Code." *The Homiletic and Pastoral Review 26* (1926) 739-742,

STATUS QUAESTIONIS

In quaestione de subiecto sacramentorum, non secus ac in quaestione de subiecto legis (cf. Codicem I.C., can. 754, § 1, et can. 12), adultus accipitur non physice, seu pro homine secundum physicam aetatem corporaliter et physiologice tantum evoluto, sed moraliter, seu pro homine qui usum rationis assecutus est eoque, per se saltem loquendo, habitualiter gaudet, etsi actu non exerceat. Unde adultus non est sive infans, qui, ob defectum aetatis et consequentis evolutionis physiologicae, connaturaliter usum rationis nondum est assecutus, sive perpetuo amens (seu amens a nativitate), qui, ob aliquod accidens, usum rationis cum ipsa physiologica evolutione non est connaturaliter assecutus; adultus vero est tum ille qui usum rationis exercet, tum etiam ille qui, ob aliquam causam sive naturalem sive violentam, sive temporaneam sive diuturnam, caret actuali exercitio iam assecuti usus rationis, ut dormiens, ebrius, sensibus destitutus, furiosus, semiamens, diuturne sed non perpetuo amens.

Quaeritur igitur:

1. Utrum subiectum capax huius sacramenti sit *solus adultus,* seu qui usum rationis fuerit aliquando assecutus eoque, saltem per se loquendo, habitualiter gaudeat, ita ut excludantur soli infantes et perpetuo amentes; aliis verbis: Utrum usus rationis iam obtentus et per se habitualiter retentus, sit in hoc sacramento, secus ac in Confirmatione, unum ex requisitis ad eius validitatem, ita ut infantes et perpetuo amentes invalide ungantur etsi valide confirmentur.

2. Utrum subiectum capax sit *omnis adultus,* ita ut, quantum est ex parte huius requisiti seu usus rationis (nam ab aliis requisitis nunc abstrahimus), nulla amplior perfectio exigatur, ut ea quae provenit ex provectiori aetate vel ex actuali exercitio usus rationis, ac ideo valide ungantur tum omnes pueri inde a momento assecuti usus rationis et absque ulla aetatis distinctione, tum omnes qui ex una vel alia causa exercitio usus rationis sunt destituti, uti dormientes, ebrii, furiosi, necnon ipsi semiamentes et diuturne (non tamen perpetuo) amentes.

Schôn, A., "Spendung der letztcn Oelung an Kinder," *Theologisch-praktischc Quartalschrift* 86 (1933) 579-583.

SpAcil, Th., *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Roma 1931) 183-188.

Suarez. In 3 p., q. 84 sqq., disp. 42, 1, n. 3-9, *Opera omnia* XXII (ed. C Berton, Parisiis: Vivès 1866) 849-851.

Trombelli, J. Ch., *Tractatus de sacramentis, De Extrema Unctione,* diss. 10, q. 1, s. 1, c. 3, q. 3 et 4 et Auctorium (Bononiae 1776-1778) III 25-33, 49-51.

Verhamme, A., "De subjecto Extremae Unctionis," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 339-342.

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

1. Assecutum usum rationis ita requiri ut *infantibus* invalide sacramentum administretur, dici potest *theologice certum,* ex mente Ecclesiae seu attentis simul tum verbis Codicis I.C. (can. 940. £ 1: "Extrema Unctio praeberi non potest nisi fideli post adeptum usum rationis"), tum constanti praxi Ecclesiae ab hoc sacramento infantes excludente, tum explicitiori declaratione Catechismi Cone. Trid. ("Omnes qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt"), tum implicita attestatione S. C. de Sacramentis et plurium particularium conciliorum urgentium collationem sacramenti pueris inde a momento assecuti usus rationis (de quibus infra in Conci. 2). Illud assertum quidam theologi, ut Pesch. videntur habere ut de fide; quidam, ut Lercher-Umberg, dicunt proximum fidei; generatim vero alii proponunt ut theologice certum: ita Suarez (Certum). Kilker (Certum), Diekamp (Sententia certa), Hervé (Doctrina catholica), Sola (Certum). Idem videtur dici posse quoad *perpetuo amentes,* attentis iisdem documentis, praecipue Codice I.C. et Catechismo Cone. Trid.; Benedictus XIV ait: "Indubitatum sit extremam Unctionem exhiberi non posse perpetuo amentibus et furiosis."[27]

2. *Inde ab assecuto usu rationis pueros* valide sacramentum suscipere, sine *nota temeritatis* negari non potest, ob praxim Ecclesiae, verba S. C. de Sacramentis reprobantis contrariam praxim ut "detestabilem abusum" et concordes assertiones plurium particularium conciliorum in eundem sensum colliniantes. Idem videtur dici posse quoad *amentes non perpetuos,* in quibus nempe antea praecesserit usus rationis vel aliquod lucidum intervallum.

Theologi ceteroquin in *affirmativam* responsionem ad utramque supradictam quaestionem fere unanimiter ac miro modo inde ab antiquo conveniunt.

Pro negativa, quoad primam quaestionem, vix tres doctores afferri solent qui videantur reicere necessitatem usus rationis, scilicet *Nicolaus Cusanus* (f 1464),[28] *Joannes Major* (f 1540),[29] et *loannes Maldonatus* S.J. (t 1583)[30] et de quorum ceteroquin sensu non satis

[27] *De synodo dioccesana,* I. S, c. 6.

[28] Card. Nicolaus de Cusa (a vico Cues ad Mosellam in Germania), *Epistola tertia ad Bohemos.*

[29] *John Mayr, cognomento Haddingtonus a loco patrio Haddington in Scotia. Nominalism! defensor.

[30] *J. Afaldonati Andalusii, SJ. theologi disputationum ac controversiarum decisarum et circa septem Ecclesiae romanae sacramenta inter catholicos praesertim ct Calvinistas*

constat. *Cusanus* non loquitur directe et ex professo de hac quaestione, sed, ad iustificandam contra Bohemos legem de communione sub unica specie, appellat varietatem et mutabilitatem consuetudinum Ecclesiae, inter quas veluti incidenter refert, absque ulla explicatione aut probatione, antiquum usum ungendi parvulos. "Quis dubitat," inquit, "nec ob variam formam, modum aut ritum sacramentorum ab Ecclesia tunc acceptum aut permissum, salutem illi ita conformiter ad sententiam Ecclesiae recipienti abesse posse, nisi dicere velimus totam Ecclesiam, cujus ille membrum factus est, ejusdem Ecclesiae judicio defecisse et ab omnimoda salute cecidisse, quod est erroneum manifeste. Quare non minus fuere in Christi nomine baptizati etiam infantes, quorum fides sancierat in omnibus articulis etiam Trinitatis, quam hodie in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in Christo renati. Et ita de confirmatis quondam per sacerdotes et nunc per episcopos et ita de communicatis quondam infantibus et Extrema unctione etiam infantili aetate inunctis et modo non et de usu variae communionis, etiam quoad adultos, penitus idem dico."[31] *Maldonatus* quidem (vel potius ignotus auctor operis de sacramentis Maldonato tributi) quaestionem de unctione infantium directe ponit et affirmative resolvit, sed nonnisi praedicto Cusani testimonio innititur. Unde de sententia utriusque doctoris apte observat *Benedictus XIV:* "Quamvis . . . Nicolaus Cusanus ... et Maldonatus . . . asserant olim consuevisse etiam infantes infirmorum oleo ungi; eos tamen sine fundamento locutos affirmat Cornelius a Lapide in Comment, ad epist. S. Jacobi, cap. 5, vers. 14, atque ex iis liquet vetustis momumentis quae. . . Martène adducit: nisi forte Cusanus et Maldonatus sint intelligendi de unctione, absque forma Sacramenti, quam olim fuisse in usu praemonuimus."[32] *Major* vero, non tantae auctoritatis theologus et principiis Nominalismi addictus, haec tantum verba profert: "Non video, quare non possit dari iuvenibus nec quare confessionem in

tum alios hoc tempore agitari solitarum tomi duo, Lugduni fvere: Francofurti] 1614. Disputatur an hoc opus sit ipius Maldonati. Negat *Hurter,* scribens: "Hoc opus Maldonato abjudicat Alegambc, vindicant vero [posteriores] editores (Dubois et. Faure) quorum curae debemus ejusdem auctoris *Opera varia theologica.* . . Est Marini Codognat, qui illam [Summulam] male compilavit ex Maldonati operibus" *(Nomenclator literarius theologiae catholicae* III [ed. 3, Ocniponte 1907] 245 sq. in textu ct nota). Praefata prima editio, curata ab anonymo quodam editore, abjudicata est a Societate Jesu et proscripta ab inquisitione hispanica, pariter reiecta cius attributione Maldonato; in indice enim hispano librorum prohibitorum, edito Matriti a. 1667 legitur: "Joanni Maldonato liber falso adseriptus. ementito impressionis loco Lugduno pro Francofurto, impressoris nomine suppresso, cum hac inscriptione: *Disputationum et controversiarum decisarum circa septem sacramenta* prorsus prohibetur" (apud Hurter, *ibid.).*

[31] *Epistola 3 ad Bohemos: de usu communionis, Nicolai Cusani opera* (Basileac 1565) II 843.

[32] *De synodo dioccesana,* I. 8. c. 6. n. 1. in Migne. *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1100sq.

iuvenibus rationis incapacibus praesupponat": quae verba, satis ambigua, *Kern* sic ad rectum sensum trahere conatur: "Docet igitur idque recte, non esse in omni casu necessarium, ut aegrotus iam aliquando susceperit sacramentum Poenitentiae ideoque iuvenibus nondum confessis et nunc per morbum rationis incapacibus Extremam Unctionem recte ministrari."[31]

Potius valde mirandum est inter recentiores scriptores, post ipsum Codicem, clarus theologus ac thomista *Lépicier,* ex quodam fortasse mentis lapsu, a communi et certa doctrina dissentire, explicite scribens: "Quaestio. . . Utrum valida, etsi illicita, esset extrema unctio parvulis ac perpetuo dementibus collata? Resp. Affirmative: cum enim hoc sacramentum habeat pro principali effectu illam sospitatem, quae exeuntibus et iter ad gloriam agentibus est necessaria, quae quidem sospitas, absolute loquendo, est independens a peccato actuali, ideo dicendum videtur, parvulum vel perpetuo dementem, si eis hoc sacramentum daretur, gratia eiusdem minime frustrari, sicut parvulus aut perpetuo demens, Eucharistiae gratia, si haec ei administretur, revera non frustratur."[35]

Inter recentiores theologos schismaticos, unus vel alter, nominatim *Dyovuniotis,* admittit parvulos et amentes, usu rationis destitutos, esse subiectum capax huius sacramenti.[3β]

Quoad secundani etiam quaestionem, non defuit *aliqua ambiguitas apud quosdam doctores,* quae tamen non videtur tangere ipsam validitatem sacramenti administrati tenellis pueris aut temporanee amentibus, sed solam eius convenientiam et liceitatem.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Subiectum capax huius sacramenti est solus adultus, seu rationis usum aliquando assecutus, adeoque neque infantes neque perpetuo amentes (qui infantibus recte assimilantur) sunt capaces valide suscipiendi hoc sacramentum.

Probatur 1. *EX SENSU ECCLESIAE.*

Ex ipsis imprimis verbis *lacobi:* "Inducat presbyteros Ecclesiae" quidam auctores, ut Suarez, Bord, Kilker, Cappello, sibi videntur hanc

hi 4 Sent,, dist. 23, a. 4, q. 3.

[31] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 307, in nota.

[*] *Tractatus de sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 84 sq.

[1] Cf. SpÂCil, *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ('Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 81» 175, 183.

conclusionem clare deducere,"[7] quatenus actus inducentis seu vocantis est actus utentis ratione. Attamen, hanc deductionem non satis solidam esse, patet tum ex eo quod ea verba possunt referri ad solum ordinarium casum unctionis adultorum et ceteroquin intelligi valent in sensu accommodato et extensivo etiam de infantibus, quatenus per actionem aliorum, quorum curae ipsi commissi sunt, presbyteros vocant (quo sensu generatim dicitur omnes Baptismum petere et ad eum festinare debere), tum ex eo quod si illa verba ad sensum exclusivum trahuntur, sequeretur etiam moribundis sensibus destitutis sacramentum, iuxta Apostolum, praeberi non posse. Huic quidem secundae rationi posset quis respondere, etiam moribundum aequivalenter vocare presbyteros quatenus debet habere saltem implicitam intentionem suscipiendi sacramentum, sed inde nonnisi levis probabilitas nostrae conclusioni conciliari potest.

Cum maiori veritatis apparentia quidam provocant ad verba: "Et, si in peccatis sit, remittentur ei," quae non conveniunt infantibus et amentibus. Attamen, ut constat ex dictis in art. 11, principalis effectus huius sacramenti seu abstersio reliquiarum peccati in illis verbis non continetur (cum agatur de accidentali et conditionata remissione ipsorum peccatorum), nec ab eis deducitur sed potius ex generali conceptu sanationis corporis et mentis, expresso in praecedentibus verbis: "Sanabit . . . alleviabit," ad quae proinde cum maiori probabilitate quis recurreret. Ceterum, cum haec ipsa deductio non sit immediata, nec certa nisi sub luce doctrinae Traditionis et Ecclesiae, consultius erit totam vim probationis hujus Conclusionis potius convertere ad ipsam mentem Ecclesiae, sufficienter expressam sive in eius praxi sive in eius documentis, quibus ceteroquin ipsa mens Apostoli et Christi institutoris aperitur.

Ad praxim igitur quod attinet, nullum in Traditione extat exemplum Extremae Unctionis infantibus collatae, quinimo in medio aevo ac deinceps satis vulgatus fuit abusus ut hoc sacramentum ad tardiorem usque aetatem differretur, ut ostendunt documenta referenda in Conci, seq. Ex quo satis clare colligi videtur, Ecclesiam usum rationis pro

[7] *Suarez:* "Dum [Apostolus] ait: 'Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae', significat ipsummet infirmum debere petere hoc sacramentum, vel ejus susceptioni consentire, quod facere non potest, nisi qui ratione utitur" (Disp. 42, sec. 1, n. 2). Idem fere repetit *Cappello. Bord:* "Ce malade doit être adulte. — 'Inducat', qu'il appelle les prêtres, écrit saint Jacques. L'homme qui n'a jamais eu l'usage de la raison, est incapable de cet acte. Faire venir les prêtres de l'église, eux et non d'autres hommes, est l'action d'un adulte" *(L'Extrême Onction* [Bruges 1923] 57). *Kilker:* "The second requirement for the valid reception of Extreme Unction is that the subject have attained the use of raison. This is clear from the Jacobean text: 'Inducat presbyteros.' A man who never had the use of reason would be incapable of such an action" *(Extreme Unction* (St. Louis 1927] 135).

validitatis conditione habuisse; secus enim non potuisset absque errore abstinere a ministrando infantibus tam salutare sacramentum, sibi a Christo sub assistentia Spiritus S. fidelibus distribuendum commissum. Ceterum, iterum hic abstinemus ab invocanda antiqua praxi, in verbis Iacobi ("Inducat presbyteros Ecclesiae") fundata, iuxta quam hoc sacramentum non ante infirmis praeberetur quam ipsi petiissent;[38] nam ex una parte haec praxis bene explicatur ex ipsa adulti conditione et ostendit tantum necessitatem manifestandi intentionem suscipiendi sacramentum et ex alia parte ea non obstitit quominus sacramentum conferretur moribundis et temporanee amentibus qui illud petere non poterant.

Unanimis consensus magnorum theologorum medii aevi, signanter Alex. Halensis, Alberti M., Bonaventurae, S. Thomae et Scoti, indirecte etiam ostendit mentem Ecclesiae.

Nihilominus *ignotus auctor opusculi De sacramentis moriendum infantum* (eiusdem fere temporis et stili ac Bernaldus Constantiensis, circa finem saec. 11) unctionem parvulorum innocentium advocatur, potiusquam testetur. scribens: "Si quis parvulum noviter baptizatum, sed infirmitate correptum, oleo sancto ungere voluerit, non necesse habebit ut totum unctionis officium recitet, et minime illas orationes, quae de remissione peccatorum agere videntur. Nam fides catholica hoc habet, ut parvulus noviter baptizatus remissionem peccatorum accepisse credatur. Contra quam fidem indubitanter ageremus, si pro parvulo quasi nondum absoluto, ut absolveretur, oraremus, quem videlicet B. Augustinus sine peccato esse testatur libro xx *De civitate Dei.* . . Si quis ergo hujusmodi parvulis infirmantibus ministerium unctionis adhibere voluerit, illas orationes competenter adhibere poterit, quae sanitatem vel vitam aeternam infirmantibus exoptant, non illas quae poenitentibus indulgentiam implorant. . . Quandiu autem parvuli in illa innocentia permaneant, nos ignoramus, nisi quantum ex verbis Augustini libro xxi *De civitate Dei;* scribit enim ibi de parvulo baptizato, si in prima aetate, id est infantia, sive in secunda, id est pueritia, moriatur; quod nec aliqua purgatoria tormenta post mortem patiatur. Ex his utique verbis non inepte colligitur, quod parvuli post baptismum suum innocentiam usque in pueritiam servare credantur, cum post mortem nullam vel purgatoriam poenam subituri esse legantur.

"Quapropter si hujusmodi infirmantibus parvulis unctionem facere voluerimus, non pro eorum, sed pro majorum peccatis deprecari necesse haberemus, quos usque ad illam horam innocenter vixisse credamus. Sed nos superflue de eorum unctione videmur laborare, cum jam nec majores, praeter admodum paucos, de hoc videantur curare. Nec nos utique ideo tam diligenter ista digessimus, quasi jam in generalem usum Ecclesiae redacta vel redigenda esse putaremus; sed potius ideo, ut amicis nostris satisfaceremus, qui etsi ipsi talia facere non soleant, libentissime tamen sciunt, quid in talibus sit faciendum, si forte aliquando cujuslibet fidelis indefessa postulatio hoc ab eis exigat, ut parvulum ejus infirmum oleo sancto perungant. *Nec utique desperandum, quin et unctio parvulorum alicubi veniat in usum,* sicut et unctio majorum, quae ibidem usque ad nostra tempora penitus videbatur abolita. Si autem numquam illa unctio in usum venerit, nequaquam tamen nos inquisitioni simplicium fratrum in his scriptis satisfecisse pigebit" *(ML* 148. 1271-1274).

Concilium ipsum Tridentinum, quamvis nihil directe dicat de hac

[38] Cf. in art. 32, p. 677-679.

re, assignat tamen principium ex quo haec conclusio theologice eruatur, hoc nempe sacramentum describens ut "poenitentiae et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum . . . [et] finis vitae firmissimum praesidium" (sess. 14, De Extrema Unctione, prologus); qui quidem specificus finis et effectus sacramenti nequaquam convenit homini usum rationis non assecuto.

Ceterum *Catechismus Cone. Trid.,* mentem Concilii aperiens, explicite statuit: "Omnes .... qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt: ut pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare huius Sacramenti remedio opus sit: amentes item et furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, et eo potissimum tempore pii animi significationem darent, peterentque. ut sacro oleo inungerentur. Nam qui ab ipso ortu nunquam mentis et rationis compos fuit, ungendus non est: secus vero, si aegrotus, cum mente adhuc integra huius Sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam et furorem incidit" (p. 2, c. 6, q. 9).

Statuta Synodalia Parisiensia, a. 1557 statuunt: "Pueri rationis usu carentes, fatui, furiosi, et incompotes mentis, inungi non debent."[39]

Cone. Cameracense (Cambrai) a. 1586 (tit. 12) signanter statuit: "Hoc sacramentum nec pueris, qui rationis usum nondum habent, nec amentibus aut furiosis, qui lucidum circa mortem non habent intervallum . . . ulla ratione est conferendum" *(Harduin* 9. 2164 sq.).

Statuta synodalia Aureliancnsia sub Germano Valente Guellio episcopo a. 1587: "Non detur hoc Sacramentum pueris qui nondum communicaverunt, neve furiosis et dementibus, qui numquam requisiverint, neque etiam reis ad mortem condemnatis."[40]

Plura concilia particularia recentiora necnon decretum *S. C. dc Sacramentis* sub Pio X (de quibus in Conci, seq., p. 486 sq.) manifeste idem supponunt, cum urgent collationem sacramenti pueris inde a momento consecuti usus rationis.

Rituale Romanum (ed. post Codicem), repetit verba trium canonum 940, 941 et 943 Codicis I.C. (tit. 5, c. 1, n. 8, 9, 11).

Codex I.C., can. 940, § 1: "Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur." *Can. 941:* "Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione." *Can. 943:* "Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus

[39] Apud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 1. n 3 (Rotomagi 1700) 105.

[40] Apud Martène, *loc. cit.*

vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur." Codex in priori canone loquitur non de conditione solius liceitatis sed et ipsius validitatis, ut constat tum ex verbis "non potest," tum ex aliis duabus conditionibus fidelitatis et infirmitatis, tum etiam ex conditionata ministratione proposita in secundo canone, nec ceteroquin de hoc ullum est dubium aut dissfcnsus inter canonistas.

Probatur 2. *EX RATIONE, seu ex specifico fine et effectu huius sacramenti.*

Qui est incapax suscipiendi principalem ac specificum effectum alicuius sacramenti est etiam incapax suscipiendi ipsum sacramentum, cum a specifico effectu totam suam essentiam et essendi rationem sacramentum derivet. Atqui qui usum rationis non est assecutus, seu infans et perpetuo amens, est incapax suscipiendi principalem ac specificum effectum Extremae Unctionis. Ergo est etiam incapax suscipiendi ipsum sacramentum.

Maior clara est et ab omnibus facile admissa. *Minor* ergo, quae totam vim continet argumenti, declaranda manet.

Abstrahendo enim a variis modis, quibus ulterius a theologis explicatur ac determinatur propria essentia principalis ac specifici effectus Extremae Unctionis (cf. art. 11, p. 51-79), duo saltem videntur clare resultare tum ex fontibus revelationis tum ex communi consensu theologorum: Primo scilicet, ille effectus est quaedam animi sanatio a *spirituali quodam morbo* (Cone. Flor.: "Effectus est mentis sanatio"). Secundo, hic morbus habet connexionem aliquam cum *peccato personali* (sive sit ipsum peccatum, mortale iuxta aliquos, aut veniale iuxta Scotum, sive sit tantum quaedam indirecta dispositio ad peccatum iuxta Suarez), nam theologica traditio illum appellat saltem generice ac indefinite "reliquias peccati," forma ipsa sacramentalis, in qua specificus effectus sacramenti exprimi solet, directe (in forma latina: Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti) aut indirecte (in forma graeca: Pater sancte, animarum medice, vivifica per gratiam servum tuum) mentionem personalis peccati refert, et Cone. Trid., resumens generaliter totum Traditionis sensum, ait hoc sacramentum esse consummationem sive sacramenti Poenitentiae sive totius christianae ac poenitentialis vitae, necnon firmissimum praesidium quo Christus finem vitae munivit, contra diaboli scilicet tentationes quae in peccatum inducunt.

lamvero qui caret usu rationis non est capax personalis peccati, nec ideo est capax alicuius morbi connexi cum illo peccato (puta effectus seu reliquiae illius, aut dispositionis ad illud et periculi inci-

dendi in illud), nec ideo est capax sanationis a morbo connexo cum illo peccato, quae est specificus effectus huius sacramenti.

Unde, etiam abstrahendo a thomistica sententia, quam defendimus in art. 11 (de specifico nempe effectu consistente non in remissione peccati, nec in mera extrinseca aut morali alleviatione et confortatione contra lapsum, sed in interiori ac physica remotione reliquiarum peccati seu debilitatis animi ex peccato personali relictae), et iuxta quam praesens Conclusio manifestior apparet ac logico modo ex sensu traditionali deducitur eumque perficit, ex ipsa communi tum Traditionis tum theologorum doctrina, quatenus involvit aliquam necessariam connexionem huius sacramenti eiusque effectus cum ipso personali peccato, quo infantes sunt incapaces, praesens Conclusio firmiter stabilitur. Idque praeterea firmatur ex eo quod tum theologi, sive antiquiores sive moderniores, tum Catechismus Cone. Trid. (supra cit., p. 470), tum particularia ritualia et concilia (Pastorale Mechliniense, Rituale Argentinense, Concilia Rhemense, Casseliense, Aussitanum, Quebecense, Strigoniense, Pragense, de quibus in Conci, seq., p. 485-487), ad probandum quoslibet pueros inde a momento assecuti usus rationis esse capaces huius sacramenti, non aliam invocant rationem nisi quia illi sunt iam capaces peccandi.

Nihilominus, unus vel alius peregrinus theologus vim huius traditionalis doctorum argumenti recenter impugnavit, saltem sub variis formis quibus hucusque propositum est. Impugnationem coepit *Kern,* cui consenserunt *Kilker* et *Cappello. Kern* scribit: "Quam certum est, usum rationis saltem aliquando habitum esse necessarium, tam difficile est, assertae conditionis reddere internam rationem convenientem. Proferunt quidem theologi non paucas rationes, quibus probent, quod affirmamus. Sed nescio, an omnes sint inefficaces."[41] *Kilker:* "Theologians have advanced many intrinsic reasons why children under the age of reason cannot receive Extreme Unction yet can be participants of the sacramental graces of Confirmation. Yet practically all of them can be attacked in very vital points."[42] *Cappello:* "Quidam recentiores tenent, nullam intrinsecam rationem afferri posse, cur infantes arceantur a fructibus extremae unctionis; addunt autem, rationes adductas ab Angelico aliisque Scholasticis non esse omnes concludentes. Quod debita servata reverentia erga insignes Doctores concedendum est."[41]

" *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 307 sq.
° *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 136.
" *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 154. Tamen ipse Cappello paulo ante (p. 152) proponit ipsas communes rationes theologorum, ex natura et fine hujus sacramenti deductas.

Haec impugnatio prima fronte satis mira videtur, cum, ut dictum est, praefata ratio (in qua radicantur omnia doctorum argumenta circa necessitatem usus rationis) sit immediate fundata in doctrina Tridentina de indole huius sacramenti et afferatur ab ipso Catechismo Cone. Trid. necnon, explicite aut aequivalenter, a pluribus particularibus ritualibus et Conciliis. Praeterea, ipsa inepte procedit; nam, praetermittens essentiale punctum in quo variae theologorum sententiae formaliter conveniunt, scilicet assertam connexionem huius sacramenti eiusque effectus cum peccato personali, divagat ad ostendendos particulares defectus vel inconsequentias quas unaquaeque theologorum explicatio implicare potest. Tandem, nihil practice ipsa concludit; nam, reiectis variis theologorum rationibus, videtur haerere in dubio de possibilitate assignandi aliquam internam ac convincentem rationem, et, veluti ad solani abundantiam, conatur "alia via," ut ait Kern, invenire aliquam rationem, quam Kilker dicit optimam hucusque propositam'4 quaeque tamen reapse non alium habet valorem quam eundem quem potest emendicare a praedicto generali argumento theologorum.

Prima ratio, quam Kern impugnat, est *Suaresii* dicentis principalem effectum sacramenti esse infirmi confortationem contra spirituales luctas et tentationes in articulo mortis, qua confortatione non est capax infans, cum tentari non possit. Cui opponit Kern etiam hominem sensibus destitutum, esse incapacem talis confortationis et tamen esse capacem sacramenti.

Attamen, quamvis Suarez (imo et ipse Kern cum Suaresio) non bene assignet principalem effectum huius sacramenti, ac inde eius argumentum non immediate concludat, radicalis tamen et formalis ratio quare infans sit incapax sacramenti, quam ipse Suarez hic supponit atque in verbis "infans tentari non potest" involvit, est quia infans peccare non potest (et ideo nec tentari nec contra tentationem confortari); et ita ratio Suaresii radicaliter reducitur vel connectitur cum generali ac communi argumento supra proposito, ac pro tanto sufficientem valorem hic habet. Ceterum, ut dicetur contra ipsum Suaresium in art. seq. (p. 525-527), haec ipsa ratio absolutum valorem non habet, imo, prout ab ipso intelligitur, insufficiens et falsa est; nam ipsa impotentia peccandi est causa incapacitatis infantium non quomodolibet, puta prout refertur ad peccatum futurum praecavendum (secus eadem esset causa incapacitatis quoad moribundos sensibus destitutos), sed prout importat absentiam praeteriti peccati cuius reliquiae abstergi queant.

""Yet there must be some internal reason why this sacrament is not given to infants. Kern seems to advance the best argument in the matter" *(op. cit.* 138).

Secunda ratio est *Alberti M.* (necnon S. *Thomae* et aliorum) dicentis in infante non verificari sensum verborum formae ("Quidquid deliquisti"), a qua validitas sacramenti dependet. Cui opponit Kern posse infantibus adhiberi aliam formam, uti graecam vel unam ex antiquis latinis formulis, in qua nulla mentio peccatorum habeatur, et ceteroquin formam latinam non verificari in moribundo qui immediate post Baptismum susciperet Extremam Unctionem.

Attamen, imprimis mentio peccatorum, vel alicuius effectus cum peccato connexi, habetur in omni formula, tam antiqua quam moderna, utriusque ecclesiae, et in forma graeca aequivalenter exprimitur in mentione gratiae medicativae (Pater sancte, animarum medice, vivifica per gratiam servum tuum).[5] Praeterea, in eo qui immediate post Baptismum ungitur, forma verborum verificatur vel relate ad reliquias peccatorum ante Baptismum commissorum, vel relate ad peccata, quae aut per Baptismum non fuerint remissa, ob aliquem nempe dispositionis defectum ac ita pergunt quodammodo committi post Baptismum per voluntatem ea retinentem et in eis complacentem, aut, et formalius, post Baptismum commissa fuerint, cum stante humana fragilitate, homo facillime venialiter peccet (cf. art. seq., p. 523-525).

Tertia ratio est S. *Thomae* dicentis in hoc sacramento, sicut in Eucharistia, requiri actualem devotionem suscipientis, cuius infantes sunt incapaces. Cui opponit Kern etiam moribundos, sensibus destitutos, esse incapaces actualis devotionis et nihilominus posse recipere hoc sacramentum.

Attamen, nimis facile assumitur litteram S. Thomae esse tam claram ut in ea necessario significetur ad valorem sacramenti, tum Extremae Unctionis tum Eucharistiae, requiri actualem devotionem seu actum ipsum devotionis exercitum in ipso momento susceptionis sacramenti. Prima quidem fronte ipse textus, praecipue seiunctus a contextu tam proximo quam remoto, id sonare videtur, sed, re accurate inspecta, sensus S. Doctoris non tam simplex est quin indigeat probe explicari, et penitus expandi, nisi velimus ipsi gratis affingere ineptum processum et evidentem cum suis ipsius principiis contradictionem.

Textus sic sonat. *Suppi., q. 32, a. 4* (ubi agitur de ipsis pueris); "Respondeo. Dicendum quod hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut et Eucharistia. Unde sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum." *Ibid. a. 3, Sed contra, corp., ad I et 2* (ubi agitur de furiosis et amentibus), eadem ratio affertur et fusius explicatur: "Sed contra. Hoc sacramentum non

[5] Cf. supra, ari. 8, tom. 1. p. 567. 570sq„ 578.

est dandum nisi recognoscentibus ipsum. Sed tales non sunt furiosi et amentes. Ergo eis dari non debet. Respondeo. Dicendum quod ad effectum huius sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, et personale meritum conferentium, et generale totius Ecclesiae; quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur. Et ideo illis qui non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet; et praecipue furiosis et amentibus, qui possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere; nisi haberent lucida intervalla, quibus sacramenta recognoscerent, et sic eis conferri in statu illo possent. . . Quamvis in periculo mortis tales [furiosi et amentes] quandoque sint, tamen remedium per devotionem propriam non potest cis applicari. Et ideo [hoc sacramentum] non debet eis conferri. . . [Nec valet opponere, quod illis potest Baptismus dari, nam] baptismus non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio. Sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii. Et ideo non est simile. Et praeterea baptismus est sacramentum necessitatis, non extrema unctio."

Haec verba S. Doctoris dupliciter quis intelligere posset, scilicet vel de sola convenientia actualis devotionis ad fructum sacramenti vel de illius necessitate ad ipsum valorem sacramenti, atque in utroque sensu ambiguitatem continent ac difficultatem pariunt.

Primo, ad eludendam praefatam Kern obiectionem. quis posset dicere devotionem ibi proponi tantum ut convenientem dispositionem ad meliorem fructum sacramenti, ut patet tum ex adducta comparatione cum Eucharistia, nam iuxta S. Thomam (3 p., q. 78. a. 8) Eucharistia, suscepta sine actuali devotione seu cum "mentis distractione," est tum valida tum fructuosa quoad essentialem fructum, etsi non quoad accidentalem; tum ex eo quod iuxta S. Thomam (3 p.. a. 64, a. 9; q. 68, a. 8) nullius sacramenti validitas pendet a devotione imo et a fide sive subiecti sive ministri; tum ex eo quod S. Doctor ibidem explicite ait: "Ad effectum huius sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, et personale meritum conferentium, et generale totius Ecclesiae."

Attamen, haec responsio, prout exclusive sonat, difficultatem potius eludit quam evacuet. Nam imprimis, quamvis S. Thomas in utroque loco non loquatur explicite de invaliditate sacramenti ab amentibus et infantibus suscepti, sed dicat tantum eis illud dari non debere, de facto tamen ipsam quaestionem de invaliditate proponit ac resolvit. Id patet tum ex parallelis locis aliorum coaevorum doctorum, signanter Alberti M. et Bonaventurae, qui hanc quaestionem in eodem

contextu resolvunt; tum ex eo quod hic est proprius locus in quo connaturaliter expectatur S. Doctor hanc quaestionem ponere ac resolvere; tum ex eo quod ipsa expressio "dari non debet" sicut gemina expressio "dari non potest," cum simpliciter profertur de his quae in sacramentis fieri non debent vel non possunt, apud doctores mediaevales solet referri ad validitatem sacramenti, nisi aliter ab eis significetur, ut etiam supra notavimus in quaestione de initerabilitate sacramenti (p. 332); tum quia in citato a. 3 S. Thomas potius quam de devotione loquitur de actu liberi arbitrii et actu cognoscentis ac percipientis sacramentum, vel si placet de devotione prout cum eo actu identificatur, ita ut sit potius quaestio de intentione suscipiendi quae respicit ipsam validitatem sacramenti; tum ex eo quod, quamvis in ipso corpore a. 4 S. Doctor afferat solam rationem defectus devotionis, tamen sive ratio Sed Contra sive binae obiectiones et responsiones referuntur directe ad ipsam validitatem sacramenti. Dicitur enim: "Sed contra est quod nulli debet dari hoc sacramentum cui non competit forma sacramenti. Sed forma huius sacramenti non competit pueris, quia non peccaverunt per visum et auditum ut in forma exprimitur. Ergo eis dari non debet hoc sacramentum. . . Ad primum ergo [quo obicitur infantes iisdem subiacere infirmitatibus quibus adulti]. Dicendum quod infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causatae, sicut in adultis. Et contra illas praecipue infirmitates hoc sacramentum datur quae sunt ex peccato causatae quasi peccati reliquiae. Ad secundum [quo obicitur etiam in infantibus esse reliquias peccati, scilicet originalis]. Dicendum quod non datur contra reliquias originalis peccati nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet, quae non sunt in pueris."

Secundo, ergo, his innixus rationibus, aliquis posset dicereS. Thomam agere tantum de defectu conditionis requisitae ad valorem sacramenti, seu ipsum accipere devotionem pro intentione (nam recta intentio suscipiendi rem, quae est sacra et devotionis obiectum, devota intentio, objective saltem, dici potest et non raro apud theologos dicitur, ut constat ex ipso S. Thoma, 3 p., q. 80, a. 9) et hanc actualem devotionem seu intentionem accipere non pro ea quae actu adesse debeat in ipso momento quo suscipitur sacramentum, sed quae actu est vel fuit nec revocata sit (nam S. Thomas, in eodem loco 3 p., q. 80, a. 9, agens de amentibus an possint suscipere Eucharistiam, ait quod "si prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio [seu intentio] huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi").

Attamen, hacc responsio et expositio non totaliter difficultatem evacuat, tum quia in a. 3 S. Thomas videtur expliciter distinguere inter devotionem et intentionem, loquens de his "qui non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum" necnon de "devotione suscipientis, et personali merito conferentium, et generali totius Ecclesiae," tum quia in a. 4, quidquid intendat in Sed Contra et responsionibus, in ipso corpore articuli S. Doctor solum defectum devotionis proponit ut motivum quare sacramentum non sit infantibus ministrandum.

Tertio igitur restat ut utraque expositio in unam colligatur quae exhibeat totam vim complexae ac simul uniformis doctrinae S. Thomae. In utroque nempe articulo 3 et 4 agitur ad modum unius sive de convenientia dispositionis ad percipiendum excellentem fructum huius sacramenti sive de conditione necessitatis ad ipsum valorem sacramenti, et ideo sive de devotione sive de intentione, et de ipsa devotione sive prout identificatur cum ipsa intentione sive secundum se.

Primo nempe, directe ac principaliter, S. Doctor ibi agit de necessitate usus rationis ad valorem sacramenti; postquam enim in a. 1 et 2 eiusdem quaestionis inquisivit de infirmitate, ut validitatis conditione, in a. 3 et 4 transit connaturaliter ad aliam validitatis conditionem, scilicet usum rationis, determinans subiectum infirmum quod eo careat, i.e. amentes et infantes; inde in a. 3 insistit in necessitate intentionis, seu actus liberi arbitrii[46] et recognitionis sacramenti, et in a. 4 adducit necessitatem praesentiae reliquiarum peccati personalis. Nihilominus, S. Doctor ibidem simul arripit occasionem loquendi de influxu ipsius devotionis, etiam prout distinguitur ab intentione, atque eam dupliciter considerat: primo, prout influit in fructuosam et convenientem susceptionem, non secus ac in aliis sacramentis et signanter in Eucharistia; secundo, prout in hoc sacramento influit quodammodo etiam in ipsam validitatem seu indolem sacramenti, quatenus nempe, ut fusius explicatum est in art. 7 (tom. 1, p. 550, 552), ob peculiarem excellentiam sui effectus, hoc sacramentum assumit quandam indolem deprecationis (cuius efficacia a devotione dependet), quasi opus operantis in opus operatum convertens, ut patet ex ipsa peculiari indole formae sacramentalis quae in solo hoc sacramento est operativa simul ac deprecativa; et hoc est quod S. Doctor conatur nobis discrete significare in illis verbis a. 3: "Ad effectum huius sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, et personale meritum conferentium, et generale totius Ecclesiae; quod patet ex

[46] De discrimine a S. Thoma indicato in illis verbis a. 3, ad *2,* confer infra (p. 676).

hoc quod per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur."

Ita S. Doctor, hic sicut in non paucis aliis articulis suae Summae, dum videtur a proposita quaestione divertere eamque confundere aut complicatam reddere, reapse eam complet ac perficit, omnia tandem reducens ad punctum principale quod est de ipsa validitate sacramenti. Inde concidit supradicta obiectio Kern; nam actualis illa devotio, cuius defectus in pueris et amentibus obstat validitati sacramenti. nihil aliud est quam intentio suscipiendi sacramentum, semel actu habita et numquam retractata, cuius defectus etiam in moribundis sensibus destitutis illi validitati pariformiter obstat.

Quarta ratio, a Kern crisi subiecta. est ea quam modo audivimus a S. *Thoma* (a. 4. ad 2), quia nempe in infantibus et amentibus non dantur reliquiae peccati personalis contra quas ordinatur hoc sacramentum. Cui opponit Kern ipsum Suaresium vim huius argumenti negare.

Attamen valor huius argumenti, quo hic ceteroquin pro nostra generica Conclusione stricte non indigemus sed quod reapse est in hac re praecipuum, utpote quod involvat ipsum specificum effectum huius sacramenti, ostendetur contra Suaresium in art. seq., ubi de necessaria conditione spiritualis infirmitatis ad valorem sacramenti.

Quinta et ultima ratio, a Kern impugnata, est commune illud argumentum ex verbis ipsis Tridentinis deductum, quod nempe Extrema Unctio sit complementum vel consummatio Poenitentiae adeoque nequeat valide conferri infantibus et amentibus qui sunt incapaces Poenitentiae. Cui opponit Kern Extremam Unctionem esse consummativam Poenitentiae veluti per accidens, quatenus auferat proprie dictas sequelas peccati in casu quo per ipsam Poenitentiam non fuerint ablatae, per se vero eam ordinari, tanquam ad proprium ac principalem effectum, ad roborandum infirmum contra daemonis insidias eumque confortandum in doloribus et tristitia ex infirmitate consequentibus.

Attamen haec ratio, ut validissima imo ut ceterarum veluti synthesis habenda est, eamque supra invocavimus (p. 471) in ipso eodem generali argumento quo maluimus abstrahere a variis theologorum opinionibus de abstersione reliquiarum peccati prout est specificus ac principalis effectus huius sacramenti. Nam peccati reliquiae, quomodolibet accipiantur, important saltem aliquam necessariam connexionem cum peccato personali (saltem, ut in ea ipsa sententia Suaresii a Kern invocata, quatenus disponunt ad peccatum et inducunt periculum in illud incidendi), ac pro tanto Extrema Unctio, auferendo reliquias, est verum complementum Poenitentiae quae respicit ipsum

peccatum, ac ideo nequit convenire nisi eidem subiecto cui convenit Poenitentia, Ceterum, ut diximus supra (p. 472), valor huius argumenti in tota sua amplitudine et proportione apparet in sola sententia, a nobis defensa in art. 11, iuxta quam reliquiae peccati, ab hoc sacramento specifice et principaliter ablatae, consistunt in aliqua interiori ac physica animi debilitate quae est effectus ipsius personalis peccati.

Kern, postquam praesentem Conclusionem periculo theologici naufragii totis viribus exposuerit, conatur tandem, vel saltem sperat, per aliam viam eam salvare, scribens: "Numquid igitur cogimur fateri, impossibile esse assignare internam rationem, cur infantes arceantur a fructibus Extremae Unctionis? Adductae quidem rationes omnes parum validae esse videntur. Quod non impedit, quominus alia via scopum attingere conemur."[7] Haec autem ratio, ab ipso proposita, ad hanc reducitur: Principalis effectus huius sacramenti est confortatio saltem habitualis, seu ius ad auxilia confortantia; infans autem est incapax talis iuris, nam frustra ius ad rem daretur ei qui illam obtinere non possit; ergo infans est incapax ipsius sacramenti.

Attamen, haec ratio nihil prorsus valet, nisi, expoliata ipsa sua peculiaritate, reducatur ad supradictam rationem Suaresii quam Kern tamen impugnat, et, ea mediante, ad supra expositum nostrum argumentum generale. Et *imprimis,* in ipsa sententia Suaresii et plurium modernorum, quam sequitur Kern,[8] principalis effectus huius sacramenti non est ius ad confortationem (hoc enim est tantum res-et-sacramentum) sed ipsa confortatio seu gratia confortans; unde Kern indebite et ambigue utrumque effectum hic miscet, dum alibi eos explicite distinguit, inquiens "Effectus principalis Extremae Unctionis est confortatio animi" et "In Extrema Unctione res et sacramentum consistit in titulo sive iure remoto ad confortationem spiritualem."[9] *Secundo,* incapacitas suscipiendi sacramentum non desumitur primo et immediate ex incapacitate rei-et-sacramenti, sed ex incapacitate rei-tantum, seu ultimi ac proprii effectus, a quo sacramentum specificatur; ipse Kern alibi scribit: "Omnes illi, qui habent potentiam passivam recipiendi effectum principalem, possunt valide . . . recipere sacramentum: ii autem, qui non habent huiusmodi potentiam passivam. neque sacramentum valide percipere possunt";[50] ceterum, incapacitas ad rem-et-sacramentum fundatur in incapacitate ad rem-tantum, ct incapacitas iuris ad confortationem fundatur in incapacitate ad ipsam confortationem. *Tertio,* quomodolibet argumentum Kern ac-

[7] *Dc sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 311.
[8] *Ibid.* 227 sq.
[9] *Ibid.* 227, 351.
[50] *Ibid.* 225.

cipiatur, contra illud retorqueri potest ipsa obiectio quam ipse opponit argumento Suaresii; nam etiam moribundi sensibus destituti, qua tales seu dum sunt in illo statu, sunt incapaces non tantum ipsius confortationis sed etiam iuris ad confortationem, cum frustra sit ius ad rem ubi res esse non possit, et tamen ipsi sunt capaces sacramenti. Vana igitur est Kern spes per aliam viam Conclusionem probandi, sicut inepta est eius impugnatio.

Obiectiones autem quae ex ratione contra ipsam Conclusionem afferri possunt, iam sunt fere integre solutae in eius explicatione. Opponi enim potest infantes et amentes, etsi incapaces abstersionis reliquiarum peccati personalis et gratiae confortationis, sunt saltem capaces aliorum effectuum, scilicet corporalis sanitatis, augmenti gratiae et abstersionis reliquiarum peccati originalis.

Cui generaliter et sufficienter respondetur haec esse *secundarios tantum aut indirectos efiectus* sacramenti, non vero effectum principalem, quo deficiente, nequit consistere sacramentum. Praeterea ac particulariter, *sanitas corporalis* est incertus effectus et aliunde respicit infirmitatem quae sit causata aut connexa cum peccato personali (cf. S. Thomam, p. 476); *augmentum gratiae sanctificantis* est communis effectus omnium sacramentorum nec datur in unoquoque sacramento nisi ratione principalis ac specifici effectus, cum quo coalescit et a quo modificatur; *reliquiae peccati originalis* nequeunt directe respici nisi a Baptismo, a quo ceteroquin non absterguntur sed tantum debilitantur, ab Extrema autem Unctione respici possunt solummodo "secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae" (S. Thomas, supra, p. 476) seu quatenus aggravantur per ipsas reliquias peccati personalis, vel, si cui non placeat haec aptissima S. Thomae responsio, dicat cum Suaresio (ut saltem praesenti obiectioni sufficienter satisfaciat) "hoc sacramentum non tollere reliquias peccati originalis in se seu radicaliter, sed per auxilia spiritualia confortando animum ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam."[51]

Conclusio 2. Subiectum capax huius sacramenti est omnis adultus, scu rationis usum aliquando assecutus, ita ut, quantum est ex parte usus rationis, nulla alia peculiaris perfectio, uti provectior actas aut actualis possessio usus rationis, requiratur, ac proinde valide ungantur tum omnes pueri a primo momento assecuti usus rationis, tum ceteri omnes adulti utut ex aliqua causa usu rationis temporanee destituti, ut dormientes, ebrii, furiosi, semiamentes, necnon ipsi diuturne (non tamen perpetuo) amentes.

[51] "In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 42, s. 1, n. 4, *Opera omnia* XXII (cd. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 849.

Probatur 1. *EX SENSU ECCLESIAE.*

Verba *Iacobi* "Inducat presbyteros Ecclesiae" inepte invocarentur ad probandam necessitatem provectioris aetatis aut actualis exercitii usus rationis, tum quia nec satis solide invocantur ad probandam ipsam necessitatem assecuti usus rationis, ut dictum est supra (p. 467 sq.), tum quia, etiam si hanc necessitatem ostenderent, priorem non exigerent, cum puer inde a primo momento usus rationis intendere possit suscipere sacramentum, et hoc sensu advocare presbyteros, et pariter quilibet adultus, temporanee sensibus vel usu rationis destitutus, possit habere habitualem intentionem suscipiendi sacramentum, et hoc iterum sensu presbyteros advocare.

Ad *tardiorem traditionem* quod attinet (nam in priori traditione usque ad saec. 13 vix aliquid de hac re inveniri potest[52]), negari nequit aliquam ambiguitatem vel fluctuationem inveniri, quatenus plures ecclesiae severiores sese ostenderent, postponentes unctionem puerorum ad tardiorem aetatem et eam denegantes furiosis et temporanee amentibus. Quam tamen ambiguitatem et fluctuationem, nequaquam ceteroquin in persuasione invaliditatis sacramenti fundatam, sustulerunt posteriores doctores et Ecclesiae documenta.

PUEROS *quod attinet, triplex abusus apud non paucos deprehenditur,* usque saltem ad tempus Cone. Trid., scilicet praxis postponendi sacramenti administrationem ad aetatem decem et octo annorum, vel ad aetatem quatuordecim annorum, vel ad aetatem in qua pueri admitterentur ad primam Communionem. Quae tamen trina praxis nequaquam fundabatur, saltem in generali interpretatione, in ipsa persuasione invaliditatis sacramenti ante praedictos aetatis terminos, sed potius in severiori et male intellecta ratione consulendi reverentiae sacramenti et bono subiecti.

Et imprimis, aliqua ambiguitas posset fortasse quis deprehendere in quibusdam expressionibus maiorum ipsorum doctorum saec. 13, sed ex contextu facile patet eam esse mere apparentem. Ita *Albertus M.* ait: "Solum adultis aetate provectis exhibendum est hoc sacramentum"; sed rationem affert quia "parvuli numquam peccaverunt,"[53] ex quo patet provectam aetatem ab eo accipi tantum pro usu rationis. *Bonaventura* ait: "Nec debet istud Sacramentum dari nisi adultis et postulantibus. . . Non debet dari nisi adultis, qui venialiter peccant;

[52] Theodulphus Aureijanensis, *Capitula ad presbyteros ecclesiae suae,* habet: "Ipsis quoque pueris necessaria est inunctio cum legamus non nullos virorum sanctorum oleo membra puerorum unxisse sacrato ct ad sanitatem pristinam revocasse" (3ZL 105. *222).*

[53] *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 10, *Opera omnia* XXX (cd. S. C. A. Borgnet, Parisiis: Vives 1894) 17.

neque aliquibus nisi petentibus qui devotione sursum eriguntur. . . Ex variatione . . . finis in confirmatione ex extrema unctione oritur diversitas ... in suscipiente, quia illud [sacramentum] non solum adultis verum etiam parvulis [datur], hoc vero tantum adultis"; ipsa assignata ratio peccati venialis et devotionis, quae in omni utente ratione verificatur, explicat mentem S. Doctoris. S. *Thomas* ait: "Hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut et Eucharistia. Unde, sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum" *{Suppi.,* q. 30, a. 4); exinde tamen non sequitur iuxta S. Thomam non prius dandam esse parvulis Extremam Unctionem quam convenienter detur eis Eucharistia, aut non posse ungi nisi qui Viatico sint capaces; ceterum de Extrema Unctione valet, servatis servandis, quod S. Doctor alibi dixit de Eucharistia: "Quando iam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri" (3 p., q. 80, a. 9, ad 3).

PRIMUS ABUSUS apparet saec. 13-14, cum quaedam auctoritates conatae sunt statuere regulam *IS annorum* tanquam terminum a quo pro ungendis iuvenibus. Martène tria sequentia affert documenta (cf. supra, p. 328 et 331). *Guilelmus Durandus* (**t** 1296) in suo *Rationali* ait: "De quibusdam ordinarie dicitur, quod ungendus debet esse ad minus decem et octo annorum." In quodam carmine anonymo, relato in *Codice S. Martini Turoncnsis* legitur: "Octo decemque tantum annos ungendus habebit." Tertium documentum est ex ipso saec. 16; *Frcdcricus Nausea* (**f** 1552) episcopus *Vindobonensis"'* in suo *Catcchismo Catholico* (1. 3, c. 107) statuit: "Scitu proinde dignum censeo passim haberi catholicum, ut inungendus annos ad minus aetatis suae habeat octodecim."

Nihil tamen probat hanc praxim fuisse valde diffusam, quinimmo contrarium potius ostendit mox referenda praxis de aetate 14 annorum, et multo minus eam processisse ex persuasione invaliditatis sacramenti infra illam aetatem potiusquam convenientioris et fructuosioris administrationis sacramenti. Ceterum, ea nullum habet fundamentum in ipsa doctrina theologorum illius aetatis et ut manifestus abusus habenda est.

SECUNDUS ABUSUS, latior ac constantior necnon fortassis antiquior. est praxis statuendi terminum *14 annorum.* Primum quod

Breviloquium, p. 2, c. 11, *Tria opuscula ad theologiam spectantia* (cd. 5, Ad Claras Aquas 1938) 239, 241, 242.

'' Frcdcricus Graw (1480-1552), qui nomen suum familiare latine vertit in Nauseam fuit episcopus Vindobonae (Vienna) in Austria; Martène et alii cum vocant Viennensem pro Vindoboncnsi.

noscitur documentum, ex cuius influxu joosteriora dependere videntur, est sequens constitutum *Odonis de Sully* episcopi Parisiensis (1196 1208): "Ad sacramentum extremae unctionis moneant populum sacerdotes, non tantum divites et senes, sed pauperes et juvenes omnes *tempore discretionis, maxime a quatuordecim annis et supra,* et ad omnes communiter, ut se paratos exhibeant, cum necesse fuerit."[56] Sensus horum verborum clarus non est, nam aetas 14 annorum potest accipi vel ut terminus a quo, ita ut textus sonet: Pueri ungendi sunt inde a tempore discretionis seu incipiendo ab aetate 14 annorum aut circiter (—et supra); vel ut terminus ad quem, urgens sacerdotis obligationem, ita ut textus sonet: Pueri ungendi sunt quolibet tempore in quo discretionem attigerint et maxime si iam pervenerint ad provectiorem aetatem seu ad decimum quartum annum vel ultra. Alter sensus, attento contextu, est probabilior eumque suggerit *Benedictus* XIV, scribens: "Si rite [ea documenta] expendantur, tantam aetatem non absolute requirunt, sed eos *maxime* inungendos statuunt qui ad eam pertigerunt";[57] idque confirmatur ex verbis *synodi Rhemensis et Trecensis* (supra cit., p. 417): "Saepe moneant sacerdotes populum quod priusquam quartum decimum annum compleverint, maxime Sacramentum extremae unctionis petant, et recipiant reverenter." Negari tamen non potest plures posterius alterum sensum assumpsisse ac inde in non paucis ecclesiis natam esse praxim intelligendi eam aetatem ut terminum a quo.

Idem constitutum referunt plura posteriora documenta eiusdem saec. 13 et eiusdem praecipue gallicae regionis. Ad rem *Martène:* "Idem habent *Statuta Synodalia Galonis et Simonis* legatorum sedis apostolicae in Galliam missorum ab Innocentio III. [f 1216] et non multo post ab Honorio III., *Constitutiones Richardi* [Poore] episcopi Sarum [in Anglia] cap. 67, *Constitutiones Synodales episcopi Anonymi* anno 1237. editae, *Statuta Petri de Collemedio* archiepiscopi Rotomagensis anno 1245. scripta, antiquum Rituale ms. Canonicorum Regularium *monasterii de Aqua-viva* in dioecesi Turonensi."[58]

Posteriora vero documenta, eiusdem regionis gallicae, quae ex saec. 16 collegit *Launoy*™ clare exhibent exclusivum sensum, seu aetatem 14 annorum ut terminum a quo. prohibendo ne ungantur excommunicat!, amentes, sani, et pueri ante aetatem 14 annorum (unum tamen documentum, i.e. Rituale Meldense, praescribit aetatem 15 vel 16

[54] *Synodicae constitutiones,* cap. 8, n. 2, *ML* 212. 62 sq.

[55] *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 6, n. 2, in Migne, *Theologiae cursus completus* XX\ (Parisiis 1841) 1101.

[56] *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 1. n. 3 (Rotomagi 1700) 104.

[57] *De sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae traditio circa statum et aetatem infirmorum sacram Unctionem susceptorum,* c. 4, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 562.

annorum). *Rituale Meldensc* (Meaux) a. 1546: "Sciendum est, quod ministrari non debet excommunicatis, nec pueris ante decimum-quintum, aut decimum-sextum annum, nec furiosis, nec phreneticis, (nisi ante phrenesim, aut maniam petierint) nec sanis." *Rituale Rhemcnse* (Rheims) a. 1504 et 1530: "Est ministrandum semel dumtaxat in qualibet infirmitate gravi, dum tamen infirmus adultus fuerit, hoc est, quod annum decimum-quartum compleverit, et quod excommunicatus non fuerit, aut fatuus, seu furiosus, prout dixit Ostiensis. Unde versus: 'Non est ungendus furiosus, morio, parvus.'" Idem prorsus repetit cognatum *Rituale Bcllovacense* a. 1514. Simplicior, antiquior et communior forma habetur in *Rituali Carnotensi* (Chartres) a. 1489, 1544 et 1604: "Sciendum, quod non ministratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furiosis, nec fatuis, nec sanis." Quod repetunt *Ritualia Petragoricense* a. 1509, *Claromontense* a. 1518 et 1525, *Sanflorense* a. 1525, *Catalaunense* a. 1529 et 1569, *Magalonense* a. 1533, *Aeduense* a. 1533, *Virdunense* a. 1554, *Lemovicense* a. 1555, *Atrebatense* a. 1563.

Haec etiam praxis, fundata in praesumpta convenientia differendi collationem sacramenti ad annos pubertatis (seu ad eam aetatem, in qua homo incipit tam physiologice quam psychologice peculiariter evolvi),00 utut satis diffusa et ecclesiasticis seu ritualibus regulis sancita, nequaquam ostendit communem illarum particularium ecclesiarum persuasionem de necessitate illius conditionis ad ipsum valorem sacramenti. Ceterum praedicta ritualia repraesentant modum agendi aut sentiendi unius tantum partis Ecclesiae, seu gallicae regionis, et aliunde, fatente Launoy, "permulti rituales libri pueris certum tempus nullum praescribunt ad accipiendam Extremam Unctionem, sed quando qui Eucharistiam accipiant, judicantur digni, eos tum demum accipiendae Unctionis extremae dignos significant."01 Ita *Statuta Synodalia Caturcensia, Ruthencnsia et Tutelensia* (Cahors, Rodez et Tulle), cap. 17, non requirunt nisi usum rationis: "Praecipimus itaque, ut doceant populum sacerdotes, ut omnes maxime postquam ad annos discretionis pervenerint, poenitentes et confessi et recepta

M *Albertus, M.,* loquens de convenientia confirmandi pueros ante aetatem pubertatis, scribit. "Dicendum quod utrumque potest fieri: sed melius et tutius est, quod prius confirmentur: neque tamen indicitur eis pugna: quia tunc non intelligunt tentationes, et aetas immatura est ad fortes motus concupiscentiae: sed praeparantur, et dantur eis arma ut habeant unde pugnare possint cum tempus sit: et bonum est esse paratum. Hoc autem significatur, Genes. XIV, 5 ubi dicitur, quod illi qui servierunt, *quartodecimo anno* rebellaverunt: quia in illo anno incipiunt stimuli concupiscentiae, eo quod per Philosophum, in secundo septennario distillare incipit semen, et incipiunt aperiri viae concupiscentiae" *(In 4 Sent.,* dist. 7, a. 8. ad secundum quaesitum, *Opera omnia* XXIX (Parisiis 1894] 170).

" *Op. cit.* (supra, in p. 483) 565.

Poenitentia et Eucharistia, vel etiam ex quo aliquam discretionem habere inceperint, puta post quatuor aut quinque annos, et totiens quotiens infirmitas supervenerit, hoc sacramentum recipiant Extremae Unctionis."[0]- Secunda pars huius textus, quae prima saltem fronte, videtur concedere sacramentum etiam pueris quatuor vel quinque annorum, satis ambigua apparet. *Statuta synodalia Parisiensia* a. 1557 et *Cone, provinciale Camcracense* a. 1586 (supra cit., p. 470) nonnisi de necessitate usus rationis loquuntur, et *Statuta synodalia Aureliaensia* a. 1587 (cit. ibidem) non maiorem aetatem requirunt ad Extremam Unctionem quam ad Communionem eucharisticam suscipiendam.

TERTIUS ABUSUS est praxis aestimandi aetatem suscipiendae Extremae Unctionis *ab aetate suscipiendae Eucharistiae,* ita ut susceptio prioris sacramenti a susceptione alterius pendula fieret, ac ideo per aliquod tempus ab assecuto usu rationis utrumque sacramentum postponeretur. Huius praxis testes sunt permulta ritualia, ut supra audivimus a Launoy, inter quae duo ipsa Statuta synodalia nuper citata. Quinimmo id explicite docuerunt quidam insignes theologi, nominatim *Tanner* (t 1632), *Estius* (f 1613) et *D. Soto* (t 1560) qui scribit: "Si quaeras, quando pueri possint isto frui sacramento, respondetur quod ab illo tempore, quo illis viaticum porrigitur: nam hoc illi succedit."[03]

Post Cone. Tridentinum, seu post publicationem *Catechismi Cone. Trid.* a. 1566 et *Ritualis Romani* a. 1614, in quibus nonnisi pueris usus rationis et doli incapacibus sacramentum ministrari vetatur (cf. supra, p. 470), praefati tres abusus vel ambiguitates circa capacitatem et convenientiam administrationis huius sacramenti omni puero inde a momento acquisiti usus rationis, sensim sine sensu in variis libris ritualibus et statutis synodalibus expuncti sunt, donec ab ipsa Ecclesia solemnius proscripti fuerint, per decretum "Quam singulari" S. C. de Sacramentis, Codicem I.C. et novam editionem Ritualis Romani.

Ex saec. 18 notentur peculiariter duo documenta relata a Benedicto XIV,[04] scilicet *Pastorale Mechliniense* (p. 2, tit. 8, c. 2, n. 9) quod, relatis verbis Ritualis Romani ("Non ministretur pueris rationis usum non habentibus"), addit: "Secus de pueris periculose aegrotantibus, qui peccati mortalis ac confessionis capaces sunt, *licet sint solum*

"Apud Martène-Durand, *Anecdot.,* tom. 4, c. 17.

"Dist. 23, q. 2, a. 2, quarta conclusio, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Venetiis: Apud I. M. Lcnum 1575) I 1075.

"*De synodo dioecesana,* l. 8, c. 6, n. 2, in Mtcne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1101.

octo aut noveni annorum, et quamvis numquam communicaverint" et *Rituale Argentinensc* (Strasbourg; tit. De Extrema Unctione, §2) sub Cardinali de Rohan editum, in quo legitur: "Non denegetur etiam pueris, *si septimum attigerint annum, nec iis in quibus malitia supplet aetatem, etiamsi septenarii non sint." Benedictus XIV* (**t** 1758), in suo opere *De synodo dioeccsana,* quod non parvum influxum habuit in Statuta posteriorum synodorum, ad suprarelata Statuta Aurelianensia a. 1587 notat: "Minime approbandam censemus synodalem constitutionem a Germano Valente Guellio, episcopo Aurelianiensi, anno 1587 promulgatam, in qua decernitur: 'Non detur hoc Sacramentum pueris qui nondum communicaverunt': etenim quandocunque censentur capaces Sacramenti Poenitentiae, sunt pariter idonei reputandi ad extremam Unctionem, quae est illius complementum, quamvis nondum tanta polleant judicii maturitate ut videantur apti ad rite participandam Eucharistiam, de cujus ineffabili excellentia et sanctitate non ita facile edoceri queunt."[05]

Adhuc tamen eodem saec. 18 perseverasse in pluribus locis contrariam consuetudinem testatur sequens quaerela *Billuart* (**f** 1757): "Pueri qui utuntur ratione, sunt hujus sacramenti capaces, etiam antequam admittantur ad communionem; usus tamen in pluribus locis obtinuit ut ipsis denegetur. Qua ratione? Non satis apparet; cum enim admittantur ad sacramentum poenitentiae, cur non ad sacramentum extremae unctionis, quod est poenitentiae completivum, et quod ipsis prodesse potest? Aliunde non requiritur tanta discretio ad hoc sacramentum, sicut ad sacramentum eucharistiae. Forte timent parentes ne si sui liberi ungantur, jura funeralia majorennium solvere cogantur. At haec ratio levis est; et aliunde eam urgere non deberent pastores, cum majorennes fiant non ex casu fortuito, sed ex jure communi."[00]

Saec. 19 plura concilia provincialia explicite decernunt dandam esse Extremam Unctionem omnibus pueris ex eo momento quo praesumuntur usu rationis pollere, seu esse doli capaces, etiamsi nondum ad Eucharistiam admissi fuerint. Ita *Cone. Rhemcnse* a. 1849: "Omnes fideles, qui usu rationis pollent, vel qui olim mentis compotes fuerunt, modo periculose decumbunt, Extremae Unctionis sunt capaces. . . Nec omittat Parochus eos ungere pueros, qui ad Sacram Communionem nondum admissi, ad eam tamen pervenerunt aetatem, in qua peccati probabiliter praesumuntur capaces."[17] *Cone. Aussitanum* a. 1851: "Omnes

** *Loc. cit.*

Tractatus de Extrema-Cnctione, diss, unica, a. 6, circa finem, *Cursus theologiae* (ed. nova, Parisiis 1904) X 23.

c *Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, Collectio Lacensis* IV (Friburgi Brisgoviae 1873) 122.

animarum redores . . . invigilabunt, ut morbo decumbentes illud recipiant cum debitis dispositionibus, dum adhuc mentis sunt compotes, quin tamen sensibus destitutis denegetur. Pueri doli capaces tam salutari remedio, in supremo vitae discrimine, non priventur, sed concessa absolutione, et proposita huius Sacramenti virtute, illis conferatur haec divina unctio."[68] *Cono. Cassclicnsc* a. 1853: "Haud denegandum hoc Sacramentum pueris ad sacram Communionem nondum admissis, qui in periculo mortis positi intelliguntur doli capaces."[69] *Cone. Quebecensc* a. 1854: "Conferatur pariter [hoc sacramentum] pueris, qui, etsi ad sacram communionem nondum admissi, ad eam tamen pervenerunt aetatem, in qua peccati probabiliter praesumuntur capaces."[70] *Cone. Strigoniense* (in Hungaria) a. 1858: "Pueris doli et culpae capacibus etiam ante primam communionem, nec non adultis, qui aliquando usum rationis habuerunt, et postea in phrenesim aut amentiam inciderunt, conferri debet hoc sacramentum; minime vero amentibus, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt."[71] *Cone. Pragense* (in Bohemia) a. 1860: "Pueris infirmis, quum ad eam aetatem pervenerint, in qua peccare potuerunt, quamvis nondum communicaverint, administrandum est hoc sacramentum; nec non adultis, qui amentes facti sunt vel delirant, si aliquando usum rationis habuerunt, minime vero amentibus, qui ejus usum numquam adepti sunt."[72]

Decretum "Quam singulari" S. C. de Sacramentis sub Pio X, 8 aug. 1910: "*Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et extremam unctionem* pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant. Ordinarii locorum severe animadvertant" *(Denz.* 2144).

Codex I.C., can. 940, § 1 (supra cit., p. 470), quem repetit *Rituale Romanum* (editio post Codicem), nonnisi usus rationis assecutionem in pueris requirit, imo in can. 941 signanter addit quod etiam in dubio de assecuto usu rationis sacramentum conferri potest, quamvis sub conditione.

TEMPORANEE AMENTES quod attinet, aliqua etiam ambiguitas et fluctuatio deprehendi potest tum in doctrina theologorum tum in praxi particularium ecclesiarum.

Solent imprimis hic traduci, ut impugnatores validitatis sacramenti administrati temporanee amentibus, plures theologi mediaevales, no-

[68] *Ibid.* 1185sq.
[69] *Ibid.* III (1875) 838.
[70] *Ibid.* 645.
[71] *Ibid.* V (1879) 24.
[72] *Ibid.* 514.

minatim *Albertus M., Bonaventura* et 5. *Thomas,* quatenus hi nimis urgere videntur necessitatem devotionis in hoc sacramento suscipiendo, imo unus vel alter, ut S. Thomas, explicite asserit nonnisi tempore quo habent lucida intervalla, sacramentum illis administrari posse.

Ita *Suarez* scribit: "Difficultas . . . superest, an necesse sit hominem habere usum rationis, quando suscepturus est hoc sacramentum; aliqui enim Theologi hoc significant, *inter quos videtur esse D. Thomas,* in 4. d. 23, q. 2, art. 2, q. 3; ait enim sacramentum hoc non esse dandum furiosis, aut amentibus, etiamsi in periculo mortis sint, neque distinctionem facit de amentibus perpetuis, et de aliis. Imo loquens de illis qui habent lucida intervalla, inquit, eis dari posse in eo statu, in quo ratione utuntur. Ratio etiam ejus hunc sensum indicare videtur, videlicet, quia hoc sacramentum confert suum effectum mediante motu et devotione suscipientis, et ideo non potest dari illi, qui non est capax talis motus secundum praesentem statum, in quo tale sacramentum suscipit."[73] *Launoy:* "Cur istud pietatis opus negaretur huic hominum generi [i.e. temporanee amentibus qui sacramentum petierint antequam in amentiam inciderent], nulla facit ratio, quae ex duobus Theologiae principiis, Scriptura et Traditione, ducatur. *Scio quidem id non placere sancto Thomae,* sed nullum adfert Scripturae locum, nullum Conciliorum canonem, quo placitum confirmet suum. Res est Ecclesiasticae disciplinae, quae non humanis rationibus, sed Scripturae testimoniis, vel certe canonibus sancienda est. Aliud quippe est Sacramenta philosophice quod plerumque facit sanctus Doctor aliud theologice, quod semper faciendum est tractare."[74] *Spdcil:* "Homines sensibus destitutos non esse huius sacramenti subiectum capax re vera sensisse videntur aliqui scholastici antiqui, ut Albertus Magnus, s. Thomas (sic iudicante e. gr. Suarez et Tanner), Petrus Paludanus, Aureolus et forsan s. Bonaventura. Nimis enim urgebant infirmum presbyteros 'ad se vocare' et 'devotionem' habere debere; et perpetuo amentes a beneficio huius sacramenti excludi talibus argumentis demonstrabant, ut iis etiam amentes cum lucidis intervallis et omnes sensibus destitutos adnumerari viderentur."[75] *Cappello:* "Quidam

O/>. *cit.* (supra, in p. 480), n. 5, p. 849. Ceterum, Suarez paulo inferius hanc interpretationem de mente S. Thomae revocare videtur, vel saltem non leviter emollit, scribens: "Quamvis autem haec [i.e. implicita et interpretativa intentio in amentibus, et sensibus destitutis] ad substantiam sacramenti sufficiant, ministri tamen hujus sacramenti curare debent, ut detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, ct cognoscere possint quid circa eos agatur, et ad devotionem et fiduciam per ipsum sacramentum valeant excitari. Atque *hoc est, quod praecipue voluit docere D. Thomas* loco citato; estque valde consentaneum reverentiae debitae huic sacramento, ct modo operandi ejus, ut ratio etiam D. Thom. ostendit, quae non amplius probat" *(ibid.* n. 7, p. 8S0).

'* *Op. cit.* (supra, in p. 483) 564.

" *Op. cit.* (supra, in p. 467) 187.

theologi dicunt requiri, ut homo habeat actu usum rationis et devotionem, quando suscipit hoc sacramentum. Hanc sententiam tenet S. Thomas. . . [Repetit fere supra relata verba et explicationem Suaresii].”[70]

Attamen nimis leviter ea sententia praefatis doctoribus affingitur.

Textum S. Thomae citavimus eiusque multiplicem sensum explicavimus supra (p. 474-478); diximus nempe devotionem, quatenus influit in validitatem sacramenti, accipi a S. Thoma tum pro ea devotione, sive suscipientis sive ministrantis sive totius Ecclesiae, quae exprimitur in ipsa deprecativa indole formae huius sacramenti, tum pro ipsa intentione suscipiendi sacramentum, prout recta intentio rei sacrae, quae est obiectum fidei ac devotionis, obiective dici potest ac solet fidelis vel devota intentio; item, actualem devotionem seu intentionem S. Doctorem accipere non necessario pro ea quae actu esse debeat in ipso momento quo suscipitur sacramentum sed quae actu est aut fuit nec retractata sit, siquidem ipse, in *3 p., q. 80, a. 9,* agens de iisdem amentibus, concedit eis ipsum sacramentum Eucharistiae, si antea in eis praecesserit intentio suscipiendi, scribens: “Aut [totaliter amentes] numquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt; et sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo praecessit huius sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis. Et tunc *si prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio* huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis,” et ibidem obicienti quod homo debet accedere ad Eucharistiam cum devotione et praecedenti sui examinatione, respondet, *ad 1:* “Carentes usu rationis possunt devotionem ad sacramentum habere, quantum ad aliquos quidem praesentem, *quantum ad alios autem praeteritam* [prout nempe vel nunc habent vel aliquando habuerunt lucidum intervallum].” Nec inepte quis ad interpretandam mentem S. Thomae hic adduceret sequentia verba *Opusculi apocryphi Dc officio sacerdotis* (Opusc. 65, in ed. Piana), § De Extrema Unctione: “Si autem infirmus qui petit Unctionem amisit notitiam vel loquelam antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi, ut *Extra* de baptismo et ejus *effectu: ‘Majores.’* ”

Unde cum S. Doctor in *Suppi.,* q. 32, a. 3 (supra cit., p. 475), ait quod amentibus hoc sacramentum “dari non debet . . . nisi haberent

[70] *Op. cit.* (supra, in p. 472) 155.

lucida intervalla, quibus sacramenta recognoscerent, et sic eis conferri in statu illo possent"[77] nequaquam vim facit in illis verbis "In statu illo possent," prout materialiter ac de facto exprimunt tempus in quo sacramentum conferri potest, sed eis formaliter significat tempus quo ponitur conditio requisita ad susceptionem sacramenti, seu intentio suscipiendi, ita ut sensus non sit: "Solum *durante illo statu* sacramenta eis conferri possunt" sed: "Solum *ratione illius status,* in quo amentes habent suscipiendi intentionem, sacramenta eis conferri possunt, vel tunc vel etiam postea."[78]

Alberti J/. textum, quem, ut constat ex comparatione locorum, S. Thomas iunior fideliter imitatur, eundem sensum permittit. Praecipua pars articuli sic se habet: "Videtur . . . quod [amentes] non deberent prohiberi |a susceptione Extremae Unctionis]. . . In contrarium hujus est, quod hoc sacramentum non nisi recognoscentibus ipsum et postulantibus, est exhibendum: tales autem non sunt amentes et furiosi: ergo videtur, quod non sit dandum illis. Responsio. Dicendum, quod talibus non est danda extrema unctio: quia non recognoscunt, et posset esse periculum in irreverentia sumptionis. . . Praeterea, istius sacramenti res est plurium quam alterius sacramenti [i.e. in efficaciam Extremae Unctionis plures concurrunt quam in Baptismi efficaciam], sicut prius dictum est, quia [est] fidei et devotionis cooperantium sacramento: et talia istis conferri non possunt, nisi habeant lucida intervalla, et tunc in illo tempore quo intervallum habent, dari potest eis hoc sacramentum."[7]

Id quod proprie et directe S. Doctor requirit, est recognitio seu intentio sacramenti, ac inde exigit in amentibus aliquod lucidum intervallum, *in quo, seu ratione, cuius,* possit eis sacramentum exhiberi. Propterea, ubi agit de Confirmatione, S. Doctor, non secus ac S. Thomas (cf. infra, in p. 676), ostendit in solo Baptismo non requiri cooperationem seu intentionem subiecti, quantum est per se

[77] Hacc verba ita pluraliter sonant in melioribus editionibus, ut Piana, Parmensi, Leonina et recentiori Canadensi; in aliis vero, ut in editionibus De Rubeis et Vivès, legitur in forma singulari: "Nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum recognoscerent. et sic eis conferri in statu illo posset." Iuxta priorem lectionem, S. Doctor videtur consulto divertere sermonem ab Extrema Unctione ad sacramenta generaliter, ac mentem dirigere ad Eucharistiam, quam in nuper relato loco *Summae Theologicae* explicite dicit suscipi posse ab amente qui prius quando erat sui compos eam desideravit.

[78] Hoc etiam modo S. Thomam interpretatur antiquus eius commentator *Capreolus,* scribens: "Sanctus Thomas . . . expresse ponit quod hoc sacramentum non debet furiosis nec amentibus dari pro tempore quo sacramentum non cognoscunt, nec actualem devotionem habent ad id. . . Sed forte posset dici quod sanctus Thomas loquitur de illis qui nec tunc nec ante habuerunt actualem devotionem ct desiderium percipiendi hoc sacramentum" *(In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 3, § 2. ad 5 Durandi, *Defensiones theologicae D Thomae Aquinatis* VI [Turonibus 19061 461).

In 4 Sent., dist. 23, a. 12. *Opera omnia* XXX (ed. S. C. A. Borgnet. Parisiis: Vives 1894) 18.

et ex ipsa exigentia sacramenti, scribens sub forma alicujus obiectionis: "Fides aliena non operatur nisi in sacramento baptismi: ergo in aliis [sacramentis] operatur fides propria: non est autem propria ante aetatem adultam: ergo videtur, quod expectanda sit aetas adulta [ad suscipiendum sacramentum Confirmationis]."[80]

Bonavcntura autem nihil peculiare habet de hac re. Tantum enim generaliter docet: "Illud sacramentum debet dari solis infirmis qui peccare potuerunt venialiter. . . Concedendae . . . sunt rationes monstrantes hoc sacramentum dari debere solis infirmis ratione utentibus [i.e. qui assecuti sunt rationis usum ita ut venialiter peccare potuerint]."[81] Item: "Nec debet dari istud Sacramentum nisi adultis et postulantibus. . . Non debet dari . . . nisi petentibus qui devotione sursum eriguntur."[82] Exigit igitur usum rationis et devotionem, sed non negat in amentibus non perpetuis sufficere devotionem seu intentionem semel habitam in aliquo antecedente lucido intervallo.

Non incongrue quis mentem illorum doctorum illustrare in hac re poterit per verba ipsius *Scoti,* fere coaevi scriptoris, quatenus transeunter, et quasi de re nullatenus controversa, explicite dicit: "Excluduntur [ab hoc sacramento] furiosi et amentes, et hoc nisi per voluntatem praecedentem expressam praesumantur illud velle. -' "Non debet dari furiosis in extremis, nisi prius ante furiam, quando usi fuerunt ratione, illud petivissent, vel aliquando per lucida intervalla. si aliqua habuerunt, aliqualiter poenituerint. vel saltem non fuerint impoenitentes contrarie."[84]

Atque haec posterius fuit communis sententia theologorum, ut fatetur *Suarcz* (Disp. 42, s. 1. n. 5). Sufficiat pro ceteris adducere perspicua omnino verba duorum insignorum doctorum, scilicet *D. Soto* (t 1560) et *Navarri* (t 1586),[85] quorum prior in dogmatica, alter in practica et iuridica theologia, excellait. *Soto:* "Amentibus et furiosis non est sacramentum hoc concedendum, nisi aliquibus potirentur lucidis intervallis, quibus possent devotione erga ipsum adducti illud petere. . . Dum vero infirmus sanae mentis illud petiit, licet postmodum phrenesi corripiatur, potest, et debet illi adhiberi, nisi timeretur aliqua indecentia, ct vituperium. quo sacramentum deturparet.'-" *Navarrus:* "Cuilibet tamen ejusmodi infirmo est ministrandum, etiamsi

[80] *In 4 Sent.,* dist. 7, a. S, *ibid.* XXIX 169.

[81] *hi 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 2, *Opera theologica selecta,* IV: *Liber* IV. *Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 589.

[82] *Breviloquium,* p. 2, c. 11, supra cit., p. 4SI sq.

[83] *In 4 Sent.* [Opus Oxonicnse], dist. 23, q. unica. *Opera omnia* XIX (Parisiis: Vives 1894) 5.

[84] *In 4 Sent.* [Opus Parisicnscl. dist. 23, q. unica, *ibid.* XXIV 345.

[85] "Martinus Azpilcucta, a patrio loco Navarrus communiter appellatus, *v Loc, cit.* (supra, in p. 485).

jam sit amens et phreneticus, si absque irreverentia Sacramenti id fieri possit, et potuerit ante peccare, et, antequam insaniret, expresse aut tacite petierit illud, aut, si meminisset, petiturus fuisset, nec in peccato mortali notorio insanierit."[87]

Neque ab hac sententia proprie dissentit unus vel alter qui docuit sacramentum non esse conferendum amentibus qui non habent lucida intervalla, etiam si antea habuerint ac petiissent, eo quod necessario exponeretur sacramentum periculo irreverentiae. Ita *De Sainte-Beuve.* **(t** 1677) scribens: "Extrema unctio conferri debet furiosis et amentibus qui habent lucida intervalla, quique eam suscipere possunt cum reverentia. Probatur, quia capaces sunt illius, ut par est, suscipiendae. . . Non debet [vero] iis conferri qui non habent lucida intervalla, etiamsi antequam in hunc statum incidissent, illam postulaverint. Probatur quia Sacramentum quod non est simpliciter necessarium ad salutem, nulli conferri debet cum periculo irreverentiae. Atqui non sine periculo irreverentiae furiosis et amentibus hujusmodi extrema Unctio administraretur, quae non est simpliciter necessaria ad salutem."[88] Haec sententia, inquimus, non dissentit a communi doctorum conclusione, quatenus non negat validitatem sacramenti illis amentibus administrati, sed est tantum exaggerata, imo falsa, in eo quod simpliciter illicitam declaret talem administrationem, ex falso supposito quod semper ac necessario ipsa exponat sacramentum periculo irreverentiae, ac praeterea contrarietur explicitis verbis Ritualis Romani, infra citandi.

Variarum ecclesiarum documenta ab hac theologorum sententia nequaquam discordant, etsi inter antiquiora documenta nonnisi pauca explicite considerent casum hominis temporanee amentis, qui in anteriori aliquo luciditatis intervallo sacramentum suscipere petierit aut intenderit, imo unum vel alterum videatur talem amentem disciplinariter saltem excludere a ministratione sacramenti.

Iam antiquum *Cone. Arausicanum I* a. 441, can. 13, statuerat: "Amentibus quaecunquae pietatis sunt conferenda" *(Harduin* 1. 1875); quae verba etsi generaliter et ambigue sonent, non inepte hic pro confirmatione seu signo mentis Ecclesiae in praesenti materia invocari possunt (et a pluribus theologis cum Benedicto XIV invocantur), eo vel magis quod ille canon inveniatur inter varias dispositiones circa sacramenta (can. 12-17).

M *Manuale Confessoriorum,* c. 22, n. 13, apud *Benedictum XIV, op. cit.* (supra, in p. 485), n. 13, coi. 1102.

" *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 4, in Micne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 125 sq.

Saec. 9, *Thcodulphus Aurelianensis,* in *Capihdari ad presbyteros parochiae suae,* appellans auctoritatem praefati Cone. Arausicani, scribebat: “Energumenos [in generaliori sensu amentium] etiam legimus oleo sancto perunctos et sanatos. Ideo si infirmus in amentiam versus, tamen juxta concilium Arausicanum omne officium pietatis exhibeatur ei, et ipsa communio [i.e. praeter Extremam Unctionem, de qua Theodulphus ibi sermonem facit], si tamen in sua sanitate catholicam fidem credebat. Sic enim in eo concilio habetur scriptum: ‘Amentibus quaecumque sunt pietatis conferantur.’ Et rite in hora quia subito obmutescens baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeteritae testimonia justa fuerint. Sic quandiu vita apparet in infirmo, commendari omnino officiis pietatis poterit, etiamsi testimonia voluntatis ejus defuerint. Pro fide tamen amicorum omnia ei debent impendi sacramentorum adjutoria” *(ML* 105. 221 sq.).

Supra relata *Ritualia saec. 16* (p. 484) generali ac indeterminato modo prohibent ne Extrema Unctio ministretur amentibus (amenti, dementi, mentis incompoti, furioso, phrenetico, fatuo), nihil explicite dicentes de casu quo amentes sacramentum petierint antequam in insaniam inciderent, ex quo tamen non sequitur hos a sacramento excludi, imo contrarium saltem suadetur ex eo quod quaedam ritualia vel statuta synodalia eiusdem saeculi talibus amentibus sacramentum explicite concedunt vel concedere videntur. Ita:

Rituale Meldense a. 1546 (supra cit., p. 484): “Ministrari non debet . . . furiosis, nec phreneticis (nisi ante phrenesim aut maniam petierint).”

Rituale Viennense a. 1577: “Hoc Sacramentum datur solum infirmis, adultis et poenitentibus, et qui sunt in periculo mortis, quique illud petunt, vel ante petierint, quam per infirmitatem intellectu et bono sensu privarentur.” Quae verba, etsi immediate respiciant solos moribundos sensibus destitutos, tamen, ob similitudinem causae, interpretative saltem intelligi possunt etiam de amentibus.

Statuta synodalia Aurcliancnsia a. 1587 (supra cit., p. 470): “Non detur hoc Sacramentum . . . furiosis et dementibus, qui numquam requisiverint.”

Instructiones S. Caroli Borromco valde clare ac determinate statuunt, propius accedentes ad ipsam formulam mox publicandi Ritualis Romani: “Infirmis autem qui, sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est quod petiissent, etiam si postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve uti desierint, ministrabitur item. Si vero dum infirmus amentia phrenesive laborat, verisimile sit, ut indecore, aut spurce, impureve aliquid agat, quo irreverentia Sacramento

huic fiat; non ungetur, nisi alicuius complexu ita teneatur, ut firmus stabilisque haereat."[80]

Statuta Guilelmi Gubernatoris episcopi Macloviensis prohibent tantum inungi fatuos et furiosos qui nullum ab ortu lucidum intervallum habuerunt.[00]

Rituale Constantiense a. 1609, a Launoy relatum: "Amentibus et furiosis administrandum non est, nisi interdum rationis usum habuerint, et sanae mentis tempore pii animi significationem hujus sacramenti suscipiendi dederint."

Rituale Burdigalense a. 1611 valde notabiliter: "Licet sacramentum Extremae Unctionis regulariter post poenitentiam et Eucharistiam ministrari debeat, ei tamen, qui ob insaniam, furorem, vel alium morbum haec Sacramenta recipere non potest, conferenda est Extrema Unctio, sine praevia confessione, et Eucharistiae susceptione, quamvis antequam insaniret, aut loquelam amitteret, non petierit. Si tamen erat bonae vitae, quia non praesumitur immemor suae salutis plusquam in vita, *unde praesumitur, quod petivit, vel quod petivisset, si advertisset, et quod petere voluit, sed non potuit;* si tamen est excommunicatus, vel malae vitae notoriae, et non ostendit signa poenitentiae, non debet ei dari."

Non deest tamen unum vel alterum documentum quod videatur a sacramento excludere amentes qui non habeant lucidum intervallum in ipso momento quo illud suscipere debent, nisi quis velit, benigne nec ceteroquin incongrue, ad sensum aliorum documentorum illud reducere, eo fere modo quos supra explicavimus similes expressiones Alberti M. et S. Thomae. Ita *Concilium Beneventanum* a. 1374 (tit. 8, c. 1), resumens quasdam expressiones S. Thomae, statuit: "Phreneticis et amentibus illis praecipue dari non debet qui possunt sacramento irreverentiam per aliquam immunditiam facere, nisi haberent lucida intervalla in quibus sacramentum recognoscerent, quia tunc eis in aliquo statu conferri potest, maxime ubi in sana mente constituti petivissent, quia ad hoc quod prosit hoc sacramentum requiritur devotio quaedam interior, quam furiosi et similes habere non possunt. Unde nullus ungendus est, nisi qui primo compos mentis existens, verbis aut signis id postulaverit." *Fredericus Nausea* episcopus Vindobonensis (t 1552) in suo *Catechismo Catholico* (1. 3, c. 107) habet: "Nec inungatur nisi qui suae sit mentis compos, ipsamque unctionem vel verbis vel signis postulet."[91] *Cone. Camcraccnsc* a. 1586

'/Icte *Ecclesiae Mediolanensis,* vol. 2, tom. 1, pars 4 (cd. A. Ratti [subinde Pius XII. Mediolani 1S9O) 1367.

Apud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus* 1. 1, p. 2, c. 7, a. 1, n. 3 (Rotomagi 1700) 10S.

*'Apud Martène, *loc. cit.*

(tit. 12): "Hoc sacramentum nec pueris, qui rationis usum nondum habent, nec amentibus et furiosis, qui lucidum circa mortem non habent intervallum . . . ulla ratione est conferendum" *(JIarduin* 9. 2164 sq.).

Posteriora concilia particularia, uti *Rhemense* a. 1849, *Strigoniense* a. 1858 et *Pragense* a. 1860, supra relata (p. 486 sq.), explicite notant sacramentum esse conferendum etiam amentibus qui aliquando habuerint usum rationis, in hoc ceteroquin sequentia ipsam praescriptionem *Ritualis Romani* quae in antiquiori editione sic sonabat: "Infirmis autem qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent aut non sentiant, nihilominus praebeatur." Haec verba, simillima supradictae instructioni S. Caroli Borromeo, in hanc breviorem simul ac praecisiorem formam redacta sunt in nova editione reproducente ipsum textum can. 943 *Codicis I.C.:* "Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud *saltem implicite* petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus *absolute* praebeatur."

Probatur 2. *EX RATIONE, seu ex specifico fine ct effectu huius sacramenti.*

Eadem scilicet ratio, qua in Conci, praec. probavimus nullum hominem usum rationis nondum assecutum, sive sit infans sive perpetuo amens, esse capax subiectum huius sacramenti, probat vicissim omnem hominem, usum rationis aliquando assecutum, adeoque sive pueros ante adolescendam vel pubertatem, et inde a primo momento usus rationis, sive temporanee amentes, esse capax subiectum. quia nempe hi, secus ac illi, sunt capaces suscipiendi proprium ac specificum sacramenti effectum, seu animi sanationem a spirituali quodam morbo, habente aliquam connexionem cum personali peccato per usum rationis commisso, quomodolibet tandem ille morbus eiusque sanatio a variis auctoribus explicetur.

Unde impertinenter hic aliquis quaeret quid sit ille proprius ac specificus effectus sacramenti, vel quomodo sive pueri tenellae aetatis ac cognitionis, sive ac praecipue amentes et sensibus destituti, per sacramentum adiuventur; nam varia ab auctoribus habebit responsa, iuxta eorum varia placita de specifico effectu sacramenti.

Scotus enim eiusque asseclae dicent illis auferri peccata venialia quae per usum rationis necessario commiserunt ac ita eos immediate praeparari ad gloriam.

Suarcz, cum aliis non paucis, dicet pueros, sensibus pollentes, suscipere actualiter confortationem et roborationem, amentes vero et sensibus destitutos suscipere augmentum gratiae sanctificantis, vel ipsam primam gratiam (si forte sint in peccato mortali et sacramento Poenitentiae sint fortasse incapaces), nec officere quod non possint actualiter suscipere ipsum specificum effectum consistentem in spirituali confortatione et roboratione, nam haec impotentia non est per se, sicut in infante et perpetuo amente, sed per accidens nec ex accidentibus res pensandae sunt, et ceteroquin moribundi et sensibus aut ratione destituti, dici possunt suscipere habitualiter praedictam confortationem quae praeterea potest etiam in actum transire, si illis contingat conscientiam sui aut forte intervallum luciditatis tunc acquirere.

Tandem patroni nostrae sententiae, iuxta quam proprius et specificus effectus huius sacramenti est abstersio reliquiarum peccati, intellectarum pro physica animi debilitate ex peccatis relicta (cf. art. 11, p. 98-110), facile et completum dabunt illi quaestioni responsum. Scilicet: Ex quo incipit homo frui usu rationis, incipit quoque in peccata labi sine quibus humana conversatio non ducitur, ac inde incipit etiam interno languore ac debilitate animus affici, praesertim in ipsa puerili aetate in qua, veluti violata per culpas morali animi virginitate, vulnera malitiae, utut incipientis, celerius radicantur. Inde necessitas ministrandi parvulis hanc salutarem medicinam. Praeterea, haec reliquiarum abstersio, cum fiat immediate per ipsam gratiam sanctificantem, ad modum medicationis ex opere operato infusam, non indiget actuali cooperatione subiecti nec ideo exercitio usus rationis; ex quo facile intelligitur quare possit connaturaliter operari etiam in amentibus aut sensibus destitutis, et quidem eo ipso momento quo causa sacramentalis subiecto applicatur, quin sit illogice fingenda

”Cf. Suarez, Disp. 42, sect. 1, η. 6; Spâcil, *op. cil.* (supra, in p. 467) 184.

Ut notavimus in art. 11 (p. 97), in hac valida administratione unctionis subiecto ratione vel sensibus destituto, signanter apparet debilitas sententiae Suaresii et plurium modernorum, iuxta quam specificus effectus huius sacramenti est mera cxtrinscca confortatio ac roboratio contra mortis pericula; nam tale subiectum est incapax talis effectus. Nec valet dicere id esse per accidens; nam inde tantum sequeretur quod per accidens tale subiectum est incapax sacramenti sicut per accidens est incapax specifici effectus. Nec valet addere subiectum esse capax confortationis habitualis; nam specificus effectus sacramenti concipitur ab ipsis adversariis ut actualis confortatio et roboratio (dicunt enim ius ad confortationem seu habitualem confortationem esse potius rem-et-sacramentum), et ceteroquin frustranee ea habitualis confortatio seu titulus ad confortationem invocatur, cum frustra daretur ius ad rem quae impossibilis est in eo statu defectus usus rationis pro quo sacramentum hic et nunc tali subiecto confertur (non enim illi sacramentum confertur eo fine ut, si forte evigilet, ei prosit, sed simpliciter ut ipsi prosit prout in eo statu constitutus invenitur). Nec valet recurrere ad augmentum gratiae aut ad primam ipsam gratiam quae per hoc sacramentum confertur ubi deficiat Poenitentia; nam haec non sunt principalis ac specificus effectus, absente autem specifico effectu sacramentum consistere nequit.

aliqua voluti suspensa sacramenti causalitas aut expectandus futurus et incertus effectus. Ceterum, cum alii ac secundarii huius sacramenti effectus, scilicet remissio peccatorum venialium ac poenae temporalis necnon moralis confortatio et roboratio, dependeant ex copulato influxu praedictae gratiae sacramentalis et usus liberi arbitrii, facile etiam intelligitur quare non sit inconveniens tales effectus in amentibus et sensibus destitutis necessario frustrari (cf. art. 19, p. 249) et quare, ad plene colligendam multifariam hanc sacramenti efficacitatem, summe intersit in actuali ac devoto usu rationis illud percipere.

AD PRAXIM ET AD LICITAM ADMINISTRATIONEM quod attinet, haec adverte cum auctoribus moralibus:

1. *Pueri* graviter infirmi ungi possunt (et sub gravi debent, iuxta dicta in art. 24, p. 363 sq.) inde a momento quo attigerint aliqualem usum rationis, quo nempe valent discernere inter licitum et illicitum ac peccare saltem venialiter, et in quo proinde, ratione ipsius infirmitatis, exponuntur periculo tentationis et moralis moeroris, ac indigent roborari et confortari.

2. Generice loquendo, et nisi contrarium positive constiterit, pueri *septenarii,* iuxta communem aestimationem moraliter certe usum rationis attigerunt, ac proinde sunt per se certum subiectum capax sacramenti. Ceterum, haec aestimatio habet tantum valorem communem et approximativum, nec potest generalis et stricta regula assignari circa aetatem in qua incipit in singulis pueris usus rationis, cum id pendeat a pluribus circumstantiis physicis, physiologicis et psychologicis, ac ideo iuxta diversas regiones, corporis dispositiones et exteriora stimula circumstantium conditionum, alii citius, alii tardius, plus minusve circa aetatem septem annorum, incipiant ratiocinari. Unde in ipso decreto "Quam singulari" de aetate admittendorum ad primam communionem ea regula sic statuitur: "Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad s. communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis" *(Dcnz.* 2137), et pariter incipit capacitas recipiendi Extremam Unctionem ex parte subiecti et obligatio eam ministrandi ex parte sacerdotis.

3. Si moraliter certum est puerum attigisse usum rationis, Extrema Unctio est *absolute ministranda;* "quando [vero] dubitatur num infirmus usum rationis attigerit . . . , hoc sacramentum ministretur *sub conditione."* Ita iam ipse *Codex I.C.,* can. 941. Antiquiores vero moralistae de hoc disputabant. Unus vel alter, ut *Melchior Zambra-*

nus,[93] docebat in dubio de usu rationis tutius esse Extremam Unctionem non conferre, saltem cum possit ministrari absolutio conditionata, nam absque sufficienti ratione exponeretur nullitati sacramentum quod non est ad salutem necessarium. Alii, ut *Sporer* et *Lacroix,*[94] dicebant Extremam Unctionem esse absolute ministrandam, cum puer sit saltem certe capax effectus sanitatis corporalis. Alii, ut *Diana, Sanchez, Leander, Lugo, Escobar* et *Busenbaum,* docebant pueros ungendos esse sub conditione, cui sententiae ut probabiliori adhaesit S. *Alphonsus* scribens: "Sententia probabilior . . . dicit tales pueros ungendos esse sub conditione. Quia per conditionem jam salvatur reverentia sacramenti; et aliunde justa assistit causa illud ministrandi sub conditione, ne priventur pueri fructu tam salutari hujus sacramenti" (n. 719; cf. n. 717).

4. In particulari, ad ministrandam Extremam Unctionem non est expectanda ipsa aetas qua pueri convenienter *admittuntur ad Communionem,* neque in hoc utrumque sacramentum parificandum est. Nam, ut notat *Benedictus XIV* (supra cit., p. 486), ipsa maior longe ac peculiaris excellentia sacramenti Eucharistiae exigit aliquam ipsius mysterii sufficientem cognitionem, cuius non inde a primo momento assecuti usus rationis pueri sunt capaces; unde, ad ipsam necessariam susceptionem Viatici in articulo mortis quae etiam pro parvulis urget inde a momento assecuti usus rationis,[95] *Codex I.C.* (can. 854, § 2) exigit in pueris minimam cognitionem qua "sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare." Potius Extrema Unctio puerorum parificanda est sacramento Poenitentiae, ita ut ipsi dicantur esse capaces prioris sacramenti inde a momento quo sunt capaces alterius. Ceterum, ob incertum valorem absolutionis parvulorum, maxime infirmorum et a fortiori sensibus destitutorum. Extrema Unctio ipsi, utut necessario, sacramento Poenitentiae praeferenda est, ita ut dici possit praecipuum sacramentum periclitantium parvulorum.

5. *Amentes non perpetui* (itemque insani, delirantes, fatui, phrenetici, furiosi, iuxta varium gradum vel modum quo amentia seu amissio usus rationis manifestatur), si moraliter certum est eos aliquando habuisse aliquem sufficientem usum rationis sive lucidum intervallum, ungendi sunt absolute, ut explicite statuit *Codex I.C.* (can. 943, cit. in p. 470). Si id vero incertum est, ungendi sunt sub conditione, ut logice sequitur ex eisdem verbis can. 941, nuper relatis quoad

[93] *Decisio casuum in articulo mortis occurrentium circa sacramenta, c.* 5 De Extrema Unctione, dub. 1, n. 2, et 8.

[94] *Theologia moralis.* l. 6, p. 2, n. 2111.

[95] Cf. tractatum *De Eucharistia* I 533.

parvulos, et iam advertebant veteres moralistae cum S. *Alphonso* scribente: "In dubio autem an aeger habuerit unquam usum rationis, etiam ungendus est (intellige sub conditione); ut recte ait *Croix* cum *Raynaudo, Diana, Aversa, etc.*" (n. 732).

Ceterum, huius conditionalis sacramenti ministrationis usus commendat ipsa raritas certi casus perpetuae ac completae amentiae. Quis enim facile cum certitudine iudicet aliquem hominem tam perfecte et constanter usu rationis a natura privatum esse ut numquam prorsus habuerit tenue aliquod ac transitorium intervallum in quo proinde peccare venialiter potuerit? Ad rem *Trombelli:* "Finem huic Capiti imponam monito, quod praebent Clericatus, aliique Theologi, ex quibus discimus, fieri vix posse, ut aliquis toto vitae suae tempore adeo hebes sit, et mentis impos, ut jugiter libertate, et rationis usu prorsus careat. Habebit itaque, nisi valde probabilis opinio nos fallit, nonnullum rationis usum, eum scilicet, qui satis est veniali peccato committendo. Habebit itaque peccatum aliquod, quod deleat, seu remittat poenitentia, si confiteri ille possit, sin minus, remittat Extrema Unctio. Tum vero consulit idem Clericatus Parochum, seu alium administrandae Extremae Unctioni sacrum ministrum, consulit, inquam, ut Extremam Unctionem conferat, sub conditione: idest praeposita unctioni hac formula 'si aliquam culpam in vitae tuae decursu commisisti'. Sicut enim dementibus potest hac conditione praeposita dari absolutio Sacramentalis, et ea ratione evitatur injuria, quam nonnulli metuunt, ne inesse possit in absolutione Sacramentali, ita etiam dari poterit Extrema Unctio, evitarique injuria, quam metuis in administrando amentibus hoc Sacramento. Dicitur autem vindex hujus solutionis Joan. Sancius (in *Selectis* disp. 17. n. 17) Gobatus tract. 8. n. 828., et Tamburinus d cap. 2. *de Extr. Unctione* § 3. sub n. 3. vers, si *dubitetur:* et uti dixi Clerical. *de Extr. Unet.* Decis. 80. n. 44."[00]

6. In hac tamen administratione, praecipue si agatur de furiosis, consulendum est *reverentiae sacramenti,* seu avertendum est periculum profanationis ex parte subiecti. Id frequenter monent antiqui theologi, signanter *Albertus M., S. Thomas* (cit. in p. 474 sq.), *Cone. Beneventanum, S. Carolus Borromeo, Soto, Navarrus, Suarez* (quos omnes supra citavimus), ac propterea quidam, ut *Fredericiis Nausea, Cone. Camcracense, De Sainte-Beuve* (cf. in p. 492, 494 sq.), visi sunt absolute prohibere ministrationem sacramenti omnibus amentibus, idque explicite monebat ipsum *Rituale Romanum* in antiquiori editione ubi legebatur: "Sed si infirmus, dum phrenesi aut amentia

[00] *Tractatus de sacramentis, De Extrema Unctione,* diss. 10, q. 1, s. 1, c. 3, q. 3 (Bononiae 1776-1778) **III** 28 sq.

laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur" (tit. 4, c. 1, n. 7).[v]

Ad rem apte *Suarez:* "Observandum est, ut etiam quoad exteriora et corporalia, possit sacramentum ministrari sine ulla indecentia, vel immunditia, aut quid simile, quod etiam D. Thomas animadvertit in furiosis et amentibus, in quibus maxime potest hoc periculum intercedere; *semper enim reverentia sacramenti praeferenda est privatae utilitati personae;* ad prudentiam vero ministri spectat ponderare quanta illa sit, quantumque cavenda."[w] Hinc patet, quam leviter et inepte Launoy hanc irreverentiae rationem reiciat, addens supra relatae (p. 488) impugnationi doctrinae S. Thomae: "Ille [i.e. S. Thomas] causam adfert irreverentiam, quae cum necessitate, non libertate coalita sit, causa non est: quis enim coalitam necessitate irreverentiam culpae adscriberet, irreverentiam aut defectum reverentiae vocaret? Injustum enim esset, irreverentiae, quae culpa non est, irreverentiae, quae culpa foret, poenam irrogare. Praeterea quidquid esset irreligiositatis, id totum Sacramenti petitio non compensaret solum, sed etiam penitus extingueret." Confundit iste doctor irreverentiam subiecti cum irreverentia simpliciter; adest enim alia reverentia sacramentis debita, scilicet ex parte ministri et adstantium.

Quod autem attinet ad modos irreverentiam praecavendi, antiquiores moralistae (post S. *Carolum Borromeo,* supra cit., p. 493), suggerebant ut, si opus fuerit, amens sive furiosus ab astantibus vi teneatur aut etiam ligetur; scribit *Busenbaum* apud S. *Alphonsum:* "Et si tales unctioni resistant, ligandos esse, vel fortiter tenendos, ait *Zambranus* apud *Diana;* qui cum *Barbosa* dicit esse necessarium, quando phreneticus non potest aliud sacramentum suscipere" (n. 732). Quidam vero moderniores suggerunt praeterea faciliorem modum adhibendi unicam unctionem in fronte quae, pro casu necessitatis, recentius licita a S. Sede declarata fuit; *Kilker* scribit: "If the patient is very violent and can be forced into submissiveness for only a very brief period, the priest will do well to resort to the short method of conferring the sacrament."[x] *Cappello* paulo minus decisive ait: "Irreverentia materialis variis modis caveri potest, v.g. si aegrotus, qui phrenesi sive furore laborat, ligetur aut a personis adstantibus vi teneatur; nec, hisce mediis deficientibus, excluditur ut sacramentum conferatur per unicam unctionem in fronte."[y]

[v] Haec verba omissa sunt in nova editione post Codicem. Ratio omissionis non constat. Poterit quis fortasse hanc suspicari rationem, quod periculum irreverentiae queit hodie facilius averti per unicam unctionem in fronte, quam validam, et in casu necessitatis licitam, recentius S. Sedes declaravit.

[w] *Op. cit.* (supra, in p. 480), n. 9, p. 851.

[x] *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 263.

[y] *Op. cit.* (supra, in p. 472) 156.

ART. 29. Utrum Subiectum Capax Huius Sacramenti Sit Solus Peccator *(Suppl.*, q. 32, a. 4, Sed Contra et ad 2).[2]

STATUS QUAESTIONIS

Quaestio est *de tertio requisito ad ipsam capacitatem,* seu de statu vel *conditione peccatoris.* Non agitur de sola potentia peccandi, sive remota, quae est propria omnis hominis non habentis suppositum divinum (ac ideo in solo Christo defuit), sive etiam proxima, quae nempe non sit ligata aliquo impeccabilitatis privilegio (tam accidentali aut transeunti, ut potest contingere in quibusdam sanctis, quam veluti necessario ac permanenti, ut fuit in B. Virgine et competit omnibus beatis), sed de ipso actu peccati; nec agitur de peccato praesenti seu nondum remisso, nam hoc sacramentum non ordinatur per se ad remittenda peccata, immo per se praesupponit eorum remissionem et exigit statum gratiae, sed de peccato quod aliquando fuerit in subiecto cuiusque reliquiae in ipso adhuc supersint.

Unde quaeritur an subiectum capax huius sacramenti sit solus is *qui aliquando actualiter seu personaliter peccaverit,* ita ut invalide administretur his qui numquam peccarunt sive ex ipsa naturali conditione seu defectu usus rationis, ut infantes et perpetuo amentes, sive ex aliquo privilegio, ut B. Virgo.

Quae quidem quaestio, etsi videatur iam implicite resoluta in quaestione agitata in art. praec. de necessitate usus rationis, nam omnes rationes ibi allatae procedebant ex aliqua connexione effectus huius sacramenti cum peccato personali quod ratione committitur, tamen non perfecte coincidit cum illa, quia aliquis posset talem connexionem intelligere solum cum peccato futuro, ita ut dicat hoc sacramentum posse conferri ei qui, etsi nondum peccaverit, potest tamen peccare ac ideo indiget contra lapsum confortari ac roborari. Qui quidem est unus modus quo sustinetur a quibusdam sententia negativa in hac quaestione, nam alii alias rationes adducunt ut ostendant ipsam B. Virginem, quae ex privilegio peccare non poterat, nihilominus Extremam Unctionem suscipere potuisse ac de facto suscepisse.

PARS NEGATIVA

Ad valorem sacramenti non requiri ut in subiecto praecesserit peccatum personale, sed sufficere potentiam peccandi docent plures

[2] Pro hoc articulo valet eadem fere bibliographia adducta pro articulo praecedenti (p. 463), cum binae quaestiones sint inter se intime connexae et illa fundetur in ista. Consulentur peculiariter *Scotus, Vasguez, Suarez, Gonet, Luro, De Sainte-Beuve, Spâtil, Cappello,* quorum ccteroquin aliorumque opiniones et verba referentur in decursu articuli.

tam moderni quam antiquiores, praecipue post Suarez. Qui tamen inter se dividuntur, quatenus quidam pauci, ut *Tanner* et *Pontius* (cf. infra, p. 529), dicunt requiri nihilominus potentiam proximam, seu expeditam, nec sufficere simpliciter solam potentiam remotam, quae nempe sit aliquo impeccabilitatis privilegio ligata (ut in B. Virgine, quae proinde non potuit hoc sacramentum suscipere), alii vero communius cum *Suaresio* dicunt simpliciter sufficere ipsam solam potentiam remotam (adeoque ipsam B. Virginem potuisse suscipere hoc sacramentum). Ut patet, in hac ultima Suaresii opinione consideratio peccati originalis impertinens vel mere accidentalis est, nam sive fuerit in subiecto peccatum originale sive abfuerit, non exinde desumitur capacitas vel incapacitas suscipiendi hoc sacramentum, sed ex sola potentia peccandi actualiter, etsi reliquiae peccati originalis hanc potentiam adiuvent ac corroborent; unde absentia peccati originalis in B. Virgine non potuit obesse susceptioni huius sacramenti, cum adhuc permaneret in B. Virgine absoluta potentia peccandi personaliter, etsi praedicto privilegio ligata.

Inter theologos praetridentinos pro hac sententia praecipue afferri solent (sic iudicante Suaresio et aliis post ipsum): *Albertus M., Bonaventura, Richardus a Mediavilla* (f 1300), *Francisais Mayron* (f 1327), S. *Antoninus* (t 1459), *Dionysius Carthusianus* (t 1471), *Ioannes Viguerius* (t 1550).[1] Sed quam incerte isti absque discrimine allegentur, apparet sive ex Bonaventura qui e contrario explicite docet "illud sacramentum debere daris solis infirmis qui peccare potuerunt venialiter"[3] et "non debere dari nisi adultis, qui venialiter peccant,"[3] ex quo logice saltem sequitur contraria sententia, iuxta quam subiectum capax huius sacramenti est tantum qui personaliter peccaverit, sive ex *Alberto M.* qui in *Comm. super Sententias* diserte docet hoc sacramentum non posse conferri eis qui non commiserunt peccatum personale quia "contra reliquias obliti et ignorati actualis [peccati] principalem ordinem habet istud sacramentum" et quia "forma ... : 'Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum' ... in sanctis non tenet, neque in infante";[7] ex quo deducitur sequentem sententiam de B. Virgine Extremam Unctionem suscipiente, quam Alberto M. tribuit S. *Antoninus,* ad hoc ut apprime concordet cum ipsa S. Doctoris doctrina, explicandam esse de susceptione alicuius sacramentalis vel quomodolibet alicuius sacramenti largiori

[1] *Summa fidei,* 1. S, c. 149, in fine.
[3] *Theol. instil,* c. 16, § 4, vers. 6.
[4] *hi 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 2.
[5] *Breviloqiiium,* p. 6, c. 11.
[7] *ht 4 Sent.,* dist. 23, a. 10.

sensu accepti. Scribit Antoninus: "Ponit Albertus, quod B. Maria in morte se fecerit inungi, sicut etiam communicavit; et hoc non quia indigeret, cum nullum peccatum etiam veniale, nec reliquias peccati essent in ea, sed ut praeberet fidelibus in omnibus exemplum humilitatis et vitae Christianae."[8]

Ex theologis postridentinis citantur: *S. Petrus Canisius,[9] Henriquez, Suerez, Coninck, Filliuccius, Diana, Brancatus, Poticius, Silvester Maurus, Tanner.*[10] Inter modernos eidem sententiae aggregantur *Einig, Kern, Bord, Otten, MacGuinness, Lcpicicr, Spàcil, Cappello, Lcrchcr, Denis, Umberg, Piscetta-Gennaro, Coronata, RegatilloM*

[8] In 3 p., tit. 14, c. 8, §3. De facto Albertus in suo opere *Mariah sive 230 quaestiones super Evangelium "Missus est,"* post quaest. 43, asserit B. Virginem recepisse omnia sacramenta (non exclusa ipsa Poenitentia el Matrimonio), excepto tamen Ordine. At non valde clare nec consequenter loqui videtur, id unum quammaxime contendens B. V. recepisse, formalitcr vel acquivalenter, omnes gratias quae per sacramenta nobis conferuntur.

Scribit: "Concedimus eam [i.e. B. V.J omnium sacramentorum gratias vel in seipsis vel in aequipollenti suscepisse excellenter. Suscepit igitur baptismum, et per baptismum, characteris impressionem, virtutum exercitationem, meritorum augmentationem. . . Similiter eodem modo dicendum est de sacramento confirmationis. . . In extrema unctione recepit completae victoriae praeteritae et plenae gloriae futurae significationem, et loco remissionis venialium, totius doloris mortis remissionem, pro infirmitatis alkviatione, totius corporis glorificationem. Et licet hoc sacramentum potuisset non recipere beata Virgo exempta per privilegium, quod confert Dominus his quos sine infirmitate et mortis dolore dignatus fuerit evocare; qui, ut videtur, non tenentur ad extremam unctionem cum oleo ad infirmos introducto pro infirmitatibus institutam, videtur tamen verisimile esse, quod beatissima Virgo isti privilegio pro se introducto propter humilitatem abrenuntiaverit, sicut et alia sua privilegia dum viveret occultavit: et quod sacramentum illud pro peccatoribus institutum humiliter suscepit, ut humilitatem quam per totam vitam tenuerat, egressura consummaret: et dum in extremo vitae articulo ad conformitatem peccatorum descenderet, Domino illam exaltante, choros omnes transcenderet Angelorum. . . Solum sacramentum Ordinis beatissima \ irgo non recepit" *(Opera omnia* XXXVII [ed. Borgnet, Parisiis: Vives 1898] 83 sq.).

[9] *De B. Maria,* l. 1, c. 9.

[10] A quibusdam citatur etiam 5. *Alphonsus,* sed immerito, ut videtur. Nam S. Doctor in n. 721 ponit directe solam quaestionem an possit Extrema Unctio dari adulto immediate post Baptismum ct respondet affirmative, quia ex una parte Baptismus non aufert reliquias peccatorum ante ipsum commissorum et ex alia parte primarius effectus Extremae Unctionis "non tam est remissio culparum quam corroboratio infirmi contra daemonis tentationes" (ubi nihil dicit de ipsis reliquiis peccatorum post Baptismum commissorum) ; in n. 718 vero cum S. Thoma docet ideo infantes esse incapaces huius sacramenti quia non peccaverunt et "Extrema Unctio non datur ad reliquias peccati originalis, sed actualis auferendas."

" Ceterum, hi tres ultimi auctores morales, necnon alii quos infra citabimus pro sententia affirmativa, rem nonnisi leviter ac voluti perfunctorie tangunt, nec ideo magnum pondus afferunt in hac quaestione.

Solet etiam pro hac sententia citari *Pesch,* sed nescimus quo iure. Nam ipse, directe ac tanquam de suo, haec tantum asserit: "Baptizati . . . , qui non potuerunt peccare, extremam unctionem suscipere nequeunt, quia haec instituta est ad delendas reliquias peccatorum actualium ct ad confortandam animam in ultima pugna spirituali. . . Unde improbabile est B. Virginem suscepisse hoc sacramentum, quia in ea nullae erant reliquiae peccatorum, quae deleri poterant, neque ipsa laborabat ulla spirituali infirmitate." Subinde exponit oppositas sententias S. Thomae et Suaresii et hanc ultimam dicit amplecti communiter a theologis; ultimo addit: "Explicatio ISuaresii l si vera est, potuit etiam B. Virgo hoc sacramentum suscipere. Sed quidquid id est, r. *congregatio*

"*Ratio [huius opinionis, inquit Suarez,]* est, quia neque ex verbis Jacobi, neque ex aliquo Concilio, nec ex forma vel materia hujus sacramenti, neque ex fine ejus colligi potest necessitas hujus conditionis; et alioqui effectus primarius hujus sacramenti optime locum habet in eo, qui numquam actualiter peccavit; ergo et ipsum sacramentum. Major probatur quoad singulas partes."[12]

Haec probatio sic evolvi potest cum ipso Suaresio, cui fere nihil novi addunt posteriores. Necessitas praeteriti peccati, sive actualis sive etiam originalis, ad valorem sacramenti non potest deduci:

1. *Neque ex verbis Iacobi* "Et si in peccatis sit, remittentur ei." Nam, inquit Suarez, haec "verba non supponunt necessario peccatum, quia conditionalis nihil ponit in esse, sed ad summum supponunt possibilitatem peccandi".[13]*

2. *Neque ex documentis Ecclesiae,* uti Cone. Flor, et Trid., quae nihil addunt his quae dicit Iacobus; imo, *addunt moderni,* contraria sententia confirmata est per decretum S. C. de Propaganda Fide, declarans ungendum esse paganum adultum graviter decumbentem, immediate post Baptismum.

3. *Neque ex jorma sacramentali* "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti." Nam imprimis, inquit Suarez, haec "forma juxta verba Jacobi intelligenda est, scilicet, conditionaliter, seu potentialiter: 'Ignoscat tibi Deus quidquid peccasti', id est, 'si quid peccasti,'"[14] et praeterea, addit Suarez, eadem forma potest quoque et in omni casu (etiam in casu B. Virginis) intelligi in sensu absoluto, prout refertur ad ipsam gratiam de se remotivam reliquiarum peccati ubi sint, "et ita etiam applicari potest efficaciter forma, 'Indulgeat tibi Deus', etc., id est, conferat tibi gratiam ex se remittentem omnem culpam, si adsit, et confortationem contra reliquias ejus, si necesse sit."[15]

4. *Neque ex specifico ac principali fine et effectu* huius sacramenti. Nam ex una parte hic consistit in confortatione et roboratione infirmi sive contra physicas et morales infirmitates quae sunt quaedam reliquiae peccati originalis quibusque subiacet omnis aegrotus, utut peccati pesonalis expers, sive contra insidias daemonum in peccata actualia inducentes,[16] et ex alia parte non est necesse ut sacramentum conferat ipsam actualem confortationem et roborationem, sed sufficit

Prop, fidei die 26 sept. 1821 respondit ungendum esse paganum adultum graviter decumbentem post baptismum. Ita quaestio practice saltem soluta est" (n. 549). Quidquid sit de ambiguo modo quo Pesch procedit in secunda parte huius textus, certum est in priori parte ipsum sententiam affirmativam proferre.

[12] Disp. 42, s. 2, n. 8, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 852.
[13] *Loc. cit.*
Ibid. 853 sq.
[14] *Ibid.* n. 10, p. 854.
[15] *Ibid.,* n. 8, p. 854.

ut det gratiam de se confortativam et roborativam.[17] Quae ultima ratio confirmatur ex ipso exemplo Baptismi qui, quamvis sit specifice ordinatus ad tollendum peccatum originale, tamen potest conferri etiam ei qui ex praecedenti contritione ab illo peccato est iam ablutus, praecise quia illi adhuc potest conferri gratia de se sufficiens ad tollendum peccatum originale, si adsit; ex quo pariter patet quare ipsa B. Virgo quae nullum, sive actuale sive etiam originale contraxit peccatum, potuerit nihilominus suscipere Extremam Unctionem sicut potuit suscipere Baptismum, quia nempe per illud sacramentum datur gratia de se deletiva reliquiarum peccati sicut per istud confertur gratia de se ablutiva peccati originalis.[18]

Haec est summa ipsius *textus Suaresii.* Cuius doctoris totam sententiam in hac re, utpote principaliorem et radicaliorem, iuverit ad hanc brevem redigere summam, attenta eius opinione de principali ac specifico effectu hujus sacramenti, in qua haec sententia tota fundatur et ex qua logice deducitur.

Primo, specificus effectus huius sacramenti non est proprie auferre aliquam peccati infirmitatem, sed *conjortare ac roborare* infirmum contra deleterios effectus connexos cum spirituali infirmitate, adeoque non necessario respicit peccatum ut praeteritum, sed indeterminate et in confuso, sive sit praeteritum sive futurum seu possibile, et consequenter quicunque potest confortari et roborari contra effectus peccati, sive quod commisit sive quod potest committere, est capax sacramenti. Ille qui peccatum commisit potest confortari per abstersionem reliquiarum huius peccati (quae abstersio est mera moralis confortatio et sustentatio contra physica vel moralia incommoda provenientia ex peccato tum actuali tum etiam originali) et simul corroborationem contra periculum relapsus in nova peccata, proveniens sive ex illis reliquiis sive ex exterioribus daemonis tentationibus; ille vero qui nullum peccatum commiserit, potest confortari et adiuvari saltem secundo modo. Ex quibus sequitur ad valorem sacramenti non requiri quod peccatum praecesserit, sed sufficere quod possit in futurum contingere, seu sufficere *potentiam peccandi,* cum, stante hac potentia, sit possibilis praedicta confortatio quae est specificus effectus huius sacramenti. Haec autem peccandi potentia est absolute loquendo in omni puro homine adulto (excipitur nempe Christus qui est homo-Deus), etiam in eo qui, ut B. Virgo, ex speciali privilegio non potuerit actualiter peccare, imo expers fuerit ipsius peccati originalis.

[17] *Ibid.,* n. 10 et 11, p. 854 sq.
[18] *Ibid.,* n. 11, p. 855.

Secundo, specificus effectus sacramenti non est ipsa actualis confortatio et roboratio, sed *gratia de se conjortativa et roborativa,* ita ut quicunque sit huius gratiae capax, est etiam capax sacramenti, etsi non sit capax actualis confortationis et roborationis, utpote de facto incapax peccandi. Est autem capax illius gratiae omnis qui habet potentiam peccandi, etsi de facto ligata privilegio impeccabilitatis. L'nde soli illi qui carent usu rationis, seu infantes et perpetuo amentes, sunt incapaces sacramenti; adeoque B. Virgo, etsi nullum peccatum (sive originale sive actuale) habuerit, nec peccare potuerit, fuit capax sacramenti, quia, ratione absolutae potentiae peccandi, quae in ea necessario manebat, erat capax praedictae gratiae de se contra peccata roborativae.

Posteriores theologi fere eadem repetunt, etsi non cum tanta logica praecisione et amplitudine. Moderni generatim repetunt et abbreviant Suaresium; ita *Einig, Spdcil* et *Cappello.* luverit tamen quorundam expressiones audire.

KERN ad argumentum illorum qui, ut Albertus M., et S. Thomas, ex ipsa forma latina deducunt exclusionem infantium a susceptione huius sacramenti, observat: "Non ideo infantes a sacramento excluduntur, quod forma eis non conveniat, sed e contrario, quia Christus Dominus ob rationem aliam infantes a sacramento exclusit, ecclesia latina assumpsit formam, quae aliquo modo exprimit omnes effectus, quos s. medicina in adultis, quibus solis conferri potest, communiter producit. — Ceterum, ut id statim adiungamus, ne adultus quidem, qui vel per speciale privilegium nunquam peccavit, vel, quod in sanctis accidere solet, omnia peccata corumque sequelas iam sanavit, a fructu sacramenti propter formam latinam arcetur. Quis affirmabit, s. Aloysium e. gr. illicite et invalide s. oleo esse munitum, quia, cum moriebatur, debilitas naturae lapsae in eo non solum non erat aucta, sed per immensam vim supernaturalem acquisitam vix non plene deleta? *Forma etiam in tali casu retinet necessariam veritatem, quia exprimit vim et virtutem, quam Unctio ex se habet,* ideoque determinat materiam ad sacramentum.""

OTTEN confidenter scribit: "Notasse etiam juvabit hoc sacramentum conferri posse statim post baptismum adulti graviter decumbentis; nam ad dubium sibi propositum S. Congr. de Propag. Fide, die 26 Sept. 1821, respondit ungendum esse paganum adultum graviter decumbentem immediate post baptismum. *Quare etiam theoretice relinquenda videtur sententia S. Thomae,* juxta quam hoc sacramentum necessario supponit adultum commisisse peccata actualia (cf. *Suppi.,* q. 32, a. 4 ad 2); insuper eam jam antehac multi theologi impugnarunt, inter quos *Sttarezius* (disp. 42, sect. 2. n. 8), qui etiam tenet Beatam Virginem probabilius suscepisse extremae unctionis sacramentum (ibid. n. 11). In hoc autem casu sensus formae est: Indulgeat tibi Deus etc., i.e. *conferat tibi gratiam ex se remittentem omnem culpam, et confortantem contra reliquias ejus* (cf. ibid. η. 10)."[20]

LEPIC1ER: "Carentia peccati actualis in homine, non officit per se receptioni sacramenti extremae unctionis: ideoque non ex eo denegandum est Beatissimam Virginem illud accepisse, quod nullum unquam admiserit peccatum, sed quia, ob

'* *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 309 sq.
:J *Institutiones dogmaticae* VI (Chicago 1925) 270.

suam altissimam Matris Dei dignitatem, ct genus specialissimum mortis quo ad gloriam est ingressa, rem huius sacramenti, ex altiori principio, absque sacramento, sibi divinitus collatum habuerit."[21]

"Proprius et primarius effectus sacramenti Extremae Unctionis est gratia confortans hominem in ultima pugna contra insidias inimici, et spiritualem alacritatem conferens ad ferenda mortis incommoda, laetoque animo adventum Domini exspectandum; secundus autem effectus est sanitas corporalis, si id quidem Deo placuerit, necnon remissio peccatorum et abstersio reliquiarum peccati. Ergo ad hoc ut quis valide possit sacramentum Extremae Unctionis recipere, non est necesse ut aliquando peccaverit, sed sufficit ut in mortis articulo constitutus, confortari indigeat. . . Hisce tamen non obstantibus probabilius reputamus Deiparam rem quidem huius sacramenti, tamen sine sacramento recepisse. Cum enim omni prorsus inclinatione ad peccatum careret, tantoque gratiae cumulo esset ornata, ut in ordine prorsus speciali collocaretur, ideo hoc auxilio non eguit Virgo gloriosa, ut laeto animo Domini adventum expectaret; eo magis quia, ut infra ostendemus, eius transitus, potius quam mors, fuit placidissima evolatio in exstasi visionis beatificae; unde hinc quidem, nihil ipsi erat pertimescendum ex insidiis inimici, illinc vero non erat pro ea locus secundario effectui huius sacramenti, qui est restitutio sanitatis corporeae."[22]

LERCHER: "Unctio non necessario supponit in subjecto peccatum personale commissum *post baptismum ;* nam *Congregatio de propag. fide* a. 1812 declaravit, ungendum esse paganum adultum graviter aegrotum *immediate post baptismum* — Immo unctio neque hoc necessario supponere videtur, quod recipiens umquam in vita peccatum personale commiserit. Nam etiamsi e.g. puer baptizatus graviter decumbens ne levissimum peccatum umquam fecisset, tamen ei imminerent tentationes ex statu aegritudinis et ex insidiis diaboli, ideoque capax esset recipiendi effectum primarium unctionis, nempe confortationem animi pro ultimo agone Seria difficultas non adest ex verbis formae latinae: indulgeat tibi Dominus, *quidquid deliquisti,* quasi haec verba in casu praedicto falsa essent. Forma latina sic circumscribi potest: Per istam s. unctionem et suam piissimam misericordiam Deus tibi conferat gratiam confortantem, et *in quantum* in te adsint peccata eorumque sequelae, Deus ea deleat."[23]

PARS AFFIRMATIVA

Nonnisi peccatorem, seu qui aliquando (saltem ante Baptismum) commiserit peccatum personale, esse subiectum capax sacramenti, affirmat maior, ut videtur, pars theologorum: nam huic sententiae gregatim accedunt tum *Thomistae* post S. Thomam, tum *Scotistac* post Scotum, iuxta sua ipsorum principa de specifico effectu huius sacramenti (consistente pro Thomistis in abstersione reliquiarum peccatorum personalium et pro Scotistis in ipsa remissione peccatorum venialium), necnon plures alii extra binas scholas, tam inter antiquiores quam inter modernos. Unde manifesto exaggerant Pesch et Cappello cum contrariam sententiam dicunt communem (Pesch:

[21] *Tractatus de sacramento Extremae Unctionis ct de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 86 sq.

[22] *Tractatus de Beatissima Virgine Maria Matre Dei* (ed 5., Romae 1926) 242 sq.

[23] *Institutiones theologiae dogmaticae* IV (ed. 2., Oenipontc 1935) 596. In rccentiori editione huius operis, ab *Umberg* quoad tractatum De Extrema Unctione emendati (IV 2.2, ed. 3, Oenipontc 1949, p. 265), eadem sententia sub breviori sed magis ambigua forma servari videtur.

"Communiter tenent theologi"; Cappello: "Fere communis est theologorum doctrina"), ut patet vel ex ipsa superficiali enumeratione ipsorum modernorum theologorum, sive dogmaticorum sive moralium.

Inter antiquiores citari debent peculiariter ex schola Thomistica: 5. *Thomas, Paludanus, Nugnus, Ledesma, Gonet, Billuart;* ex schola Scotistica: *Scotus, Hyquacus, Frassen, Montejortino;* ex aliis: *Bel·larminus* (implicite tantum, sed a fortiori2'), *Vasquez* (decisive), *Silvius, Lugo* (inclinat vehementer), *Arriaga, Launoy* et *Marlène* (hi tamen duo doctores historice potius quam dogmatice loquuntur), *De Sainte-Beuve, Trombelli, Amicus.* Inter modernos variarum scholarum: ex dogmaticis, *Pesch,2* Hugon, Boycr, Zubizarretta, Daffara;* ex moralistis, *Gury-Ballcrini, Génicot-Salsmans, Prummer, Merkelbach;* praeterea, citari debent illi tum dogmatici tum morales, qui, etsi quaestionem ipsam modo distincto ac directo non ponant, tamen dicunt ideo infantes esse huius sacramenti incapaces quia non habent reliquias peccati nec in eis verificatur forma "Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti," ut *Billot, Tanquerey, Diekamp, Herrmann, Hervé, Piolanti, Ballerini-Palmieri, Ferrores, N'oldin-Schmitt, Acrtnys-Damcn, Marc-Gestermann, Vermeersch.*

S. THOMAS, Suppi., q. 32, a. 4, Sed Contra et ad 2, supra cit. in p. 476, ubi ait ideo infantibus dari non posse hoc sacramentum quia eis non competit forma sacramenti "quia non peccaverunt," et hoc sacramentum "principaliter contra actualia peccata datur."

SCOTUS: "Oportet suscipientem [hoc sacramentum] . . . probabiliter esse in peccato veniali, quod per sacramentum possit dimitti . . . [Unde] innocentibus vel parvulis, non habentibus usum rationis, non debet dari [hoc sacramentum], cum non habeant liberum arbitrium in usu, nec per consequens aliquod peccatum propter quod esset necessarium; unde beata Virgo, vel innocentes alii, qui nunquam peccaverunt actualiter peccato veniali, non indiguerunt recipere hoc sacramentum."20

"Excluduntur [ab hoc sacramento] non utentes ratione, ut parvuli, et qui non habent materiam poenitentiae, saltem qui non habent poenitentiam de venialibus, ut perfecte innocentes, quia etiam non utentes ratione non possunt esse poenitentes."274

VASQUEZ S.J. "Hoc sacramentum, non solum contra peccata venialia, sed etiam contra reliquias peccatorum actionis primariae institutum est. . . Quocirca ipsa forma verborum, non solum remissio culparum venialium, sed etiam reliquiarum peccatorum aliorum . . . denotatur, et ita licet nobis constaret, aliquem nullam culpam venialem habere, sine mendacio, aut falsitate hoc sacramentum, sub praedicta forma conferre possemus. Quare cum B. Virgo nullum peccatum commiserit, nescio quo pacto hoc sacramentum ei vere conferri potuit, aut contra venialia quae haberet, aut contra reliquias aliorum, quae antea habuisset. Quocirca

24 Nam ipse ita loquitur ut videatur docere principalem effectum sacramenti esse ipsam peccatorum remissionem. Cf. dicta in art. 11. p. 61 sq.

" Cf. tamen dicta in p. 503 sq., in nota.

" *Loc. (Parisiensi) cit.* (supra, in p. 491).

" *Loc. (Oxoniensi) cit.* (supra, in p. 491).

parvulis, et amentibus a nativitate iuxta omnium Theologorum sententiam . . . hoc sacramentum conferri nequit. Atque, ut ego existimo non ea de causa, quia ad hoc sacramentum requiratur proprius consensus, siquidem huiusmodi homines verum recipiunt sacramentum Baptismi, Confirmationis, et effectum ipsorum, sicut etiam Eucharistiae, sed quia in his esse non possunt peccata venialia, aut reliquiae aliorum peccatorum, contra quas hoc sacramento corroborari possint, et debeant."[28]

MARTENE, loquens de praxi Ecclesiae, scribit: "Verum cum Extremae-unctionis sacramentum non solum ad morbos curandos; sed insuper ad delenda remittendaque peccata sit institutum; ea fuit ab omni aevo praxis Ecclesiae, ut nullus, qui praeter aegritudinem in aliquibus saltem non existeret peccatis, in-ungeretur. Hinc est quod innocentes, infantesque. ac recens baptizati, qui defuncti sunt in albis, numquam inuncti leguntur. Huc etiam respicit quod tradit Paschasius Radbertus in Vita S. Adalardi abbatis Corbeiensis: [Interim audiens beatus vir Hildemannus episcopus sanctum aegrotare Patrem, advenit illico. Interea cum coepisset idem sanctus episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est, deberet perungi: interrogavimus eum utrumne vellet? Quem proculdubio sciebamus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in caelum, cominus obsecrabat, ut fieret.] Dubitabant ergo Adalardi discipuli an peccatorum oneribus non detentus esset inungendus, quae sane dubitatio mentem ipsorum nusquam incessisset, si unctionis sacramentum innocentibus impertitum fuisset,"[29]

LAUNOY similiter: "Eam fuisse olim in administrando postremae Unctionis sacramento disciplinam, ut inculpatae vitae hominibus non daretur, tria non abscure demonstrant. Unum est, quod primis Ecclesiae saeculis Patres sanctissimi dum migrarunt. Unctionem infirmorum nunquam, aut raro suscepisse legantur. . . Alterum habetur in vita sancti Adalhardi, Corbeiensis. Abbatis, quam Paschasius Radbertus successor exaravit. . . [Cf. supra in textu Marlène], . . Tertium colligitur ex multis ritualibus libris, qui praecipiunt ne infantibus ante annum aetatis decimum-quartum Extrema detur Unctio. Qui autem hominibus inculpatae vitae datam olim fuisse infirmorum Unctionem, dum scilicet commode dari potuit contenderent, reddenda illis esset ratio, cur infantes, qui ante illud tempus excedunt, hoc Sacramentum non accipiant. Et certe alia nulla reddi potest ratio, quam in infantibus existimata vitae, morumque innocentia, quae olim in alterius aetatis hominibus cum par inveniretur, parem Sacramenti hujus usum abjudicabat."[30]

LUGO S.J., de hac re transeunter agit in tractatu De Poenitentia (nam de Extrema Unctione non scripsit). Sibi proposita obiectione quod valida deberet esse forma absolutionis etiam ubi subiectum nullum habeat personale peccatum, quem-admodum valida est in eodem casu forma Extremae Unctionis, duas dat responsi-ones: In priori, data sed non concessa validitate formae Extremae Unctionis in illo casu, negat paritatem cum forma absolutionis, quia, ait ad mentem Suaresii, Extrema Unctio non respicit peccata absolute, sicut Poenitentia, sed tantum conditionaliter (i.e. si sint, iuxta verba Iacobi), quamvis semper respiciat aliquam infirmitatem spiritualem, scilicet saltem proclivitatem ad lapsum, contra quam affert confortationem et roborationem. In altera vero responsione, concedit parita-tem inter utramque formam et negat, tanquam probabilem opinionem quam fuse explicat et in quam vehementer saltem inclinat, validitatem ipsius Extremae Unctionis in subiecto quod nunquam personaliter peccaverit.

Disp. 119, c. 8, *Commentarii ac disputationes in tertiam partem S. Thomae* (Lugduni: Iacobus Cardon 1631) II 49 sq.

* *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a 1. n. 2 (Rotomagi 1700) 104.

'De sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae traditio circa statum et aetatem infirmorum sacram Unctionem suscepturorum, c. 3, *Ofiera omnia* l. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 561.

Utiliter totus textus Lugonis legatur, cum apte referat praecipuas rationes utriusque sententiae in hac quaestione. Satis tamen erit sequentia verba referre. "Dixi tamen, transeat antecedens [i.e. quod valeat forma Extremae Unctionis ubi nullum sit personale peccatum], quia fortasse ad sacramentum etiam illud requiruntur peccata absolute praeterita: Si enim peccata sub conditione solum intelliguntur in forma extremae unctionis, cur non datur illud sacramentum infantibus monentibus. . . Unde facilius [praefatae obiectionij responderi potest secundo, negando, quod in obiectione supponitur, scilicet quod sacramentum extremae unctionis dari possit illi, qui nunquam peccavit saltem venialiter; nam *licet recentiores id asserant:* contrarium tamen videtur expresse docere S. Thorn . . . quod colligitur, tum ex Trident, sess. XIV . . . ubi dicitur hoc sacramentum esse poenitentiae confirmativum, quare ii soli videntur capaces ipsius, qui fuerint etiam capaces sacramenti poenitentiae; tum ex usu Ecclesiae, quae, ut vidimus, non dat hoc sacramentum iis, quos certum est nunquam peccasse, sed iis solis, qui aliquando peccaverunt, quales sunt ii omnes, qui aliquando saltem usum rationis habuerunt."[31]

GONET O.P.: "Si daretur adultus, qui sicut Beata Virgo numquam actualiter peccavit, neque ante neque post susceptionem Baptismi, non posset ei valide administrari sacramentum Extremae Unctionis."[32]

M0NTEF0RT1N0 O.F.M.: "Pueri non sunt istius Sacramenti capaces, ac propterea ipsis dandum non est; non quia actualem devotionem habere non possunt, ut aliquibus visum fuit; quia cum huius Sacramenti efficacia non pendeat a devotione suscipientis, alioquin sensibus destitutis exhibendum non foret, nec furiosis, qui nuper ante insaniam illud instanter petierunt; sed quoniam cum sit a Christo institutum in complementum Poenitentiae, ad delenda nimirum ea peccata, quae Poenitentiam subterfugerunt, quaeve clavibus Ecclesiae subiecta non fuere, aut per alia media deleta non sunt, consequenter praestari nec debet, nec potest iis qui nullum peccatum commiserunt, cuiusmodi sunt pueri, quive numquam usu rationis potiti sunt, ac perfecte innocentes, sicuti extitit Beatissima Virgo. Et ratio est, quia nemini potest conferri Sacramentum, ut suam habeat efficaciam, nisi ei, qui est capax veritatis formae: sed in non habentibus aliquod veniale peccatum non verificatur forma istius Sacramenti; ergo si talibus daretur, nullum haberet effectum, et consequenter absolute illis non est conferendum."[33]

GURY-BALLERINI S.J.: "Subiectum huius sacramenti sunt omnes, et soli peccatores et infirmi vita periclitantes. . . Hinc huius sacramenti capaces non sunt pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, quia nulla peccata actualia commiserunt" (n. 689).

GENICOT-SALSMANS S.J.: "Recipere possunt valide et licite extremam unctionem . . . [illi qui] actualia peccata committere potuerint: iis enim qui nulla huiusmodi peccata commiserint, non congruit huius sacramenti forma. Quare illicite ct invalide confertur infantibus et amentibus a nativitate. . . Quicumque vero paenitentiam recipere possunt, etiam capaces sunt extremae unctionis, quae nihil aliud est quam paenitentiae complementum" (n. 422).

MERKELBACH O.P.: "Subiectum Extremae Unctionis capax est homo . . . usum rationis adeptus et doli capax, ut . . . constat ex fine primario sacramenti quod institutum est contra reliquias peccati actualis, uti habet forma: 'Indulgcat quidquid deliquisti'. Unde adultus qui baptizatur moribundus, immediate post

n *De Poenitentia,* disp. 13, sect. 3, n. 79-81, *Disputationes scholasticae* IV (ed. nova J. B. Fournials, Parisiis: Vivès 1892) 723.

"De *sacramento Extremae Unctionis,* disp. 3, a. 1, n. 5, *Clypeus theologiae thomisticae* VI (Parisiis: Vivès 1876) 714. *Ibidem* n. 6-13, haec conclusio apte probatur.

'*Suppi.,* q. 32, a. 4. *loannis Duns Scoti Summa Theologica* (nova editio, Romae 1903) VI 371.

Baptismum hoc sacramentum recipere potest, ut liberetur ab infirmitate relicta ex peccatis actualibus (S.C.P.F.. 26 sept. 1821). . Hinc Sacramenti huius capace^ non sunt . . . pueri ct perpetuo amentes utpote incapaces peccati . . ,— item ut videtur, B.V. Maria quae nec peccatum habuit nec allcviationis indigebat" in. 704).

CONCLUSIO

Subiectum capax huius sacramenti est solus homo peccator, is nempe qui, saltem ante Baptismum, aliquando actualiter peccaverit. Unde ex hac ipsa ratione sunt incapaces huius sacramenti sive infantes ac perpetuo amentes, utpote naturaliter innocentes, sive quicunque, ante adeptum usum rationis, divino aliquo privilegio ita in gratia confirmatus fuerit ut nec venialiter peccaverit, quemadmodum contigit B. Virgini ob necessariam sequelam Divinae Maternitatis.

Probatur ex *ipso sensu Traditionis,* prout manifestatur sive in directa explicatione proprii finis et effectus huius sacramenti, sive in formis sacramentalibus in quibus praecipue significari solet proprius finis et effectus alicuius sacramenti, sive in documentis Ecclesiae, sive in praxi non ungendi infantes et perpetuo amentes. Quibus omnibus directe confutatur supra relata affirmatio Suaresii et aliorum, iuxta quam ex nullo ex his fontibus praesens Conclusio deduci potest.

Primo quidem, ut rem a generalioribus incipiamus, tota Traditio *PRINCIPALEM FINEM ET EFFECTUM,* ob quem hoc sacramentum est a Christo institutum et ab Ecclesia ministratum, exhibet ut *quandam spiritualem animi curationem et sanationem.* Nam, ut late ostendimus in art. 10 et 11, ex una parte formula “Sanitas corporis et animae,” fundata in ipsis verbis lacobi “Salvabit, alleviabit, peccata remittet,” saepius repetita in ipsis praecipue Sacramentariis inde ab antiquissimo Sacramentario Serapionis ac tandem in solemni ipso documento Florentino proposita (cf. supra, p. 9). exhibet veluti generalem summam totius traditionalis sensus de propriis effectibus huius sacramenti, et ex alia parte inter utramque corporis et animae sanitatem, prior sanitas nonnisi ut secundarius et conditionatus effectus perhibetur, ut ostensum est in art. 11 (p. 79-83) et admittitur communiter a theologis catholicis contra Schismaticos Orientales.

lamvero spiritualis curatio et sanatio animi supponit, in eo cui adhibetur, spiritualem aliquam infirmitatem, quae, iuxta sensum Traditionis, nihil aliud est nisi aliquod peccatum vel aliquis defectus causatus ab aliquo peccato, saltem originali. Unde subiectum quod sit expers omnis peccati, etiam originalis, qualis fuit B. Virgo, nulla ratione potest esse capax huius sacramenti, atque inepte prorsus qui’

dam (ut Suarez) fingunt B. Virginem suscepisse aut potuisse hoc sacramentum suscipere, et alii ex aliis tantum rationibus dicunt deduci posse B. Virginem inungi non potuisse, scilicet ex eo quod non fuerit infirma vel ex eo quod specificam gratiam huius sacramenti ex altiori principio consecuta fuerit (cf. infra, p. 530 sq.).

Dires ad mentem Suaresii[3*] Etsi actualis sanatio supponat actualem morbum seu defectum, tamen sola infusio gratiae de se curativae non necessario supponit actualem morbum seu peccatum sed tantum potentiam peccandi; ob hanc enim potentiam, subiectum fit aptum ad suscipiendam gratiam potentialiter curativam, quae nempe de se est capax curandi morbum, si adsit. Unde Beata Virgo, cum habuerit absolutam potentiam peccandi, etsi ligatam, necnon debitum originalis peccati, etsi non ipsum peccatum, fuit capax suscipiendi gratiam de se curativam reliquiarum utriusque originalis et actualis peccati, adeoque et ipsum sacramentum per quod illa gratia confertur. Idque confirmatur a paritate cum *Baptismo* qui, quamvis ordinetur ad auferendum peccatum originale, tamen valide susceptum est ab ipsa B. Virgine (ut communiter admittunt theologi), quae non habuit illud peccatum, necnon ab illis christianis qui ante ipsam Baptismi institutionem, ac ideo sine eius voto, iustificati erant per contritionem vel circumcisionem, et valide quoque susciperetur ab eo qui forte ex extraordinario privilegio sanctificaretur in utero, sicut valide de facto suscipitur ab omnibus illis qui, ante Baptismum etsi non sine voto Baptismi, per actum contritionis ab originali peccato mundantur.

Resp. Sacramentum non confert quomodolibet, veluti in abstracto, gratiam de se curativam, sed confert gratiam curativam subiecti cui applicatur, adeoque ipsam actualem curationem, ut patet ex ipsa significatione sacramentali expressa in forma: "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti." Ceterum, ex mera remota potentia peccandi, seu morbum contrahendi, sequitur tantum mera remota potentia suscipiendi sacramentum eiusque gratiam curativam, non vero ipsa sacramenti capacitas quae dicit actualem aptitudinem ad suscipiendum, quemadmodum ex mera possibilitate contrahendi infirmitatem in corpore perfecte sano non sequitur tale corpus esse capax seu aptum ad sumendam medicinam, nec ullus sanae mentis medicus applicaret curationem corpori perfecte sano (et maxime si de facto ex aliqua privilegiata causa non posset infirmari) ex ea tantum ratione quod absolute posset infirmari vel quod ea curatio posset effectum habere, si adesset infirmitas. Si allata obiectio valeret, sequeretur B. Virginem[31]

[31] Disp. 42, sect. 2, n. 10 et 11.

potuisse suscipere etiam sacramentum Poenitentiae, nam, etsi esset omnis actualis peccati expers, habebat tamen absolutam potentiam peccandi ac ideo, iuxta obicientem, potuisset suscipere gratiam de se remissivam peccatorum, etsi non actualem ipsam remissionem?[9]

Nec juvat invocata paritas cum Baptismo, quoniam paritas non habetur. Nam imprimis Baptismus non solum ordinatur ad auferendum peccatum originale, sed etiam ad alios effectus non minus principales (nominatim ad habendam incorporationem ad Christum et Ecclesiam per specialem gratiam et characterem, ad participandam similitudinem salvificae passionis Christi in sacramento significatam, ad suscipiendum ius et capacitatem ad cetera sacramenta), ratione quorum fit capax suscipiendi sacramentum etiam qui expers sit originalis peccati aut ab eo mundatus sit; e contra, Extrema Unctio ordinatur tantum ad curandum a spirituali infirmitate nec ideo potest conferri nisi spiritualiter infirmo.

Praeterea (ut magis formaliter loquamur, nec locum relinquamus ulteriori adversariorum instantiae quae posset deduci a paritate ipsius specifici effectus utriusque sacramenti), specificus effectus Baptismi non est, per se, formaliter et in recto, deletio peccati originalis seu gratia huius peccati deletiva (nec a fortiori gratia remissiva peccati personalis), sed gratia regenerativa, seu dans vitam supernaturalem: nec est gratia regenerativa a morte peccati, seu simul ac necessario reparativa, sed simpliciter regenerativa, seu primo vitae supernaturalis infusiva, quae quidem, si in subiecto invenit mortem peccati tam originalis quam personalis, evadit consequenter ac identice deletiva et remissiva; nec est gratia quomodolibet vitae supernaturalis primo infusiva, sed ad modum generationis (non vero ad modum merae effectionis aut cuiusdam creationis, quemadmodum vita data est Adamo), quo nempe, ex una parte, simul cum vita gratiae, confertur peculiariter ac veluti in semine quidquid ad vitae conservationem et evolutionem pertinet, et in quo praecise gratia sacramentalis huius sacramenti distinguitur a gratia communi, ut explicatum est in tractatu *De Baptismo ct Confirmatione* 92-95; et ex alia parte ea vitalis gratia confertur per Christum, tanquam a principio viventi, in similitudinem passionis eius seu in incorporationem ad Christum passum, operantem in baptismali signo passionis suae.

Ceterum, si cui complicata videatur haec nostra formalior expli-10

[10] In tractatu *De Poenitentia* I 393-396 et IV 566 sq.. concessimus B. Virginem (non secus ac infantes ct beatos) habuisse virtutem Poenitentiae, sed negavimus potuiss? suscipere sacramentum Poenitentiae, quia virtus salvari potest ubi sit sola possibilitas peccandi, non vero salvari possunt actus ct sacramentum quae necessario requirunt ipsum obicctum seu materiam peccati circa quam operari queant.

catio specifici effectus Baptismi, dicat, generaliter et indeterminate, proprium Baptismi effectum, iuxta fontes ipsos revelationis et documenta Ecclesiae, latius patere quam meram deletionem peccati originalis, et esse, formaliter saltem et abstractive, ipsam incorporationem Christo et Ecclesiae, prout sunt principium supernaturalis vitae, effectam tum per characterem sacramentalem tum ac principaliter per gratiam sanctificantem quae ideo datur tum per modum generationis in novam vitam, tum ac consequenter per modum corruptionis contrariae formae, quae de facto invenitur in subiecto, scilicet sive peccati originalis sive, ac consequenter et secundario, peccatorum personalium.

Ex quibus intelligitur quomodo etiam subiectum expers peccati originalis, vel ab eo iam mundatum, sit adhuc capax suscipiendi sacramentum Baptismi, utpote capax ipsius specifici eius effectus. Quod quidem patet etiam peculiariter considerando quatuor casus adductos in obiectione.

Ille nempe qui nunc, post institutionem Baptismi, mundatur ab originali peccato per actum contritionis, ob duplicem rationem potest ac debet adhuc ipsum Baptismum suscipere: Primo scilicet, quia illam ipsam emundationem non potuit accipere nisi ex voto sacramenti seu ex ipso sacramento quasi antecedenter operante, quod votum debet per sacramenti susceptionem adimpleri ne sit frustranea sacramenti institutio et ipsa voti efficacitas. Secundo, quia per illam emundationem, ad quam operandam sufficit gratia communis, nondum suscepit ipsum specificum effectum Baptismi seu illum modum generativum, quo gratia sacramentalis Baptismi differt a gratia communi et quo formaliter procedit a passione Christi, tanquam a principio vitali, et incorporat Christo passo operanti in signo sacramentali, nec a fortiori suscepit alterum peculiarem, utut secundarium, effectum sacramentalis characteris, quo homo incorporatur etiam sacerdotio Christi fitque membrum sacerdotalis Ecclesiae et in quo fundatur ius et capacitas ceterorum sacramentorum.

Pariter ille qui per extraordinarium privilegium nunc post institutionem Baptismi sanctificaretur in utero, ob duplicem rationem posset ac deberet postea Baptismum suscipere; primo nempe, ob universale praeceptum suscipiendi hoc sacramentum, ratione cuius ipse praesanctificaretur veluti intuitu Baptismi et ex quodam obiectivo voto Baptismi; secundo, ut consequeretur supradictum specificum effectum Baptismi quo possit incorporari Christo passo; in quo casu Baptismus nullo modo peccatum ipsum originale proprie deleret, etsi dici possit illud quodammodo delere in suis reliquiis, mediante ipsa gratia Baptismal!, per quam, ut diximus in tractatu *Dc Baptismo ct Confirma-*

tionc 93 sq., fit inchoata restitutio doni integritatis, per quandam diminutionem quatuor vulnerum peccati originalis et remotionem quatuor tristium sequelarum naturae. Ad rem *S. Thomas:* "Sanctificatus in utero debet baptizari propter tres rationes. Primo propter acquirendum characterem, quo adnumeretur ad populum Dei, et quasi deputetur ad percipienda divina sacramenta. Secundo, ut per baptismi perceptionem passioni Christi etiam coqioraliter conformetur. Tertio propter bonum oboedientiae: quia praeceptum de baptismo omnibus datum est, et ab omnibus impleri debet, nisi articulus necessitatis excludat" *(In 4 Sent.,* dist. 6, q. 1, a. 1, q. 3, sol.; cf. ad 1 et 2). "Illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem quo Christo configurentur. Et propter hoc si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse est eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur" (3 p., q. 68, a. 1, ad 3).[88]

Pariter illi qui ante Baptismi institutionem iustificati erant per contritionem vel Circumcisionem sine voto Baptismi, post huius sacramenti institutionem potuerunt ac debuerunt illud suscipere ob utramque modo dictam rationem.

B. Virgo vero, per ipsam immaculatam conceptionem a peccato originali eiusque sequelis praeservata. potuit suscipere Baptismum, et probabiliter suscepit, quia erat capax praedictae sacramentalis gratiae rcgenerativae ac Christo et Ecclesiae incorporativae. Nam, quamvis hanc gratiam et incorporationem sublimiori quodam modo iam haberet per ipsam Divinam Maternitatem et plenitudinem gratiae ex ea dignitate fluentem, eas tamen non habebat eo formali ac peculiari (utut inferiori) modo, quo conferuntur per sacramentum: ac ideo potuit ac decuit, etsi non debuit, talis effectus etiam hoc modo per sacramentum a B. Virgine suscipi, quemadmodum anima Christi fuit capax et conveniens subiectum scientiae tum acquisitae tum infusae, etsi iam haberet quoad eadem obiecta sublimiorem scientiam beatam. *Scotus (In 4 Sent.* [Opus Oxoniense] dist. 4, q. 6, n. 4) eiusque discipuli, ut *Hyquaeus* (Comment, in eum locum Scoti, n. 21 sq.) et *Montejortino* (Suppi., q. 32, a. 4), sic aliter explicant capacitatem B. Virginis ad suscipiendum Baptismum: Beata Virgo habuit gratiam, quae nobis datur per Baptismum, etsi eam non habuerit per Baptismum, sed antecedenter, ergo est capax Baptismi. Nec praecedens gratiae collatio obstat valori sacramenti aut falsificat sensum formae sacramentalis, quia sacramentum significat collationem gratiae vel *in fieri* (cum ipsum dat gratiam quae non adest) vel saltem *in jacto esse*

Cf etiam ScoTUxr, *In 4 Sent.* (Opus Oxoniense), (list. 4, q, 6, n. 1-3.

(i.e. quatenus demonstrat gratiam quam ipsum causaret si nondum esset collata per aliam causam); nec etiam sensus formae falsificatur ex hoc quod in B. Virgine nullum fuerit peccatum quod ablui posset, quia forma sacramenti significat ablutionem peccati vel in fieri (ubi est peccatum) vel *in fiendo sen in fore* (quatenus fieret, si peccatum adesset), et hoc altero modo verificatur in B. Virgine. Attamen, vana est huiusmodi explicatio, tum quia facit incertam sive significationem sive efficaciam sacramenti, in eo nempe casu quo, ut in Beata Virgine, gratia iam invenitur et nullum peccatum adest; tum quia talis explicatio reincidit in supradictam sententiam Suaresii, iuxta quam sacramentum ordinaretur ad dandam gratiam de se deletivam quae tamen de facto nihil deleret; tum quia consequenter ex ea explicatione inferretur B. Virginem potuisse suscipere etiam Extremam Unctionem, sicut Baptismum, quod tamen negant Scotus eiusque discipuli.

Secundo, (ut ad directum obiectum huius Conclusionis accedamus), iuxta mentem totius Traditionis, spiritualis curatio, *quatenus saltem est principalis seu specificus cfjectus huius sacramenti,* habet pro obiecto aliquam infirmitatem provenientem non ex peccato originali, sed *ex peccatis actualibus seu personalibus,* adeoque qui numquam personaliter peccaverit non est subiectum capax huius sacramenti.

Ex textu quidem lacobi "Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei" concedimus nihil directe in hac re concludi posse, quoniam, ut observatum est in art. 10 et 11 (p. 19 sq., 83), prima verba "Salvabit" et "Alleviabit" sonant indeterminate tantum ita ut possint intelligi vel de salvatione et alleviatione corporali vel de spirituali vel de utraque, et, quatenus referentur ad spiritualem sanationem, hanc directe non determinant; ultima vero verba, etsi manifeste referantur ad peccata actualia, tamen nonnisi conditionaliter sonant ac ideo nonnisi ad accidentalem quandam infirmi conditionem et accidentalem sacramenti effectum directe referri possunt. Nihilominus ex eo textu indirectum aliquod argumentum confici potest; nam ex una parte omnes theologi post ipsum Cone. Trid. (sess. 14, de Extrema Unctione, cap. 1 et 2) dicunt in eo contineri proprium effectum huius sacramenti, et ex alia parte, quamvis verba "salvatio et alleviatio" sint de se indeterminata, tamen ex ipsa appositione verborum "Et, si in peccatis sit, remittentur ei" (utut secundum se exprimentia tantum accidentalem effectum sacramenti) videntur determinari ad sensum salvationis aut alleviationis ab aliqua spirituali infirmitate proveniente ex peccatis actualibus.

Ceterum, in hoc sensu verba lacobi interpretata est tota Traditio, ut constat ex mox dicendis, eumque satis clare suggerit interpretatio

ipsius *Cone. Trid.* docentis: "Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, [Apostolus] docet materiam, formam, proprium ministrum et *effectum* huius salutaris sacramenti. . . Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: 'Et oratio fidei salvabit. . .' Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat" *(Denz.* 908 sq.); iuxta sensum, connaturaliter fluentem ex ipsa pericopae constructione, reliquiae peccati, quas sacramentum abstergit, sunt reliquiae eorundem actualium peccatorum quae immediate antea Concilium dicit per idem sacramentum auferri si adhuc expianda supersint.

Patrum aliorumque doctorum testimonia, in quibus curativus ac spiritualis effectus huius sacramenti proponitur, tam concorditer et emphatice ad peccata actualia vel ad aliquam infirmitatem ex illis peccatis consequentem referuntur, ut inde plures theologi (utut inepte) sese persuaserint ipsam peccatorum remissionem tanquam principalem effectum huius sacramenti in illis testimoniis proponi (cf. art. 11, p. 52-63).

Ex multis testimoniis relatis in art. 10 (p. 20 sqq.; cf. praesertim p. 22, 25 sq., 37 sq.), sufficiat haec breviter recolere. Effectus remissionis peccatorum constanter et emphatice proponitur, inde ab antiquo Sacramentario Serapionis ("In remissionem peccatorum"): Origenes, Sacramentarium Serapionis, Chrysostomus, Hesychius, Cassianus, Caesarius Arei., Liber Ordinum, Missale Bobiense, Sacr. Gregorianum, Beda, lonas Aurei., Paschasius, Cone. Ticinense, Pseudo-Petrus Damianus, Petrus Cluniacensis, Abaelardus, Bernardus. Hugo Victorinus, *Summa Sententiarum,* Petrus Lombardus, Liturgia Ambrosiana, Forma Romana. Solus hic effectus a quibusdam exhibetur: Origenes, Chrysostomus, Hesychius, Cassianus. Remissio facta per Extremam Unctionem comparatur cum remissione obtenta per sacramentum Poenitentiae: Ivo Carnotensis, Petrus Cluniacensis. Quidam remissionem actualium peccatorum vocant finem institutionis sacramenti (Hugo Victorinus) vel rem, i.e. proprium effectum, sacramenti *(Summa Sententiarum).*

Sint quaedam notabiliores expressiones: Vita S. Tresani: "Oleum *reconciliationis."* Egbcrtus Eboracensis: "Quicunque hanc disciplinam [i.e. Extremam Unctionem] habuerit, anima ejus *aeque pura* est post obitum ac infantis qui statim post baptisma moritur." Amalarius Metensis: "Passio Christi auctorem mortis destruxit: gratia ejus, quae significatur per olei unctionem, arma ejus, quae sunt *peccata quotidiana,* destruxit." Ivo Carnotensis: "Unctio infirmorum publicae

poenitentiae est sacramentum." Petrus Cluniacensis: "Iterari necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est *peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem.*" Abaelardus: "Quaecunque sensibus *sunt perpetrata,* ex toto vel ex maxima parte [per Unctionem] remittuntur." Rolandus Bandinelli: "Hac de causa est institutum [hoc sacramentum], ut per illud *quaedam peccata* dimittantur." Ordo 9: Effectus hujus sacramenti est "renovare in infirmo *quidquid terrena fragilitate corruptum est.*" Liturgia Graeca: "Perfecta liberatio a *peccatis.*"

Peculiare momentum videntur habere verba Paschasii Radberti in sua *Vita S. Adalhardi:* "Cum coepisset . . . episcopus a nobis [monachis] percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est, deberet [Adalhardus] perungi, interrogavimus eum, utrumne vellet, quem proculdubio, scieramus *peccatorum oneribus* non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in caelum, cominus obsecrabat ut fieret" (*ML* 120. 1547, cit. in tom. 1, p. 154). Quibus ostenditur apud monachos illos persuasionem fuisse frustra sacramentum animabus perfecte purgatis adhiberi, vel saltem eos de efficacitate sacramenti in tali subiecto dubitasse; nec obstat quod nihilominus in eo casu sacramentum collatum fuit ex petitione ipsius infirmi, nam id tantum ostendit homini, iam a peccatis purgato, sacramentum conferri in purgationem reliquiarum eorundum peccatorum necnon in remissionem sive venialium sive mortalium si quae adsint. Unde inepte vim huius testimonii reicit *Spdcil,* scribens: "Quae in vita s. Adalhardi . . . leguntur . . . , potius contra sententiam oppugnatam [intellige: quam nos defendimus] faciunt, nam vir sanctus non obstante hac haesitatione et hoc dubio nihilominus unctus fuit.""

Non diffitemur quidem in antiquis documentis, praecipue liturgicis, plures quoque inveniri expressiones quae, absolute spectatae, possent referri etiam ad reliquias seu effectus peccati originalis, uti "Integra sanatio animae — Mundatio ab omni sorde et contagione peccati — Sanatio interiorum vulnerum, ignorantiae, passionum, vitiorum, languoris animi, libidinis, cupiditatis" (cf. supra, p. 38); attamen, has referri ad reliquias et effectus peccatorum personalium aut, si placet, ad reliquias peccati originalis prout sunt per peccata personalia fota et confirmata, facile apparet ex contextu, seu sive ex simultaneo ac constanti recursu ad remissionem peccatorum personalium vel aegritudinis ab eis causatae, tanquam ad proprium finem et effectum unctionis, sive ex ipsa subiecta materia, nam reliquiae peccati originalis (uno verbo: fomes peccati) nec sunt in se culpabiles ut remissione indigeant, nisi secundum quod a peccatis personalibus confirmantur

" *Op. cit.* (supra, in p. 467) 199.

et in istorum reliquias transeunt, nec ullo sacramento, ipso Baptismo non excluso, curantur, etsi per baptismalem gratiam regenerativam debilitentur.

Propterea theologi medii aevi, cum formulam ipsam *"reliquiae peccati"* ad exprimendum proprium effectum huius sacramenti confecerunt, non ad aliud peccatum eas reliquias retulerunt quam ad peccatum personale, et in eodem sensu eas acceperunt tum posteriores theologi tum etiam ipsa documenta Ecclesiae (cf. supra, p. 11 sq., 48-51), donec recentius unus vel alter, nominatim Suarez, ob polemicas rationes in praesenti quaestione conatus fuerit eas etiam ad peccatum originale referre.[39] Imo theologi antiquiores, ut Albertus M. et S. Thomas, sibi proposita distinctione inter reliquias peccati originalis et reliquias peccati actualis, exinde infantes excludunt a susceptione Extremae Unctionis, quia nempe hoc sacramentum ordinatur contra reliquias actualis peccati non vero contra reliquias peccati originalis, nisi, subtiliter addit S. Thomas, secundum quod hae per illas confortantur seu aggravantur. Ad rem *Albertus M.:* "Contra obliti et ignorati actualis [peccati] principalem ordinem habet hoc sacramentum. . . Causa [autem] contra quam principaliter hoc sacramentum ordinatur, in parvulis non invenitur." S. *Thomas:* "Non datur [hoc sacramentum] contra reliquias originalis peccati nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet, quae non sunt in pueris" *{Suppi.,* q. 32. a. 4, ad 2).

FORMA SACRAMENTALIS, utut vario modo expressa in formulis usitatis in variis ecclesiis, exprimit tantum remissionem peccatorum actualium, seu (ut explicatum est supra, p. S4sq.) spiritualem infirmitatem ex his peccatis relictam; ex forma autem potissime dignoscitur specificus effectus et consequenter capax subiectum cuiuslibet sacramenti, cum ab ipsa forma sacramentum specificetur.

Sufficiat relegere multiplices formas relatas in art. 7 (tom. 1. p.

"Quidam deprehendunt aliquam inconstantiam vel contradictionem in verbis Suaresii. quatenus in uno loco (Disp. 42, sect. 2, n. 10) dicit ad susceptionem huius sacramenti "sufficere reliquias originalis peccati" et in alio loco (paulo ante. sect. 1. n. 4) negat infantes esse subjectum capax huius sacramenti. Sed revera nulla est contradictio; nam in secundo loco Suarez sese explicat, determinans modum quo reliquiae peccati originalis curentur per hoc sacramentum, scilicet inquantum inducunt in peccatum actuale, contra quem influxum, impossibilem in infantibus, datur gratia roborativa huius sacramenti. Scribit enim: "Dicet vero aliquis: in infantibus vel amentibus sunt reliquiae peccati originalis contra quas etiam hoc sacramentum datur. . Respondetur, hoc sacramentum non tollere reliquias peccati originalis in se seu radicaliter, sed per auxilia actualia confortando animam ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam; infantes vero non sunt capaces hujus remedii, ut per se constat" (o/>. *cit.* (supra, in p. 504] 849. 853).

"In 4 Sent., dist. 23, a. 10, ad 1 et 3, *Opera omnia* XXX (ed. S. C. A. Borgnet. Parisiis: Vivès 1894) 16.

511 sq.). Ut ibidem observatum est (p. 532 sq., 565-567), omnes fere formae ad sequentes typicas reducuntur. Forma *Graeca* adhuc in usu apud Orientales: "Pater sancte, animarum medice, vivifica per gratiam servum tuum." Forma *latina,* seu Romana, in usu inde saltem a saec. 13 et universaliter adhibita inde a saec. 17: "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti." Forma *Rhemensis:* "Sit tibi haec unctio ad purificationem mentis et corporis." Forma *Celtica:* "Ungo te ut salveris." Forma *Gregoriana:* "Ungo te ut non lateat in te spiritus immundus et accipias sanitatem." Forma *Ambrosiana:* "Ungo te ut more militis superes aereas potestates." Forma *Veneta:* "Ungo te ut quidquid deliquisti sanetur." lamvero ad peccata actualia explicite referuntur formae Latina et Veneta ("Quidquid deliquisti"); aequivalenter vero vel implicite referuntur ceterae formae, nam in forma Graeca vivificatio per gratiam, et quidem medicativam ("Animarum medice"), nequit referri ad reliquias peccati originalis, maxime si considerentur aliae orationes quae in prolixo ritu Euchologii eam formam praecedunt vel sequuntur et a quibus sensus generalis illius expressionis determinatur per emphaticam explicationem effectus sanationis a spiritualibus infirmitatibus cum peccatis actualibus connexis (cf. supra, art. 10, p. 35 sq.); in formis pariter Rhemensi et Celtica purificatio mentis et salus animae ad peccata actualia connaturaliter refertur; in formis Gregoriana et Ambrosiana expulsio daemonum et victoria super eorum potestatem implicat relationem ad peccata actualia per quae daemones possident animam eique dominantur.

Ceterum, ex una parte sensus harum formarum amplius determinatur ex aliis adiectis formis in eisdem ritualibus, et ex alia parte non satis constat an illae per se solas fuerint propria forma sacramentalis, aut quaenam ex pluribus formulis eiusdem Sacramentarii vel Ordinis esset forma sacramentalis (cf. Sacramentaria Gregorianum et Ambrosianum, necnon Codices Rhemensen, Ratoldi, et Tilianum, relata in tom. 1, p. 519-521); solae formae Latina et Graeca sunt certae et validae formae, ac ideo ad eas, potissime saltem, attendendum est, maxime si in ceteris aliqua ambiguitas deprehendatur.

Suarez, quem supra retulimus (p. 504), vim formae latinae eludere conatur, eam interpretando in sensu conditional!, iuxta sensum ipsius textus lacobi, ita ut sonet: "Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti, si quid deliquisti." *Attamen,* quamvis forma illa sacramentalis imitetur textum Apostoli et forte ex proposito in illius imitationem confecta fuerit, non refert tamen eundem sensum nec refertur ad idem obiectum; nam Apostolus loquitur de accidentali (aut saltem conditional!) effectu remissionis peccatorum mortalium, forma vero

sacramentalis refert ipsum principalem ac necessarium effectum sacramenti, qui nequit in forma sacramenti conditionaliter significari, quin falsificetur ac invalidetur forma, cum sacramentum habeat certum effectum et certitudinaliter ex opere operato procedat.

Insistit Suarez verba prolata ad particulares sensus, ut "Quidquid per visum deliquisti," utut vere sacramentalia, conditionaliter interpretanda esse, cum non necessario subiectum peccaverit per visum, ut maxime patet de caecis, adeoque sensum conditionalem non obstare veritati et validitati formae sacramentalis. *Attamen,* mentio particularium ac distinctorum sensuum in forma sacramentali accidentaliter seu materialiter se habet; per se enim et formaliter forma sacramentalis consistit in mentione delictorum ut procedentium ex variis suis radicibus in humana natura, ita ut forma illa latina hunc sensum formaliter habeat: Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per varias radices et organa ex quibus humana delicta procedunt, quaeque sunt visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. Ita autem intellecta, forma est simpliciter et totaliter absoluta, et quidquid in ea conditionaliter sonare aut intelligi potest. (Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti, seu si deliquisti per visum, si deliquisti per auditum, etc.), de materiali et impertinenter prorsus se habet.·

Ceterum, quidquid sit de conditional! vel absoluto sensu verborum formae, certum saltem est ea referri ad peccata actualia, et hoc quidem tantum hic interest. Nec aliunde posset Suarez adhuc insistere quod in eis non agatur de ipso principali ac specifico effectu sacramenti; nam exinde illud absurdum sequeretur quod forma sacramentalis, sacramenti specificativa, nullo modo referret specificum effectum sacramenti sed aliquem tantum effectum secundarium ac conditionalem et incertum.

DOCUMENTA ECCLESIAE pariter in eundem traditionalem sensum collimant, iuxta quem infirmitas quae per hoc sacramentum principaliter ac specifice curatur, provenit ex peccato actuali, ita quod nonnisi qui actualiter peccaverit, sit capax subiectum huius sacramenti.

Cone. Florentinum: "Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem" *(Denz.*

''Ceterum, quod attinet ad cos qui sunt aliquo sensu mutilati, observa cum 5. *Thoma* quod et ipsi possunt interim peccare in ordine ad talem sensum, ac ideo in cis etiam absolute vcrificari potest sensus formae partialis ("Indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, vel auditum, ctc., deliquisti"), ob quam rationem in mutilatis non omittitur unctio respiciens organum quo carent. Ad rem Angelicus: "Mutilati inungi debent quam propinquius esse potest ad partes illas in quibus unctio fieri debuerat. Quia, quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animae quae illis membris debentur, saltem in radice; et interius peccare possunt per ea quae ad partes illas pertinent, quamvis non exterius" *(Suppi.,* q. 32, q. 7).

695). Extremae Unctioni tribuitur sanatio ab aegritudine quam incurrimus per actualia peccata, in quo praeterea Extrema Unctio assimilatur Poenitentiae. Ceterum, in eo Decreto pro Armenis Concilium refert ipsam doctrinam S. Thomae ex eius opusculo de articulis fidei et Ecclesiae sacramentis.

Cone. Tridentinum: "Visum est autem sanctae Synodo, praecedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus" (sess. 14, de Extrema Unctione, prologus. *Denz.* 907); cum hoc sacramentum sit, iuxta Concilium, essentialiter consummativum Poenitentiae sive ut sacramenti sive ut virtutis, idem obiectum respicit ac Poenitentia, scilicet peccata actualia, et quidem, sicut ipsa Poenitentia, primario sanando infirmitatem provenientem ex peccato praeterito, secundario etiam praecavendo contra reditum infirmitatis ex peccato futuro, ac ideo Concilium paulo inferius addit Christum "extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivisse." Praeterea: "Res ... et effectus huius sacramenti . . . gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit" (cap. 2, *Denz.* 909); ubi "peccati reliquiae" referuntur ad eadem peccata quae, si adhuc adsint, absterguntur, scilicet ad peccata actualia. Praeterea: "Magnopere a peccato revocant . . . satisfactoriae poenae ... ; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt" (sess. 14, de Poenitentia, cap. 8, *Denz.* 904); hic quoque peccatorum reliquiae (quorum abstersio supra exhibetur ut proprius effectus Extremae Unctionis) referuntur manifeste ad peccata actualia.

Catechismus Cone. Trid.: "Hoc Sacramentum gratiam tribuit, quae peccata, et in primis quidem leviora, et, ut communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpae Poenitentiae Sacramento tolluntur. . . Altera est sacrae Unctionis utilitas, quod animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et a ceteris omnibus peccati reliquiis liberat" (p. 2, c. 6, q. 14); ubi continuo agitur de peccatis actualibus eorumque reliquiis, instituta etiam comparatione Extremae Unctionis cum Poenitentia. Praeterea: 'Omnes . . . , qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt: ut pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare huius Sacramenti remedio opus sit" (q. 9); ubi valde signanter exprimitur proprium effectum huius sacramenti esse sanationem reliquiarum peccati actualis ac simul momentosa illa conclusio eruitur quod ideo infantes sunt incapaces suscipiendi sacramentum quia sunt

incapaces committendi peccatum actuale. Idem explicite significant quidam libri rituales, ut *Pastorale Mcchliniense* et *Rituale Argentincnse* (cit. in p. 485 sq.) necnon plura concilia provincialia saec. 19 (cit. in p. 486 sq.), i.e. Cone. *Rhemense, Auscitanum, Casseliense, Quebecense, Strigonicnsc, Pragense.*

Moderni adversarii, ut *Spàcil* et *Cappello,* in confirmationem suae sententiae opponunt tria decreta S. *C. dc Propaganda Fide* et 5. *Officii,* quibus permittitur ut paganus adultus graviter decumbens ungatur immediate post Baptismum.

S.C.S. Officii, 10 maii 1703 *(Quebec),* decrevit "non esse . . . conferendum Sacramentum Extremae Unctionis neophyto moribundo quem missionarius capacem Baptismi credidit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam."[41]

S. C. *de Propaganda Fide,* 26 sept. 1821 *(C. P. pro Sin.),* interrogationi: "Se si possa conferire il Sacramento dcll' Estrema Unzione ad un adulto pagano già battezzato, ammaestrato a sufficienza ed appieno disposto, il quale trovisi oppresso da grave infermità." respondit: "Affirmative, servata forma decreti S. Officii anni 1703. '[42]

S.C.S. Officii, 10 april. 1861 *(Tchely Meridio-Oricntalis),* sequenti dubio: Utrum danda sit Extrema Unctio illis neophytis qui. in articulo mortis baptizati, omnino rudes sunt, et vi morbi defatigati, instrui nequeunt, respondit: "Non [est] conferendum Sacramentum Extremae Unctionis illis neophytis moribundis, quos missionarius capaces baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem . . . recipiendi S. Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam."'

Attamen, haec decreta solvunt tantum practicam quaestionem an Extrema Unctio possit immediate post Baptismum administrari ita ut eius administratio non sit pendula a collatione Poenitentiae,[1'] sed illius immediatae administrationis rationem non assignat.[45] Unde eatenus haec decreta in confirmationem sententiae adversae legitime invocarentur, quatenus certum esset in adulto recenter baptizato nullas esse reliquias peccati, quia nempe primo, non peccaverit ante Baptismum; secundo, per Baptismum omnia peccata venialia necessario sublata sint; tertio, reliquiae praecedentium peccatorum per ipsum Baptismum aut ex opere operantis deletae sint; quarto, non peccaverit saltem leviter post Baptismum; quinto, si peccaverit, reliquiae talis

[41] *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide* (Romae Ex Typographia Polyglotte S. C. de Propaganda Fide 1907) I SS.
[M] *Ibid.* 445.
[42] *Ibid.* 664.
[43] De quo videtur dubitasse *Marlene* relatus supra, p. 509.
[44] *Çf. Hugon, Boyer, Zubizarreta, Prümmer, Merkelbach.* ubi dc praesenti quaestione.

peccati immediate ex opere operantis deleverit. Iamvero, primum falsum est, nam omnis adultus peccat saltem venialiter; secundum etiam falsum est, nam peccata venialia non necessario per Baptismum auferuntur nisi adsit sufficiens eorum detestatio seu fervor charitatis qui est immediata causa remissionis venialium, quo deficiente, Baptismus nequit nisi subinde per quandam reviviscentiam venialia remittere;[4] tertium quoque reiciendum est nam Baptismus non ordinatur ad delendas reliquias peccati, ut patet quoad ipsum peccatum originale quod maxime Baptismus expellit quin tamen eius reliquiam seu fomitem removeat; cetera vero (quod nempe eae reliquiae fuerint sublatae ex opere operantis, vel quod adultus nullum peccatum veniale immediate post Baptismum commiserit, vel quod reliquias alicuius peccati tunc commissi, ex opere operantis statim deleverit) sunt valde incerta, imo, attenta humana fragilitate et communiter contingentibus, praesentia aliquarum reliquiarum peccatorum facile et cum quadam morali certitudine praesumi potest.

Ratio igitur quare adultus infirmus sit ungendus immediate post Baptismum, est quia facile, et cum morali quadam certitudine, in eo habentur aliquae reliquiae peccatorum, sive quia reliquiae praeteritorum peccatorum adhuc supersint post Baptismum, sive quia quaedam peccata venialia non fuerint per Baptismum remissa ob facilem defectum fervoris charitatis, sive quia, ob facilitatem committendi venialia, aliqua nova peccata baptismalem purificationem inquinaverint aut eorundem reliquiae supersint.

Ex quibus patet nonnisi metaphysicum quendam casum *Suaresium* ipsum proposuisse (in quo quidem, si verificaretur, neganda esset valida administratio sacramenti), cum iam ante praefatos modernos auctores, scripserit: “Et confirmatur primo conclusio [quod nempe sacramentum dari possit etiam illi qui numquam actualiter peccaverit], quia ex communi sententia omnium, si quis in gravi morbo, et in fine vitae constitutus baptizetur, et viaticum suscipiat, potest et debet hoc sacramentum illi ministrari, etiamsi nullius peccati conscientiam post susceptum baptismum habeat; ergo peccasse actualiter non est de necessitate hujus sacramenti. Probatur consequentia, quia ille non habet peccata actualia post baptismum commissa, ut supponimus; si quae vero habuit ante baptismum, illa sunt in baptismo prorsus extincta. Quod si dicas manere reliquias, certe fieri saepe potest, ut non plures maneant, quam ex solo originali peccato; ponamus enim semel tantum, aut iterum venialiter peccasse. Unde confirmatur secundo, nam licet quis post hujusmodi peccata actualia sanctissime

[4] Cf. (licta in tractatu *De Baptismo et Confirmatione* 88, ct praecipue in tractatu *De Poenitentia* IV 508-520, 535, 538.

vixerit, et per multos annos (ex privilegio) omni peccato caruerit, nihilominus capax est hujus sacramenti, et tamen jam non sunt reliquiae actualium peccatorum, et forma non potest in eo vera esse nisi in sensu [conditional!] supra explicato; ergo idem erit, etiamsi nullum actuale peccatum commisisset; nam si de praesenti peccatum, vel reliquiae ejus necessaria non sunt, quod peccatum praecesserit actu, impertinens est."[47]

PRAXIS ECCLESIAE, hoc sacramentum denegantis infantibus et perpetuo amentibus, pariter ostendit necessitatem praeteriti actualis peccati ad validitatem sacramenti; nam nulla alia ratio ac fundamentum illi praxi assignari potest.

Suarez pro ratione assignat *impotentiam peccandi,* vel, magis proxime, impotentiam suscipiendi confortationem et roborationem contra peccatum, quae remote fundatur in ipsa impotentia peccandi: "Institutum est [hoc sacramentum] propter luctam et gravissimas tentationes articuli mortis, ad confirmandum infirmum hominem, et exhilarandum illum ac recreandum ejus animum molestiis aegritudinis oppressum, atque adeo ad superandam debilitatem ex peccato relictam, vel conferendam etiam remissionem actualium peccatorum, si necessaria sit; quorum omnium non est capax infans, *quia nec lentari potest, nec resistere, etc.;* non est ergo subjectum capax hujus sacramenti."[48]

Attamen, imprimis si impotentia peccandi esset propria et proxima ratio quare subiectum sit incapax, pariter potentia peccandi esset propria et proxima ratio quare subiectum sit capax, nam potentia et impotentia contrario modo se habent et influunt. lamvero, ut supra contra eundem Suaresium ostensum est (p. 512), potentia peccandi non est propria et proxima ratio quare subiectum sit capax huius sacramenti, nam, ut breviter et argute observat *Lugo* (cit. in p. 509), "posse peccare, si revera non peccatur, parum refert: potuisse enim peccare, non est aliquid mundandum per hoc sacramentum, cum non sit aliquod malum, vel reprehensibile." Ergo nec impotentia peccandi est propria et proxima ratio quare subiectum sit incapax recipiendi hoc sacramentum medicativum; sed recurrendum est ad ipsam absentiam actualis peccati, seu spiritualis infirmitatis ex hoc peccato relictae, ut explicetur quare Ecclesia reputet infantes et perpetuo amentes esse subiectum incapax huius sacramenti.

Praeterea, si impotentia peccandi esset propria ratio incapacitatis in infantibus et perpetuo amentibus, ea esset quoque ratio incapaci-

[47] *Op. cit.* (supra, in p. 504), n. 9, p. 854.
[48] *Ibid.,* s. 2, n. 9, p. 849.

tatis in illo qui, ut B. Virgo, ex aliquo privilegio esset impeccabilis; unde illogice Suarez hoc sacramentum denegat infantibus et concedit B. Virgini. Nec valet respondere hanc incapacitatem in infantibus esse naturalem et absolutam, dum in B. Virgine est tantum privilegiata et relativa, cum ipsa retinuerit naturalem et absolutam potentiam peccandi; nam hoc discrimen est impertinens et accidentarium in praesenti quaestione, cum capacitas suscipiendi aliquam medicinam mensuretur ex capacitate habendi infirmitatem, de facto autem, et undecumque id provenit, B. Virgo fuit aeque incapax habendi infirmitatem peccati ac infans, imo fuit magis incapax (et, ut ita dicatur, magis impeccabilis) quia eius incapacitas proveniebat directe et positive ex interiori regulatione ipsius voluntatis, quae est proprium principium et subiectum peccati, dum incapacitas infantis est mere indirecta et negativa cum proveniat ex accidentali statu subiecti, quo ab extrinseco impeditur connaturale exercitium voluntatis ad peccatum inclinatae.

Praeterea, si impotentia peccandi esset propria ratio incapacitatis in infantibus et perpetuo amentibus, pariter nec temporanee amentes, qui antea habuerint aliquod lucidum intervallum, nec moribundi sensibus destituti, possent hoc sacramentum suscipere; quod est contra communem et ipsius Suaresii sententiam. Nec valet respondere incapacitatem peccandi in temporanee amentibus et sensibus destitutis non esse per se, sicut in infantibus et perpetuo amentibus qui numquam usum rationis habuerunt, sed tantum per accidens; nam exinde illud tantum discrimen deduci potest quod infantes et perpetuo amentes sunt per se incapaces sacramenti, temporanee vero amentes et sensibus destituti, sunt per accidens incapaces eiusdem sacramenti; sive enim per se sive per accidens contingat impotentia peccandi, accidentarium prorsus est in praesenti, et undecunque ipsa proveniat, si semel adest, eundem debet producere effectum reddendi subiectum incapax sacramenti. Confer dicta in art. praec. (p. 496, in textu et nota, 471 sq., 47.3, 478) ubi. agentes contra Kern qui reiciebat valorem communis rationis theologorum pro incapacitate infantium ad susceptionem sacramenti, sententiam Suaresii transmisimus, non quia vera est, sed quia tunc non indigebat refutari (cf. supra, p. 473). Ibidem etiam (p. 479 sq.) sufficienter refutavimus *novam quondam rationem* qua *Kern* aliter explicare conatur quare infantes et perpetuo amentes sint incapaces sacramenti, quaeque revera non differt a sententia Suaresii nisi per additionem incongruentium quarundam expressionum.

Non igitur ipsa impotentia peccandi reddit subiectum incapax sacramenti, sed sola absentia peccati, seu factum ipsum nunquam

commissi peccati actualis (vel, formalius, absentia spiritualis infirmitatis relictae ex peccato praeterito), undecunque tandem id contingat sive ex ipsa necessitate et conditione naturae, ut in infantibus et perpetuo amentibus, sive ex supernatural! privilegio, ut in B. Virgine. Et vicissim, non ipsa potentia peccandi reddit subiectum capax sacramenti, sed sola praesentia seu praeteritio peccati, quomodolibet tandem subiectum sese habeat in ipso momento susceptionis sacramenti, sive nempe sit rationis et sensuum compos, sive sit rationis impos, ut temporanee amens aut sensibus destitutus, ita ut tunc peccare non possit.

Ceterum, absentiam actualis peccati esse propriam rationem praxis denegandi infantibus hoc sacramentum, satis clare significare videntur tum plura concilia provincialia tum ac praecipue Catechismus Cone. Trid., supra relata (p. 522 sq.).

NOTA 1. QUAERI POTEST AN PRAESENS QUAESTIO HABEAT VEL POSSIT HABERE INFLUXUM IN PRAXIM SACRAMENTALEM, ita nempe ut ubi adsit certitudo de innocentia (seu de perfecte consecuta emundatione) alicuius adulti, sacramentum quis conferat vel deneget prout sequitur negantem vel affirmantem sententiam de necessitate reliquiarum peccati praeteriti ad valorem sacramenti.

Cui quaestioni negative respondendum est. tum ob probabilitatem utriusque sententiae, tum ob impossibilitatem habendi, citra revelationem, moralem ipsam certitudinem de supradicta innocentia seu perfecta reliquiarum (non dicimus tantum: ipsorum peccatorum) emundatione. Unde etiam animabus innocentissimis, ut S. Aloysio aliisque sanctioribus viris, absque ullo scrupulo hoc sacramentum conferri potest ac debet, non solum ratione capacitatis confortationis sed etiam ratione praecedentium peccatorum saltem venialium, de quorum reliquiarum perfecta abstersione nemo certus esse potest nisi Ille "discretor cogitationum et intentionum cordis" *(Hc.br.* 4. 12) qui etiam "in angelis suis reperit pravitatem" *(Job* 4. 18). Ad rem apte *Nugnus:* "Ista quaestio est prorsus impertinens ad mores, quia praeter B. Virginem nullus est purus homo qui non habeat aliquod peccatum actuale."** Item *De Sainte-Beuve:* "Obicies . . . : Si quis post peccata actualia sanctissime vivat, et per multos annos ex privilegio, omni peccato carcat, potest recipere hoc Sacramentum. — Respondeo non posse, si revelatum ei fuerit quod sit absque omni peccato; quia vero id non est, neque, si esset, revelaretur, imo fides**

** *In Suppi.,* q. 32. a. 2, difficult. 2, cit. a De Sainte-Beuve, *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 3, in Micne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 122.

docet neminem esse absque peccato, hinc fit quod quilibet fidelis adultus potest inungi."[50]

Unde vana fuisse videtur dubitatio illa Paschasii Radberti aliorumque monachorum, utrum necne *sanctus Adalhardus* ungendus esset (cf. in p. 518), et inepta est, si quae fuit, antiqua praxis non ungendi viros sanctissimos, quam cum non levi exaggeratione et absque sufficientibus documentis, testantur *Martene* et *Launoy* (supra cit., p. 509).

Kilker practicum aliquem casum sic proponit: "Λ practical case will occur when a priest is confronted with the case of a child who has reached the age of reason and whom he knows from confession never to have sinned. In this situation St. Alphonsus and Diana decide that the sacrament should be bestowed. Two reasons would prompt this course of action: (1) the very great likelihood that the commission of actual sin is not essential for valid reception; and (2) the seal of confession, which comes into consideration at least remotely and indirectly in such circumstances."[51] *S. Alphonsus* de tali casu haec tantum dicit, mere referens verba Busenbaum nec quidquam addens: "Ac licet parochus in confessione cognoverit puerum nunquam actualiter peccasse, debere tamen illum inungere (contra Nunez et Sanchez) docent Suarez, Reginaldus, Filliuccius, Coninck, etc. cum Diana" (n. 717). Haec Busenbaum verba, si referantur ad ipsa peccata, laborant falso supposito; nam si agunt de omnibus peccatis, etiam venialibus, falso supponunt puerum, usum rationis habentem, posse esse sine ullo peccato veniali, si vero agunt de peccatis mortalibus, falso supponunt hoc sacramentum esse tantum in remedium mortalium. Debent ergo intelligi de reliquiis peccati saltem venialis, ita ut dicatur parochum illum ex confessione cognoscere puerum per vitam sanctam iam complete eas reliquias delevisse; quod quidem, ut diximus supra, nemo cum tanta sufficienti certitudine cognoscere potest ut inde excusetur a ministrando sacramento, quod ceteroquin etiam ob probabilitatem alterius sententiae conferri debet. Altera ratio, a Kilker ex sigillo deducta, non videtur quomodo ad rem faciat, cum sanctitas sive innocentia non cadat sub sigillo, ut conveniunt Moralistae, nisi eius declaratio per accidens et ex circumstantiis ducat in cognitionem ipsius peccati.

Alter ac vere practicus casus videtur esse *unctio administrata immediate post Baptismum;* sed hic casus non proprie refertur ad praesens quaesitum, cum iuxta utramque oppositam sententiam, de

[50] *Ibid.* 124.
[51] *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 145.

necessitate nempe vel secus praeteriti peccati, convenienter explicetur, ut supra dictum est (p. 523-525).

NOTA 2. DE B. VIRGINE, AN FUERIT NECNE, CAPAX SUBIECTUM EXTREMAE UNCTIONIS.

Ex nostra Conclusione manifeste sequitur B. Virginem non potuisse Extremam Unctionem suscipere, ob ipsam fundamentalem rationem absentiae omnis peccati. Attamen, quaestio an B. Virgo hoc sacramentum suscipere potuerit ac susceperit, quam Trombelli vocat "valde celebrem quaestionem inter scholasticos agitatam" et Benedictus XIV indicat "rem valde dubiam et controversam," amplior est nec ex sola Conclusione huius articuli dependet. Nam impossibilitas suscipiendi Extremam Unctionem provenire potest non solum ex defectu spiritualis infirmitatis, seu peccati, sed etiam ex absentia infirmitatis corporalis, aut forte ex alia ratione, ac ideo plures adversarii illius Conclusionis, ex alia ratione, quam ex incapacitate proveniente ex absentia peccati, docent nobiscum B. Virginem hoc sacramentum non suscepisse.

Quamvis haec amplior quaestio, pertinens ad tractatum De Beata Virgine, exulet ab ambitu praesentis materiae, non abs re erit, ad complementum huius articuli, varias saltem theologorum opiniones breviter recolere.

Prima sententia docet B. Virginem Extremam Unctionem non suscepisse.

Prima et communior opinio in hac sententia pro ratione affert, quia in B. V. nullum fuit peccatum, nulla spiritualis infirmitas et nulla indigentia confortationis aut corroborationis contra tentationes daemonis. Ita necessario sentiunt omnes patroni Partis Affirmativae huius articuli, nominatin'! vero et explicite: *Scotus* (supra cit., p. 50S), *Paludanus (In 4 Sent.,* dist. 23, q. 3, a. 2), *Victoria, Vasques* (In 3 p., disp. 119, c. 8), *Gonet* (supra cit. p. 510), *Montejortino* (supra cit. p. 510), *De Sainte-Beuve, Trombelli* (infra cit.), *Billuart, Pesch* (cf. in p. 503, in nota), *Paquet, Hugon, Boycr, Priimmer* ("Probabilius"), *Merkelbach* ("Ut videtur").

Secunda opinio pro ratione affert, quia potentia peccandi in B.V. erat particulari ac necessario quodam privilegio ligata; nam, quamvis potentia peccandi sufficiat generatim ad susceptionem sacramenti, etiam ubi nullum sit peccatum, tamen ipsa non sufficit si sit eo modo ligata. Ita peculiariter *Tanner* et *Pontius* (relati in p. 502), quibus videtur favere *Benedictus XIV,* scribens: "Quamvis . . . Suarez . . . opinetur extremam Unctionem etiam illi posse conferri qui nullum

unquam actuale peccatum admisit, atque idcirco ea non caruisse censeat B. Virginem; id tamen de iis dumtaxat intelligendum, ait Tannerus, torn. 4, disp. 7, quaest. 1, dub. 3, qui, quantum est ex parle sui status, et adepti usus rationis, peccare potuerunt, etsi per accidens atque ex speciali Dei privilegio nunquam reipsa peccarint: secus nulla est ratio cur eodem Sacramento fraudentur infantes quibus certe, contra S. Thomae doctrinam et communem Ecclesiae praxim, illud ministrari non permittet Suarez. Quod vero speciatim attinet ad B. Virginem, res valde dubia et controversa est an ea, utpote omnis peccati expers, fuerit capax et particeps Sacramenti extremae Unctionis. Affirmant S. Antoninus . . . Canisius . . . Henriquez ... et modo laudatus Suarez. . . Contra Victoria . . . Vasquez ... et citatus Tannerus, B. Virginem extremae Unctionis incapacem pronuntiant: licet enim, inquit Tannerus, absolute loquendo, potuerit peccare, attamen ex privilegio, non utcumque eidem concesso, sed veluti consentaneo et quasi debito excellentiae et dignitati qua praestabat divinae maternitatis, fuit ab omni peccato praeservanda; ac proinde non potuit ullo pacto eidem aptari extremae Unctionis forma: Tndulgeat tibi Deus quidquid deliquisti,' etc. Sed, quidquid sit de hac quaestione, quam scholasticis relinquimus. . ."[52]

Tertia opinio pro ratione assignat, quia B. Virgo non fuit infirma seu non decessit ex infirmitate sed placide obdormivit, aut ne quidem decessit sed gloriose migravit. Quidam hanc rationem ut unicam afferunt, nam cum Suaresio negant requiri actuale peccatum ad valorem sacramenti. Ita *Lacroix* scribens: "Fines hujus Sacramenti sunt alii praeter sublationem peccati vel reliquiarum ejus. . . Et ideo plures [auctores] . . . putarunt B. Virginem etiam suscepisse hoc Sacramentum, sed hi supponere debent eam ex infirmitate aliqua decessisse, hinc merito cum aliis contradicit Illsung."[53] Alii, inter patronos primae opinionis, hanc rationem addunt suae principali rationi. Ita *Trombelli,* scribens: "Nihil ... in ea [B. Virgine] extitit, quod remitteretur; neque egebat, ut roboraretur ad mortem: quae undique fortissima erat, et locupletissima gratia ornata [adeoque ipsa non potuit suscipere Extremam Unctionem]. . . Exemplum porro recipiendae in gravissima aegritudine Extremae Unctionis dare non potuit, si (quod multis placuit) morbi expers e vita recessit: paucis quoque notum extremum illius morbum, et mortem nonnulli ajunt: ii vero, quibus haec nota fuere, peccatis, fomiti et peccatorum reliquiis obnoxiam minime fuisse esseque etiam tum Mariam Sanctissimam,

" *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 6, n. 3, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1101 sq.

'*De Extrema Unctione,* c 1, Addenda, *Theologia moralis* (Ravennae 1761) II 404; cf. *ibid,* 186.

probe noverant."[51] Alii, *Lépicicr* (supra cit., p. 506 sq.) hanc rationem addunt alteri ac particulari cuidam rationi quam assignant quare B. Virgo ungi non debuerit, quia scilicet ipsa altiori modo et ex altiori principio effectum et "rem huius sacramenti sine sacramento receperat."

Secunda sententia docet B. Virginem Extremam Unctionem suscepisse.

Printa opinio pro ratione affert, quia, etsi B. Virgo hoc sacramento non indigeret, utpote omnis peccati expers, tamen decebat ut illud susciperet ad conformationem cum aliis fidelibus, seu ad dandum exemplum humilitatis et vitae christianae. Hoc sonare videntur verba *Alberti M.,* a S. *Antonino* relata et probata, quae retulimus et explicavimus supra (p. 503). Haec ratio ne sit inepta, debet logice supponere in B. Virgine possibilitatem valide recipiendi hoc sacramentum, etsi ipsa esset absque ullo peccato, ob solam remotam potentiam peccandi; non tamen necessario supponit possibilitatem suscipiendi principalem fructum sacramenti, ut sequens opinio.

Secunda opinio pro ratione affert, quia in B. Virgine verificatae sunt duae conditiones requisitae ad susceptionem huius sacramenti, scilicet absoluta potentia peccandi (nam non requiritur ipsum peccatum, nec etiam ipsa potentia proxima et expedita ad peccandum) et corporalis infirmitas, seu periculum mortis ex senectute proveniens.

Hanc opinionem tenuerunt plures post *Suarez* qui eam sic clare exponit: "Probabilius est illam [B. Virginem] recepisse hoc sacramentum, quia nihil est quod obstiterit; et alias decuit, tum propter fructum, tum propter exemplum, tum propter ipsum sacramentum, ne despici videretur; neque hoc est magis indecens, quam quod B. Virgo fuerit baptizata, quandoquidem etiam baptismus datur in remissionem peccati, et ipsa ablutio non quamcunque sanctificationem, sed illam, quae a sorde peccati lavat, significat; tamen quia non significat illum ut necessario actualiter faciendum, sed solum quoad collationem gratiae de se sufficientis et ordinatae ad illud malum expellendum, ideo in Virgine etiam locum habere potuit; idem ergo dicendum est de forma et effectu seu gratia hujus sacramenti. *Magis dubitari poterat ex co quod B. Virgo non videtur corporaliter aegrotasse,* nec ex propria infirmitate corporali mortua fuisse. Verumtamen dicendum est, licet non fuerit passa infirmitatem provenientem ex inordinatione humorum, tamen habuisse quamdam corporis debilitatem ab intrinseco provenientem, quae ad eum statum pervenit, in quo jam naturaliter non poterat anima in corpore conservari; atque haec

[51] *Tractatus de sacramentis, De Extrema Unctione,* diss. 10. q. 1, sect. 1, c. *3,* q. 4 .Bononiae 1776-1778) **III** 31.

dispositio est sufficiens infirmitas corporis ad hoc sacramentum suscipiendum. Sicut si quis confectus senili aetate, moreretur ex ipsius naturae defectu absque alia aegritudine, nihilominus ungendus esset, quia illa est sufficiens infirmitas constituens hominem in necessitate hujus sacramenti; ita ergo de B. Virgine sentiendum est."[55]

Quidam tandem doctores, ut Brancatus, Silvius, Benedictus XIV et Spacil, hanc quaestionem ut incertam et solutu difficilem praetermittunt; alii eam sub completo silentio praetereunt.

ART. 30. Utrum Subiectum Capax Huius Sacramenti Sit Solus Infirmus *(Suppi.,* q. 32, a. 1; C. *Gent.* 4. 73).[50]

u Op. cit. (supra, in p. 504), s. 2, n. 11, p. 855.

M Damus praecipue auctores qui rem polemice vel positive pertractant. Schismatici Orientales signantur asterisco.

Allatius, L., *De ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione,* l. 3, c. 16, n. 1–4.

♦Alentov, B., *Ritus sacramenti Sancti Olei, Conspectus historico-liturgicus* [russice), Serghiev Posad 1917.

♦Archangelskij, M., *Inquisitio de historica evolutione ritus Benedictionis Olei* [i.e. Extremae Unctionis] [russice] (Petropoli 1895) 81 sqq.

Arcudius, P., *De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administralionem,* l. 5, c. 4 (Lutetiae Parisiorum 1672) 440soo

Benedictus XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 5, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1097-1100; *De sacramentis,* tit. 3, c. 8, n. 10, apud Fr. Heiner, *Benedicti XIV opera inedita,* pars 3 (Friburgi Brisgoviae 1904) 370-377. Praeterea, confer Constitutionem *"Etsi Pastoralis"* a. 1742 et Encyclicam *"Ex quo primum"* a. 1756.

Carboneano, Philippus De, apud Antoine, *Theologia moralis universa,* pars altera, §4 (Romae 1757) 269 sq.

Chardon, C., *Histoire du sacrement d'Extrême-Onction,* chap. 4, in Migne, *Theologici cursus completus* XX (Parisiis 1841) 764-768.

Clericatus, J., *De sacramentis in genere ac de sacramentalibus, necnon de sacramentis baptismi, confirmationis atque extremae unctionis,* decis. 79, Venetiis 1703.

De Meester, P., *Studi sui sacramenti amministrati seconde il rito bizantino* (Romae 1947) 227-240.

Denzinger, H., *Ritus Orientalium, Copiorum, Syrorum et Armenorum* I (Wirceburgi 1863) 185, 188 sq.

De Sainte-Beuve, J., *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 1 in Migne, *Theologiae cursus completus,* XXIV (Parisiis 1841) 116-119.

•Dmitriesvkij, A., *De defectibus contemporaneae ecclesiaslico-religiosae educationis* [russice] Kijev 1901; *Descriptio liturgicorum manuscriptorum quae asservantur in bibliothecis Orientis separati* [russice], II: Εὐχολόγιβ, Kijev 1901.

Drouin, R. H., *De re sacramentaria,* l. 7, q. 5, c. 1.

Goar, J., Ευχολόγιου *sive Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 431-441: "In Officium Sancti Olei notae."

♦Golubtsov, A., "De ritu sacramenti Euchelaei," *Pribavleniia ad opera sanctorum Patrum* 42 (1888) 113-130.

Jacquemier, G., "L'Extreme-Onction chez les Grecs," *Echos d'Orient 2* (oct. 1898-oct. 1899) 199-203.

Jugie, M., *Theologia dogmatica Christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* III (Parisiis 1930) 477 sq., 484-488.

♦Katanskij, A.. "Adumbratio historica ritus Benedictionis Olei [i.e. Extremae Unctionis] [russice]," *Lectio Christiana* II (Petropoli 1880) 92-131.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 271-296; "Zur Kontroverse der Kath. und der griech. Théologien über das subjekt der heil. Oelung," *Zeitschrift fur katholische Théologie* 30 (1906) 597-624.

STATUS QUAESTIONIS

Quaestio est de *quarto ct ultimo requisito ad ipsam capacitatem,* seu de *corporali infirmitate,* an nempe ad valorem sacramenti requiratur non solum spiritualis infirmitas, seu reliquiae peccati, sed etiam corporalis infirmitas, quamvis sola spiritualis curatio sit specificus et proprius effectus sacramenti. In praesenti articulo haec infirmitas consideratur modo indeterminato, et agitatur praecipua quaestio contra plerosque theologos schismaticos et paucos catholicos qui sustinent validitatem sacramenti sanis administrati; in sequenti vero articulo considerabitur magis determinate, seu quoad qualitatem et gravitatem requisitae infirmitatis, an nempe requiratur periculum mortis, in quo quidem non desunt errores aut indebitae exaggerationes sive ex parte acatholicorum sive ex parte nostrorum theologorum.

PARS NEGATIVA

Corporalem infirmitatem non requiri ad valorem sacramenti docent plerique Schismatici Orientales, saltem inter Graecos, innixi quadam satis antiqua praxi suae ecclesiae ungendi etiam sanos; quibus accessit unus vel alter theologus catholicus qui illius graecae praxis validitatem defendit.

1. *SCHISMATICOS* quod attinet, utilius erit praefatae praxis momenta et varietates exponere antequam de sacramentali illius interpretatione sive apud schismaticos sive apud catholicos dicatur.

Ex ipsa indole et origine variarum unctionum non sacramentalium, de quibus iam dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 184 sqq.), scilicet privatae unctionis *infirmorum,* unctionis *mortuorum* et unctionis poenitendum sive reconciliatorum *haereticorum,* quae maxime floruerunt in ipsis ecclesiis orientalibus, facile intelligitur quomodo in iisdem potu-

Kilker, A. J., *Extreme Onction* (St. Louis 1927) 8-11, 145-150.

Launoy, J., *De sacramento Unctionis Infirmorum liber.-Explicata Ecclesiae traditio circa statum et aetatem infirmorum sacram Unctionem suscepturorum,* c. 5, observ. 5, *Opera omnia,* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 565 sq.

Lübeck, K., "Dic heilige Oclung in der orlhodoxcn griechischen Kirche," *Théologie und Glaube* 8 (1916) 318-341.

Maltzew, A., *Die Sakramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes* (Berlin 1898) 451, 549-554.

Martène, E., *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 1 (Rotomagi 1700) 103 sq.

Petrovskij, A., "Dc historia ritus Benedictionis Olei [i.e. Extremae Unctionis] [russice]," *Lectio Christiana* LXXXIII (Petropoli 1903) II 44-49.

Spâüil, T., *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 80-89, 179-183.

Tournely, H., *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, *Praelectiones theologicae* (Parisiis 1765) IX 427-430.

Trombelli, J. Cii., *Tractatus de sacramentis, De Extrema Unctione,* diss. 10, q. 1, s. 1, c. 3, q. 1 (Bononiae 1776-1778) III 20-23.

erit quoque exsurgere et invalescere praxis *unctionis sanorum,* magis vel minus connexa cum ipsa administratione Extremae Unctionis vel saltem dependens ab ipsa poenitentiali indole et efficacia huius sacramenti. Ceterum haec praxis varias assumpsit formas, pro variis temporibus et circumstantiis, iugiter tamen ligata tum usui ipsius materiae sacramentalis, seu olei pro sacramento specialiter consecrati, tum praedictae indoli poenitentiali quo ipsa Extrema Unctio cum sacramento Poenitentiae intime copulatur.

Prima jorma, quam haec praxis assumpsisse videtur, est *UNCTIO ASSISTENTIUM,* seu eorum qui administration! Extremae Unctioni quomodolibet participabant vel circumstabant, scilicet ipsius ministri, diaconi, fidelium adstantium, imo ipsius domus eiusque portarum et fenestrarum. Ex quo quidem ostenditur eam unctionem nequaquam factam esse cum intentione applicandi sacramentum aliis quam infirmis, sed fuisse sacramentale aliquod, quo, non secus ac per aspersionem aquae benedictae, pellebatur praecipue infestatio daemonis, in similitudinem ipsius sacramentalis effectus Unctionis infirmi. Posteriori tempore accessit etiam ratio consumendi reliquum oleum sacramentale, cum praevaluerit apud Orientales usus consecrandi oleum singulis vicibus immediate ante sacramenti administrationem.

Illius usus primum vestigium exhibet iam saec. 8 *Pseudo-Damascenus,* dicens eum "qui unguento aliove sancto oleo aegrotum cupit ungere, primum ipse qui ungit, unctionem participare, tum qua delibutus unctione est aegroto impertire".[57] Nihil autem prohibet quominus haec verba intelligantur non solum de privatis unctionibus sed etiam de ipso Extremae Unctionis sacramento, ita nempe quod minister ipse eodem sacramentali oleo, etsi non sacramentaliter, semetipsum ungeret, antequam sacramentalem unctionem infirmo praeberet. *Archangclskïf* putat morem ungendi adstantes ascendere ad saec. 6 vel 5, et plura documenta affert ad ostendendum illum fuisse communem iam saec. 9.

In quibusdam ex vestustioribus codicibus *Euchologii* indicatur praxis ungendi omnes adstantes necnon ipsam domum eiusque portas et fenestras.[59] Ex quibusdam tamen codicibus saec. 13 (Cod. Sinait. 960 et Cod. 189 Laurae S. Athanasii Athonensis) videtur colligi hanc praxim apud Schismaticos iam eo tempore fere obsolevisse. De facto

" *Sermo de his qui in fide dormierunt* IS *(MG* 95. 263), cit. in art. 1, tom. 1, p. 186.

* *Loc. cit.* (supra, in p. 532).

" In Euchologio a Goar edito (p. 430) notatur sola unctio domus, in tine officii benedictionis olei: "Post haec totam domum perungunt, signo crucis inter ungendum expresso

eius nullatenus meminit initio saec. 15 *Simeon Thessalonicensis* (t 1429), qui imo explicite monet oleum quod superest ex unctione infirmi esse religiose asservandum: "Quod ex oleo superest servandam est et in honore habendum, nec quidquam hujus negligendum. Novi enim de hac re, sicut et de divinissima baptismatis aqua quosdam esse qui, nescientes mysterium vel illud respuentes, eo utcumque ceciderit utuntur, et saepe ubi non oporteret, mittitur, vel ab animalibus consumitur, neque cura est multis de illo."[60]

Idem usus observatur apud *monophysitas Coptos*. Ad rem Denzinger: "Cum . . . extremam unctionem tribuunt, [Copti] ungunt etiam diaconum et assistentium quemlibet, ne, ut aiunt, spiritus malignus ad eorum quemdam transeat. . . Ex rituali Gabrielis V, patriarchae Alexandrini, presbyteri in sacramenti administratione se invicem ungunt et assistentes. Ordo noster ex Vaticano codice sacerdotes se invicem ungere jubet, et aegroto injungit, ut seipsum per septem dies ungat."[61] Sollerius bollandista scribit: "Seriis ludicra intersero, quae non possint non insulsa et absurda censeri. Vide sis, quae stupidos homines agitent intemperiae. Non satis est sacramenti ministro, quod aegrum unxerit; id etiam diacono praestat et assistentium cuilibet. Rogatus sacerdos Coptus, quae demum tam ridiculae praxeos ratio redderetur, dignam dedit Copto responsionem. 'Cum per Unctionem, inquiebat, ex aegri corpore fugatus sit cacodaemon. facile corpus alicuius ex circumstantibus occupasse!; ut itaque tota domo expellatur, ii etiam ungendi sunt, ad quos se nequam ille potuisset recipere.' "[62]

Secunda jorma, posterioris originis, fuit usus imponendi susceptionem unctionis seu euchelaei in *SACRAMEXTALEM SATISFACTIONEM*. Hic usus connectitur cum poenitentiali et satisfactiva efficacia Extremae Unctionis, sed an in eo intenderetur applicatio ipsius sacramenti potiusquam alicuius sacramentalis non certo constat, eo vel magis quod plures eam distinctionem inter sacramentum et sacramentale non clare perciperent. Illius originem quidam, ut loannes Nathanael cretensis (infra cit., p. 536), referunt ad avaritiam confessorum qui ex unctionis ministratione emolumentum percipiebant.

Talem usum testantur: *Innocentius IV* a. 1254 in sua illius repro-

[59] *Dialogus in Christo adversus otnnes harreses* [De Sacramentis, — De sacro ritu Sancti Olei sive Euchelaei), c. 292 (*MG* 155. 531).

[60] *Loc. cit.* (supra, in p. 532).

[61] In tractatu pracliminari ad t. 27. junii *Actorum Sanctorum* de patriarchis alexandrinis cum appendice de initiis, erroribus, institutis Copto-Jacobiticis, p. 123.

batione (infra cit., p. 553); frequentes *canones poenitcntialcs* (ci. Cod. N. 1318, saec. 16, in bibliotheca national! parisiensi) ;fl' quaedam exhortatio *Matthaei I patriarchae Constantinopolitani* (1397-1410) ad homicidam quemdam;[64] probabiliter sequentia verba *Simeonis Thessalonicensis* (f 1429): "Videsne quid hoc sacrum significat oleum? Peccato contaminati, ad Dei viros accedimus et, voluntate mutata, confessionem agimus delictorum quorum jussis sacrum Deo offerimus oleum in imaginem ejus misericordiae et jucunditatis, in quibus divinum et jucundum ad nos gratiae suae lumen jaculatur. Et etiam lucem offerimus. Cum autem oratio conjuncta fuerit et oleum fuerit consecratum, hoc oleo uncti remissionem peccatorum inveniunt, ut et ipsa meretrix cum Salvatoris pedes unxisset, et inde ipsa uncta fuisset";[65] *loannes Nathanael,* graecus presbyter ac magnus oeconomus Cretensis (saec. 16) in sua epistola ad Vivianum episc. Ananiensem circa mores Graecorum, scribens: "Mysterium itaque hoc, et est et appellatur septimum, ut dictum est, quamvis nonnulli ex pseudo-abbatibus et illiteratis Graecorum insanientes, turpis lucri causa peccantibus, si resipuerint, frequenter loco mulctae, et instar rei, quae illos sanctificet istud praebeant";[66] *Goar* (saec. 17) in suis adnotationibus ad *Euchologinni,* infra cit. (p. 544 sq.).

Ceterum, hic usus non raro ab ipsis orientalibus reprobatus est.[67] Eum solemniter iterum reprobavit (iisdem fere terminis ac Innocentius IV) *Benedictus XIV* in Constitutione "Etsi Pastoralis" a. 1742, et in Encyclica "Ex quo primum" a. 1756, infra relatis (p. 558 sq.; cf. etiam *De synodo dioecesana,* in p. 559 sq.).

Tertia ac celebrior forma, satis antiqua et adhuc late vigens in ecclesia graeca, est usus *UNGENDI POENITENTES,* seu praebendi sanis Euchelaeum in remissionem peccatorum. Hic usus varios etiam modos assumpsit: unctio nempe collata est vel in substitutionem ipsius sacramenti Poenitentiae, seu ad remittenda ipsa peccata mortalia, vel in coniunctione cum hoc sacramento, seu veluti ad perficiendum eius effectum, vel separatim ab isto et tanquam eius complementum, seu ad remittenda peccata leviora et praeparandos fideles ad sacra mysteria, praecipue ad susceptionem Eucharistiae. Connectitur autem cum remissiva indole sacramenti Extremae Unctionis et probabilem ori-

" Apud A. Almazov, *Secreta confessio in ecclesia orthodoxa orientali* [russicel (Odessae 1894) III 5.

'"Apud F. Miklosisch-I. Müller, *Acta Patriarchatus Constantinopolitani* II (Vindobonae 1862) 319. *

" *op. cit.* (supra, in p. 535), c. 56 (coi. 206).

"Apud Launoy, *loc. cit.* (supra, in p. 533). Cf. Arcudium, *loc. cit.* (supra, in p. 532), Fr. Richardum, 'II Tὰρ-ya *rijs irtareus* (Parisiis 1658) II. 87.

Cf. A. Pavlov, *Nomocanon una cum magno rituali* irussicc], can. 163 (Mosquae 1897) 305-309.

ginem habet ex evolutione supradictae antiquioris formae ungendi assistentes sacramento. Probabilis etiam origo huius praxis, praecipue sub ea communiori ac praecipua forma qua, post solemnem consecrationem olei sacramentalis in ecclesia intra ferias maioris hebdomadae, fideles ipsi bene valentes unguntur, deduci potest sive ex antiquo more in ea circumstantia ungendi infirmos ad ecclesiam delatos, quibus deficientibus, posterius soli sani ungi coeperunt, sive ex ipso usu, qui apud Orientales praevaluit, copulandi nempe consecrationem olei cum adininistratione sacramenti, ita ut oleum singulis vicibus consecretur cum sacramentum confertur, ex quo provenit necessitas consumendi reliquum oleum et convenientia id obtinendi per unctionem assistentium fidelium, utut bene valentium.

Quidam igitur eousque virtutem huius sacramenti extulerunt ut ipsum *loco Poenitentiae* conferrent, imo cum ipsa Poenitentia confunderent. Ita inter Schismaticos *lob monachus* (probabiliter lob lasita, saec. 13) et inter Monophysitas *Vartanus aliique Arment,* apud quos propterea sacramentum Poenitentiae in desuetudinem abiit, locum cedens sacramento Unctionis, etiam sanis administrato, quod sua vice pedetemptim obsolevit. Ad hanc praxim videtur alludere Clemens VI in sua epistola ad Consolatorem, catholicon Armenorum, infra citanda (p. 553 sq.). Ceterum, de his amplioribus corruptionibus, quibus ipsa existentia huius sacramenti periclitabatur, satis dictum est supra in art. 1 (tom. 1, p. 46, 178-181). De Sainte-Beuve sequentia verba citat ex praedicti monachi lob septima contemplatione de Ecclesiae sacramentis: "Tempus autem quo oporteat suscipere Euchelaeon, tota est mortalium vita post peccatum ad extremum usque spatium."[08]

Alii unctionem *cum ipsa Poenitentia coniunxcrunt,* ita nempe ut poenitentes simul absolverent et ungerent. Ad hoc imprimis fere reducitur ipsa secunda praxis, nuper relata, imponendi scilicet unctionem pro satisfactione sacramentali. Praeterea generalis mos inungendi poenitentes in locis Orientis inolevit, etsi saepius agatur de unctione separata ab administratione Poenitentiae, de qua infra. Fr. Richardus (saec. 17) in suo libro de expeditione sacra ad insulam S. Irenaei (c. 12) testatur fornicatores et adulteros post confessionem inungi apud Graecos. Denzinger[09] testatur *Coptos* inungere poenitentes saltem ab apostasia, qui ritus fortasse est quaedam corruptio antiquae unctionis in reconciliationem haereticorum, substituto oleo infirmorum pro chrismate quod antiquitus adhibebatur (cf. art. 1,

"*Op. cit.* (supra, in p. 532) 118.
"Op. *cit.* (supra, in p. 532) 188.

tom. 1, p. 193). Fortasse idem dicendum est de praxi *Nestorianorum Syrorum,* relata in can. 19 synodi a. 554 sub patriarcha Iosepho celebratae: "Qui in hunc gravem morbum incidit [i.e. in peccatum superstitionis] debet, cum convertitur, sicut corporaliter aegrotus curari oleo orationis, quod presbyteri benedicunt."[70]

Praecipuus testis huius praxis apud Schismaticos est *Simeon Thessalonicensis* (t 1429). Praeter verba nuper relata, et fere immediate antea in eodem capite, haec scribit: "Videsne etiam quomodo oleo ista poenitentiae opera perficiuntur? Et daemonia multa ejiciebant, et ungebant multos aegros et sanabant. Ecce *oleum consecratum poenitentiam agentibus traditur;* et aegros sanat, nec curat corpora tantum, sed etiam animas. Quod etiam testatur Theadelphus: 'Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.' Unde etiam alia quaedam *novatorum Latinorum destruitur sententia.* Ibi namque sacrum oleum iis qui vitae spem habent haud tradendum esse contendunt, sed iis tantum qui moriuntur, cum peccata remittendi virtutem in se contineat; contrario modo apostolicis traditionibus, sicut in omnibus, etiam in his sentientes et agentes: Theadelpho enim clamante, 'Et alleviabit eum Dominus,' hi non alleviandis oleum istud tradi dicunt ac peccatorum remissionem in solo oleo statuunt, hanc certe *peccatorum remissionem ex confessione semper et hoc sacro oleo* undique perfecto, ex communicatione corporis et sanguinis Christi et Dei nostri, poenitentiam agentibus solummodo concessam."[71] In eodem opere, in prologo sectionis *De sacro ritu sancti Olei sive. Euchelaei,* omnino generaliter asserit: "Si quis in infirmitatem corporis *vel tantum animae* ceciderit, convocantur ab eo Ecclesiae presbyteri; hi enim potestatem habent conferendi sacramenta."[72] In suis *Responsis ad Gabrielem episc. Pentapolitanum,* q. 72, iterum scribit: "Sacrum autem oleum inter septem sacramenta utilissimum et ad sanctificationem, pro infirmis, ut traditum est nobis, et *pro omni fideli qui accedit ad celebranda tremenda mysteria,* maxime cum peccatis cumulatur, canones poenitentiae adimplevit, remissionem a Patre accepit et ad communionem properat: purgat enim peccata consecratio et unctio sancti olei, ut scribit frater Domini apostolus."[73]

Alii frequentius Euchelaeum administrabant tanquam caeremoniam

"Apud O. Braun, *Das Bttch der Synhqdos* (Wien 1900) 159. Hunc canonem attulimus in art. 1 (tom. 1. p. 177 sq.) in confirmationem fidei Nestorianorum de existentia sacramenti Extremae Unctionis.

" *Op. cit.* (supra, in p. 535). c. 56 (coi. 203).

'■*ibid.,* ante c. 283 (coi. 515).

"AfG 155. 931.

separatam a sacramento Poenitentiae, etsi ut istius substitutum ac complementum, eo fine ut per remissionem leviorum peccatorum et animi purificationem, fideles *praepararentur ad celebrationem mysteriorum sacrorum* et praecipue ad susceptionem Eucharistiae. Hic est praecipuus ac congruentior modus ad quem evolutio praxis ungendi sanos pervenit et sub quo usque ad hodiernum diem late perseveravit, saltem apud Graecos. Haec Euchelaei administratio praecipue fit illis diebus in quibus fideles solent ad susceptionem Eucharistiae se disponere, scilicet in vigiliis principalium festorum (Nativitatis, Paschae. SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. V.) et peculiariter ad finem Quadragesimae seu in Feria IV vel V maioris hebdomadae.[71] Ceterum nulla peculiaris celebratio aut necessitas excludebatur a ratione temporis convenientis pro Euchelaei ministratione. Ita Denzinger testatur apud Coptos "unctionem olei nubentibus applicari in signum et sacramentalis poenitentiae";**Nikon,** patriarcha Mosquensis, antequam orientalium episcoporum synodo iudicaturus se committeret, acolutiam Euchelaei celebravit seque suosque comites sacro oleo perunxit.[70]

Antiquiora vestigia huius ritus ascendunt saltem ad saec. 12.[77] Anno 1118 imperatrix Irene concessit monasterio S. Mariae *ττρ Κ χαριτωμίνη* ab ipsa fundato, ut quotannis in sabbato ante dominicam Palmarum celebraretur acolutia Euchelaei et omnes moniales oleo consecrato ungerentur.[78] *Simeon Thessalonicensis* (f 1429) in suo *Responso ad Gabrielem Pent.,* nuper cit., communem aliquam praxim testari videtur cum ait: "Sacrum autem oleum . . . utilissimum [est] et ad sanctificationem, pro infirmis ... et pro omni fideli qui accedit ad celebranda tremenda mysteria."

Apud Russos haec consuetudo, minus universalis quam apud

:'C. *De Clcrcq:* "On inséra . . . dans les cérémonies de la semaine sainte, généralement le mercredi, une bénédiction dc l'huile avec les mêmes rites et prières qu'avant l'onction des malades. Tous les assistants étaient oints avec la formule 'Père saint' et ces onctions se répétaient à volonté à l'église pendant tous les jours suivants jusqu'à épuisement de l'huile. Dans l'Eglisc russe cette cérémonie n'a plus lieu qu'en quelques églises le jeudi saint. La prière 'Père saint' est récitée, mais bien avant les onctions aux fidèles, qui sont conférées avec une brève formule de bénédiction" *(Ordre, Mariage, Extrême-Onction* [Paris 1929] 166).

"*Op. cit.* (supra, in p. 532) ISS.

n *Cf.* Paisios, *History oj the Synod held at Moscow 1666-1667* (London 1S73) 16S.

"*De Sainte-Beuve* ad confortandam falsam suam opinionem de validitate Extremae Unctionis sanis administratae, inepte suggerit indicia illius praxis inveniri apud ipsos *Origenem* et *Chrysostomum* (cit. in art. 1, tom. 1, p. 98, 105), scribens: "Faciunt denique ad id [i.e. ad probandam antiquitatem illius praxis] fortasse loci Chrysostomi et Origcnis. . . Nam si vera est observatio Dallaei |protestantisl, locuti sunt de ea unctione quae sanis aeque ac infirmis apud Orientales adhibebatur" *(op. cit.* [supra, in p. 532] 118). Idem magis assertive ille doctor profert inferius in textu infra citando in p. 550.

" Cf. F. Miklosisch-I. Müller, *Acta et diplomata monasteriorum et ecclesiarum Orientis* V. 2 (Vindobonae 1SS8) 379.

Graecos aut certe minus firma fuit, nam in dies pedetemptim declinavit ac hodie fere extincta est. Saec. 16 in monasteriis slavicis mos erat ut Feria IV et Sabbato maioris hebdomadae episcopus vel egumenus ungeret omnes monachos, necnon cellas et muros monasterii.[70] Factum patriarchae Nikonis, relatum a Paisios Ligarides, supra retulimus. Idem Paisios[80] narrat se adstitisse celebrationi Euchelaei in cathedrali Mosquensi a. 1667. Petrus Arcudius (t 1633) testatur praxim suo tempore praevaluisse in tota Russia ("Quam [consuetudinem] . . . retinet hac nostra aetate tota Russia universaque Moscovia"[51]); idemque eodem saeculo testatur Th. Raynaud (f 1663) scribens: "Ita passim servant Graeci et ex eorum ritu Russi ac Moschi."[82] Non constat ob quas circumstantias subinde, secus ac apud Graecos, rapide declinaverit; forte id debetur sanae doctrinae theologorum Russorum qui, contra Graecos, docent hoc sacramentum esse pro solis infirmis institutum. Illius tamen praxis vestigium perseveravit, testibus ipsis doctoribus russis Maltzew, Golubcev, Malinovskij et Bjeljaev, in uno vel alio loco, praecipue in monasterio SS. Trinitatis seu S. Sergii prope Mosquam et Velikij in cathedrali S. Sophiae, ubi usque saltem ad recentiora tempora celebrabatur confectio et administratio Euchelaei in Feria IV vel Feria V vel Sabbato maioris hebdomadae; imo inde ab a. 1854 haec caeremonia introducta vel restituta est in ecclesia cathedrali Odessae in memoriam belli quod occurrit apud Sebastopolim.[88]

Apud Graecos ea praxis, cuius vestigia supra deprehendimus, late praevaluit et adhuc praevalet, corroborata tum a quibusdam ex praecipuis Catechismis tum praesertim a communiori doctrina theologorum qui docent Extremam Unctionem etiam sanis valide administrari posse.

Quidam, ut De Sainte-Beuve, Launoy et Benedictus XIV, allusionem ad illam praxim non improbabiliter vident in sequentibus ambiguis verbis *leremiae* patr. Const, (saec. 16) in sua *Censura adversus Confessionem Augustanam* (1. 1, c. 7): "Illis vero qui post Baptisma peccaverunt, Poenitentia consecratique olei Unctio conducunt; quae Sacramenta aut remissionem praeteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animae inhaerentes expurgant." Initio saec. 17 Petrus Arcudius (t circa 1632) testabatur illam praxim, in ipso Euchologio vestigia ferens, in tota Graecia late diffusam esse ("Praesens Graecorum consuetudo . . . viget non in aliquo angulo Graeciae,

[1] Cf. A. Dmitrievskij, *Divinum officium in ecclesia Russica saec. 16* [russice] (Kazan 1894) 412.
[*] *Op. cit.* (supra, in p. 539) 303.
[']· *Op. cit.* (supra, in p. 532) 449.
["] *Heteroclita spiritualia,* XVI 164.
[M] Cf. P. Dc Mecstcr, *op. cit.* (supra in p. 532) 231 sq.

sed ubique passim";M idemque testantur eodem ac sequenti saeculo Fr. Richardus, Goar, Th. Raynaud, Aliatius, De Sainte-Beuve, Launoy, Tournely, Martène, Drouin, Benedictus XIV, quorum plures citantur infra. Quoad tempus recentius, eam explicite testantur ac defendunt plerique ex modernis graecis scriptoribus; ita saeculo elapso: Moschopulus, Georgopulus, Christodulus, Catechismi Atheniensis et Constantinopolitanus; circa initium huius saeculi: Mesoloras, Theophilus Papaphilus, Rallis, Andrutsus, Dyovuniotis et Pefanis.

G. Jacquemier haec notabilia refert testimonia: "Cette coutume est mentionnée dans les ouvrages grecs. . . 'Le temps convenable pour l'administration de ce sacrement, écrit *D. Gcorgopoulos,* c'est l'époque de la maladie, mais comme un de ses effets est de remettre les péchés, l'Eglise le donne en tout temps et surtout à Noël et à Pâques, aux chrétiens qui, s'étant confessés, s'apprêtent à recevoir les saints mystères. Il remet alors les péchés commis par habitude ou inadvertance qu'ils ont oubliés ou dont ils ignorent la malice, car ceux dont ils ont conscience ne sont pardonnés que par la Pénitence et la Confession.'85 'Ce sacrement, dit *le catéchisme d'Athène,* est administré à tout homme qui veut communier, et désire recevoir, par la bénédiction divine de l'Eglise et l'onction de l'Huile sainte, le pardon de ses péchés. Dans notre Eglise, il est souvent réitéré, selon les besoins des fidèles. On le leur donne ordinairement le Mercredi-Saint, parce qu'ils doivent s'approcher le lendemain de la Sainte Eucharistie.'80 *Le catéchisme de Constantinople* n'enseigne pas autre chose: *'L'Euchelaeon,* dit-il, doit être administré non seulement dans une maladie grave, mais dans n'importe quelle maladie, et même dans une maladie spirituelle.'87 *'L'Euchelaeon,* dit encore l'archimandrite Apost. *Christodoulos,* se donne soit dans les infirmités corporelles, soit dans les maladies spirituelles, avant la communion: telle est la pratique de notre Eglise.'88 Les feuilles publiques elles-mêmes nous apportent leur témoignages. Le journal Κωνστανουπολκ dans son numero du 22 décembre dernier [1898], publiait la lettre suivante: On nous écrit de Chalcédoine, à la date du 18 courant: "Hier, grâce au zèle vigilant de Sa Grandeur le métropolite de Chalcédoine, le sacrement de *l'Euchelaeon* a été administré dans l'église de la Sainte-Trinité, aux élèves des écoles grecques, qui devaient participer ajourd'hui aux Saint Mystères. On ne saurait trop louer cette pieuse initiative, qui manifeste une fois de plus le zèle paternel de Sa Grandeur. . ." ' Ces

"*Op. cit.* (supra, in p. 532) 449.
u,kpà •*SfOoXoyla,* I, § 85.
M *Mesoloras, Κατήχησή,* p. 118, note 2; ct 119, note 2.
"*Vafides, Κατήχησα,* p. 109.
M ^οκίμιον, § 92.

diverses citations nous montrent chez les Grecs la persistance, jusqu'à nos jours, de la coutume que Pierre Arcudius constatait déjà, au commencement du XVIIe siècle, dans toute l'Eglise grecque, dans toute la Russie et la Moscovie."[80]

Etiam apud catholicos orientales ea praxis aliquando viguit. Post documenta tamen Benedicti XIV (infra cit., p. 557-560), quibus ipsa prohibebatur omnibus catholicis ritus graeci, in his ecclesiis extincta est. Ex aliis ecclesiis ritus bizantini, quas illa documenta directe non respiciebant, quaedam, ut Rumeni et Rutheni, eam praxim sponte dereliquerunt; alii, ut Melkitae, eam reformarunt, quatenus, retenta solemni caeremonia consecrationis olei et unctionis in Feria V maioris hebdomadae, omittunt ipsam formam sacramentalem "Pater sancte" aliamque mere caeremonialem nec ambiguam orationem substituunt. Pontificia Commissio pro Russia, a Pio XII instituta, induito 12 april. 1930 concessit Sergio Wereguine, rectori ecclesiae russo-catholicae in Urbe, ut Feria IV aut V maioris hebdomadae administraret fidelibus oleum consecratum, iuxta rituale et consuetudinem ecclesiae russicae.[00]

Dictum est supra (p. 533 sq.) hanc aliasque similes praxes administrandi sanis Extremam Unctionem derivatas esse, vel saltem partialiter explicari posse, ex poenitentiali indole huius sacramenti eiusque connexione cum ipso sacramento Poenitentiae. Ad hoc non inepte notat *A. Malvy:* "On a suggéré[01] que l'Extrême-Onction a pu se dissimuler dans l'antiquité à l'ombre du sacrement de Pénitence. Cette suggestion aurait encore plus de valeur s'il était établi que les deux sacrements avait en commun le rite de l'imposition des mains. Celui-ci, qui, au temps des Pères, était au premier plan dans la réconciliation des pénitents, a perdu de son importance, au point qu'il ne figure plus guère aujourd'hui que comme un 'organe témoin' dans l'administration de l'absolution. Un mouvement tout à fait analogue l'aurait fait disparaître du sacrement des malades. Il semble bien que, par un mouvement inverse, Fonction avait pénétré ici ou là dans l'ancien rituel de la réconciliation des pénitents. Qui sait si l'on ne pourrait pas expliquer, par ce voisinage des deux sacrements et la confusion qui a pu en résulter, le bizarre usage de l'Eglise grecque actuelle qui. du moins en Turquie, confère à des assemblées de bien portants le 'sacrement de l'huile?'. . . En Russie, cet usage n'existe

"L'Extrême-Onction chez les Grecs," *Echos d'Orient* 2 (oct. 1898-oct. 1899) 200sq

[00] Cf. P. De Meester, *Studi sui sacramenti annninistrati secundo il rito bizantino* (Romac 1947) 238sq.

[01] *"J. de Guibert,* article Extrême-Onction, dans le *Dictionnaire apologétique du R. P. d'Alès."*

qu'à l'état de trace. Mais là où il s'est conservé, il se pratique le Jeudi saint, c'est-à-dire précisément le jour où l'antiquité réconciliait les pénitents. X'est-il pas indiqué de faire un premier usage des huiles consacrées aussi en ce jour? — A Constantinople, les règlements du séminaire patriarcal prescrivaient trois fois par an la réception de l'Euchelaion,— c'est-à-dire pratiquemment du même sacrement qui est en usage pour les malades. C'est une préparation à la communion. Cf. Jacquemier, *VExtrême-Onction chez les Grecs,* dans les *Echos d'Orient,* avril-mai 1899."[02]

Interpretationem autem illius graccac praxis quod attinet, an scilicet apud schismaticos orientales per ministrationem eiusdem materiae et eiusdem formae, quibus sacramentum Extremae Unctionis conficitur, intenderetur ipsum sacramentum sanis conferre nec tantum aliquod mere ecclesiasticum sacramentale, discrepant theologi, saltem antiquiores, aliis affirmantibus, aliis negantibus.

Controversiam hanc aperuerunt saec. 17 Arcudius et Goar. *Arcuditis* sustinuit Graecos unxisse sanos cum intentione sacramentali. eosque vehementer improbavit. Cui sententiae, saltem ut probabiliori, adhaeserunt inter alios *Raynaud, Martène, Benedictus XIV* (favet tantum) *Launoy, De Sainte-Beuve, Juénin* et *Gotti,* quorum tamen ultimi quatuor doctores (inferius iterum referendi) nullatenus Graecos improbant, quinimmo ex ea praxi confirmant suam opinionem, iuxta quam sacramentum sanis potest valide conferri. Huic interpretationi adhaerent, ut patet, *plerique theologi graeci* (infra referendi, p. 548) qui docent validitatem Extremae Unctionis sanis administratae. *Goar* vero mitius, ut solet, de Graecorum moribus indicans, opinionem Arcudii ut minime aequam impugnavit, docens Graecos non intendisse sacramentum ipsum sanis administrare, sed merum aliquod sacramentale. Cui opinioni adhaeserunt inter alios *Rcnaudot,*[93] *Clericatus, Chardon, Drouin, Tourncly, Dcnzingcr,*[9*] nec refragatur Benedictus XIV. Eidem interpretationi adhaerent illi theologi orientales (praecipue russi) infra referendi (p. 572 sq.) qui nobiscum negant validitatem Extremae Unctionis sanis administratae.

Quaestio iterum posita est recentiori tempore, sed faciliori negotio in sensu prioris opinionis resoluta est a theologis modernis, praecipue ab his qui peculiariter de quaestionibus orientalibus occupantur, scilicet *Jacquemier, Kern, Jugic, Spdcil,* nam ipsi praecipui ac quasi-officiales Catechismi Constantinopolitanus et Atheniensis (supra cit..

''"Extrême-Onction et imposition des mains," *Recherches de science religieuse* 7 (1917) 522 sq., in textu et in nota.

"Perpétuité dc la foi catholique. Cf. infra, p. 546, in textu *Jugie.*

"Quorum opera dedimus supra, p. 532 sq.

p. 541) fatentur in ecclesia graeca sacramentum Extremae Unctionis etiam sanis conferendum esse et maior pars ipsorum theologorum graecorum (cf. infra, p. 548), ut hanc praxim defendant, explicite docent validitatem Extremae Unctionis sanis collatae.

ARCUDIUS: "Ego praesentem morem Graecorum qui poenitentes, quamvis bene valentes, in omnibus iis corporis partibus adhibita quoque forma sacramenti non aliter atque infirmos inungunt, nulla ratione probare possum; et si sordidi quaestus gratia id faciunt, ... eo magis detestandus est. Cum enim subiectum non sit aptum ad recipiendum sacramentum — quando neque graviter quis infirmatur, et ad mortem, ut requirit Apostolus et exponunt sacri doctores — frustra temereque illud Graeci administrant. . . Graeci vero, qui alios novitatis accusant, et in eos aliquando insolentius assurgunt, respondeant ipsi, a quo illud acceperint, ut contra doctrinam apostolicam sanos ungere debeant."[05]

RAYNAUD: "Ordior a falsa pietate adhibentium hoc sacramentum valentibus spe obtinendi per illud remissam culparum. Graecorum ergo plerique hanc unctionem iisdem verbis adhibitis et in iisdem corporis partibus ac utentes eadem materia ab episcopo benedicta sanis et bene valentibus conferunt, si modo eam flagitaverint in remissionem peccatorum. Ita passim servant Graeci et ex eorum ritu Russi ac Moschi. De hodiernis plerisque Graecis idem tradit Franciscus Richardus l. de expeditione sacra ad insulam s. Irenaei c. 12, ubi notat, fomicatores et adulteros post confessionem inungi apud huiusmodi Graecos. Non ita quidem docent omnes Graeci scriptores. . . At plerique habent, quod dixi. . . Quia Graeci et quoad materiam et quoad formam et quoad partes inungendas eadem praestabant erga sanos quae erga depositos, perspicuum est, eos sacramentum Extremae Unctionis poenitentibus quoque bene valentibus contulisse abusione prorsus manifesta, ut Arcudius c. illo IV. recte confirmat ex institutione huius sacramenti per s. Jacobum promulgata et ex perpetuo Ecclesiae sensu, qui hoc sacramentum arctat ad periculose aegrotantes atque depositos."[00]

MARTÈNE: "Quorum [Graecorum] in hac re praxim merito mihi videtur impugnare Petrus Arcudius. . . Tametsi non vulgaris nominis theologi nonnulli Graecos, sanos et incolumes inungentes, ab omni prorsus errore liberos pronunciare non dubitent."[07]

BENEDICTUS XIV, Dc synodo dioecesana et Encyclica "Ex quo primum," infra cit. (p. 558 sq.).

LAUNOY et *DE SAINTE-BEUVE,* infra cit. (p. 549 sq.).

GOAR: "Rem gestam a Graecis enarro, quod probandum reiciendumve in ea apparet, exinde facile dignoscetur. Gravi afflictos aegritudine, deque salute recuperanda desperantes, officio praesenti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu, in domibus Graeci ungunt; in quo non modica, ut Christianos decet, se laude dignos ostendunt: imo et aegroti plerique e plebe aliorum manibus et ope ad Ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum praesentia et animo levamen et corpori miraculi alicuius experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnunquam dierum spatio, in Catechumenaeis iacent, pernoctant, morantur et sacra tandem Unctione sibi remedium exposcunt: quod si Arcudius advertisset, non tam levi causa sanos in Ecclesia, ac aegrotos in domibus, hoc se Sacramento communire asseruisset.

"Contingit tamen, fateor, aliquando, ut officio peracto, ex astantibus plerique,

M *Op. cit.* (supra, in p. 532).
** *Heteroclita spiritualia* XVI 164.
" *Op. cit.* (supra, in p. 533) 104.

vel benedictionis spiritualis obtinendae, vel levis alicuius doloris eos afflictantis, leniendi gratia, Unctionis medela se curari exoptent; quod cum praestent Sacerdotes eadem oratione ac super aegrotos recitata, negotium facessunt Theologo dubitanti, an unctio huiusmodi sacramentalis sit habenda, necne? Condemnat eam Arcudius lib. 5. cap. 4. ut irreligiosam ct sacrilegam, et quae nulla premente necessitate subiecto eius incapaci exhibeatur. Mihi certe non, ut severa, ita et aequa vel ratione stabilita videtur haec sententia. Neque etenim, ut ad germanum et suis partibus absolutum Sacramentum accedunt ii, qui huiusmodi unctione benedictionem aut consolationem spiritualem expetunt: vel qui levi dolore pressi, aut vulnere percussi, eiusdem unctionis medicamine a Deo se sanandos confidunt: deest siquidem ministris, sacramenti hac ratione conferendi animus, deest et totus ille precum apparatus, quo solo apposito, sacramentum hoc (quod non unctionis tantum, sed et orationum est foetus) Graeci Theologi perfici docent.

"Illa vero brevis oratio: ττάτερ *ayte, larpt* etc. quam veram germanamque sacramenti huius formam complecti asseremus, amplissimo verborum sensu abundat, et quae forsan non nisi praecedentibus aliis precibus ad sacramentum efficiendum restringitur, et quae proinde a variis unctionis usibus minime abhorrere, et modo huic, modo alteri, pro vario Ecclesiae ministrique proposito, applicari posse videtur. Unctionem praeterea extra sacramentum ex oleo infirmorum ab Episcopo consecrato, variis morbis adhibitam fuisse, gesta sanctorum et historiae Ecclesiasticae ab ipsomet Arcudio citato memoratae certissime docent, et Graecos a sacrilegio incurrendo, aliis adiunctis rationum momentis possunt absolvere. . .

"Plures autem difficultatum stimulos ingerit, et difficilius a reprehensione vindicatur ille ritus, quo gravioribus subditi peccatis, licet sint ex omni parte sani, quia tamen aegrotorum delicta sanctam Unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Canone, id est poenitentia acceptam, et a Sacerdotibus impositam, in delictorum satisfactionem subeunt et exinde Sacerdotibus tota precum harum serie se expiandos, et infirmorum Unctione velut adversa animae valetudine affectos, et medendos offerunt. Respuit idcirco ritum istum, et omni animi contentione detestatur Arcudius, quasi subiecto minus apto, sano nimirum homini Sacramentum infirmorum attentarent applicare. Verum cum in homine sano ut incapaci subiecto non possit effectum suum sacramenti Unctio producere: illud idem est, quod si non approbandum, saltem violatae religionis crimine non condemnandum hunc ritum persuadet, cum nec Graecos conferendi sacramentum propositum habere, demonstrare queat Arcudius. Infirmum enim spiritualem prae oculis habentes, precibus quidem his velut pharmaco salubri sanandum suscipiunt, vulnera eius oleo sancto curare, tum votis et benedictionibus alligare student: non ita tamen, ut Unctio precibus adiuncta, ex opere operato animae deleat infirmitates, sed si quid possit ex poenitentis tantum devotione, aut Sacerdotis deprecantis caritate, id est, ex opere operantis illud valet producere.

"Addo et hac eadem mente unumquemque oleo sancto ab Episcopis benedicto sese in Ecclesia Orientali ungendum offerre feria quinta in Coena Domini: Unctionemque eiusmodi ut peccatorum antidotum, et sanitatis largitricem, sacrae communioni praeviam Episcoporum manu suscipere; sed nec ille poenitens corpore vegetus, nec illi mysteriorum Dei dispensatores, veri germanique sacramenti suscipiendi vel concedendi mentem animumque dicendi sunt habere; cuius defectu, cur sacramentum irreligioso usu temerare aut violare possint non video."[88]

TOURNELY: "Hanc esse Graecorum praxim [i.e. ungendi sanos] certum est: sed an illa unctio qua sanos passim inungunt, ab illis pro vero nostro habeatur Sacramento, non ita certum et extra controversiam positum videtur. Affirmat Arcudius, qui idcirco contra hunc Sacramenti abusum vehementer insurgit: econtra negat Goarius, moleste ferens quod Arcudius suos propter eam unctionem durius exagitet, quae mera videtur esse apud ipsos caeremonia, non verum nostrum Sacramentum; quae Goarii sententia eo magis nobis arridet, quod audivimus

[88] Ευχολογίο», sive *Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 432 sq.

antea ex Innoccntio I. nostros etiam Latinos oleo per Episcopum sanctificato usos fuisse ad morbos depellendos: nec tamen suspicari possimus, in ea unctione fuisse verum nostrum Sacramentum. Deinde vix intelligimus. quomodo Graeci a Latinis nusquam reprehensi ea in parte fuerint, si pro certo habuissent unctionem illam, quam sanis promiscue, ac saepius adhibeant, esse verum nostrum Sacramentum, siquidem nostris Latinis fuit semper persuasum, solos infirmos, juxta mentem ct verba S. Jacobi, ac praxim Ecclesiae constantem, ea unctione esse liniendos. Innocentius etenim IV. in epistola ad Tusculanum Episcopum absolute et simpliciter non reprehendit Graecos, quod peccatores sanos inungerent, sed quod in satisfactionem penitentiae solam imperarent unctionem, qui certe abusus erat, ct disciplinae relaxatio manifesta."[00]

JACQUEMIER: "Quoi qu'il en soit de la pensée des Grecs à l'époque d'Arcudius et de Goar, leur croyance actuelle n'est pas douteuse. Si l'on doit en trouver quelque part l'expression authentique, c'est à coup sûr dans les catéchismes revêtus de l'approbation du Saint-Synode de Constantinople ou d'Athènes. Or, ces livres quasi officiels de l'Eglise orthodoxe considèrent *l'Euchelaeon* comme un *sacrement* destiné, non seulement à ceux qui souffrent dans leurs corps, mais pouvant être administré dans les maladies purement spirituelles, et, dans ce dernier cas, ils lui reconnaissent une efficacité propre au sacrement. Ils ne font aucune différence entre *l'Euchelaeon* des malades et *l'Euchelaeon* des pénitents, si ce n'est que le premier s'adresse à la fois à la maladie du corps et à celle de l'âme, le second à la maladie de l'âme seulement. Les renseignements particuliers que nous ont fournis nos relations avec les Grecs nous ont conduit à la même conclusion."[1]

KERN: "Quidquid est de saeculis praeteritis, nulla est difficultas cognoscendi, quid modo sentiant ecclesiae ritus graeci dissidentes de subiecto mysterii euchelaei. . . In patriarchatu Constantinopolitano et in regno hellenico late diffusa est praxis conferendi sacramentum Euchelaei tam sanis quam infirmis. . . [Id significant] catechismus Constantinopolitanus et Atheniensis. Unde si hae ecclesiae tempore, quo Goar suum opus edidit (a. 1647), revera nondum contulerunt mysterium s. olei perfecte sanis, certe eis accidit, quod Goar timuit, 'ne aut imprudenter sacramenti conferendi animum assumant aut erronee anticipata gravis morbi occasione a recta valetudine utentibus sacramentum illud praeveniri posse arbitrentur, vel tandem levissimo morbo curando adeo pretiosum huius sacramenti remedium impendant et poenitentiae usum in Extremae Unctionis susceptionem illegitimam convertant."'[1]

JUGIE: "Rcnaudotius putabat hanc unctionem bene valentium 'Graecis non haberi tanquam verum sacramentum, sed tanquam aliquod sacramentale.'[3] Ex dictis constat hanc sententiam amplius sustineri non posse. Quamvis enim theologi neo-graeci non pauci doctrinae catholicae suffragati fuerint, ct adhuc favere videantur, plerique tamen ex illis sententiae contrariae hodie adhaerent; quibus consentiunt etiam ex Russis aliqui contra praxim Ecclesiae suae."[4]

SPACIL: "Respondebant aliqui . . . ritum illum Orientalium non esse verum sacramentum, sed sacramentale quoddam. . . Sed melius cum Arcudio. Kem aliisque dicendum est unctionem illam sanorum apud Graecos adhibitam esse sacramentum abusive tamen et invalide administratum. Plerique theologi russi et graeci re vera ritum hunc pro sacramento vero habent, materia et forma eadem

[00] *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, *Praelectiones theologicae* (Parisiis 1765) IX 429.

[1] *Art. cil.* (supra, in p. 542) 201.

[2] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 279, 281 sq.

[3] *Perpétuité de la foi catholique,* etc. cd. cit. [i. e. Migne], col. 925.

[4] *Theologia dogmatica Christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* III (Parisiis 1930) 488.

adhibetur sicuti in unctione infirmorum, neque apparet quomodo per meram ministri intentionem sacramentum aliquod fieri possit sacramentale ”.[5]

Videtur dicendum in ecclesia orientali iam inde a medio aevo coepisse ac subinde pedetemptim invaluisse, donec recentiori tempore firmius consederit, abusum attentandi administrationem huius sacramenti ipsis personis sanis; id certum est de tempore hodierno quoad ecclesiam graecam, valde autem probabile est de antiquiori tempore quoad utramque ecclesiam graecam et russicam. Hoc ostendunt tum duo documenta Innocentii IV et Benedicti XIV, infra referenda (p. 553, 558 sq.); tum identitas inter ritum qui administrabatur sanis et ritum qui perficiebatur pro infirmis; tum absentia ullius signi aut declarationis administrationis non-sacramentalis, copulata cum positiva declaratione iustificante unctionem sanorum, quia scilicet Extrema Unctio, iuxta ipsam institutionem a lacobo declaratam, est pro quibuslibet infirmantibus, etiam mere spiritualibus, quae quidem declaratio satis signanter facta est iam a Simeone Thessalonicensi (cf. supra, p. 538) et omnino explicite et emphatice repetitur a modernis theologis graecis; tum ipsum factum quod recentius ab ecclesia russica eiusque theologis ea praxis et doctrina ob id derelicta fuerit quod videretur contraria institutioni sacramenti et verbis lacobi, ab antiqua Traditione declaratis. Attamen, talis praxis consideranda videtur tantummodo ut particularis abusus, utut recentiori tempore satis diffusus ac firmatus; nam nullatenus consignata fuit in ipsis Ritualibus sive symbolicis libris illius ecclesiae, qui cum doctrina catholica apprime conveniunt (cf. infra, p. 571 sq.), nec universalibus canonibus imposita. Nec refert quod fuerit consignata in pluribus recentioribus ipsis Catechismis, praecipue in Constantinopolitano et Atheniensi, nam praeterquam quod hi duo ipsi catechismi non habent valorem stricte officialem, nec destruunt auctoritatem et vim maiorum antiquiorum Catechismorum ac Symbolorum fidei, adhuc plures ex ipsis graecis catechismis de solis infirmis loquuntur, ut catechismi Bernadakis, Damasceni Christopuli. Diomedis Kyriaki. Nicolai Metaxae, etc.

Ceterum, contraria sententia Goar et aliorum non est destituta omni verisimilitudine, etiam quod attinet ad praxim modernorum graecorum. quatenus nempe ministrantes sanis Euchelaeon, etsi ex errore putent se illis ipsum sacramentum conferre, tamen ex praevalenti intentione faciendi quod facit sua ecclesia, iuxta communem nec unquam mutatam professionem officialium symbolicorum librorum.

5 *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* (“Orientalia Christiana.” n 74» Romae 1931) 193.

revera nonnisi aliquod sacramentale ministrare intendant. Praeterea, ipsa ministratio huiusmodi meri sacramentalis, adhibita nempe materia et forma sacramenti sed dempta intentione conficiendi sacramentum, quamvis sit summopere inconveniens, utpote inducens periculum confundendi utrumque ritum, et qua talis a Benedicto XIV ecclesiis saltem graeci ritus prohibita, secundum se tamen non repugnat sacramento, quoniam eadem forma, quae ex circumstantiis et intentione Ecclesiae et ministri est sacramentalis, potest extra tales circumstantias et intentionem, evadere mere caeremonialis et qua talis adhiberi, ut abunde constat de multis formis absolutionis quae adhibebantur in medio aevo et de ipsis caeremonialibus formulis "Misereatur" et "Indulgentia" quae in hodierno ritu Poenitentiae adhibentur ante ipsam formam absolutionis, quaeque, prolatae cum intentione sacramentali, essent secundum se validae formae sacramenti.

Unde nec esset mirandum si, mutatis fortasse circumstantiis et ex rationibus boni communis, puta ut facilius Orientales reducantur ad Ecclesiae unitatem, S. Sedes permitteret vel toleraret ut Graeci suam hodiernam consuetudinem retinerent, ut scilicet Euchelaeon sanis, puta in hebdomada maiori, ministrarent, explicite tamen vel ex circumstantiis declarata intentione non sacramentum sed purum aliquod sacramentale administrandi. Quod quidem, etsi possibile est, non tamen verisimiliter futurum, maxime si attendantur ex una parte praescriptiones Benedicti XIV, utut directe pro solis graecis latae, et ex alia parte ipsum supradictum facile periculum confundendi sacramentale cum sacramento, ratione cuius, ut dictum est supra, ipsae ecclesiae bizantinae non-graecae, quae praefatis praescriptionibus directe non attingebantur, ritum illum sponte dereliquerunt (Rutheni et Rumeni) vel ita reformarunt ut saltem ipsa forma "Pater sancte" omitteretur (Melkitae).

Quidquid sit de origine et indole praedictae praxis orientalis, quod attinet ad quaestionem, de qua directe quaeritur in praesenti articulo, certum est maiorem partem modernorum doctorum graecorum docere validitatem Extremae Unctionis sanis administratae; ita, inter notiores theologos, *N. Bulgaris, Kejalas, Andrutsus, Dyovuniotis, Mesoloras* et *Rallis,* imo hi duo postremi eam doctrinam referunt in ipsa definitione huius sacramenti? Graecis accedit unus vel alter theologus russus, ut *Stephaniis* episcopus] qui tamen concedit tum alios doctores tum ipsam praxim suae ecclesiae sibi adversari, et partialiter *Arch-*

* I. E. Mesoloras, ΈγχβφΙίωΜ Aeirov/rycicijf *τήι όρΟοδόζου ἀνατολικητ* Ἐκκλησίαι (Athenis 1895) 218. K. M. Rallis, ΠβρΙ τώχ *μυστηρίων τήι μιτανοίατ καί του* «ὑχώα/ου (Athenis 1905) 115.

τ *De sacramentis et ritibus orthodoxae Ecclesiae* frussice] (Charkov 1904) 18sq.

angelskij" et *Malinovskij"* qui, ad justificandam supradictam praxim ungendi sanos, dicunt hoc sacramentum nonnisi exceptionaliter sanis administrari posse.

Rationem autem suae doctrinae hi doctores deducunt uno vel alio modo ex vario fine et effectu sacramenti; hoc enim sacramentum est institutum pro infirmis, infirmitas autem duplex est, scilicet corporalis et spiritualis (tristitia, dolor animi, ipsum peccatum) (N. Bulgaris, Kefalas, Mesoloras, Rallis); item, est institutum ad utrumque effectum corporalis et spiritualis sanationis, qui ultimus convenit etiam sanis (Andrutsus, Dyovuniotis); item, ordinatur ad praeparandam bonam mortem, haec autem imminet quolibet momento etiam sanis, cum nemo sciat diem neque horam superventurae mortis (Dimitrij Rostovskij).

2. *INTER THEOLOGOS CATHOLICOS* non defuerunt pauci doctores saec. 17-18, ianseniana labe aliunde inquinati, qui docuerunt Extremam Unctionem etiam sanis valide conferri, nec contrarium sive ex Scriptura sive ex praxi aut documentis Ecclesiae evinci posse, ita ut discrimen occidentalis et orientalis praxis ad meram disciplinam revocandum sit, non secus ac varia ipsa praxis consecrandi in azymo vel fermentato. Ita praesertim *J. De Sainte-Beuve* (f 1677) in suo aliunde optimo tractatu de Extrema Unctione, *J. Launoy* (t 1678) in suo tractatu de eodem sacramento una cum aliis eius operibus in Indicem relato, et *C. Juénin* (f 1727);[10] quibus accesserunt quidam alii, ut *C. Roncaglia* (t 1737)[11] et *Card. L. Gotti* (t 1742).[12] quatenus illorum doctrinam non damnabilem nec improbabilem reputarunt. De argumentis huius opinionis, quae primo ac praecipue proposuit De Sainte-Beuve mox citandus, ait Benedictus XIV: "Ejusmodi argumenta frivola sunt nulloque labore evertuntur"; ipsa vero opinio communiter a theologis aliqua severiori censura multatur, ut infra dicetur (p. 551).

LAUNOY, relato discrimine praxis Graecorum a praxi Latinorum, quam dicit solam conformen verbis Iacobi et traditioni Ecclesiae, concludit: "Caeterum. si Graeci cum Latinis redire vellent in gratiam, nec vellent ab ista disciplina desistere, eam tanti non esse credo, quae pacem et concordiam merito retardaret. Haec enim disciplina tolerari ex eo potest, quod Latini annis abhinc octingentis panem fermentatum, quem in sacrificiis majores omni retro aetate adhibuerant, reliquerint ... ut azymo uterentur, quo usum fuisse Christum Evangelia testantur. Recentiores Graeci pari modo potuerunt deserto more majorum, qui non ultra

[9] *Loc. cit.* (supra, in p. 532).
[10] *Summa orthodoxo-dogmaticae theologiae* [russice] IV (Serghicv Posad 1909) 415.
[11] *Commentarius historicus et dogmaticus de sacramentis in genere et in specie,* diss 7, q. 7, c. 2.
[12] Tr. 20, q. 1, quacr. 6.
[13] *Theologia scholastico-dogniatica,* torn. 3, tr. 11, q. 4, dub. 1.

quam infirmis Extremam Unctionem dederunt, eandem praeterea sanis, et iis etiam, qui poenitentiam agerent statuerunt impertiri. Non quod ad faciendum illud beati Jacobi praecepto utantur, sed exemplo Christi, mulieris peccatricis, et unguentiferarum virginum, quae, uti Simeon [Thessalonicensis] edisserit. Oleum usurparunt. Deinde quae disciplina non impedit, quominus in Florentino Concilio Graecos inter et Latinos sanciretur concordia, eadem neque nunc temporis impedire deberet."[11]

DE SAINTE-BEUVE, qui videtur primus hanc opinionem protulisse, sic eam profert et argumentis confortat: "In Ecclesia Latina Sacramentum Extremae Unctionis confertur solis infirmis; et omnes theologi post S. Thomam, in Supplem. q. 32, a. I, contendunt institutum esse pro solis infirmis. . . In Ecclesia Graeca confertur non aegrotantibus modo, sed etiam peccatoribus sanis et benevalentibus, ad abstersionem reliquiarum peccatorum. . .

"Quaeres 1° utrum hujusmodi unctio reputari debeat nostrum Sacramentum? — Respondeo affirmative, quia praeter materiam habet formam consuetam: 'Pater sancte,' etc.; habet quoque ministrum. Goarus opponit Pontificem ungentem benevalentes haud intendere Sacramentum illis administrare, cujus sunt incapaces, quia nulla detinentur infirmitate. Sed frustra. Nam saltem Pontifex habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, et id sulficit. Intendit ungere homines, verba formae Unctionis Sacramenti proferendo in ordine ad abstergendas peccati reliquias, qui est alter ex effectibus Sacramenti Unctionis. An vero benevalentes sint incapaces Sacramenti nostri, disputatur inter Latinos et Graecos, his negantem sententiam propugnantibus, illis affirmantem.

"Quaeres 2° utrum Graeci versentur in errore, sustinendo Sacramentum Unctionis esse institutum aeque pro sanis et infirmis? — Respondeo negative. Nam neque Scripturae, neque Cone. Trid., neque Decretum Eugenii, nec denique nuncupatio materiae illius id postulant. Scriptura jubet ungi infirmos, non excludit sanos. Concilium Trid. pronuntiat subjectum Unctionis esse infirmos, ad eum modum quo S. Jacobus cujus verbis nititur. Eugenius in Decreto declarat quod nonnisi infirmo dari debet; sed non ait quod pro infirmis solummodo fuerit institutum. Nunc Eucharistia nonnisi suae rationis compotibus conferri debet; neque tamen instituta fuit pro solis qui usum rationis habent. Eugenius declaravit qualis esset praxis Ecclesiae Romanae, quam voluit Armenos amplecti; non declaravit praecise qualis esset institutio Sacramenti. Denique materia Sacramenti appellatur oleum infirmorum a Latinis potissimum, qui attenderunt ad usum nostrae Ecclesiae, neque respexerunt ad institutionem Sacramenti; aut etiam sic nuncupatur, ut distinguatur ab alio oleo, quia ordinatur praecipue ad infirmos, licet non solos perungendos.

"Et sane praeterquam quod praxis Ecclesiae optima est interpres Scripturae; unde recte colligitur Jacobum apostolum non commemorasse infirmos cum exclusione sanorum, quandoquidem Ecclesia orientalis confert illud Sacramentum sanis et aegrotis; dico praeterea praxim istam non posse argui, quia Latini nunquam redarguerunt Graecos de ea. In concilio Florentino, in quo Occidentales de multis quaesivere ab Orientalibus post synodicam definitionem, nihil de Unctione. Innocentius IV. Epist. cit. ad Tusculanum episcopum, culpavit sacerdotes Graecos, non quia peccatores sanos ungebant, sed quia pro satisfactione Poenitentiae injungebant Unctionem solam. Denique si praxis ista fuit orientalis Ecclesiae antiquae praxis, si Chrysostomus et Origenes de ea praxi testimonium perhibuere [cf. supra, in p. 539, in nota], non video qua ratione Graeci culpari in eo valeant, quia vetus orientalis Ecclesia culpari nisi temere non potest."[14]

[11] *Df sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae traditio circa statum et aetatem infirmorum sacram Unctionem suscepturorum,* c. 5, observ. S, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 566.

[14] *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 1, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 116-119.

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica

Solos infirmos (abstrahendo nunc a gravitate et qualitate infirmitatis, de qua in art. seq.) esse validum subiectum sacramenti, ita ut sanis, saltem si non sint proxime morituri (ut capite damnati), invalide administretur, est *theologice certum,* ut luculenter sequitur tum ex solemnis magisterii documentis, praecipue Cone. Flor, et Trid., tum ex magisterio ordinario et constanti praxi Ecclesiae, imo, attento hoc ordinario magisterio et hac praxi Ecclesiae, non videtur excedere qui diceret id esse *proximum fidei,* quatenus est probabiliter definitum a magisterio ordinario.

In hanc notam theologicam collimat commune iudicium theologorum, quorum unus vel alter videtur loqui de re fidei, unus vel alter de re proxima fidei, plures loquuntur de re theologice certa, unus vel alter de doctrina catholica cui contradicere temerarium esset.

De fide. Ita videtur indicare *Pesch* (nec difficile esset, inter antiquiores, alios invenire qui id dicant aut supponant), simpliciter scribens: "Subjectum extremae unctionis est adultus baptizatus, periculoso morbo laborans. De fide" (prop. 40).

Proximum fidei. Ita sentire videtur *Spdcil* scribens: "Omnes theologi praeter illos supra notatos [i.e. De Sainte-Beuve, Launoy, Juénin] unanimiter docent extremam unctionem nonnisi infirmis licite et valide administrari posse, et hanc doctrinam sic in fontibus revelationis et praxi Ecclesiae fundari ostendunt, ut ea, *sin minus definita,* saltem per magisterium ordinarium sufficienter proposita censeri debeat. . . Rem per concilium [Trid.] non esse definitam, sed ex concilio deduci censet Benedictus XIV' (De synodo dioec.) cum aliis: sed certe, *sin minus definitio,* saltem authentica declaratio magisterii ecclesiastici hic habetur. . . Doctrina [praeterea quae docet ipsis solis *periculose aegrotantibus* sacramentum valide conferri] ... sic in fontibus revelationis fundata invenitur, ut pro *theologice certa* habenda sit."[15]

Theologice certum. Suarez: "Assertio *certa est,* eum tantum hominem, qui corpore infirmus est. et in eo statu, ut vita ejus periclitetur esse capacem hujus sacramenti."[10] *Cappello:* "Quod subjectum capax extremae unctionis sit solus infirmus ac propterea quod morbus sit de necessitate sacramenti, certum est."[17] *Kilker:* "It is

[14] *Op. cit.* (supra, in p. 547) 189, 191, 194.
[15] Disp. 42, sect. 2, n. 2.
[16] *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 163.

certain now that a person in order to be a valid subject for Extreme Unction must 1) be afflicted with a serious disease which is putting him in danger of death, but 2) not necessarily to such an extent that he is outside the pale of recovery. The present Canon [940] confirms this."[18] *Diekamp* et *Daflara,* citato ex integro can. 940, § 1, Codicis, immediate addunt: *"Sententia certa." De Augustinis:* "Si vero sanis quidam ex Graecis sacramentum Extremae Unctionis conferre intendunt, eos *gravissime errare* dicendum est."[19] Idem supponunt plures alii auctores dogmatici, sese referendo ad manifestam doctrinam et praxim Ecclesiae et ad verba Benedicti XIV. Ceterum pro hac nota praecipue afferri debet iudicium quod de contraria sententia *Benedictus XIV* attulit ut doctor privatus in suo opere *De synodo dioecesana* et confirmavit ut Pontifex in sua Encyclica "Ex quo primum" infra citanda (p. 558 sq.); imo idem Benedictus in priori illo opere graviorem notam assignare videtur, observans quod in hac sicut in ceteris doctrinis "unanimis theologorum consensus efficax est argumentum ad catholicum dogma stabiliendum."

Doctrina catholica cuius contrarium est temerarium. Kern: "Est *doctrina catholica,* pharmacum sacramentale non posse administrari nisi infirmo gravi morbo laboranti. Quae veritas a Concilio Tridentino tam claris verbis enuntiatur, ut *sine temeritate* in dubium vocari nequeat."[20] *Hervé:* "Extremam Unctionem valide recipere potest solus adultus baptizatus, periculose aegrotans [Doctrina catholica]";[21] hic auctor pro doctrina catholica intelligere solet saltem doctrinam "quae tuto ab omnibus tenenda est"[22] adeoque cuius contrarium sit saltem temerarium; ceterum hic aliquid maius innuere videtur, cum inferius addit: "Periculose aegrotans [est solum subiectum capax sacramenti]: Nam ante Tridentinum, quo res definita est, jam dixerat Florentinum. . ."[23]

Documenta Ecclesiae.

INNOCENTIUS I in celebri textu ex ep. "Si instituta ecclesiastica" ad Decentium episcopum Eugubinum, 19 mart. 416, sensum antiquae Ecclesiae exprimit, inquiens: "Quod [dictum Iacobi] non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt" *(Denz.* 99).

[18] *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 164.
[19] *De re sacramentaria* (Romae 1899) II 403 sq.
[20] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 289.
[21] *Manuale theologiae dogmaticae* III (ed. 16, Parisiis 1936) 436.
[22] Cf. *ibid.* I (ed. 18, Parisiis 1934) 491, coli, cum 20, in nota 2.
[23] *Ibid.* III 437.

INNOCENTIUS IV, Ep. "Sub catholicae" ad Ottonem cardinalem Tusculanum, apostolicum legatum apud Graecos, 6 mart. 1254: "Nullus autem per sacerdotes vel confessores pro satisfactione poenitentiae unctione aliqua solummodo inungatur. Infirmis vero iuxta verbum lacobi [lac 5, 14 sq] unctio exhibeatur extrema" *(Denz.* 451).

Quidam, ut *De Sainte-Beuve* (supra cit., p. 550), admittunt quod S. Pontifex in priori parte huius textus agit de sacramento Extremae Unctionis et dicunt ipsum non improbare Graecos quod conferrent sanis ipsum sacramentum sed quod illud conferrent pro satisfactione sacramentali, quo quidem rigor huius satisfactionis relaxabatur. Haec tamen interpretatio falsa est, attento sive contextu aliorum documentorum et praxis Ecclesiae de conferendo hoc sacramento solis infirmis, sive ipso textu, nam Innocentius per alteram partem eiusdem textus explicat sensum prioris, quasi dicat: Ideo sacramentum Extremae Unctionis non est quandocunque dandum in sacramentalem satisfactionem, quia est sacramentum solorum infirmorum. Alii, ut *Tournely* (supra cit., in p. 545 sq.), dicunt S. Pontificem in priori textus parte non agere de sacramento sed de aliis unctionibus non sacramentalibus, ac reprehendere Graecos quod nonnisi aliquam unctionem praescriberent in sacramentalem satisfactionem, cum id cederet in relaxationem rigoris et ecclesiasticae disciplinae; quod quidem innuere videtur ipsa indeterminata expressio "Unctione aliqua," opposita determinatae expressioni alterius partis textus "Unctio extrema." Attamen, hanc interpretationem improbabilem esse, apparet ex ipsa appositione alterius partis textus in qua agitur de sacramento quaeque nullam rationem haberet nisi esset explicativa prioris partis, ita ut logica ratiocinatio Innocentii sic sonet: Sacramentalis unctio exhibenda est infirmis adeoque non est quibuscunque danda in sacramentalem satisfactionem. Hic ceteroquin sensus confirmatur ex ipsis, utut posterioribus, documentis de existentia graecae praxis conferendi ipsum Euchelaeon in sacramentalem satisfactionem (cf. supra, p. 535 sq.).

CONC. LUGDUNENSE II, a. 1274, *Professio fidei Michaelis Palaeologi:* "Aliud [sacramentum est] extrema unctio, quae secundum doctrinam beati lacobi infirmantibus adhibetur" *(Dcnz.* 465). Haec considerari potest ut professio fidei ipsius ecclesiae orientalis; proposita fuit a. 1267 a Clemente IV imperatori Michaeli Palaeologo qui, nomine ecclesiae graecae, eam obtulit Gregorio X in Cone. Lugd. II.

CLEMENS VI, Epist. "Super quibusdam" ad Consolatorem, Catholicon Armenorum, 29 sept. 1351: "[Quaerimus:] Si credis,

quod omnis homo mortalis adultus in eo solo casu, quo graviter est infirmus, et in mortali periculo constitutus, debet devote et fideliter semel dumtaxat in eadem infirmitate sacramentum extremae unctionis requirere et suscipere."[21]

CONC. FLORENTINUM, Decr. pro Annonis: "Si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem" *(Denz.* 695). "Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet" *(Dcnz.* 700).

De Sainte-Beuve (supra cit., p. 550) ait haec verba, utut exclusiva, non esse decisiva, seu non agere de subiecto valido sed licito, ita ut Concilium solummodo declaret Armenis quae esset praxis latina. Quod confirmat tum ex ipso textu, in quo tantum dicitur "non debet" non vero "non potest." tum ex circumstantiis, nam, etsi in hoc Concilio multa discuterentur de variis Graecorum doctrinis et moribus, quaestio de Extrema Unctione, quam Graeci etiam sanis administrabant, nullo modo tacta est.

Attamen, hujus auctoris explicatio merito ut frivola a Benedicto XIV reicitur. Nam Concilium agit de subiecto valido huius sacramenti, quemadmodum ibidem agit de valido ministro et de valida materia et forma; verba autem "non debet" in decretis dogmaticis de sacramentis indicare solent exclusionem non solum liceitatis sed etiam validitatis, nisi aliunde contrarium manifesto constet (cf. infra, ubi de cap. 3 Cone. Trid.), eundemque sensum habent apud doctores mediaevales, nominatim apud S. Thomam ex cuius opusculo excerpta sunt haec Florentini verba (cf. dicta in art. 24. p. 332-334; item textum S. Thomae infra cit., p. 575). Praxis ungendi sanos apud Graecos nonnisi pauca et particularia vestigia habentur ex tempore Cone. Florentini, quae ceteroquin nec certo exhibent sacramentalem ipsam intentionem conferendi Extremam Unctionem; inde non mirum est Patribus latinis eam praxim fortasse ignotam fuisse nec ipsos Patres graecos dignam reputasse ut in Concilio exhiberetur aut discuteretur. Ad rem observat *Benedictus XIV:* "A silentio . . . concilii Florentini rectius deducimus, sapientissimis illis Patribus fuisse persuasum sanctam Unctionem a Graecis sacerdotibus non adhiberi hominibus bene valentibus tanquam Sacramentum, sed velut meram caeremoniam et sacramentalem quamdam benedictionem: Graeci enim, qui de singulis suis ritibus coacti sunt rationem reddere, gravem utique reprehensionem non evasissent,

[21] Apud O. Raynaldvm, *Annales ecclesiastici,* t. 2, ad annum 1351, n. 12. Cf. dicta de vi huius documenti in art. 24, p. 335-337.

si comperti fuissent hac in re a communi et constanti Ecclesiae Latinae traditione et praxi aberrare."[21]

CONC. TRIDENTINUM, sess. 14, *in prologo* de Extrema Unctione, in eo distinguit hoc sacramentum a ceteris, quod per illa Christus "auxilia . . . praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, *dum viverent,* ab omni graviore spiritus incommodo possint," per hoc vero "finein vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit" *(Denz.* 907). Inde Concilium proponit infirmitatem, imo periculum mortis, ut finem seu circumstantiam pro qua hoc sacramentum est institutum, adeoque ut conditionem validitatis in subiecto.

Cap. 2, nonnisi relate ad infirmum accipit et explicat proprium duplicemque effectum huius sacramenti: "Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio . . . *aegroti animam alleviat* . . . , qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert . . . . et *sanitatem corporis* interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur" *(Dcnz.* 909).

Cap. 3: "Quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis [i.e. in textu lacobi] traditum. Nam et ostenditur illic, proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros. . . Declaratur etiam, esse *hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur,* unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, *cum in aliud simile discrimen inciderint" (Dcnz.* 910).

Hic iterum Concilium loquitur de infirmitate, tanquam de conditione validitatis. Nam imprimis ait in verbis lacobi tradi quinam suscipere et quinam ministrare debent sacramentum; sub hac autem expressione intelligit ministrum validitatis, nam immediate addit proprium seu validum ministrum esse presbyterum; ergo sub eadem expressione intelligit proprium seu validum subiectum sacramenti, nec ideo illae voces "debent" et "adhibendam" sonant solum subiectum liceitatis: ceterum, in ultimis verbis Concilium non amplius loquitur de subiecto qui debet, sed de subiecto qui potest sacramentum suscipere ("iterum iuvari poterunt"). Praetera, ex hoc ipso quod Concilium dicat indicationem subiecti infirmi fieri a lacobo, intelligitur agi de subiecto validitatis, quod ceteroquin magis directe significat Concilium circa finem eiusdem capitis, inquiens "Ecclesiam Romanam non aliud in

[21] *Dc synodo dioecesana,* l. 8, c. 5, n. 5, in Micne. *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis'1841) 1100

hac administranda unctione, quantum ad ea, *quae huius sacramenti substantiam perficiunt,* observare, quam quod beatus Iacobus praescripsit," praescripsit autem Apostolus, ut Concilium iam dixerat, hoc sacramentum infirmis conferendum esse.

Ex quibus falsa ostenditur interpretatio *De Sainte-Beuve* (supra cit., p. 550) dicentis Concilium, sicut et ipsum Iacobum, "jubere ungi infirmos, [sed] non excludere sanos." Et si quid amplius desideretur, idipsum abunde ostendunt ipsa *Acta Concilii.* Nam theologi et Patres in suis discussionibus praeparatoriis nonnisi de infirmis, tanquam de proprio subiecto huius sacramenti, loquuntur, imo quidam exaggerata expressione asserunt nonnisi illis infirmis, qui sunt in ipso exitu vitae constituti, sacramentum praebendum esse. Ipsum *prius schema* capitis 3 sic legebat: "Declaratur etiam, non esse hanc unctionem nisi infirmis adhibendam, nec illis quidem omnibus, ut ecclesiae traditio nos edocet, sed illis dumtaxat, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur. Quare merito et extrema unctio, et exeuntium sacramentum nuncupatur, quod nonnisi extreme laborantibus, et cum morte congredientibus, atque hinc ad Dominum migrantibus salubriter adhibeatur." Ex theologis minoribus, *J. Ravesteyn* observabat: "Licet Jacobus expresse non dixerit, infirmos extremo laborantes inungendos esse, tamen id implicite sensit, cum dicit: Et si in peccatis fuerit, etc. Quoniam dum quis vivit, sine peccato esse non potest, juxta Joannem. Si dixerimus, quia peccatum non habemus etc. ideo intelligitur de eo, qui ex hoc saeculo transiturus est." *Sigismundus Phaedrius* O.F.M. Conv.: "[Protestantes arguunt] quod Jacobus omnes infirmos inungi praecipit, nos non. nisi in extremo laborantes . . . [Sed] quod tantum extreme laborantes ungantur, id esse [dicimus] ut transituri ex hoc mundo, mundi omnino exeant, si qua peccata remansissent post confessionem, per hoc deleantur, ut dicit apostolus." *Clodiensis* episcopus, pater conciliaris: "Jacobus etiam intellexit de graviter infirmantibus, cum dicat: inducat presbyteros, quasi non modo naturali sanabunt, sed divino miraculose; alias dixisset: inducat medicos. Miracula enim passim facienda non sunt; ideo intellexit, quod sacramentum hoc non nisi in extremis laborantibus daretur, ut virtus divina operaretur tam in sanitate animae, quam corporis."[28]

CATECHISMUS CONC. TRID.: "Sed docendi sunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat, quaedam tamen hominum genera excipi, quibus administrandum non sit. Ad primum excipiuntur, qui sano et firmo corpore sunt. Iis enim Estremam

Apud A. Theiner, *Acta genuina ss. oecunienici Concilii Tridcntini* (Zagabriac in Croatia [1874]) I 541, 543, 572 sq., 590sq.

Untionem tribuendam non esse, et Apostolus docet, cum inquit: Infirmatur quis in vobis? et ratio ostendit: si quidem ob eam rem instituta est, non modo ut animae, sed etiam ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco iis etiam, qui adeo periculose aegrotare videntur, ut, ne supremus illis vitae dies instet, metuendum sit, hoc Sacramentum praeberi debet. In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore coelestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cum eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint. Nemini igitur, qui graviori morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametsi vitae periculum adeat, vel quia praelium initurus sit, a quo illi certa mors impendeat, vel etiam si capitis damnatus ad supplicium raperetur" (p. 2, c. 6, q. 9).

BENEDICTUS XIV (1740-1758) hanc materiam dilucide et satis diffuse proposuit in quatuor operibus, quorum duo protulit ut Papa, scilicet Constitutionem *"Etsi Pastoralis"* a. 1742 et Encyclicam *"Ex quo primum"* a. 1756, duo ut doctor privatus, scilicet *De synodo dioeccsana* (primo editum a. 1748 et partialiter exaratum atque auctum eodem Pontificatus tempore) et opus postumum *Dc Sacramentis.*[21]

In Constitutione "Etsi Pastoralis" S. Pontifex, agens de ritibus ab Italo-Graecis servandis, ait Extremam Unctionem dandam esse infirmis ac prohibet ne unctio cuiuscumque generis a sacerdote imponatur in sacramentalem satisfactionem.

In Encyclica "Ex quo primum" S. Pontifex, proponens ecclesiis ritus graeci novam Euchologii editionem et explicans tertium inter varia monita illi editioni praeposita, diffuse considerat morem Graecorum conferendi sanis Euchelaeon necnon connexam quaestionem de validitate Extremae Unctionis sanis administratae, atque haec decernit: 1. Hoc sacramentum est institutum ut medicina non solum pro anima sed etiam pro corpore, adeoque solis infirmis adminis-

[21] Illud primo edidit Fr. Heiner, *Benedicti XIV opera inedita,* Friburgi Brisgoviae 1904. Haec editio tres refert partes sive opera, quorum duo posteriora sunt italice exarata: Pars I, De ritibus quae intersit differentia inter Latinos et Graecos; Pars II, De festis Apostolorum; Pars III, De Sacramentis. In hac tertia parte extat Tit. III De Poenitentia et Extrema Unctione, Capitolo VIII *Dell'abuso dei greci d'amministrare il sacramento dell'estrcma Unzione anche ai sani* (p. 370-377).

trandum est, et quidem graviter aegrotantibus. 2. Invalide sanis administratur. 3. Contraria sententia gravis error indicatur. 4. Nec etiam licet solam materiam sacramentalem, seu oleum consecratum, sine forma sanis ministrare. 5. Reprobatur mos Graecorum inungendi sanos in sacramentalem satisfactionem.

In opere De Synodo Dioecesana totam quaestionem de more Graecorum per integrum caput exponit et indicat. Refert ipsam praxim Graecorum ungendi sanos, item duplicem discrepantem interpretationem Arcudii et Goar, favens potius priori; miratur quosdam catholicos, seu De Sainte-Beuve et Juénin, defendisse validitatem administrationis sacramenti personis sanis, eorumque argumenta ut frivola refellit; hanc opinionem et morem Graecorum, prout ab Arcudio explicatur, dicit "jure gravis erroris insimulari et damnari."

In opere De Sacramentis praxim conferendi Euchelaeon, seu ipsam materiam et formam sacramenti sed sine intentione sacramentali, iuxta interpretationem quam Goar affert de praxi Graecorum, vehementer dissuadet cum Philippo de Carboneano, etsi non simpliciter damnet.

Constitutio "Etsi Pastoralis," 26 maji 1742 (De dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis tenendis atque servandis § 5, n. 1 sq.): "Nulli per sacerdotes vel confessarios pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo injungatur. Infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema."[28]

Encyclica "Ex quo primum" 1 martii 1756 (De nova Euchologii Graeci editione), § 44–4S: "Tertium sese offert monitum, duabus partibus constans et sequentibus verbis conceptum. 'Praeterea meminisse debent sacerdotes, sacramentum sancti olei, quod euchelaeon dicitur, a Christo esse institutum, tamquam coelestem medicinam, non pro animae tantum, sed etiam pro corporis salute; solis proinde infirmis administrandum, non autem bene valentibus; et in eo quidem tempore, in quo sibi constant et sui compotes sunt, ut ita majorem sacramenti gratiam recipiant, si cum fide ac devota voluntate accedentes, oleo sancto ungantur. Item sciendum est. quod, quamvis Orientalis Ecclesiae Pontifices in conficiendo sacro chrismate pluribus de more aromatibus utantur, necessaria tamen sacramenti materia sunt oleum ct balsamum, quibus, secundum antiquam Ecclesiae Orientalis morem, aliae aromatum species recte admiscentur, si earum quaedam desint (dummodo oleum et balsamum adsint) tamquam non necessaria ad chrimatis materiam, rite omnino sanctum chrisma conficitur'. . .

"Sed ad illustrandum tantummodo priorem partem hujusce tertii moniti, hoc adjiciemus, quod, quum et olim sub Urbano VIII et superioribus pontificatus Nostri annis disceptatum diu fuerit, an a Graeco Euchologio delenda essent quaedam verba, quae innuere videntur, licitum esse, hoc sacramentum etiam bene valentibus ministrare, in consessu habito die 3. Septembris anni 1747. definitum fuit deindeque a Nobis probatum, ut nihil in textu immutaretur; sed quae necessario servanda erant, adnotarentur in monito, quod initio Euchologii praeponeretur; id quod est factum per verba superius exscripta, monendo Graecos sacerdotes, ne sacramentum extremae unctionis ministrent bene valentibus, sed iis dumtaxat, qui gravi morbo laborant. Porro nihil necesse visum est Euchologii textum hic mutare; propterea

Acta ct decreta sacrorum conciliorum reccnliortint. Collectio Lacensis II (Eriburgi Brisgoviac 1876) 511.

quod, illius verbis undequaque perpensis, apparuit, rectum illis sensum suamque interpretationem tribui posse. Neque enim ibi dicitur ut sacramentum ministretur iis, qui bene valent, sed ut ii quoque inungantur qui ad ecclesiam se conferunt; id quod percoirqnode intelligi potest de iis etiam, qui, licet gravi morbo affecti, possunt nihilominus ad ecclesiam vel pedibus suis accedere vel aliorum ope deferri, ibique ut propriae devotioni magis satisfaciant, extremae unctionis sacramentum sibi ministrari postulant; cujusmodi exempla in ipsa quoque Occidentali Ecclesia non desunt, ut videre licet apud Martène (de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 2. cap. 7. art. 2. num. 7. et 8.) et penes Mabillon (in praefatione ad saeculum primum, in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini §9. num. 101).

"Cohaerentia sunt cum hac prima parte tertii moniti duo haec, quae advertenda subjicimus: primum, quod quamvis Graecis diserte vetitum fuerit extremae unctionis sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis et quidem grava morbo laborantibus; iisdem nihilominus interdictum non est, quominus oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in ecclesia asservatur, inungant energumenos aliosve. qui, vel devotionis gratia, vel ut aliquo liberentur, hujusmodi unctionem petunt; quum oleum in ea lampade asservatum nequaquam ab Episcopo vel sacerdote consecratum sit ad effectum utendi eo in extremae unctionis administratione. Haud ignoramus, postulatum alias fuisse, ut Graecis permitteretur, extremae unctionis oleo extra gravis infirmitatis casum sese inungere, absque eo quod sacramentalis forma a sacerdote pronuntiaretur; ea scilicet ratione allata, quod per solam applicationem materiae sacramentum minime conferretur, quum ad id necessaria omnino sit simultanea formae prolatio. Verum nec id receptum fuit, nec recipi ullo modo potest; quum minime liceat sacramentum a Christo institutum arbitrariam quamdam, licet piam, in caeremoniam convertere; ut etiam recte observat Pater de Carboneano (in appendice ad tractatum P. Antoine de extrema unctione §4. pag. 661), ct quamvis, pro eo quod pertinet ad Latinam Ecclesiam. Quintaduenas (in tract. 5 de extrema unctione, singular. 11.) asseruerit, licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes oleum sanctum infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur, vel tamquam abutens sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa sacramentum extremae unctionis, ut opportune advertit Clericatus (de sacram, extr unet, decis. 70. n. 32).

"Alterum est, quod, stante prohibitione administrandi sacramentum extremae unctionis extra gravis morbi necessitatem, quum jam definitum sit. satisfactionem seu poenitentiam, quae a sacerdote confessario sacramentaliter confessis imponitur, constare potissimum debere precibus, jejuniis et eleemosynis (quemadmodum habetur in decreto a fel. record. Eugenio Papa IV pro instructione Armenorum edito) : minime licet poenitenti confesso pro satisfactione seu poenitentia imponere, ut extremae unctionis oleo inungatur. Invecta sane olim fuit inter Orientales hujusmodi unctio, veluti mere caeremonialis, uti deprehenditur ex canone LXXIV ex iis, qui in versione Arabica Nicaeno Concilio tribuuntur (in Collectione Hardouini tom. 1. pag. 492). ubi statutum legitur, ut si quis fidelis cum infideli muliere impudice versatus fuerit, post diuturnam peractam poenitentiam. Ecclesiae reconcilietur *per aquam benedictam et oleum infirmorum.* Exinde vero, si fides habenda est Joanni Nathanaeli in responsorio *de moribus Graecorum,* et Francisco Richardo *de expeditione sacra* cap. 12. abusus alter inductus fuit, ut poenitentibus divitibus pro sacramentali poenitentia hujusmodi sacra unctio passim imponeretur, ex cujus satisfactionis usu non exigua pecuniarum retributio colligebatur. Gravissimo huic absurdo occurrere non praetermisit fel. rec. Innocentius IV Pontifex Maximus ... in epistola sua ad Tusculanum Episcopum."[20]

De synodo dioecesana, 1. S, c. 5: "Ecclesiae Latinae perpetua et constans traditio fuit extremam Unctionem solis infirmis esse exhibendam; ct quidem tali

[20] *Ibid.* 542 sq.

morbo laborantibus, unde peritorum judicio, mors secutura prudenter timeatur: eamque traditionem, ex saepius allegatis apostoli Jacobi verbis deductam, cum D. Thoma . . . explicarunt et inculcarunt Eugenius IV . . . concilium Tridentinum . . . ac demum Catechismus ejusdem concilii. . . Verum ab exposita Latinae Ecclesiae traditione deviarunt Graeci. . . Haec certissima et exploratissima sunt, sed non aeque certum est an ejusmodi Unctio sanis adhibita habeatur a Graecis pro vero Sacramento. Goarius . . . illam fieri contendit, tanquam meram caeremoniam sacram. . . Arcudius contra affirmat sanos ac vegetos corpore a Graecis sacerdotibus, perinde ac infirmos, sancto oleo perungi, animo verum conficiendi Sacramentum. . .

"Quodque magis mirandum est, haec doctrina quam Arcudius exagitat, nec defendere ausus Goarius, negavit unquam Graecorum menti insedisse, suos invenit, inter nostros Latinos, defensores, nempe Juenin . . . et Sainte Beuve . . . , qui triplici argumento eam defensare conantur. . . At ejusmodi argumenta frivola sunt nulloque labore evertuntur. . . Accedit [doctrinae Cone. Flor, et Trid.] consensus omnium theologorum, qui verba S. Jacobi ita sunt interpretati, ut inde plane confici existimaverint solum infirmum esse subjectum capax extremae Unctionis: unanimem quippe theologorum consensum efficax esse argumentum ad catholicum dogma stabiliendum, docet Melchior Canus. . .

"Jure itaque Graecorum morem ita explicatum, ut voluit Arcudius, gravis erroris insimulant et damnant Theophylus Raynaudus. . . Gonzalez. . . Tournely... Benedictus de Gaetanis . . . . aliique, quibus, post quaestionem sedulo examinatam, tandem adhaeret Herminier. . . Quocirca episcopi Latini, in quorum potissimum commodum hanc materiam prolixius tractavimus, dioecesibus praesidentes quas fideles incolunt Graeci ritus, diligenter invigilent ne iidem in eodem versentur errore, ut credant per unctionem de qua loquimur Sacramentum conferri; et severe interdicant ne ea unctio loco satisfactionis per confessarios imponendae poenitentibus injungatur. Id illis vetitum est a nobis, in cit. nostra constit. 57, § 5, ubi decrevimus: 'Nulli per sacerdotes, vel confessarios, pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo injungatur; infirmis vero, juxta verbum Jacobi apostoli, Unctio exhibeatur extrema.' "[30]

RITUALE ROMANUM, tit. 5, c. 1, n. 5, in vetustiori editione ferebat: "Debet autem hoc sacramentum infirmis praeberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate." In nova editione post Codicem (tit. 5, c. 1, n. 8) refert concisiorem et mitiorem formam can. 940, £ 1 eiusdem Codicis. Praeterea: "Extremae Unctionis Sacramentum . . . omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo" *{ibid.,* n. 1).

CODEX J. C., de valido subiecto sacramenti manifeste agit in tribus sequentibus decisionibus: *"Can. 940.* — § 1. Extrema unctio *praeberi non potest* nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob

[30] In Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1097-11CO.

infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur. § 2. In eadem infirmitate hoc sacramentum *iterari non potest,* nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit, et in aliud vitae discrimen inciderit. *Can. 941.* — Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur *sub conditione. . . Can. 944.* —. . . Omni studio et diligentia curandum [est] ut infirmi, cum sui plene compotes sunt, illud recipiant."

Praeterea notandum est in *can. 523* fieri distinctionem inter gravem infirmitatem et periculum mortis: "Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt."

BENEDICTUS XV, Litt. Apost. "Sodalitatem," 31 maii 1921: "Qui in discrimine ultimo versantur, sacri viatici et Extremae Unctionis susceptionem ne eo usque remorentur cum sensum amissuri jam sunt, sed contra, quemadmodum Ecclesia docet et praecipit, iis roborentur sacramentis vixdum, ingravescente morbo, prudens fiat de periculo mortis judicium."[31]

PIUS XI, Litt. Apost. "Explorata res est," 2 febr. 1923, ad sodales societatis de Bona Morte: "In hoc autem potissimum, cum sodalium, tum praecipue zelatorum studiosam voluntatem desideramus advocatam, ut exitialem quoquo pacto profligent errorem, ex quo fit ut cum animae detrimento sancto oleo non ante liniantur infirmi quam, morte imminente, sensus paene vel omnino amiserunt. Neque enim, ut sacramentum valide liciteque detur, necesse est ut mors proxime secutura timeatur, sed satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo judicium; quodsi in ea rerum condicione conferri debet, in hac conferri utique potest, et qui illud curet ministrandum, is Ecclesiae Matris non modo doctrinam sequitur, sed optata pie ac salubriter perficit."[32]

S.C. DE PROPAGANDA FIDE, 20 febr. 1801 (C.P. *pro Sin.),* proposito dubio: "Aliquando missionariis christianos sibi commissos visitantibus occurrit aegrotus hectica febri vel simili morbo laborans, qui iuxta experientiam vivet adhuc per plures menses, sed intra annum morietur. Quaeritur, an in tali casu missionarius ipsi possit administrare Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod, quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit praesens haberi missionarius ob mag-

[31] *Acta Apostolicae Sedis* 13 (1921) 342.
[32] *Ibid.* 15 (1923) 105.

nam distantiam ct alias circumstantias id impedientes," respondit: "Affirmative."[33]

CONCLUSIO

Subiectum capax huius sacramenti est solus infirmus, ita ut invalidum sit sacramentum sanis administratum.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Hoc sacramentum institutum esse pro solis infirmis deducitur ex textu *lacobi 5.14 sq.,* in quo ceteroquin fundatur tota persuasio ipsius Traditionis in hac re et tota constantia ipsius praxis Ecclesiae. Hanc textus lacobi interpretationem authentice, etsi aequivalenter tantum, tradit ipsum Cone. Tridentinum, ut dictum est supra (p. 555), imo iam tradiderat primum ipsum declarativum documentum S. Sedis de hoc sacramento, scilicet verba Innocentii I a. 416: "Quod [lacobi assertum] non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt" *(Denz.* 99).

Eadem quidem veritas iam innuitur in ipso textu *Mare. 6.12 sq.* ("Ungebant oleo multos aegros et sanabant") pro quanto, iuxta Cone. Tridentinum et Traditionem, in eo continetur vera insinuatio huius sacramenti, ut explicatum est in art. 1 (tom. 1, p. 51 sqq.). Sed textus lacobi, in quo ipsa sacramenti seu promulgatio continetur, rei certitudinem praebet, si consideretur tum proprius ac primarius sensus vocis "infirmatur" (ἀσθ«>«), tum ac praecipue tota contexta oratio ex qua propria acceptio illius vocis amplius confirmatur et illustratur, ex eo nempe quod dicuntur presbyteri advocari, quo quidem indicatur impossibilitas eos adeundi seu status infirmitatis, et ex eo quod in praecedenti v. 13 ("Tristatur aliquis vestrum?"), ubi agitur de mera spirituali infirmitate diversum remedium proponitur, seu oratio, et diversa vox adhibetur, scilicet non *ἀσθα-άν* sed *κακοπαθύν.*

Unus vel alter theologus hic videtur excessivo scrupulo angustiari quod attinet *probativam vim ipsius vocis "infirmatur"* ac putat eam hic consultius seponendam esse ac recurrendum ad solam vim contextae orationis, ne incurramus irrisionem Graecorum, sua lingua

[33] *Collectanea S. Congregationis dc Propaganda Fide* (Romae: Ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1907) I 397. Textus est in lingua italica ac sic sonat: "Talora i missionari visitando i loro distretti s'incontrano in qualque malato etico o d'altro morbo, che a certa esperienza durera molti mesi, ma dentro Panno perisce: si cerca sc in tale caso il missionario possa somministrargli il Viatico e 1'Estrema Unzione per la ragione che, quando sarebbe veramente nel grado suo di riceverla. allora il missionario non si potrà trovarc présente nel luogo per la grande distanza, e per altre circostanze impeditive. *R.* Affirmative."

callentium, in qua constat verbum ασθ«ρ<ΐν nec unice nec primo nec communiter infirmitatem corporalem significare. Ita praecipue *Kern* (quem fere repetunt *Kilker* et *Cappello)* scribens: "Theologi quidem latini communiter censent, rem posse decidi ex ipsis terminis, quibus utitur apostolus. . . {Ita] Cornelius a Lapide . . . Suarez . . . Berti. . . Non est mirum, quod post tantos doctores plurimi alii theologi asseruerint, *àirOcvàv* significare: periculoso morbo laborare, χψναν: morti propinquum esse. Verum tale argumentum seponendum est, ne Orientales irridentes nobis acclament: 'Quanti momenti est lingua originalis.' Tum *àaûtvâv* tum *κάμνΐΐν* nec unice nec primo nec communiter significare: aegrotum esse, multo minus periculose, ad mortem aegrotum esse, sufficit inspicere lexica. Nec licet excipere, in s. Scriptura dictos terminos determinari ad sensum: graviter, ad mortem aegrotare. Nam *κάμναν* praeter Jac. V, 15, solum quinquies occurrit (in textu graeco originali et in versione septuaginta simul), nullibi autem sensu: aegrotum esse. Ἀσθ«<<4ν quidem saepissime adhibetur, sed plerumque significat defectum virium sive naturalium sive supernaturalium ad certum aliquem finem. Sic, ut unum exemplum afferamus, Samson (Jud. XVI, 7, 11) iterato fallit Dalilam dicendo, si feceris hoc vel illud, *και ασθενήσω καϊ ΐσομαι ὠ* ci? *τών ανθρώπων.* Certe non raro, praesertim in Evangeliis . . . *ἀσθενάν* idem valet, quod aegrotum esse; id vero non ex sola voce, sed ex contextu patet. Ex eo autem, quod quorundam ἀσ&νουΐ'των, ut Lazari, morbus erat ad mortem, non licet inferre, terminum ipsum per se indicare morbum periculosum. Multi aegroti sine spe decumbunt; ex quo male inferretur, aegrotare idem esse ac morbo mortifero occupatum esse."[34]

Attamen haec exaggerate dicuntur. Nam, ut ostensum est in art. 1 (tom. 1, p. 72 sq.), proprius sensus vocis ûa&icîr est corporaliter infirmari ac deficere, ut ostendunt, inter alia, lexica Zorell, Leopold et Liddell-Scott ibidem relata, dum moraliter infirmari vel deficere est sensus derivatus et translatus. lamvero, iuxta communem et rectam regulam hermeneuticae, verba Scripturae accipienda sunt in sensu proprio, nisi cogens aliqua ratio sensum translatum expostulet, quod nequaquam verificatur quoad textum lacobi quinimmo tota contexta oratio accedit ad proprium sensum confirmandum. Praeterea, ut ostensum est ibidem, de facto ea vox frequenter in Scriptura accipitur in sensu corporalis infirmitatis, etsi sat frequenter etiam signet moralem deficientiam. Unde reicienda est, quod attinet saltem ad priorem vocem, illa ambigua Kern assertio: "Tum *ἀσθενεΐν* tum *κάμνειν* nec unice nec primo nec communiter significare: aegrotum esse, multo minus periculose, ad mortem aegrotum esse, sufficit inspicere lexica";

[34] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 290 sq.

nani vox ἀσ&ναν tum proprie, tum etiam frequenter, corporalem significat infirmitatem in Scriptura. Altera quidem vox *κάμναν* in proprio sensu significat generaliter defetisci ac lassum esse, adeoque potest aequaliter intelligi de corporali vel morali deficientia; at, quamvis in quinque Scripturae textibus, in quibus (praeterquam in verbis Iacobi) occurrit, accipiatur in sensu morali, tamen ad corporalis infirmitatis sensum in textu Iacobi trahitur immediate ab ipsa priori voce *ἀσθινάν* cuius est parallela, immo et completiva in sensu gravioris infirmitatis; cum enim sacer scriptor in v. 15 non indigeret iterum directe exprimere corporalem infirmitatem, quam expresserat in praecedenti v. 14 per vocem *ἀσθα'άν* (infirmari), apposuit alteram vocem *κάμναν* (lassus esse) ut indicaret gradum seu gravitatem illius infirmitatis.

Unde iure merito tum theologi tum ipsi exegetae, etiam moderni, conveniunt in deducenda sacramentali necessitate corporalis infirmitatis ex ipsis etiam terminis, et imprimis ex vi vocis *ἀσθίνάν.* Ita inter antiquiores: *Estius (in h.l.,* et *In 1 Cor. 11.30), Cornelius a Lapide (In h.l.), Suarez, Arcudius, Berti, Tournely;* inter modernos vero: *Chaîne: "Ἀσθα·άν,* être malade, quelque fois de maladie grave (Jo. iv, 46; xi, 1-6; Act. ix, 3); tel est le cas ici; le malade est retenu sur sa couche et ne peut pas sortir."[35] *Bord:* "Ce verbe [ἀσ&ναν] s'emploie quelque fois au sens figuré: mais ordinairement il désigne une maladie physique et une maladie grave. Dans le texte de saint Jacques, il doit être entendu dans ce dernier sens. Le contexte le demande. . . La prière de la foi, assure saint Jacques, sauvera le malde, τον *κάμνοντα.* Ce dernier mot est très expressif. Chez les auteurs grecs, dans Homère, Platon, Aristote, par exemple, il désigne un homme totalement privé de forces, un mourant."[36] *De Ambroggi:* " *'AoOevâv* significa essere ammalato, ma si usa specialmente per le malattie gravi e pericolose (cf. Giov. 4, 46; 11, 1-6; Atti 9, 37). Nel nostro caso si tratta di uno che non puô uscire di casa recarsi personalemente dai presbiteri, è a letto, senza forze *(κάμνων* v. 15)."[37] *Spdcil:* " *Ἀσθ^άν* in usu profano adhibetur pro: infirmis viribus sum, aegroto, langueo; raro pro: animo langueo seu deficio. . . Verbum hoc in textu s. Iacobi significat physicam infirmitatem et opponitur verbo υγιαίναν. . . Utrum gravis aegritudo significetur vel solum infirmitas in genere ex ipsa voce concludi non potest, sed ex contextu determinandum est. . . *ΚΑμνω* apud profanos significat: langueo, fatigor, deficio, aegroto ... ; *κάμνων* vel *κίκμηκω* non solum deficientem viribus, sed interdum moribundum,

" *L'ipitre de Saint Jacques* (Paris 1927) 126.
** *L'Extrême Onction* (Bruges 1923) 56 sq.
" *La Sacra Biblia, Le epistole Cattoliche di Giacomo, Pietro, Giovanni e Giuda* (ed. 2, Torino 1949) 78.

immo et mortuum designat. . . Vocabula *àaOevâv* et *καμνάν* sensu proprio de infirmitate eaque corporali intelligi debent, praesertim cum s. lacobus paulo ante (v. 13) ad tristitiam seu animi aegritudinem aliud medium, orationem nempe, commendaverit, et hanc infirmitatem animae vocabulo *κακοπαθάν* designaverit."[38]

Ipsi etiam theologi schismatici suum calculum afferunt; nam ipsi non negant originalem sensum *άσθινάν* esse corporaliter infirmari, sed Graeci, ad sustinendam suam praxim et doctrinam, eam vocem dicunt trahi debere etiam ad derivatum sensum spiritualis infirmitatis (cf. supra, p. 549), Russi vero, ut reiciant necessitatem gravis infirmitatis aut periculi mortis, tantummodo opponunt haec in ea voce non determinari, cum de se significet generaliter omnem corporis infirmitatem, utut levem (cf. in p. 586 sq.). Unde absque ullo scrupulo ipse *Ignatius* arch, russus concedit: "Asthenia etiam secundum usum medicinalem reipsa significat aegritudinem, infirmitatem corporis, et *κάμναν:* pati, laborare" (cit. in p. 594 sq.), imo *Macarius Bulgakov,* magis quam nos exigimus concedens, scribit: "Verba S. Jacobi tum secundum eorum usum in lingua graeca tum secundum usum S. Scripturae . . . non solum morientes, sed generatim graviter aegrotos significant, proinde etiam tales, qui spem habent recuperandae sanitatis" (cit. infra, p. 595).

Hinc satisfactum est primae obiectioni plurium Schismaticorum (ut M. Bulgaris, Kefalas, Vafides, Mesoloras, Rallis) dicentium verba lacobi intelligi debere aut posse de qualibet infirmitate, etiam spirituali, adeoque convenire etiam corporaliter sanis.

Altera autem obiectio quam alii innuunt atque iam explicite protulerant illi pauci catholici qui in hac re Schismaticis consenserunt, est quod Apostolus asserit quidem infirmos ungendos esse sed non excludit etiam sanos inungi posse, quemadmodum, arguit *De Sainte-Beuve* (supra cit., p. 550), ex hoc quod Christus asseruit adultos Eucharistiam suscipere debere *(Io.* 6.54: "Nisi manducaveritis ... et biberitis") non sequitur infantes exclusisse. Attamen, haec etiam obiectio frivola est. Nam, ut significat ipsum Cone. Trid., Apostolus in illis verbis assignat ea quae requiruntur ad validitatem sacramenti, scilicet materiam, formam, effectum, ministrum et subiectum; unde eo ipso quod solos infirmos indigitat, ceteros excludit, non secus ac eo ipso quod solos presbyteros indigitat tanquam ministros, legitime infertur ipsum laicos excludere; si ratio De Sainte-Beuve valeret, sequeretur ex textu lacobi non posse deduci quinam sit validus minister, imo et valida materia huius sacramenti. Ad invocatam paritatem cum textu loannis

[38] *l'Op. cit.* (supra, in p. 547) 126, 130, 189.

de promissione Eucharistiae, dicendum est imprimis Christum in eo textu nonnisi transeunter loqui de Eucharistia nec data opera, sicut Iacobum, proponere institutionem et elementa sacramenti; praeterea, verba Christi, etsi in forma personali prolata, ratione nempe circumstantiae allocutionis ad praesentes Iudaeos qui adulti erant, sensum impersonalem habent, seu ad omnes christianos, absque aetatis distinctione referuntur, ut patet etiam ex ipsa forma impersonali qua pluries idem praeceptum ibidem repetitur: "Si quis manducaverit. . . Qui manducat meam carnem. . . Qui manducat hunc panem . . ." (*Io.* 6. 52, 55, 57, 59); tandem, infantes non fuisse exclusos ab eucharistica manducatione, scimus ex ipsa praxi Ecclesiae, dum e converso nulla praxis aut documentum Ecclesiae exhibet administratam unquam unctionem personis bene valentibus.

Probatur 2. *EX ECCLESIAE DOCUMENTIS, PRAXI ET DOCTRINA.*

De ipsis documentis solemnis ac universalis magisterii satis dictum est supra (p. 552-562) in ipsa Parte Affirmativa, nam eorum sensus tam patens est ut vix liceat viro catholico de eo dubitare atque ex se sufficiens est ad reddendam nostram Conclusionem theologice certam, ut supra dictum est (p. 551 sq.). Ac inde mansit iam sufficienter explosa, solitaria illa positio paucorum theologorum catholicorum qui putarunt sanos esse validum subiectum huius sacramenti.

Contra doctores autem Schismaticos valet constans et uniformis praxis et doctrina universalis Ecclesiae sive post sive ante eorum schisma, necnon ipsa, officialis saltem, doctrina ecclesiae schismaticae.

Illius praxis et illius doctrinae tot sunt testimonia, quot sunt documenta quae ad hoc sacramentum referuntur quaeque congessimus in variis articulis huius tractatus, praecipue in art. 1 (tom. 1, p. 94sqq.) ubi de ipsa institutione sacramenti. In omnibus enim explicite ac constanter quaestio est de solis infirmis, numquam vero de sanis, etsi signate isti excludi non dicantur; quod quidem argueret errorem vel defectum universalis Ecclesiae, infallibilis magistrae et indefectibilis dispensatricis sacramentorum, si hoc sacramentum esset institutum etiam in bonum et utilitatem hominum bene valentium. Ad rem praecipue faciunt sequentia, quae magis directe indicant exclusivam ordinationem huius sacramenti ad infirmos:

1. Patres cum appellant vel explicant *textum Iacobi* ad inculcandum institutionem et effectus huius sacramenti, sermonem suum ad solos infirmos limitant, modo tam emphatico et constanti ut sonet exclusive. Eorum sensus apte exprimitur in ipsis verbis Innocentii I, quae sunt

primum insigne ac explicitum testimonium de hoc sacramento, nobis occurrens in Traditione, ac veluti summa praecedentium et fundamentum ceterorum: "Quod [Iacobi dictum] non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere."

Inepte autem quis hic obiceret verba *Bcdac* commentantis textum Iacobi: "Infirmanti autem vel corpore vel fide mandat [/Xpostolus] ut . . . plurimorum se adjutorio, et hoc seniorum, curare meminerit," nam immediate postea S. Doctor refert duo sacramenta, scilicet Extremam Unctionem et Poenitentiam, quorum prior curat corporaliter infirmos, alterum vero spiritualiter seu fide laborantes. ' Item, impertinentia sunt verba sive *Ivonis Carnotensis* dicentis "unctionem infirmorum publicae poenitentiae esse sacramentum." sive *Amalarii Metentis* asserentis "consecrari oleum pro poenitentibus,"[40] nam prior tantum loquitur de poenitentiali charactere Extremae Unctionis, alter vero de omnino diversa unctione poenitentium in reconciliatione haereticorum quae erat in usu in ecclesia gallica (cf. art. 1. tom. 1, p. 191 sq.) cuiusque materiam ipse distinguit a materia Extremae Unctionis, inquiens: "Restat ut . . . dicamus de oleo quod consecratur pro infirmo."

Pariter inepte quidam Schismatici, quibus favet De Sainte-Beuve/l provocant ad textus *Origcnis* et *Chrysostomi,* qui videntur referre Extremam Unctionem ad omnes penitentes, seu ad remissionem peccatorum: nam, ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 92, 98 sq., 104-107), Origenes loquitur ad modum unius de utroque sacramento Poenitentiae et Extremae Unctionis, quorum primum refertur ad omnes poenitentes, alterum vero ad solos poenitentes infirmos, Chrysostomus autem in uno textu *(Dc saccrd.* 3. 6) loquitur quidem de sola remissione peccatorum, sed hanc refert ad infirmos quos indigitat in ipsa allegatione textus Iacobi, et ceteroquin in alio textu *(In Mat., horn.* 32. 6) loquitur de effectu corporalis sanationis, per sacramentalem unctionem collato.

2. A sua ad infirmos destinatione, hoc sacramentum plura accepit veluti *nomina propria,* antiquo usu consecrata: *Oleum infirmorum* (Theodulphus Aurelianensis, Petrus Lombardus, Monophysitae Armeni post eorum patriarchas Ioannem Mandakuni et Ioannem Ozniensem), το eAator τ<ϋι- *ἀρρωστων* (oleum infirmorum: ipse adversarius Schismaticus Simeon Thessalonicensis), *Unctio infirmorum* (Theodulphus Aur.,

* Bona VENTURA, *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 2, respondens ad similem textum *Glossae* in verba Iacobi, hanc aliam explicationem tradit: "Dicendum quod illud 'vel' intelligitur subdisiunctive, nec excluditur infirmitas corporis, sed praesupponitur."

[40] *De eccles, officiis,* 1. 12, *ML* 105. 1013.

[41] Ci. supra, p. 539, in nota, et 550.

Pseudo-Petrus Damianus, Ivo Carnotensis, Goffridus Vindocensis, Petrus Cluniacensis, Pseudo-Hugo Victorinus, Petrus Lonibardus, Innocentius III), *Sacramentum unctionis infirmorum* (Hugo Victorinus, Petrus Lonibardus, Catechismus Cone. Trid.), *Sacra unctio infirmorum* (Cone. Trid.), *Sacramentum exeuntium* (Petrus Pictaviensis, S. Thomas, Cone. Trid.), *Extrema unctio* vel *Sacramentum Extremae Unctionis* (Statuta S. Sonnatii, Prudentius Trecensis, Petrus Lonibardus, S. Thomas, posteriores theologi et documenta Ecclesiae).

3. In Sacramentariis, Ordinibus et Ritualibus, totus *ritus, orationes et rubricae* ad solos infirmos referuntur. Quoad orationes conferantur ipsa antiquissima documenta liturgiae: Traditio Apostolica, Sacramentarium Serapionis, Constitutiones Apostolorum et Testamentum D.N.J.C. In posterioribus Sacramentariis totus ritus unctionis vocatur "Ordo ad ungendum infirmum" (Liber Ordinum, Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum, Codices Rhemensis, Ratoldi et Tilianus).

4. Ipsa *materia huius sacramenti* vocatur a sua propria destinatione "Oleum infirmorum" (Theodulphus Aur. aliique nuper relati), "Oleum ad ungendum infirmos" (Sacr. Gelasianum, Capitula Caroli Magni), "Oleum unctionis, quod praecepta [divina] pro infirmis praescribunt" (loannes Mandakuni patriarcha Armenorum), "Oleum quod consecratur pro infirmo" (Amalarius Metensis) "Oleum quod benedicitur ex apostolica auctoritate ad infirmorum medicamentum" (Rabanus Maurus).

5. *Proprius ejjectus* huius sacramenti, quamvis principaliter sit spiritualis, constanter tamen exhibetur ut duplex, spiritualis nempe et corporalis, sub geminata illa antiquissima expressione quam post Sacramentarium Serapionis tradiderunt omnia documenta liturgica: "In sanitatem animae et corporis" (cf. art. 10, p. 36 sq.). Quo quidem significatur corporis sanitatem non solum esse quomodolibet aliquem secundarium effectum sacramenti, sed ita quoque copulari cum principali ut implicet ipsam essentialem conditionem subiecti, quatenus principalis ac spiritualis effectus ordinetur tantum ad eum qui sit quoque capax effectus corporalis, scilicet ad solum infirmum. Praeterea, hanc eandem conditionem signanter indigitat generalis ille effectus quem tota Traditio exhibet ut proprius ac peculiaris huic sacramento, scilicet praeparatio ad aeternitatem et dispositio ad futuram gloriam (cf. in art. 10, P· 41).

6. In *variis antiquis conciliis provincialibus,* in quibus connaturaliter expectaretur aliqua dispositio vel allusio ad administrationem

Unctionis etiam personis bene valentibus, si ipsa possibilis esset, continuus ac exclusivus sermo est de ungendis infirmis; cf. Cone. Cabillonense a. 813, Aquisgranense a. 836, Moguntinum a. 847, Ticinense a. 850, Wormatiense a. 868. Inde non mirum est universale Concilium Florentinum antiquorum conciliorum provincialium mentem subinde recte collegisse ac interpretatum esse sub paucis illis exclusivis verbis: "Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet" *(Denz.* 700). Posteriorum autem provincialium conciliorum decreta et particularium ecclesiarum ritualia idem signanter repetierunt, uno ore positive excludendo homines bene valentes a receptione sacramenti, ita ut omne subiectum, cui sacramentum denegandum esset, comprehenderent sub quadruplici illa enumeratione: sanos, infantes, amentes, excommunicates (cf. documenta relata in art. 28, p. 483 sq.). Sit unum pro omnibus, *Rituale Carnotensc* (Chartres) a. 1489: "Sciendum, quod non ministratur excommunicatis, nec pueris ... , nec fatuis, nec sanis." *Cone. Carnotense* a. 1526 rem omnino signate edicebat, prohibens "Extremam Unctionem dari adultis sanis, quia eis nihil prodesset, cum sit sacramentum pro infirmis solum institutum."[12]

7. Ipsae *privatae nec sacramentales olei unctiones,* de quibus egimus in art. 1 (tom. 1, p. 184 sqq.), scilicet unctiones infirmorum et unctiones mortuorum, quatenus connectuntur cum hoc sacramento, utpote ex eius imitatione vel ex abusu materiae illius ortae, proprium finem ipsius sacramenti in bonum solorum infirmorum ostendunt ac confirmant. Quod si excipiendus sit antiquus mos ungendi poenitentes seu haereticos reconciliatos cum Ecclesia, id est ex ipsa diversa indole huius unctionis, quae imitabatur ac fere confundebatur cum alia unctione sacramentali, scilicet cum sacramento Confirmationis. Ipsa denique praxis ungendi sanos, quae uno vel alio modo, sub legitima forma alicuius sacramentalis, antiquitus coepit in Oriente ac subinde tales apud Schismaticos proportiones assumpsit ut fere confunderetur cum ipso sacramento, suam hic affert indirectam confirmationem, quoniam circa ipsum sacramentum infirmorum ipsa nata est ac indebite vegetavit, donec insidiose conata sit ipsum sacramentum supplantare.

Obici quidem solent quaedam *exempla administratae sanis unctionis in ipso Occidente,* sed tam rara ac incerta sunt et tam variae patent interpretationi ut in eis immorari non vacet.

Benedictus XIV tria huiusmodi facta (primum ex Martène, alterum ex Mabillon, tertium ex *Actis Sanctorum* excerptum) sic refert et iudi-

[12] Apud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* I. 1, p. 2, c. 7, a. 1, n. 1 (Rotomagi 1700) 103.

cat: "Neque huic Ecclesiae Latinae doctrinae et praxi adversantur exempla ex probatis historicis prolata a Martène, cit. loco., videlicet *Odiliac, filiae Herimanni et Mathildis,* quae a Ricardo abbate monasterii S. Vitoni, de futura sequenti die ejus morte praemonita, licet corpore sana 'nullam gravedinem pateretur.' attamen 'liquore sancti olei inuncta . . . inter verba orationis laeta spiritum efflavit,' sicut narrat Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi; et *cujusdam monachi,* apud Mabillonium, secui. VI, Benedict, part. 2, qui, post nocturnos festi S. Martini divinitus admonitus de proxima sua ex hoc seculo migratione, revelationem abbati manifestavit, cujus venia sacro oleo unctus, 'et Dominicis munitus mysteriis, sanus et incolumis cum caeteris in conventu versatus', sequenti die obiit; necnon *cujusdam Cinguriani* fratris laici, qui similiter corpore sanus, 'oleo sancto,' uti rogaverat, 'unctus,' mox decessit: quod habetur in Vita S. Gildasii, secui. I. Benedict., pag. 151; neque demum adversatur exemplum quod allatis a Martene adjicimus, videlicet S. *Hedwigis,* quae, referente ejus Vitae scriptore, cap. 8, priusquam aegrotare coepisset, voluit extremae Unctionis sacramento muniri.

"Haec, inquam, et si qua sunt alia hujus generis exempla, communi Latinae Ecclesiae doctrinae et praxi non adversantur: nam, praeterquam quod extraordinaria sunt et derivata e speciali afflatu Spiritus sancti, qui interdum homines solvit ab ordinariae providentiae legibus; quod opportune annotavit laudatus auctor vitae S. Hedwigis, scribens: 'Hoc tamen, quod hic dicimus, admirandum potius est quam imitandum, cui Spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, et in quo, ut pie creditur, sancta devotio dispensavit': atque rem prosequitur Thiers, de superstitione circa Sacramentum extremae Unctionis, lib. 8. cap. 6, pag. 377 et seq.; possumus prudenter existimare, in praedictis rerum circumstantiis, eos qui sunt divinitus admoniti de sibi instante vitae interitu, jam tum coepisse lethali morbo interius laborare, quo cito perducerentur ad mortem, quamquam exterius viderentur sani et incolumes: quamobrem fuit illis administranda extrema Unctio ob camdem rationem propter quam a citato concilio Mediolanensi IV, part. 2, et Aquensi anni 1585, tit. 'Quae pertinent ad Sacramentum extremae Unctionis,' torn. 10 Collectionis Harduini, coi. 1535, atque a theologis cum Suarez, cit. disput. 42, sect. 2, num. 11. in fin., conceditur senibus, qui, prae decrepita aetate, licet nulla alia speciali afficiantur aegritudine, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis et annosa senectus, infirmitas est quae interiora vitae organa labefactat, et mox ducit ad interitum."[3]

[3] *Op. cit.* (supra, in p. 555), n. 2, coi. 1097 sq.

Ceterum, dici etiam potest cum *Trombelli"* nihil ostendere eas unctiones factas fuisse cum ipso oleo sacramentali, aut cum ipsa forma vel eo modo quo sacramentum administrabatur, nec fuisse privatas quasdem unctiones seu sacramentalia de genere eorum quae antiquitus cum ipso oleo sacramenti conferebantur;[1], vel. si ageretur de ipsa collatione sacramenti, dici posset cum Cfonca/o/® id factum esse ex ignorantia.

Schismaticae ipsius ecclesiae traditio et doctrina, nostrae conclusioni nedum adversetur, potius non uno modo eam confirmat.

Imprimis, pro ipsa haeretica ecclesia *Monophysitarum Armcnorum,* in quam in medio aevo irrepsit ipse gravior error fere confundendi Extremam Unctionem cum Poenitentia eamque loco Poenitentiae sanis administrandi (cf. supra, p. 537), ad rem faciunt insignia testimonia patriarcharum *loannis Mandakuni* (480-487) loquentis de "oratione et oleo unctionis, quae praecepta [divina] pro infirmis praescribunt" et *loannis Ozniensis* (717-728) loquentis de "oleo infirmorum" ac distinguentis inter tria olea, catechumenorum, confirmandorum et infirmorum, quorum usus non liceat permiscere, cum unumquodque proprio sacramento proprioque subiecto reservetur (cf. in art. 1. tom. 1, p. 127, 179).

In ecclesia ipsa schismatico graeco-russica omnes libri rituales et symbolic! exhibent solos infirmos ut subiectum huius sacramenti.

In *Euchologio* graeco totum officium Euchelaei. eiusque formulae et orationes ad infirmum referuntur. In quibusdam quidem ex antiquioribus codicibus, ut dictum est supra (p. 534). notatur praxis iniungendi omnes adstantes, necnon domum, portas et fenestras, sed ex hoc ipso satis patet hanc unctionem fuisse mere caeremonialem; quae ceteroquin mature obsolevit. In recentioribus etiam editionibus quaedam verba rubricarum videntur similem aliquam adstantium unctionem proponere, sed tam ambigua sunt ut possint in recto sensu explicari ac propterea Benedictus XIV (supra cit., p. 558 sq.). proponens Graecis unitis novam Euchologii editionem declaravit se nolle eas rubricas tangere aut reformare, sed tantum inter monita, illi editioni apposita, monuit ne oleum infirmorum sanis ministraretur. Pariter de solis infirmis loquuntur: *Euchologium Nikonis* patriarchae Mosquensis, editum a. 1658, quod habetur ut authenticum exemplar

" *Op. cit.* (supra, in p. 533) *22.*

'3 Etiam hodie proprium oleum sacramentorum adhibetur in quibusdam sacramentalibus ct consecrationibus; oleum nempe Confirmationis, seu chrisma, adhibetur in consecratione fontis baptismalis, in unctione capitis post Baptismum, in ordinatione episcopi, in consecratione ecclesiae, altaris, calicis, patenae et campanac; ipsum oleum infirmorum adhibetur in consecratione campanac.

"*Op. cit.* (supra, in p. 532).

euchologiorum ecclesiae russicae (etsi hic ipse patriarcha sibi sano Euchelaeon administraverit, in quadam circumstantia supra relata, p. 539); *Conjessio Orthodoxa Petri Moghilae* metropolitae Kioviensis, edita a. 1643, quae, ab ipsis Graecis opera Meletii Syrigi emendata et approbata, habetur, una cum Confessione fidei Dosithei, ut praecipuum symbolum orthodoxae fidei in utraque ecclesia russa et graeca; *Catechismus maior Philareti Drozdov,* metropolitae Mosquensis, editus a. 1823, cui quidam eandem fere auctoritatem tribuunt ac duabus Confessionibus Moghilae et Dosithei, et certe ab omnibus agnoscitur ut symbolicus liber russorum; *Confessio fidei Metrophanes Critopuli* patriarchae Alexandrini, exarata a. 1625 sed edita a. 1661, quae pariter inter libros symbolicos computatur, etsi careat auctoritate praecedentium librorum.

Confessio fidei Metrophanes Critopuli, ad initium cap. 13 de Euchelaeo, hanc huius sacramenti definitionem tradit: "Euchelaeon est ritus mysticus, per oleum et preces ab Ecclesia pro fidelibus aegrotantibus [νοσοννττων] celebratus."[47] *Confessio Orthodoxa Petri Moghilae,* pars 1, q. 90: "Aegrotis prima cura ea esse debet, ut quam citissime purgent conscientiam per confessionem et Sanctae Synaxis participes efficiantur, devote sumentes olei sancti unctionem"; cf. q. 117-119; et partem 2, q. 45 (cit. in art. 1, tom. 1, p. 183). Idem Petrus Moghila in suo *Trcbnik* seu Rituali, intra instructiones ad parochos ritui Euchelaei praemissas, aptissime monet ac docet: "Hoc sacramentum nullo modo conferendum est corpore sanis, cum Jacobus apostolus aperte dicat illud dandum esse infirmis. Cave ergo, presbyter, ne oleo sancto sanum inungas. Et non quibuscumque infirmis ministrandum est, sed iis tantum qui graviter aegrotant, et in periculo mortis versantur, vel senibus pene confectis."[48]

Haec officialis doctrina confirmatur ex sequentibus.

Primo, ecclesia russica fere totaliter iam dereliquit antiquiorem praxim ungendi sanos (cf. supra, p. 539 sq.), quod quidem nequit provenire nisi ex eo quod animadverterit illius dissensum a sua ipsa doctrina.

Secundo, in sanam doctrinam consentiunt omnes fere theologi russi, inde a saec. 17. Ita inter alios, *Plato Levklin, Theophylactus Gorskij, Philaretus Gumilevskij, Bjeljaev, Archangelskij,*™ *Malinovskij* (de postremis his duobus tamen cf. supra, p. 548 sq.), *Jastrebov, Lcbcdinskij* ("Subjectum Extremae Unctionis sunt soli infirmi et de vita

Apud E. I. Kimmel. *Monumenta fidei ecclesiae orientalis* (lenae 1850) II 155.
"Apud M. Jugie, *op. cit.* (supra, in p. 546) 485.
"*Op. cit.* (supra in p. 532), ubi diffuse tractans de praxi ungendi sanos, eam revocat ad privatos vel particulares abusus, iam ab ipsa ecclesia russica prohibitos.

periclitantes”[50]) et *Macarius Bulgakov,* metropolita Mosquensis (“Sacramentum sanctae Unctionis destinatum est pro solis infirmis iisque graviter aegrotantibus, graviter infirmis, ut ostendunt verba a S. Apostolo adhibita”[51]).

Tertio, consentit doctrina antiquiorum Graecorum.[52] Nam mens ipsius *Simconis Thessalonicensis* (cf. supra, p. 538 et 539) minime clara est, etsi fortasse eius auctoritas modernis graecis occasionem erroris praebuerit; ipse *lob monachus* (cf. supra, p. 537), qui videtur confundere Extremam Unctionem cum Poenitentia, nihilominus asserit Euchelaeon esse suscipiendum “dum extremum spiritum agimus”;[1] *loannes Nathanael* Cretensis (supra rei., p. 536) ait hoc sacramentum conferri “in ultima hominis hora”;[54] *Gregorius Chiensis* ait hoc sacramentum, quod vocat Extremam Unctionem, esse institutum “pro iis qui mori debent [morituri sunt].”[55]

Quarto, contraria praxis late nunc diffusa in ecclesia graeca, quod attinet saltem ad ipsum praecipuum morem solemnis unctionis in hebdomada maiori, est prorsus recentis originis; nam, ut ostendit Archangelskij,[50] nullum eius signum apparet ante saec. 16.

Quinto, ipsi moderni graeci, qui communiter nobis adversantur, inconsequenter se gerunt. Nam benedictio olei et orationes, quibus Euchelaeon sanis administrant, referuntur ad infirmos et ad corporalem sanitatem; theologi in suis scriptis defendunt principalem effectum huius sacramenti esse corporalem sanitatem (cf. art. 10, p. 76 sq.); multi catechismi graeci, ut catechismi Bernadakis, Damasceni Christopuli, Diomedis Kyriaki, Nicolai Metaxae, de solis infirmis loquuntur; versiones operum theologorum russicorum, qui contrariam doctrinam defendunt, late in Graecia divulgantur.

Unde dissensus schismaticorum in hac re reducendus fere est ad particularem practicum abusum et doctrinalem errorem modernorum Graecorum, adversantem ipsi sanae doctrinae ecclesiae schismaticae.

Probatur 3. *EX RATIONE THEOLOGICA.*

Plures a theologis afferri solent rationes, ex consideratione variorum elementorum sacramenti deductae, quae tamen solum probabilem ac suasivum valorem habere possunt, nisi reducantur vel connectantur cum pracipua ratione sacramentalis significationis propriae huic sacra-

Compendium theologiae classicum frussiccl (Mosquae 1805) 547.
''*Orthodoxo-dogiuatica theologia* II (ed. 5, Petropoli 1895) 471.
"Cf. L. Allatium, *loc. cit.* (supra, in p. 532).
“Apud Arcudium, *op. cit.* (supra, in p. 532) 446.
“Apud Arcudium, *loc. cit.*
“Apud Jacquemier, *art. cit.* (supra, in p. 542) 199.
' *Loc. cit.* (supra, in p, 532).

mento, quam affert S. *Thomas* cuiusque vis non congruenter a pluribus ponderatur, imo quibusdam levis vel arbitraria visa est.

Prima ratio deducitur generaliter ex convenientia habendi aliquod *sacramentum quod sit proprium infirmorum,* ob peculiarem necessitatem in qua hi constituuntur. Cetera sacramenta conveniunt etiam sanis, nec peculiarem habent respectum ad infirmos aut peculiare illis praebent adiutorium; ergo hoc sacramentum institutum est pro solis infirmis. Haec ratio, quam affert ipsum Cone. Trid. quamque evolvimus in art. 1 (tom. 1, p. 197 sq.) probat immediate solam convenientiam ipsius institutionis alicuius sacramenti quo infirmi peculiariter adiuventur, sed non immediate probat hoc ipsum sacramentum, de facto institutum, ordinari exclusive ad infirmos; unde oportet ut compleatur ac determinetur per considerationem ipsorum elementorum huius sacramenti.

Secunda ratio deducitur *ex materia ct forma* huius sacramenti. Solis enim infirmis convenit tum unctio, quae significat applicationem remedii curativi, tum forma deprecativa, quae sonat indigentiam. Ita fere *Suarez* et quidam alii. Attamen, unctio non necessario significat curationem, cum possit adhiberi etiam ad alios fines et effectus, ut illuminationem, ablutionem seu decorationem, praeservationem, nutritionem, confortationem et hilarationem (cf. art. 3, tom. 1, p. 339 sqq.); forma autem deprecativa conveniret etiam sanis, si aliquod sacramentum, quod eis praebetur, haberet, sicut Extrema Unctio, aliquem effectum incertum qui expectaretur futurus (cf. art. 7. *ibid.* p. 547-550).

Ceterum, haec ratio, quatenus praecipue respicit materiam sacramenti, efficax est si reducatur ad sextam rationem quam infra assignabimus cum S. Thoma, seu si unctio assumatur ut curativa, quod quidem ei non convenit nisi ex sua relatione ad effectum corporalis sanationis ad quem sacramentum ordinatur, ut infra explicabitur: hoc modo reformata, ratio sic se habet: Cui non competit unctio corporaliter curativa, non competit significatio huius sacramenti spiritualiter curativi, nec ideo competit ipsum sacramentum.

Tertia ratio deducitur *ex effectu sacramenti generaliter considerato,* prout nempe est "specialis misericordia" *(Bellarminus),* imo et specialis gratiae abundantia abstergens ipsas reliquias peccati, nequidem per Baptismum aut Poenitentiam delebiles, quae nonnisi infirmis convenit utpote in speciali miseria et indigentia constitutis. Attamen, etiam quaedam alia sacramenta, ut Baptismus, Ordo et signanter Confirmatio, important specialem Dei misericordiam vel gratiae abundantiam, quae nihilominus etiam sanis aptissime convenit.

Quarta ratio deducitur peculiariter *ex effectu alleviationis et confortationis,* quam quidam dicunt esse specificum effectum huius sacramenti, quaque indigent soli infirmi *(Kern* et alii). Attamen, alleviatione et confortatione sunt capaces etiam sani, praecipue morituri, et quandoque magis fortasse quam infirmi, nec, si etiam dicatur infirmos magis aut speciali saltem modo ea indigere, sequeretur hunc effectum solos infirmos respicere, cum magis et minus non mutet speciem. Praeterea, negamus eam alleviationem esse specificum effectum huius sacramenti, iuxta dicta in art. 10 (p. 94sqq.). I

Quinta ratio deducitur peculiariter *ex effectu corporalis sanationis,* qui est proprius, utut secundarius, effectus huius sacramenti quique solis infirmis convenit. Haec ratio, quam plures, ut *D. Soto* (infra cit.) et *Suarez,* afferunt post *Catechismum Cone. Trid.* et *Benedictum XIV,* prout extat et ex se sola non probat, quoniam sanitas corporalis est tantum effectus secundarius, imo et incertus, dum sanitas spiritualis quae convenit etiam sanis est effectus specificus ac principalis, et legitime dicitur esse subiectum capax sacramenti qui est capax specifici eius effectus.

Est tamen efficax illa ratio, si copuletur ac resolvatur in mox afferendam rationem S. Thomae, seu si effectus corporalis sanitatis qui nonnisi infirmis convenit, copuletur effectui principali et consideretur ut aliquid necessario significandum ad obtinendam propriam significationem sacramentalem quae ex ipso principali effectu derivatur.

Sexta igitur et efficax ratio deducitur ex specifica indole et effectu huius sacramenti, prout est *spiritualis curatio, quae debet significari per corporalem ipsam curationem,* quae quidem competit solis infirmis.

Ad rem S. *Thomas, Suppi.,* q. 32, a. 1: ‘‘Hoc sacramentum est quaedam spiritualis curatio, ut dictum est, quae quidem per quendam corporalis curationis modum significatur. Et ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri.” Ad obiectionem autem quod etiam sanis competit principalis effectus sanitatis spiritualis, ex quo subiectum sacramenti diiudicandum est, respondet ibidem, ad 1: “Quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus huius sacramenti, *tamen oportet quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis, etiam si corporalis sanatio non sequatur.* Et ideo solum illis hoc sacramento sanitas spiritualis dari potest quibus corporalis curatio competit, scilicet infirmis; sicut ille solus jiotest baptismum suscipere qui potest corporalis ablutionis esse particeps, non autem puer in ventre matris existens.”

C. Gent. 4.73: "Licet aliqui sint in statu propinquo morti etiam absque infirmitate, ut patet in his qui damnantur ad mortem, qui tamen spiritualibus effectibus huius sacramenti indigerent: non tamen est exhibendum, nisi infirmanti, *cum sub specie corporalis medicinae exhibeatur, quae non competit nisi corporaliter infirmato; oportet enim in sacramentis significationem servari.* Sicut igitur requiritur in baptismo ablutio corpori exhibita, ita in hoc sacramento requiritur medicatio infirmitati corporali apposita. Unde etiam oleum est specialis materia huius sacramenti, quia habet efficaciam ad sanandum corporaliter mitigando dolores: sicut aqua, quae corporaliter abluit, est materia sacramenti in quo fit spiritualis ablutio."

Vim huius rationis sedulo perpende. Ut dictum est in art. 7 (toni. 1, p. 548 sq., ubi de necessitate deprecativae formae in hoc sacramento), spiritualis ac specificus effectus illorum sacramentorum quorum materia consistit non in actibus ipsius subiecti (ut accidit in Poenitentia et Matrimonio) sed in usu alicuius rei ab extrinseco appositae, debet significari per aliquod corporale quod fit in sacramento, ita ut inde ea significatio ex materia reflectatur in ipsam formam, secus enim significatio sacramentalis non est sufficienter determinata; ita, in sacramento Baptismi effectus spiritualis ablutionis significatur per ablutionem corporalem, ex qua verba "Ego te baptizo" in sua sacramentali significatione complentur.

Unde in Extrema Unctione, quae significat et efficit spiritualem curationem, necesse est ut fiat etiam aliqua corporalis curatio, qua mediante, ipsa spiritualis curatio significetur; haec autem corporalis curatio non fit, ut patet, naturaliter per ipsam unctionem sicut ablutio corporis in Baptismo fit naturaliter per aquae applicationem; ergo fieri debet per ipsum sacramentum, ita ut hoc sacramentum, ex ipsa necessitate obtinendi propriam ac specificam suam significationem, necessario ordinetur etiam ad effectum corporalis sanationis. Nec ceteroquin ad hanc significationem obtinendam requiritur ut de facto hic effectus producatur, cum ipsum sacramentum, in sua significatione iam constitutum, necessario praecedat quemlibet ex suis effectibus, sed sufficit ut sacramentum ad illum effectum ordinetur, ita ut, ex hac ipsa ordinatione, unctio corporis fiat apta materia sacramenti, seu sit unctio curativa. Unctio autem curativa, sicut ipsa corporalis curatio ex qua naturalis unctio evadit sacramentaliter curativa, manifeste solis infirmis convenit, adeoque soli infirmi sunt subiectum capax sacramentalis significationis, et consequenter validae susceptionis huius sacramenti. Sani vero, quamvis sint capaces spiritualis sanationis, non sunt tamen capaces eam obtinendi sacramentaliter, seu prout est specificus effectus sacramenti, quia spiritualis

sanitas non est specificus effectus sacramenti nisi prout significatur in ipsa materia per corporalem sanitatem, ita ut ea incapacitas ex utroque effectu consurgat, spirituali nempe ac corporali, prout in invicem redundant.

Unde inepte *Durandus* hanc S. Thomae rationem reicit, dicens quod ex illa sequeretur solum hominem corporaliter immundum baptizandum esse, ut per exteriorem mundationem significetur interior, et solum hominem corporaliter mortuum absolvendum esse, cum Poenitentia sit spiritualis resurrectio. Nam ipsa actio ablutiva corporis, quantumvis mundi, sufficit ad significationem baptismalem; ac ideo illi soli sunt Baptismi incapaces in quos nequit exerceri actio ipsa ablutiva, ut infantes qui in ventre matris attingi non possint, ut notat ipse S. Thomas nuper citatus; inter Poenitentiam autem et Extremam Unctionem nulla est paritas, quod attinet ad significationem sacramentalem et ad influxum materiae in illam, cum materia Poenitentiae non consistat in aliqua re ab extrinseco apposita sed in ipsis actibus subiecti, nec ideo sacramentalis significatio formae indigeat determinari per aliquid corporaliter effectum circa ipsam materiam, ut supra dictum est et ut non semel significat S. Thomas quotiescunque proponit discrimen inter Poenitentiam atque Matrimonium ex una parte et cetera sacramenta ex alia parte.'7

Nec vim rationis S. Thomae penetravit ipse insignis thomista *D. Solo,* qui, reiciens hanc Durandi impugnationem, ait. S. Thomam non intendere nisi aliquam congruentiam proponere, ac subinde ipse, tanquam potissimam, affert rationem effectus corporalis sanitatis qui huic sacramento competit, nam, inquit, ex effectu iudicari debet de valido subiecto et valida materia sacramenti. Ad rem ipse: "Durandus vero q. 4. hanc rationem [S. Thomae] non admittit, tunc enim, inquit, sequeretur quod baptismus non deberet applicari, nisi ei, qui sordidus est, ut per externam lotionem designaretur interior. Imo et poenitentia, inquit, non deberet impendi, nisi mortuis corporaliter, quia est suscitatio spiritualis. Hoc autem de mortuo ridiculum est. constantissimum enim est sacramenta non competere, nisi vivis. Ad aliud autem de ablutione baptismi respondetur, quod ablutio corporalis etiam mundis competit. Praesertim quod rationem sanctus Thomas non adfert ad probandum veritatem, sed illa ex auctoritate Jacobi supposita adducit hanc congruentiam, quae apparentior est, quam alia Durandi. Ait enim rationem esse, quia sani pluribus aliis remediis contra peccata abundant, quam infirmi, maxime in extremis. Quae

*'*Hilluart* sequens etiam discrimen illi Durandi obiectioni opponit: "Quamvis poenitentia sit equidem suscitatio, non confertur tamen per modum suscitationis, sed per modum judicii, quod etiam significatur exterius" *(Tractatus dc Extrema-Unctionr,* diss. un., a. 4, *Cursus theologiae* [editio nova, Parisiis 1904] X 20).

ratio non est multum solida: nam omnia remedia, quae habent sani, habent etiam infirmi, saltem antequam usum rationis amittant. Ratio vero potissima est, quod effectus huius sacramenti, ut dictum est, non solum est gratiam conferre, sed etiam ab infirmitate coqxirea liberare. Et quia ex effectu sacramenti debet indicium sumi materiae, et subiecti, inde colligitur, quod subiectum de essentia huius sacramenti est homo infirmus."[58]

ART. 31. Utrum Ad Validitatem Sacramenti Requiratur Proprie Dicta, Gravis Et Mortalis Infirmitas *(Suppi.,* q. 32, a. 2; q. 33, a. 1, ad 2; a. 3; *C. Gent.* 4. 73)·[59]

STATUS QUAESTIONIS

In art. praec. dictum est de necessitate infirmitatis ad valorem sacramenti; restat ut ulterius eius *qualitas et gradus* determinetur. In textu articuli *quatuor quaestiones* involvuntur:

1. An requiratur *proprie dicta infirmitas.* Hac autem voce intelli-

M Dist. 23. a. 2, a. 2, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Venctiis: Apud I. M. Lcnum 1575) I 1073 sq.

SJHuc facit bibliographia allata pro art. praec. (p. 532). Theologi morales distinctius ct fusius quam moderni dogmatici de hac quaestione agere solent; auctores theologiae pastorales non paucas determinationes addunt. Utilius autem sequentes conferuntur:

Ami (L') du Clergé, 54 (1937) 241-246: "Faut-il absolument attendre qu'un malade soit en danger de mort pour lui administrer l'Extrcme Onction?"

Alphonsus, Liguori, *Theologia moralis* (ed. L. Gaudé, Romae 1909) III 726-730.

Benedictus XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 7, η. 1 sq. in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1103 sq.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 158-168, 171 sq., 176-179.

Chardon, C., *Histoire des sacrements. — Du sacrement d'Extrêmc-Onction,* chap. 3, in Migne, *Theologiae cursus completus* XX (Parisiis 1841) 760-763.

Chavasse, A., *Etude sur l'Onclion des Infirmes dans l'Eglise latine du* ni' *au* xi' *siècle,* I: *Du* ïn *siècle à la réforme Carolingienne* (Lyon 1942) 136 sq., 110-112, 192-196.

Clericatus, J., *De sacramentis et sacramentalibus decisiones,* Decis. 79, Vcnctiis 1673.

De Sainte-Beuve, J., *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7. a. 2, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 119-122.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 282-307.

Kilker, A. J., *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 145-155.

Koerperich, G., "De subjecto Extremae Unctionis," *Collationes Namurcenses* 30 (1936) 14-25.

Mancini, A„ "Estrema Unzione in grave choc nervoso," *Palestra del Clero* a. 13 (1934), v. 1, p. 87-89; "Sacramento dcgli infermi o Estrema Unzione," *ibid.* a. 15 (1936), v. I, p. 313-315.

Mannaert, V„ "De requisitis ad validam ct ad licitam susceptionem sacramenti extremae unctionis," *Collationes Gandavenses* 14 (1927) 160-170.

Martène, E, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 2 (Rotomagi 1700) 110-112.

McDonald, W., "The Sacrament of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 342-345.

Primmer. D.. "The Recipient of Extreme Unction According to the New Code." *The Homiletic and Pastoral Review* 26 (1926) 739-742.

gimus causam deordinantem vel debilitantem aequilibrium virium ac humorum corporalis organismi, ita ut *ab intrinseco* possit, si augeatur, inducere periculum mortis. Haec infirmitas, alia est *stricte dicta {aegritudo vel morbus),* quae veluti connaturaliter exurgit ex variis causis accidentalibus, etiam in organismo iuniore aut robustiore: alia est *late dicta,* quae repente inducitur ab aliqua causa violenta, in organismum immissa, ut *veneno* et *vulnere* (ex patibulo, bello, duello, operatione chirurgica, percussione, combustione), vel organismum opprimente, ut difficili *partu* et *suffocatione* (ex patibulo, incursione aquae in inundatione aut naufragio, densitate fumi sive incendio); alia est *latissime dicta,* quae evolvitur paulatim et connaturaliter ex progressivo usu et lenta consumptione organismi, et quamvis dici soleat *senium* sive senectus, a tempore seu aetate organismi, est tamen vera infirmitas, iuxta illud: "Senectas ipsa morbus est" ex Cicerone depromptum.[60]

A propria vero infirmitatis ratione excluditur quaelibet alia corporis interior vel exterior conditio aut circumstantia, quae praedictum effectum non causai, ut membrorum mutilatio, organorum defectus (in muto, caeco, surdo), corporis deformitas, tenuitas, debilitas (in montsro, claudo, nano, paralytico), et a fortiori exterior conditio damnati ad mortem, praelium ingressuri, periculose navigaturi, gravem operationem chirurgicam subituri (nisi aliunde infirmus sit), periculoso partui accessurae (nisi aliunde infirmetur vel graviter debilitata inveniatur), cuilibet aliae nocivae ac imminenti causae exposito (ut hostium incursioni, pestis propagationi, aquae inundationi, incendio), quamvis talibus subiectis immineat periculum aut certitudo mortis.[61]

Spâôil, T., *Doctrina theologiae Orientis separati de sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74; Romae 1931) 81-S3, S5, 194-197.

Suarez, In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 42, s. 2, n. 3-6, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton. Parisiis: Vives 1866) 852 sq.

Toner, P. J., "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 247-250.

Van Grinsven, M., "Vcrmeend of wcrkclijk stervensgevaar," *Nederlandsche Katholieke Stemmen* 24 (1924) 152-155.

Vf.rhamme, A., "Dc subjectio Extremae Unctionis," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 267-275, 339-344.

Vivoda, A., *Riccviaino per tempo TEstrema Unzione,* Torino 1939.

[60] *Lib. de senect.,* c. 20: "Sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur, et quasi poma ex arboribus. . . , si sunt matura et cocta decidunt, sic senibus vitam aufert maturitas."

[61] Haec vulgata distinctio inter causam inducentem periculum mortis ab intrinseco et causam illud inducentem tantum ab cxtrinseco iam fiebat a *Scoto:* "Non debet conferri . . . qualitercunquc exposito periculo mortis, quia non ei cui imminet mors ex periculo extrinsecae violentiae, ut armorum, vel submersionis, vel hujusmodi" *(In 4 Sent.,* dist. 23, q. un.). Distinctius proposita est a *Suarez:* "Quando . . . [homo] sanus est, licet sit morti vicinus [ut capite damnatus vel periculose navigaturus], habet integras naturales vires, et non *ab intrinseco,* sed per accidens et *ab cxtrinseco* deficit, et ideo non est pro illo institutum sacramentum" (Disp. 42, s. 2, n. 6). Quoad particulares casus periculi

Quaeritur igitur an soli infirmi (iuxta primam et alteram acceptionem) et senes (infirmi iuxta tertiam acceptionem), sint subiectum capax huius sacramenti.

2. An requiratur *gravis infirmitas,* quae nempe notabiliter praedictum effectum inducat, sive in infirmis sive in senibus.

3. An requiratur *mortalis infirmitas,* i.e. talis gravitatis ut verum *mortis periculum* inducat, seu, ratione cuius et tanquam eius effectus, adventus mortis sit saltem vere probabilis, etsi etiam contrarium, seu continuatio vitae, sit vere probabilis, imo fortasse probabilius.02

Unde non idem est gravis infirmitas et periculum mortis, etiam remotum, cum non necessario ex gravi infirmitate sequatur vera probabilitas adventus mortis. Hanc distinctionem, quam quidam doctores apte notant03 et ipse Codex I.C., can. 523 (supra cit., p. 561), explicite adducit, alii ignorare aut praetermittere videntur,01 aliquam inde confusionem ingerentes in praesentem quaestionem.

4. An sufficiat *remotum mortis periculum,* nec requiratur periculum proximum et a fortiori periculum imminens seu articulus mortis.

Hanc quaestionem confusam et implicatam reddit ipsa verietas nominum ac distinctionum apud theologos. Quidam distinguunt inter periculum probabile et periculum certum; alii, attento gradu infirmitatis, inter periculum grave et periculum gravissimum; alii, attenta distantia a momento mortis, inter periculum remotum et periculum proximum (iam Suarez, plures moderni), vel, addito tertio membro, inter periculum remotum, periculum proximum et periculum imminens (sive articulum), vel inter periculum mortis, periculum mortis propinquae et periculum mortis proximae (Kern05), vel inter periculum mortis propinquae, periculum mortis proximae et periculum mortis

mortis, in quo non potest sacramentum conferri, S. *Thomas (C. Geni.* 4. 73) proponit capite damnatum, *Scotus (loc. cit.)* milites ct navigantes, *Suarez (loc. cit.)* capite damnatos et navigantes, *Catechismus Cone. Trid.* eosdem tres casus capite damnatorum, militum et navigantium, qui ordinarie proponuntur passim ab antiquis auctoribus; apud posteriores (cf. S. Alphonsum) accessit explicita consideratio mulieris parturientis; tandem apud modernos, casus multiplicantur (cf. supra, p. 579, ct infra, p. 664-670).

“ Apte *D'Annibale* periculum mortis definire videtur: “Illud rerum discrimen in quo, cum quis constitutus est, ipsum et superesse ct occumbere posse, utrumque est *vtrt graviterque probabile" (Summa theologiae moralis* [Romae 1892] I 38). Item *Gtnicol-Salsmans* "Timor [mortis] ex mente Ecclesiae rationabiliter ita intclligendus est: statim atque probabile fit aegrotum ex praesenti morbo seu periculo esse moriturum, licet forsan adhuc *probabilius* sit eum sanatum iri” *(Institutiones theologiae moralis* [ed. 10, Brucllis 1922) II 391).

° Ita *Suarez,* Disp. 42, sect. 2, n. 5: “Ulterius addo, in usu servandum esse, ut non solum morbus ex se gravis sit, sed etiam ut status talis sit, qui infirmum in gravi periculo mortis constituat.”

” Ita *Cappello, op. cit.* (supra in p. 578) 163 sq.; *Conte a Coronata,* mox citandus (p. 581).

" Op. cit. (supra in p. 578) 356 sq.

imminentis (S. Alphonsus; cf. infra, p. 603 sq.). Quidam praeterea plura ex membris harum divisionum simul miscent.®6

Consultius videtur consistenter hic retinere vulgatam illam et iam in theologia morali sacramentali satis firmata distinctio inter periculum mortis et articulum mortis, et (pro necessitate rem magis determinandi ac varios sensus theologorum classificandi) subdistinguere periculum mortis in periculum remotum et proximum, ita ut tria membra proponantur: *periculum mortis remotum, periculum mortis proximum,* et *articulus mortis,* vel, si placet, periculum mortis imminens, a quo ceteroquin ulterius distinguere oportet ipsum extremum *tempus agoniae.* Quae quidem distinctio, attenta distantia a morte, ita accipi potest ut, iuxta communiter contingentia, tempus agoniae intelligatur aliquot momenta ante mortem, periculum vero imminens seu articulus mortis aliquot horas, periculum proximum aliquot dies, periculum remotum aliquot menses.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica

Ex ipsis Ecclesiae documentis, iam relatis in art. praec. (p. 552-562) et infra in decursu Conclusionum magis, pro data occasione, determinandis, haec deducuntur, in quibus fere conveniunt theologi saltem moderni:

1. Requiri *proprie dictam infirmitatem,* ita ut soli infirmi et senes, valide ungantur, ad exclusionem nempe aliorum qui aliis malis corporalibus affliguntur, aut in ipso periculo mortis constituuntur, videtur *theologice certum.* Id intime connectitur cum eadem nota assignata in art. praec. (p. 551 sq.), quoad necessitatem infirmitatis in genere; nam Ecclesiae documenta, signanter Cone. Flor, et Trid. (p. 554-556), loquuntur exclusive de infirmis, nec, sive ecclesiasticus sive profanus usus alios sub ea voce unquam intellexit quam eos qui, ex morbo, vel ex intrinseca aliqua causa nociva, viribus corporis deficiunt aut in mortis periculo constituuntur. Ceterum, certum est id esse doctrinam catholicam cui contradicere esset *saltem temerarium,* ut patet tum ex iisdem documentis, tum ex solis ipsis explicitis verbis

®6 Ita *Conte a Coronata:* "Necesse . . . non est ut periculum mortis proximum sit, aut gravissimum; sufficit probabile periculum. . . Periculum . . . mortis potest esse leve et plus minus remotum, probabile, grave, gravius, gravissimum seu imminens quod verificatur in mortis articulo. Probabile periculum mortis quod sufficit ad sacramentum ministrandum verificatur in qualibet gravi infirmitate" *(.Institutiones iuris canonici* I [Taurini 1943] 597, 606). Item *Tanquerey* (quem fere ad verbum repetit Van Noort-Verhaar, n. 188) ait: "Non est tamen necessarium ut periculum mortis sit imminens, aut certum, sed sufficit ut satis proximum sit et prudenter existimatum" *(Synopsis theologiae dogmaticae* [ed. 22, Romae 1921] III 543).

Codicis I.C., can. 940, § 1: "Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur"; velle enim his verbis tribuere solum valorem disciplinarem, respicientem unice licitam sacramenti administrationem, futile ac voluntarium esset.

2. Ubi agitur de infirmis, requiri in eis *gravem infirmitatem,* videtur pariter *theologice certum,* et est certe doctrina catholica cui contradicere nunc saltem, *temerarium* esset, ut sequitur ex iisdem documentis, saltem ex Cone. Flor, et Codice I.C. loquentibus de ipso periculo mortis (quoad vim autem verborum Cone. Trid., de qua disputatur, dicetur infra, p. 621-623).

Hanc notam assignant iidem fere auctores, relati in art. praec. (p. 551 sq.), ad modum unius cum nota circa necessitatem ipsius status infirmitatis, scilicet *Suarez, Kilkcr, Diekamp, Dafiara, Kern, Hervé, Spàcil.*

3. Requiri aliquod *periculum mortis,* est pariter doctrina catholica cui contradicere *temerarium* esset, ob easdem rationes adductas in numero praecedenti et ex iudicio eorundem theologorum, qui de duplici asserto ad modum unius loquuntur.

Unde inepte unus vel alter modernus, ob quendam male intellectum dissensum aliquorum theologorum de quo infra (p. 588-593), videntur nec hanc nec ullam aliam notam theologicam velle assignare, et rem habere tantum ut probabilem.

Ita *CAPPELLO* scribens: "Quod subiectum capax extremae unctionis sit solus infirmus ac propterea quod morbus sit de necessitate sacramenti, certum est. . . An, ulterius, etiam peculiaris gradus infirmitatis seu morbus gravis sive periculosus sit de necessitate sacramenti, dissentiunt theologi. Plerique affirmant. . . Suarez docet: '. . . Probabilius existimo esse etiam hoc de necessitate sacramenti. . .' Haec sententia vera videtur, dummodo gravitas morbi seu mortis periculum moraliter accipiatur, sine scrupulis et anxietatibus."[07]

Pariter *REGATILLO:* "Morbus requiritur de necessitate sacramenti. Ita omnes. Peculiaris gradus infirmitatis, i.e. qui periculum mortis creet, probabilius requiritur etiam de necessitate. Sic Suarez."[08] Quoad sententiam *Suaresii,* ad quam isti duo auctores provocant, notandum est imprimis quod ipsa accipi potest in eo sensu quod ad valorem sacramenti non requiratur actuale et obiectivum periculum, sed sufficiat virtuale aut putativum, ut explicabitur infra (p. 588, 591) etiam quoad sententiam *Coninck, S. Alphonsi* et aliorum; praeterea, si Suarez revera doceret quamlibet gravem infirmitatem sufficere sine ullo periculo mortis, sibimetipsi contradiceret, cum paulo antea circa initium eiusdem sectionis, in qua tantum concedit: "Probabilius existimo esse etiam hoc [i.e. periculum mortis] de necessitate sacramenti," explicite asserat id esse certum, scribens: "Assertio certa est. eum tantum hominem, qui corpore infirmus est, et in eo statu, ut vita ejus periclitctur. esse capacem hujus sacramenti."

[07] *"Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 163 sq.

[08] *" Ius sacramentarium* (ed. 2, Santander 1949) 435.

JACQVEMIER, respondens accusationi Graecorum de dilata apud catholicos Extrema Unctione ad articulum mortis, candide observabat: "Les théologiens catholiques n'exigent meme pas, pour la validité du sacrement, le danger de mort, mais seulement la maladie grave."[*]"

C DE CLERCQ caute sed valde suggestive scribit: "[D'après le Concile de Trente:] 'L'onction doit être donnée aux infirmes, surtout à ceux qui sont si dangereusement atteints qu'ils semblent à l'extremité de leur vie' (ch. 3). Il n'y a pas ici la note exclusive du décret de Florence aux Arméniens: 'Ce sacrement ne doit être donné qu'à l'infirme dont on craint la mort' (Denz., n° 700). Sans les soins voulus, toute blessure ou maladie peut être dangereuse. La possession diabolique est un mal qui atteint aussi le corps. L'infirmité morale a souvent une répercussion physique. Cependant les théologiens catholiques modernes sont d'accord pour dire qu'une douleur ou faiblesse minime et brève ne peut tomber sous l'application du texte de saint Jacques et que les onctions faites en cette circonstance ne seraient point sacramentelles."[70]

Recentius adhuc *B. BOTTE,* nullatenus attendens ad valorem dogmaticum verborum sive *Cone. Flor.,* sive etiam *Ritualis Romani* et *Codicis l. C.,* loquendum de periculo mortis (ut interim abstrahamus a vi verborum ipsius Cone Trid.. de qua in p. 621–623), candide et confidenter scribit: "Le concile [de Trente] a explicitement défini que l'onction est ordonnée au réconfort du malade comme tel. .. Dans l'Eucologe destiné aux catholiques, on imprima une notice. Il convient de rappeler aux prêtres que le sacrement de l'huile sainte a été ordonné par Xotre-Seigneur comme un remède céleste, non seulement pour lame, mais aussi pour le salut du corps et qu'il est administré à ceux-là seuls qui souffrent d'une grave maladie, non aux gens bien portants'. Le Saint-Siège n'a donc pas imposé aux Grecs la discipline latine et ne parle pas du danger de mort. Seuls les gens bien portants ou ceux qui n'auraient que de légères infirmités en sont exclus. C'est une commission pontificale qui a inséré cette clause dans L'Eucologe. *Ce n'est pas un acte du magistère extraordinaire, mais on peut la considérer, je pense, comme une décision du magistère ordinaire. En admettant une jurisprudence plus large pour le rite byzantin, il semble bien que l'Eglise ait admis implicitement que la clause du danger de mort* n'était qu'une clause disciplinaire. S'il s'était agi de l'essence même du sacrament, une concession n'aurait pas été possible. Cette décision ne fait d'ailleurs que confirmer la position du Concile de Trente."[7']

Ad haec observa: Illa adnotatio ad Euchologium apposita fuit ad finem excludendi praxim ungendi sanos, quae vigebat apud Graecos, nec ideo indiguit compleri per mentionem periculi mortis. Euchologium ipsum eiusque adnotationes respiciunt solos Graecos; numquid inde sequitur Ecclesiam permittere unctionem sanorum vel leviter aegrotantium ceteris Orientalibus catholicis? Quid de doctrina Cone. Florentini: nonne valet pro tota Ecclesia? Et ipsae declarationes Ritualis Romani et Codicis I. C. de necessitate periculi mortis, numquid nullum habent valorem dogmaticum?

4. Quoad sufficientiam *periculi remoti,* distinctione opus est:

Non requiri ipsum extremum *tempus agoniae,* in quo nempe infirmus veluti mori incipit vel sensus amiserit aut amittere incipiat, est *saltem theologice certum.* Benedictus XV id vocat "doctrina

[*]"L'Extrêmc-Onction chez les Grecs," *Echos d'Orient* 2 (oct. 1898-oct. 1899) 200, in nota.

"*Ordre, Marriage, Extreme-Onction* ("Bibliothèque catholique des sciences religieuses" [Paris 1939]) 154 sq.

'"L'onction des malades," *La liturgie des malades* ("La Maison-Dieu," n. 15, Paris 1948) 101 sq. Alia verba huius auctoris citabimus infra in p. 596.

Ecclesiae"; contrarium vero vocatur a Pio XI "exitialis error" et a Catechismo Cone. Trid. "gravissimum peccatum" (cf. infra, p. 648sq.). Huc referuntur omnia Ecclesiae documenta citanda inferius (p. 648-650).

Non requiri *periculum imminens seu articulum mortis,* cum nempe mors est moraliter certa et intra breve tempus (aliquot horas) secutura, est *theologice certum,* ut sequitur ex iisdem documentis et ex constanti praxi Ecclesiae.

Non requiri *periculum proximum,* prout hoc distinguitur a duobus praecedentibus, cum nempe moraliter certum vel valde probabile est mortem intra non longum tempus (aliquot dies) esse secuturam, potest libere disputari et adhuc disputatur inter doctores, etsi affirmativa sententia de sufficientia remoti periculi sit hodie longe communior atque non leviter confirmetur recentioribus praecipue Ecclesiae documentis, ut infra ostendetur (p. 661 sq.).

ERRORES ET SENTENTIAE.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, de necessitate proprie dictae infirmitatis:

AFFIRMANT communissime doctores catholici (uno vel altero excepto, de quo infra), quibus consentiunt plures inter schismaticos, ut *Petrus Moghila* (supra cit., p. 572), *Philaretus, Archangelski)/-Malinovskij* et *Mesoloras.*

NEGANT vero, seu docent etiam sanos qui sint morti destinati vel expositi (nominatim capite damnatos et milites praeliaturos) esse validum subiectum sacramenti, tum plures *Schismatici* (qui ceteroquin admittunt validitatem unctionis quoad quoslibet sanos), signanter *Dyovuniotis* qui contrariam sententiam revocat ad erroneas opiniones "quorundam Scholasticorum,"[73] tum illi *pauci catholici (De Sainte-Beuve, Launoy* et *Juénin)* qui, ut vidimus in art. praec., concedunt cum Graecis validitatem sacramenti quibuslibet sanis administrati. Praeterea Pesch et Cappello asserunt idem a "paucis recentioribus" doceri, sed illorum nomina nec ipsi referunt nec nos inter notos auctores invenimus.

Pro qua opinione ratio esse potest, quia huiusmodi homines sunt capaces spiritualium effectuum Extremae Unctionis, scilicet abster-

'· Hic praeterea, cum uno vel alio doctore, excludit etiam *senes* a sacramenti administratione *(Inquisitio de historica evolutione ritus Benedictionis Olei* [Petropoli 1895] 80sqq.; confer infra dicenda, in p. 619) contra communiorem sententiam ipsorum Schismaticorum (cf. *Pelrunt Moghilam,* supra cit., p. 572).

" Τὰ *μυστήρια* (Athenis 1913) 196. Cf. factum *Nikonis* patriarchae supra relatum, p. 539).

sionis reliquiarum peccati, alleviationis et confortationis contra horrores mortis, et praeparationis ad momentosum transitum in aeternitatem.

Non sufficienti autem ratione hic adducerentur quidam antiquiores qui pro deneganda capite damnatis Extrema Unctione, reiecta aliunde, ut videtur, eius validitate ex ipso defectu infirmitatis, alias afferunt peculiares rationes ad ostendendam eius inconvenientiam, ut quod frustranee daretur sacramentum in corporalem sanitatem eorum qui certae ac violentae morti sunt addicti, vel irreverenter ungerentur pedes mox patibulum pressuros,[74] vel quod ex antiqua consuetudine publice peccatoribus ac poenitentibus sacramentum denegaretur. Hanc ultimam afferens rationem, *Martène* scribit: "Cum Extremae-unctionis sacramentum ad curandos et corporis et animae morbos ... sit institutum ... : hujus sacramenti capaces non videntur, ei, qui nulla corporis infirmitate laborant, aut nullis peccatorum maculis sunt infecti. . . Hinc est etiam quod reis morte damnatis, quia sani sunt corpore, hoc sacramentum denegandum esse censent nonnulli: quamvis id alia ratione fieri existimem: quia nimirum publicis peccatoribus ac poenitentibus illud denegabant antiqui, ut discimus ex Innocentii Papae I. epistola ad Decentium."[75]

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, de necessitate gravis infirmitatis:

AFFIRMANT communissime theologi *catholici* (paucis exceptis, de quibus infra), quibus consentiunt plures *Schismatici* (praecipue inter russos), ut, inter antiquiores graecos: *lob monachus, loannes Nathanael,* et *Gregorius Chiensis,* inter russos vero: *Petrus Moghila, Silvester Lebedinskij, Macarius Bulgakov* (quos omnes citavimus in art. praec. p. 571-573), *Philaretus Gumilevskij* (seu Tchernigoviensis), *A. Aniphiteatrov, Pcrov, Malinovskij, Jastrcbov.*

NEGANT vero Protestantes, quamplures schismatici et quidam pauci inter antiquiores theologos catholicos.

Protestantes imprimis occasionem hic libenter arripiunt calumniandi doctrinam et praxim catholicam, quod ex unctione fecerit Extremam Unctionem, seu ex quadam observantia pro omnibus infirmis a lacobo commendata, effecerit sacramentum ad ungendos "non infirmos, sed semimortua cadavera" (Calvinus). Ex Lutheri praecipue ac Calvini verbis, citatis in art. 1 (tom. 1, p. 33-37, 66-68) recole sequentia:

Lutherus: "Huic ungendorum infirmorum ritui duas additiones sese

''Apud H. Baruffaldo, *Ad Rituale Romanum commentarium* (Florentiae 1847) tom. 1, tit. 27, n. 85 sq.

''*De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 1, n. 1 (Rotomagi 1700) 103.

dignas addiderunt theologi nostri [Agitur de theologis catholicis quos Lutherus impugnatj. Unam quod sacramentum appellant, alteram, quod extremam faciunt, sitque nunc sacramentum extremae unctionis, quae nisi in extremo vitae agentibus periculo dari non debeat" *(ibid.*, p. 33). "Si [catholici] verum putant et servandum, quod apostolus dicit, qua auctoritate mutant et resistunt? Cur faciunt ipsi extremam et singularem unctionem ex ea, quam apostolus voluit esse generalem? Neque enim apostolus extremam esse voluit, et solis morituris dandam, sed absolute dicit: Si quis infirmatur, non dicit: Si quis moritur. . . [Ex quo] apparet eos, non auctoritate ulla, sed suo arbitrio ex verbis apostoli male intellectis *sacramentum et unctionem extremam fecisse, cum iniuria ceterorum infirmorum,* quibus vi propria abstulerunt ungendi beneficium ab apostolo statutum" (cit. *ibid.*, p. 66).

Calvinus: "lacobus omnes infirmos vult inungi: isti [z.e. *catholici] non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt;* quum iamiam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipsi loquuntur, in extremis. Si praesentem habent medicinam in suo sacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animae solatium afferant crudeles sunt qui numquam in tempore medentur" (cit. *ibid.*, p. 68).

E. L. Parsons et B. II. Jones in suo recenti opere *The American Prayer Book* candide scribunt: "In the West, a pernicious change beginning about the ninth century transformed the rite from a sacrament of healing to a preparation for death, under the name of *Extreme* Unction, — i.e., the Anointing of those *in extremis.* A new ritual was devised of anointing seven parts of the body, with formulae professing to remit specific sins committed through the several senses. This converted the ceremony from a 'confirming' consecration to a solemn Absolution in imminent expectation of death. In the light of such depressing doctrines it is a little surprising the Unction survived at all in [the Prayer Book of] 1549, and not at all remarkable that it was eliminated in 1552. It is only recently that a better understanding of the primitive doctrine and use of the rite have made it possible to restore it in the latest revision of the Prayer Book" (cit. *ibid.*, p. 38).

Schismatici quamplures negant requiri gravem infirmitatem, sive nempe omnes illi qui, praecipue inter Graecos, negant ipsam infirmitatem requiri (cf. in art. praec., p. 548 sq.), sive aliqui inter illos qui docent necessitatem infirmitatis. Quidam generaliter tantum dicunt omnes infirmos ungi posse, ita *Gorskij, Smirnov, Ncokosmos, Pefanis, Calincscu, Maltzew;* alii magis determinate dicunt hoc sacramentum

conferendum esse aegrotis, praesertim graviter decumbentibus, ita *Golubcev* et *Firmilijan;* alii magis signate dicunt hoc sacramentum non esse pro solis graviter infirmis sed pro omnibus atque contrarium docentes directe impugnant, ita *Bjeljaev,'" Andrutsus," Dyovuniotis,'"* et anonymus auctor articuli de Extrema Unctione in *Pribavlenia ad opera sanctorum Patrum* 17 (1858) 580-627.

Rationem suae opinionis invocant sive ex verbis Iacobi *ἀσθινάν* et *κάμι·αν* quae possunt intelligi de omnibus infirmis (Andrutsus, Dyovuniotis), vel, si accipiuntur de solis graviter infirmis, significant hos quidem debere unctionem suscipere, alios vero posse nec obligari (Bjeljaev), sive ex Euchologiis quae in orationibus et lectionibus ritus Euchelaei nihil significant ex quo deduci possit ad solos graviter infirmos unctionem ordinari, sive ex praxi orientali ungendi quoslibet infirmos, imo et sanos (Andrutsus, Golubcev).

Inter catholicos ipsos theologos (praeter eos qui, ut De Sainte-Beuve, Launoy et Juénin, ipsorum sanorum unctionem validam dixerunt) non defuerunt qui, ambiguis saltem verbis, communi aliorum sententiae refragari visi sint. Nominari solent *Caietanus, Maldonatus,' Quintanadvenas, Drouin, Lessius, Wiggers,*[60] *Wigandt* (f 1708)[81] et inter modernos *Oswald* quatenus asserit capax subiectum huius sacramenti esse graviter infirmum "iuxta praxim Occidentis." Quorum rationes videntur esse, quia necessitas gravis infirmitatis non potest certo probari neque ex verbis Iacobi, qui loquitur generaliter de infirmis, neque ex Traditione et praxi ecclesiarum, in qua occurrunt exempla unctionum leviter aegrotantium necnon late diffusus Orientalium mos ungendi quoslibet infirmos et ipsos sanos, neque ex documentis Ecclesiae, quinimo contrarium videtur asserere Cone. Trid., dicens "unctionem infirmis adhibendam, illis praesertim qui periculose decumbunt."

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, dc necessitate /fericuli mortis:

AFFIRMANT communiter theologi *catholici* (excepto uno vel altero, de quo infra, p. 596), consentientibus paucis ex antiquioribus

""Benedictio Olei [i.c. Extrema Unctio l" [russice], *Orthodoxo-thcologica encyclopaedia* 5 (1904) 404.

·'*Soyματική* (Athenis 1907) 406.

" Τὰ *μυστήρια* (Athenis 1913) 191.

" De opere Maldonato tributo confer dicta supra, p. 465 sq. in nota.

" Tamen Lessius *(Dc Extrema Unctione,* c. 4. dub. 1, n. 28) ct Wiggers *(In Suppi.,* q. 32, a. 2), excipiunt casum in quo infirmitas sit valde levis.

"Tribunal confessoriorum et ordinandorum declinato probabilisme, tr. 14, n. 111, prop. 7. Hunc auctorem in quasdam laxiores opiniones declinasse, conquesti sunt ipsi cius sodales dominicani.

Schismaticis, ut *lob monacho, Ioanne Nathanael, Gregorio Chiensi, Petro Moghila* et *Silvestre Lebedinskij* (citatis in art. praec., p. 571-573).

Apud doctores tamen catholicos notandum est *duplex discrimen* quo quidam affirmativam et communem sententiam ita emolliunt, ut videantur ad negativam accedere.

Primum discrimen est in eo quod *quidam auctores* docent vel docere videntur non requiri periculum mortis actualiter et in re sed sufficere ut sit veluti *virtualiter et in causa,* seu ut adsit talis gravis infirmitas quae natura sua tendit ad inducendum periculum mortis. Ratio est quia ex una parte periculum iam aliqualiter vere seu in sua causa adest, et ex alia parte infirmus est in eo statu in quo indiget propriis effectibus huius sacramenti, signanter roboratione et confortatione.

Hanc sententiam, quam, etsi aliquatenus ambigue, iam proposuit *Suarez,* cuique videntur favere *Coninck, Lessius* et 5. *Alphonsus,* [2] clarius recenter expressit *Kern* ac sequuntur magis vel minus decisive quidam alii moderni, ut *Otten, Marc-Gcstcrmann, Cappello, Vcr-meersch, Conte a Coronata, Regatillo.*

SUAREZ: "Imprimis oportet ut infirmitas ex sua specie, vel in hoc individuo, judicio prudentum sit gravis, et quae infirmum in periculo vitae constituere valeat. Hoc constat ex usu Ecclesiae. Unde non dubito quin hoc saltem sit ex praecepto, ut convincit Concilium Florentinum. Et probabilius existimo esse etiam hoc de necessitate sacramenti, propter idem Concilium, et propter verba Jacobi. . . . Ulterius addo, in usu servandum esse, ut non solum morbus ex se gravis sit sed etiam ut status talis sit. qui infirmum in gravi periculo mortis constituat. Ita docent omnes doctores, et satis confirmatur ex communi usu Ecclesiae. . . Quia vero hic status non potest habere tantam certitudinem, multumque ex arbitrio pendet, ideo *non videtur haec conditio ita substantialis,* ut si forte aliquantulum praemature ungatur infirmus, sacramentum propterea sit nullum existimandum; quin potius *quoties morbus ex se juerit periculosus et gravis, existimo sacramentum esse validum, etiamsi ad statum morbi vel non satis, vel etiam nihil attendatur."*[63]

CONINCK: "Non tamen videtur invalidum [sacramentum] si detur graviter quidem aegrotanti, tamen sine vero periculo mortis."[84] Haec verba satis ambigua, quae prima fronte videntur negare necessitatem periculi mortis ac ita a quibusdam accipiuntur (imo S. Alphonsus immerito Coninck citat inter negantes necessitatem gravis infirmitatis'), convenienter intelligi possunt in sensu Suaresii, cuius opinionibus Coninck adhaerere solet, ut suadet etiam ipsa expressio "Sine vero periculo mortis" quae potest significare vel: sine periculo actu existente. quod tamen adest virtute et in causa, vel: sine periculo objective existente. quod tamen subjective existit seu existere putatur (iuxta alteram explicationem sententiae Suaresii, de qua infra).

Imo probabiliter in sensu huius sententiae explicandi sunt illi theologi qui solent adduci pro negatione necessitatis gravis infirmitatis (cf. supra, p. 587); nam sub ambiguis suis expressionibus videntur non aliud negare quam necessitatem talis gravis infirmitatis quae importet actuale periculum mortis.

[2] In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 42, s. 2, n. 4 sq., *Opera omnia* XXII (ed. C. Bcrton, Parisiis: Vivès 1866) 852.

[63] *De sacramentis et censuris,* disp. 19, dub. 7, n. 25.

LESSIUS: "Si vero sit gravis [infirmitas], non tamen appareat periculosa, probabile est esse sacramentum; peccant tamen qui sic scientes conferunt vel accipiunt."[85] Haec ambigua verba possunt ad eundem sensum trahi. Ceterum hic auctor tam ambigue loquitur, ut visus sit negare ipsam necessitatem gravis infirmitatis (cf. supra, p. 587).

S. *ALPHONSUS:* "Dicendum cum communi Suar. Castr. Bon. etc. (contra Wig.) quod si detur hoc Sacramentum infirmo non gravi morbo decumbenti, non solum illicite, sed etiam invalide conferretur. Si autem daretur in morbo gravi. *quin aliquod videatur imminere periculum mortis,* daretur quidem valide, sed illicite. . . Sed quaeritur . . . in quo gradu danda est, vel dari potest Extrema-Unctio? Quando adest periculum proximae mortis, tunc non dubitatur, quin non solum possit, sed etiam danda est. . . Hoc currit in quantum ad obligationem praebendi Extremam-Unctionem. Sed in quantum ut possit licite praeberi, dicunt communiter dd. sufficere ut infirmitas sit periculosa mortis, licet remote; ita Suar, qui dicit: 'Ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remote.' Idem tenent Laym. Castrop. Bonae. Conine. Salm. et alii. . . Et hoc perspicue infertur tum ex Florentino . . . tum ex Trid. *Sess.* 14. c. 3. ubi haec leguntur: 'Hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui in exitu vitae constituti videantur.' Ibi particula 'praesertim' recte denotat quod potest dari E.-U. etiam aliis infirmis, qui non sunt constituti in exitu vitae. Sed clarius confirmatur a Bened. XIV. in praefata Bul. ["Ex quo primum"] ... ubi dicitur, ne Sacramentum E.-U. ministretur bene, valentibus, 'sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant.' Unde recte dicit Castr. quod quoties potest infirmo non ieiuno praeberi Viaticum, potest, et expedit dari E.-U. Recte tamen dicunt Laym. et Castr. quod ut dari possit, non sufficit periculum dubium mortis, sed requiritur saltem probabile, sive prudens timor mortis; ut ceteroquin communiter admittunt Suarez. Castrens. Escob. et Holzm. cum Mastrio, et Scoto."[88]

Prima fronte S. Doctor videtur negare necessitatem periculi mortis ad validitatem sacramenti. Nam ex una parte docet ad liceitatem sufficere periculum remotum et ex alia parte affirmat ad validitatem minus requiri quam ad liceitatem, minus autem quam remotum periculum videtur esse nullum periculum. Attamen, cum S. Doctor in anteriori ac dogmatico suo opere *Theologiae Moralis* (1. 6, n. 712-714, infra cit., in p. 603 sq.) manifeste doceat necessitatem alicuius periculi mortis (imo, ut nobis videtur, ipsius periculi proximi), saltem putativi, ad validitatem sacramenti, vix credibile est ipsum subinde sibimet contradixisse aut tantopere mutasse ut nullius periculi necessitatem docuerit, eo vel magis quod hic significet se exponere communem doctorum sententiam. Unde textus S. Doctoris sic exponi potest ut ad validitatem sufficiat periculum virtuale seu in causa (iuxta praedictam sententiam Suaresii), ad liceitatem vero requiratur periculum aliquod actuale, etsi remotum, ad obligationem tandem ministrandi requiratur periculum proximum. Ceterum, ob varietatem distinctionum quibus ipse S. Doctor utitur ad ponderandam gravitatem seu proximitatem periculi, mens eius tum hic tum in altero textu *Theologiae Moralis* exactius determinari nequit (cf. infra, p. 603 sq.).

Immerito autem *Kilker* S. Doctoris sententiam interpretatur ut negationem necessitatis omnis periculi mortis eamque tanquam erroneam insectatur, scribens: "Since this is true, since it is required that a person be in objective danger of death for valid reception, it can be seen how erroneous the opinion of St. Alphonsus is when he asserts the validity of Extreme Unction administered in a grave sickness even where it is known that there is no danger of death.[87] The saint held

[84] *De Extrema Unctione,* c. 4, dub. 1, n. 21.
[85] *Homo Apostolicus,* tract. 17, c. 1, n. 7 (ed. nova, cura A. Saraceno, Augustae Taurinorum 1890) 505 sq.
[86] *Loc. cit.*

that the danger of death was a condition required only for the licit administration and reception of the sacrament."[88]

KERN: "*Si . . . infirmus graviter affligitur per morbum, qui natura sua est quidem periculosus, sed nondum videtur secum ferre discrimen vitae,* maxime quia iudicio medici periti servat normalem, quem vocant, cursum, pariter valide et licite praebetur s. Unctio. Praebetur valide, quia infirmus, qui graviter conflictatur cum morbo natura sua periculoso, animo valde deprimitur et praesenti angori subicitur, ne infirmitas sumat exitum letalem. Praebetur licite, quia talis homo tam graviter laborat, ut ex ipsa natura languoris 'periculum mortis imminere' videatur. Recte *Suarez* (Disp. 42. s 2, n. 5): 'Quoties, inquit, morbus ex se fuerit periculosus et gravis, existimo sacramentum esse validum, etiamsi ad statum morbi vel non satis vel etiam nihil attendatur'. Quin in hoc statu languoris optime Extrema Unctio datur, si parochus ex natura morbi prudenter timet, ne, cum apparuerit periculum, etiam ratio aegroti obnubiletur vel ita debilitetur, ut convenientem cooperationem non amplius valeat praestare. Si talis timor abest, censeo, melius expectari tempus, quo periculum iam sit apertum; tunc enim infirmus facilius disponitur, ut beneficium divinum recte aestimet, ex animo desideret ct cum magna devotione recipiat. Ceterum in tali re multum dependet a iudicio prudenti parochi vel alterius sacerdotis, qui ex dictis sine scrupulo de valorc sacramenti procedere potest."[89]

MARC-GESTER.MANN: "Sufficit . . . ut adsit mortis probabile periculum. . . Quod si [sacramentum] daretur in morbo qui rcipsa periculosus est, quin tamen mortis periculum saltem remotum judicaretur, sacramentum valide, sed illicite. ministraretur."[90]

CAPPELLO: "Si aegrotus graviter affligitur per morbum, qui natura sua est quidem periculosus, sed nondum videtur secum ferre vitae discrimen, potestne ministrari extrema unctio? Resp. Valide et licite ministrari potest, quia in tali casu habetur revera infirmitas et quidem gravis, quae secum fert periculum mortis, licet proximum non sit. Recte monet Suarez: 'Quoties morbus ex se fuerit periculosus et gravis, existimo sacramentum esse validum, etiamsi ad statum morbi vel non satis vel etiam nihil attendatur.'[91] In praxi, utrum expediat necne, ut differatur collatio sacramenti, ex adiunctis dependet. Si parochus timet, ne. superveniente vitae discrimine, mens aegroti obnubiletur aut ita debilitetur, ut convenientem cooperationem non amplius praestare valeat, collatio extremae unctionis non est differenda. Si talis timor abest, forte melius erit differre. Parochus aliusve sacerdos sine scrupulis in hac re procedat."[92]

VERMEERSCH sic refert et suam facere videtur Kern sententiam: "Quod ad aegrotos vel infirmos, ex P. Kern. . . . [sacramentum] valide ct licite confertur . . . in morbo gravi et natura sua periculoso, quamvis nullum objective sit vitae discrimen; in morbo qui natura sua est periculosus ct qui simul graviter affligit infirmum, quamvis nondum videatur (subjective) discrimen vitae secum ferre."[93]

CONTE .1 *CORONATA:* "Probabile periculum mortis quod sufficit ad sacramentum ministrandum verificatur in qualibet gravi infirmitate."[91] Haec verba non distinguentis inter gravem infirmitatem et periculum mortis, etiam intellecta in sensu praesentis opinionis, de periculo virtualiter contento in gravi infirmitate.

"*Extreme Unction* (St. Louis 1927) 169 sq.

"*De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 298 sq.

Institutiones morales alphonsianae (ed. 20, a J. B. Raus recognita, Lugduni 1946) II 416 sq.

Disp. 42, sect. 2, n. S.

KOp. cit. (supra, in p. 582) 166 sq.

'*Theologia moralis* III (cd. 4 a Creuscn recognita, Romae 1948) 394.

*' *Loc. cit.* (supra, in p. 581, in nota).

adhuc exaggerata manent, nam non omnis gravis infirmitas est natura sua proxime et proprie ordinata ad inducendum periculum mortis.

REGATILLO: "Quoties morbus sit gravis et periculosus, unctio valide confertur, etsi ad statum morbi nihil vel [non] satis attendatur, ideoque etsi aliquantum praemature administretur. . . Valide ac licite [sacramentum] confertur ... in morbo natura sua periculoso qui infirmum graviter affligit, quamvis nondum videatur (subjective) vitae discrimen afferre."[95]

Alii vero doctores hanc opinionem explicite vel implicite reiciunt, requirentes *actuale mortis periculum.*

Ita *GÉNICOT-SALSMANS:* "[Ad hoc ut infirmi valide et licite ungantur, requiritur] ut de eorum morte timeatur. Is timor ex mente Ecclesiae rationabiliter ita intelligcndus est: statim atque probabile fit aegrotum *ex praesenti morbo seu periculo* esse moriturum, licet forsan adhuc probabilius sit eum sanatum iri."[96]

NOLDIN-SCHMITT: "[Requiritur] ut ex morbo de vita periclitetur [infirmus]. . . Gravis morbus censetur, qui ex se et natura sua letalem exitum habere potest et *ad illuni terminum processit,* in quo probabiliter iudicari possit mortem allaturus. Cum primum hoc probabile periculum mortis adesse iudicatur, conferri potest extrema unctio, quia subiectum illius capax est."[97]

KILKER: "It is hard to admit the permissibility of an unction in any case where there is not a prudent and probable danger of death. In this instance [seu in casu de quo loquuntur Suarez, Kern, Vermeersch, etc.] this danger will develop perhaps, but *hic et nunc* it is not present. The Code, however, seems to speak of the actual danger present at the time of reception.""[98]

Idem sentire videntur plures alii auctores, etsi rem directe non cogitent vel non exprimant, ut *Aertnys-Damcn. Prümmer, Merkelbach, Piscetta-Gennaro* (n. 1027: "Si ex praesenti morbo mors secutura timetur").

Secundum discrimen est in eo quod *plures auctores* docent ad ipsam validitatem sacramenti sufficere *periculum mortis putativum,* quod nempe cum vera probabilitate putetur adesse, etsi de facto et obiective non adsit. Hanc sententiam quam ut minimum sonant verba *Suaresii* supracitata (p. 588), quamque signanter proponunt *Mastrius* (citans *Scotum, Coninck* et *Amicum* aliosque innominatim recentiores) et S. *Alphonsus* (qui. praeter *Suaresium,* citat *Palaum, Holzmann, Sporcr, Scotum, Amicum, Escobar, Caspensem, Granado* et *Reginaldum"),* amplectuntur non pauci moderni, ut *Kern, Pesch, Spac'd, Gury-*

[K] *Ius sacramentarium* (cd. 2, Santander 1949) 436.
[*] *Institutiones theologiae moralis* (ed. 10, Bruxcllis 1922) II 391.
[n] *Summa theologiae moralis* (cd. 26, Ocniponte 1940) III 457.
["] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 171.

[*] Plures tamen cx his antiquioribus immerito adducuntur. Nam cx hoc quod dicant requiri ut probabiliter adsit periculum mortis, immerito deducitur eos loqui de sufficientia periculi putativi ad valorem sacramenti, sed convenienter intelliguntur loqui de sufficientia ad licitam administrationem, vel ile certo ct obiectivo periculo ex quo potest facile mors induci, seu de certo periculo probabilis mortis. Ita *Scotus, ht 4 Sent.,* dist. 23, q. un., conci. 2 (Opus Oxonicnsc), tantum ait: "Nec qualitcrcunque infirmo [sacr. dari debet), sed periculose, ita quod *prohabiliter* immineat sibi exitus de statu viatoris ad terminum."

Ballerini, Ferreres, Cappello, Vermeersch, Gougnard, Conte a Coronata, Regatillo.

Quorum ratio est, tum quia aegrotus est capax effectus sacramentalis alleviationis, cum sit saltem graviter infirmus etsi fortasse non in vero mortis periculo; tum quia si obiectivum periculum requireretur, exponeretur sacramentum frequenti nullitati, minister scrupulis et anxietatibus, et ipse infirmus periculo ne ei denegetur gratia sacramentalis eo momento quo ipse aptior invenitur ad illius fructum plenius consequendum, quae quidem non videntur convenire Christi institutioni; tum quia putativum tantum periculum videntur proponere verba Cone. Flor. ("De cuius morte timetur"), Cone. Trid. ("Ut in exitu vitae constituti videantur"), Ritualis Romani ("Ut mortis periculum imminere videatur"), Catechismi Cone. Trid. ("Qui periculose aegrotare videntur"), Benedicti XV (infirmi "roborentur Sacramentis vixdum prudens fiat de periculo mortis judicium"), Pii XI ("Ut sacramentum valide et licite detur, satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo judicium").

SUARESII verba citavimus supra (p. 58S), quae quidem explicari possunt sive in sensu sufficientiae periculi mortis existentis virtualiter et in causa, ut diximus ibidem, sive, et ut minimum, in sensu sufficientiae periculi putativi.

5. *ALPHONSUS:* "Dubitatur. . . An hoc scaramentum licite conferri possit aegroto in solo putato periculo vitae? Prima sententia negat, et hanc tenet Viva; et probabilem vocant Lessius et Quintanadvenas, apud Escobar. — Ratio [ut dicunt], quia non potest sacramentum exponi periculo frustrationis; invalide enim conferretur, si revera infirmus non esset in vero periculo mortis. Secunda tamen sententia, communis et vera, affirmat. Et hanc tenent Palaus, Suarez, Holzmann, Sporer cum Scoto et Amico: ac Escobar cum Caspensi, Granado, Reginaldo, etc. — Haec sententia docet, ad administrandum hoc sacramentum valide et licite, sufficere quod infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter putetur esse in periculo proximae mortis. Et probatur ex decreto Eugenii [ut supra], ubi: 'De cujus morte timetur.' Et ex Rituali, ubi: 'Debet . . . hoc sacramentum infirmis praeberi, qui . . . tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur.' — Et ratio est. quia cum Christus Dominus ministrationem hujus sacramenti hominibus reliquerit, credendum est sic eam reliquisse, ut possint concedere illud omnibus infirmis quibus probabiliter judicatur periculum mortis imminere."[1]

KERN: "Si morbus videatur gravis et periculosus esse, revera autem nullum adsit discrimen vitae, certe valide et licite ministratur sacramentum. Nam talis aegrotatio animum languentis non minus prosternit, quam quae vere est letalis, et norma ritualis est salva. Insuper si obiectivum periculum exigeretur, non raro accideret, ut aegrotus a medicis depositus, cuius mors in horas expectatur, invalide inungeretur vi morbi iam fracta, quamvis ad extra id nondum appareat. Unde si Dominus obiectivum vitae discrimen fecisset conditionem essentialem, ipse sacramentum crebro periculo nullitatis et optimos quosque sacerdotes anxiis scrupulis simulque infirmos periculo exposuisset, ne supernaturale auxilium eis denegaretur tempore, quo maxime apti existèrent ad plenum eius fructum accedente perfecta cooperatione propria percipiendum."[2]

[1] *Theologia moralis* (ed. L. Gaudé, Romae 1909) **III** 723 sq.
[2] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 298.

PESCH: "Sufficit autem ad valorem sacramenti prudens aestimatio de periculo mortis, quia plus ab hominibus postulari non potest, quibus administratio huius sacramenti commissa est."[8]

CAPPELLO: "Quidnam, si morbus videatur gravis et periculosus, revera tamen nullum adsit discrimen vitae? Rcsp. Sacramentum valide et licite administratur, dummodo prudenter gravis et periculosus morbus fuerit existimatus et revera infirmitas adsit. Huiusmodi enim aegrotatio animum infirmi non minus prosternit, quam quae vere est letalis. Praeterea, ut supra dictum est, periculum obiectivum sensu proprio et stricto non requiritur. Si hoc exigeretur, non raro accideret, ut infirmus, cuius mors ex iudicio medici in horas expectatur, invalide inungeretur vi morbi iam superata, quamvis ad extra id nondum appareat. Quare si Christus D. obiectivum vitae discrimen fecisset conditionem essentialem, sacramentum periculo nullitatis, sacerdotes scrupulis et anxietatibus, infirmos autem periculo exposuisset, ne supernaturale auxilium eis denegaretur eo praesertim tempore, quo apti essent, propria accedente cooperatione, ad plenum eius fructum consequendum."[4]

VERMEERSCH supra cit. (p. 590).

GOVGNARD: "Hoc sacramentum valide ac licite confertur dum probabiliter tantum judicatur periculum mortis imminere. Ita habet sententia communis et vera. Cum enim, ut advertit S. Alphonsus. . . , Christus Dominus administrationem hujus sacramenti hominibus commiserit, credendum est. eam sic commisisse, ut valide ac licite illud concedere possint omnibus infirmis, quibus probabiliter judicatur periculum mortis imminere."[5]

REGATILLO: "Sufficit [periculum] prudenter existimatum, quamvis objectivum non sit. . . In dubio de gravitate aut periculo sacramentum valide ac licite administratur. . . Valide ac licite confertur . . . in morbo qui videtur gravis et periculosus, etsi obiective non sit vitae periculum."[0] Hic auctor videtur docere sufficientiam non solum periculi putativi sed etiam putativae gravis infirmitatis.

Alii vero doctores refragantur, requirentes *periculum obiectivum* quod nempe de facto adsit a parte rei. Ita *Viva* (ut probabilius),[7] *Reuter, Noldin-Schmitt, Kilker, Sebastiani Van Grinsven*[9] *Aertnys-Damen* id pro re controversa habet (cf. infra, p. 648).

NOLDIN-SCHMITT: "Si . . . extrema unctio confertur infirmo, qui putatur esse in periculo mortis, reapse autem non est, invalidum est sacramentum; nam subiectum capax ex institutione Christi est infirmus, qui reipsa in periculo mortis versatur, sicut subiectum capax absolutionis est poenitens, qui reipsa est dispositus."[10]

KILKER: "NoIdin's view is more probable, for there seems to be lacking on the part of the subject an essential condition for valid reception. In no other sacrament does subjective certitude on the part of the minister validate the administration to a man otherwise objectively incapable of reception."[11]

[1] *Praelectiones dogmaticae* (cd. 4 et S, Friburgi Brisgoviac 1920) VII 279.
[2] *Op. cit.* (in p. 582) 166.
[3] *Tractatus de Extrema Unctione* (cd. 6, Mcchliniac 1938) 63.
[4] *Loc. cit.* (supra, in p. 591).
[5] *De Extrema Unctione,* q. 6, a. 3, n. 2.
[6] *Summarium theologiae moralis* (Taurini 1921) η. 510.
[7] "Vcrmcend of werkelijk stervernsgevaar," *Nederlandsche Katholieke Stemmen* 24 (1924) 152-155.
[8] *Loc. cit.* (supra, in p. 591).
[9] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 169.

NEGANT vero necessitatem cuiuslibet periculi mortis, tum *Protestantes* (quorum diatribas iam audivimus supra, p. 585 sq.), tum ac peculiariter fere omnes theologi *Schismatici,* praeter paucos supra relatos (p. 588), tum pauci illi *catholici* qui negant ipsam necessitatem infirmitatis aut gravis infirmitatis (cf. in p. 587) necnon unus vel alter peregrinus modernus.

Orientales inde a *Simeone Thessalonicensi* (f 1428) communissime negant in solo periculo mortis Euchelaeon concedi posse. Exaggerantes autem quosdam abusus qui, olim saltem, apud catholicos irrepserunt (quibusque ceteroquin ipsa ecclesia schismatica non caruit), differendi nempe sacramentum ad ipsum articulum mortis, nec attendentes ad documenta ipsius Ecclesiae, huiusmodi praxim reprobantis, aut ad varias distinctiones, praecipue a modernis theologis multipliciter inculcatas, inter periculum remotum, proximum et imminens, incusant catholicos quod inde a saec. 12 (ita *Ignatius* arch, et *Bjeljaev}* sacramentum infirmorum mutaverint in sacramentum moribundorum, et unctionem in Extremam Unctionem, quae detur solis moribundis in extremis constitutis, tanquam Viaticum, imo loco Viatici seu Eucharistiae (ita *Macarius Bulgakov* et *Malinovskij).*

Romanam praxim dicunt adversari Scripturae et Traditioni, eamque Simeon Thessalonicensis vocat insaniam, *Smirnov* praejudicium, *Mcsoloras* praecipuum caput discriminis inter catholicos et schismaticos.

SIMEONIS THESSALONICENSIS dicta de "novatorum Latinorum sententia" iam audivimus in art. praec. fp. 538). Praeterea scribit: "Latini omnia innovantes doctrinam quoque hujus mysterii adulteraverunt, et dicunt illud non dandum esse infirmis, sed morientibus, quoniam peccata dimittit, ne rursum sanitati redditus delinquat. Heu! quanta insania! Dei quidem Frater: 'Et oratio, inquit, fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus'; illi autem dicunt: Ut moriatur. Viden' quomodo praeceps in tetriora semper feratur praecipitia? 'Et si peccata fuerint, remittentur ei.' scilicet ut sanetur et allevietur, quod Salvator demonstrat dicendo ad paralyticum: 'Remittuntur tibi peccata tua'; et: 'Surge et ambula'; et: 'Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.' Illi vero cogitant contrario Salvatori ejusque apostolis, et non allcviandis sed morientibus istud autumant esse conferendum. Quapropter hoc non faciunt secundum apostolicam traditionem advocati ab eis qui opus habent, sed proprios usus facientes custodiunt Et sanctum quidem dicit Evangelium: 'Ungebant oleo multos aegros, et sanabant'; illi autem aiunt non conferri sacramentum ut sanentur, sed ut insanabiles fiant et moriantur. O homo, ignoras mysteriorum notitiam, et damnabiliter erras. Nam Evangelium et ejus qui hoc dedit frater dixerunt istud oleum pro infirmis institui, ut uncti, dimissis peccatis, allevientur, quemadmodum utrique paralytico declaratum est; ambobus enim dixit Salvator: 'Dimittuntur tibi peccata tua' inde ostendens infirmitatis causam esse peccata."[12]

IGNATIUS archiep "Apud Romanos praecipitur, ut euchelaeon conferatur talibus infirmis, qui iam in ipsa morte versantur et opus habent solum consolationibus vel viatico fidei. Praeceptum fundant in sensu terminorum *άσθ^νά* τι et

[12] *Dialogus in Christo adversus omnes hacreses* [Dc Sacramentis, — Dc sacro ritu Sancti Olei sive Euchelaei], c. 285, *MG* 155. 518.

καμνοντα. Dicunt *àaOtvûv* sicut et *κάμναν* significare: graviter aegrotare, versari in periculo mortis, ut Maith. X, 8; Jo. IV, 46; Act. IX, 37. Verum asthenia etiam secundum usum medicinalem reipsa significat aegritudinem, infirmitatem corporis, et κἀμναν: pati, laborare. Sed praeceptum romanum, ut unctione olei iam morti committatur infirmus, secundum testimonium quorundam ex ipsis Romanis valde sero in consuetudinem intravit, post saeculum XII. ideoque cum Occidens fere in profundissimis tenebris [media in nocte] versabatur; et intravit ut innovatio, quae debilis erat ex ipso tempore. . . Nos quoque intelligimus graves morbos, in quibus opus sit benedictione olei. Non affirmamus autem, talem conditionem infirmorum expectandam esse, ut solum restet, ut per benedictionem olei in alterum mundum transmittantur."[13]

MACARIUS BULGAKOV, metropolita Mosquensis: "Verba S. Jacobi, tum secundum eorum usum in lingua graeca tum secundum usum s. Scripturae (Matth. X, 18; XXV, 36-39; Luc. IV, 40; VII, 10; IX, 2; Jo. IV, 46; V, 3; XI, 1 etc.) non solos morientes, sed generatim graviter aegrotos significant, proinde etiam tales, qui spem habent recuperandae sanitatis. Quare non recte procedit ecclesia romana, cum mysterium s. Unctionis solum iis aegrotis ut viaticum ministrat, quorum mors iam de propinquo imminet, propter quod etiam appellat illam Extremam Unctionem, sacramentum decedentium vel morientium; mos, qui ex ipsorum Latinorum confessione non prius quam saeculo XII. vigere incepit."[14]

.4, *BJELJAEV,* Academiae theologiae Mosquensis professor: "Notum est, Latinos agnoscere omnia septem sacramenta cum orthodoxis. Eorum autem opinio de effectu et fine Unctionis discrepat a doctrina orthodoxa. Contra directam et claram doctrinam Jacobi apostoli finem principalem sacramenti non in eo reponunt, ut sanet infirmum et a lecto doloris sublevet, sed in eo, ut eum animet, spiritum eius confortet, eum praeparet pro vita aeterna, exitum ex hac vita alleviet. Quare apud illos unctio olei vocatur unctio infirmorum, Extrema Unctio, unctio exeuntium. Tempore antiquo in ecclesia romana non minus quam in Oriente unctio olei non solum in iis peragebatur, quibus periculum mortis imminebat, sed etiam in infirmis, qui tantum virium habebant, ut in ecclesiam transportari illicque diutius manere possent."[15]

Supradictam Simeonis Thessalonicensis diatribam recentius ad verbum repetiit *Silvester Malevanskij* (f 1908), rector Academiae Kioviensis,[18] contra morem modernorum schismaticorum qui paulo remissius in hac quaerela se gerunt, fideliter recoquentes in suis operibus theologicis, necnon in ipsis *Catechismis* (cf. v.g. Catechismos *Bernardaki, Vafides* et *Mesoloras),* suprarelatam incusationem Macarii Bulgakov.

Ad hanc querelam quae, praecipue in modernis schismaticis, procedit ex mera ignorantia tum theologiae catholicae tum ac signanter ipsorum documentorum Ecclesiae infra referendorum, notat *JACQUEMIER:* "L'accusation de Simeon de Thessalonique a été reprise de nos jours et les *catéchismes de Constantinople et d'Athènes,1'* en la répétant à la suite de Mgr. Macaire [Bulgakov], condamnent avec lui le terme *d'Extrême-Onction* dont se sert l'Eglise d'Occident pour désigner l'Euchelaeon, et que n'ont pas craint d'employer des théologiens orthodoxes, tels que Grégoire de Chio, dans son *Abrégé des dogmes* et Théophile de Campanie dans

"De sacramentis unius sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae [russicc] (Petropoli 1863) 279 sq. Apud Kern, *op. cit.* (supra, in p. 590) 274 sq.

"Orthodoxo-dogmatica theologia [russicc] (cd. 5, Petropoli 1S95) V § 231. Apud Kern, *ibid. 27S.*

u Art. cit. (supra, in p. 587) 406.

"Tentamen theologiae dogmaticae orthodoxae, adiecla historica expositione dogmatum [russice] (Kijev 1892-1898) V 65 sq.

"'"Bernardaki, 'lep® Κατήχησή, Constantinople, 1876, §117; Vafides, *Κατήχησα,* p. 109; Mesoloras, *Κατήχησα,* p. 120."

son *Trésor de l'orthodoxie*. 'L'Eglise Romaine, dit Bernardaki, ne confère l'Euchelaeon qu'aux agonisants, aux malades qui sont à toute extrémité, — μόνον ὑπὸρ τον *TTvcovTot τά λοίσθια,* — et il renvoie au Catéchisme romain. Il l'aura probablement lu dans quelque ouvrage théologique de Moscou, car loin de différer l Extrême-Onction jusqu' à l'agonie suprême, alors qu'il n'y a plus pour le malade aucun espoir de guérison, le Catéchisme romain considère cette pratique comme un péché très grave. Il y a. certes, une différence sensible entre l'évanouissement de tout espoir de guérison, l'agonie, l'article de la mort, le dernier soupir; conditions réclamées, au dire des Grecs dans l'Eglise romaine pour l'administration des Saintes Huiles, et ce quelle requiert en réalité, à savoir une maladie grave avec danger probable de mort."[18]

Inter theologos catholicos, praeter eos qui, ut superius diximus, admittunt validitatem unctionis leviter aegrotantium aut ipsorum sanorum, quidam moderni, decepti fortasse falsa interpretatione opinionis eorum, qui, ut Suarez, Kern, Cappello etc., docent sufficere periculum virtuale et in causa (cf. supra, p. 588), ac putantes hos negare simpliciter necessitatem periculi mortis, in hanc ipsam negationem descendunt aut inclinant.

Ita supracitati (p. 583) *Jacquemier, De Clercq* (qui ceteroquin nonnisi leviter et transeunter rem tangunt) et *BOTTE,* qui, praeter verba supra relata (p. 583), haec scribit, quae, sub ambiguis expressionibus, satis clare proponunt sufficientiam cuiuslibet gravis infirmitatis, absque ullo mortis periculo, et expoliationem huius sacramenti ab omni sua ordinatione ad finem vitae seu ad periculum mortis: "Mon . . . voeu c'est que les prêtres du ministère fassent de ce sacrement un usage très large, conforme à la fois aux directives de l'Eglise et au sens des prières. L'Eglise ne veut pas qu'on abuse des sacrements et *elle exige une maladie grave qui, pour le rite latin, est définie par le danger de mort.* Mais ce danger n'est pas autrement déterminé et nous devons l'interpréter dans l'esprit de l'Eglise. Or, est-il croyable que l'Eglise ait maintenu les anciennes prières, tant dans la bénédiction des huiles le jeudi saint que dans le rituel de l'onction, nous faisant prier pour que le malade recouvre la santé, et qu'elle nous oblige, d'autre part, à attendre pour réciter ces prières qu'il n'y ait pour ainsi dire plus d'espoir de guérison? Nous devons donc interpréter ces directives dans un sens très large. Comment pouvons-nous expliquer en toute bonne foi au malade ce qu'est vraiment cette onction si nous ne l'administrons neuf fois sur dix qu'à des mourants?

"Serait-il téméraire de souhaiter que l'Eglise enseignante, — les évêques pour leur diocèse, le Saint-Siège pour toute l'Eglise, — donne des directives dans ce sens et, au besoin, assouplisse sa jurisprudence? La Congrégation de la Propagande a donné, le 20 février 1801, une réponse à des missionnaires qui demandaient s'ils pouvaient administrer l'extrême-onction à des malades gravement atteints, mais qui avaient encore plusieurs mois à vivre, si on craignait qu'il n'y ait pas de missionnaire présent au moment de leur mort. La Congrégation a répondu affirmativement. Mais cette réponse, qui fait la jurisprudence en la matière, laisse l'impression que c'est là une exception motivée par des circonstances particulières. Ne pourrait-on pas souhaiter une réponse plus claire, qui rétablirait *le véritable caractère de Ponction, orientée non pas spécialement vers l'agonie, mais vers la maladie comme telle?"*[19]

QUOAD QUARTAM QUAESTIONEM, de sufficientia remoti periculi mortis non prorsus consentiunt theologi, etiam moderni, idque

'"'L'Extreme-Onction chez les Grecs," *Echos d'Orient 2* (oct. 1898-oct. 1899) 199 sq.

cit. (supra, in p. 583) 105 sq.

maxime provenit ex ipsa difficultate appretiandi varios infirmitatis gradus qui periculum mortis vocari possint, necnon exacte distinguendi inter periculum proximum et remotum. Conveniunt enim omnes in neganda necessitate ipsius temporis agoniae (et a fortiori exhalationis spiritus), imo et ipsius status infirmitatis in quo aeger "vita et sensibus carere incipit" (Catechismus Cone. Trid.) nec amplius ei "integra mens et ratio viget" (Rituale Romanum); item conveniunt in affirmanda necessitate alicuius veri periculi mortis (iuxta aliquos, saltem virtualis aut putativi, ut supra explicatum est); sed, quia inter minimum aliquod mortis periculum et praedictum illud extremum, non pauci distingui ac diversimode vocari possint gradus gravitatis et morti propinquitatis, tanta observatur varietas in assertis theologorum (imo et in ipsis Ecclesiae documentis), praecipue si ad invicem comparentur antiquiores cum modernioribus, ut vix possibile sit ad praecisam quamdam classificationem eos reducere.

Revocata nihilominus supradicta (p. 581) satis commoda distinctione illius latitudinis periculi in periculum imminens (seu articulum mortis), proximum et remotum, tentabimus varios theologorum sensus, saltem prout eorum verba sive in seipsis sive in eorum contextu sonant, ad tres opiniones revocare.

PRIMA OPINIO requirit periculum imminens, seu articulum mortis (citra tamen momentum ipsum agoniae vel etiam amissionis sensuum).

Haec sententia tribui solet signanter *Scholae Scotisticae,* quam quidam (ut Kern, Kilker, Cappello et Botte) hic satis graviter insimulant ac si ipsa fuerit una ex praecipuis causis late olim diffusi abusus postponendi ad extremum momentum collationem huius sacramenti. Diffitendum quidem non est Scotistarum necnon plurium aliorum opinionem de principali effectu Extremae Unctionis, consistente in finali remissione peccatorum venialium, in eam quoque sententiam vehementer animum inclinare (cf. dicta in art. 11, p. 92) et ad illum abusum mentes disponere potuisse, imo praecise apud eos theologos, signanter in ipso Scoto, fortiores inveniri expressiones quae videantur significare necessitatem ipsius articuli mortis ad collationem sacramenti. Attamen certum non est, etiam de prioribus Scotistis (saltem si excipiatur ipse Scotus) et multo minus de posttridentinis, quod hanc necessitatem determinate docuerint.

Nam imprimis, praedictam logicam conclusionem suae opinionis de principali sacramenti effectu, posttridentini saltem Scotistae, ut Hyquaeus, Mastrius et Frassen, praecavere vel emollire conati sunt, ut dictum est in art. 11 (p. 92-94), et aliunde eadem conclusio logice sequeretur etiam ex theoria *Kern* et aliorum modernorum de effectu

aut fine principali consistente in perfecta sanatione animae, eam praeparante ad immediatum introitum in gloriam (cf. art. 11, 15, 17, p. 52, 148-158, 177-178), quae est legitima, utut ambigua et inconfessa, proles illius Scotisticae opinionis, et tamen sive Kern sive alii eam conclusionem abiciunt eamque Scotistis affingere conantur. Praeterea, eaedem fere expressiones, communiter a Scotistis adhibitae (de morte imminente, de exitu vitae, de statu exeuntium), inveniuntur etiam apud alios doctores, ab illis in quaestione de effectu principali dissentientes, ut Albertum M. et S. Thomam necnon apud plures ex ipsis modernis, imo et in ipsis documentis Ecclesiae (signanter Rituali Romano et Catechismo Cone. Trid.); quod si ab his, sive ex contextu sive ex aliis adiectis expressionibus, fortiores illae temperari soleant, apud ipsos pariter Scotistas, praesertim posttridentinos, similes mitiores expressiones (de timore mortis, de probabili periculo mortis, etc.) non difficile inveniuntur.

Sine praejudicio igitur Scotisticae Scholae, hic referemus quosdam textus qui necessitatem periculi imminentis (modo supra definiti), saltem ut sonant, requirere videntur, praemissis ipsorum Kern, Kilker, Cappello et Botte contra Scotistas querelis.

KERN: "Vidimus . . . theologos multos, imprimis integram scholam scotisticam. docuisse, effectum principalem Extremae Unctionis esse remissionem finalem peccatorum venialium ideoque sacramentum non esse conferendum, nisi cum aegrotus non amplius possit peccare venialiter vel saltem iam possit non amplius peccare. Sequela illius falsae doctrinae erat error alter, s. Unctionem non esse dandam nisi iamiain morientibus. Unde etiam pii sacerdotes, qui seriam curam salutis animarum gerebant, religione prohibebantur, quominus subvenirent iis, quos mortem effugere posse, nondum omnis spes erat sublata. Solum ex hoc errore declaratur, quomodo etiam unum vel alterum Concilium particulare potuerit praescribere, sacramentum esse administrandum 'periculose aegrotantibus propeque moribundis' [Cone. Avenionense et Aquense]."[20]

KILKER: "While the people floundered about in the darkness of superstition, erroneous theological opinions befogged the intellects of the priests and produced the same effects. Scotus and his followers held that the principal effect of Extreme Unction was the final remission of venial sins. The consequence was the postponement of the administration of the sacrament until the subject was no longer capable of sinning, i.e., when he was very close to death. Many priests, awed by the weight of the authority supporting this opinion and conscientiously solicitous of their flock's best interests, waited in good faith until the last breath was almost drawn before they imparted Extreme Unction. It was doubtless under the influence of this doctrine that two synods of the sixteenth century described the subject as 'the dangerously sick and almost dying.' "[21]

CAPPELLO: "Ex doctrina theologorum, imprimis Scotistarum. qui, ut vidimus, docebant effectum principalem extremae unctionis esse finalem remissionem peccatorum venialium, alter error ortus est, scii, extremam unctionem non esse conferendam nisi morientibus seu in proximo periculo mortis iam constitutis. Qui

[20] *Op cit.* (supra, in p. 590) 287.
[21] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 156 sq.

error mentes nedum plebis Christianae, sed etiam sacerdotum et episcoporum occupaverat, ita ut nonnulla Concilia particularia — v.g. Aquense (an. 1585), Avenionense (an. 1594) — praescripserint, sacramentum esse administrandum 'periculose aegrotantibus propeque moribundis.' "22

B. BOTTE: "Cependant, d'autres ne voient plus guère dans l'onction qu'un complément de la pénitence, tels saint Bonaventure et surtout Duns Scot. On peut lire l'article que ce dernier lui a consacré dans son commentaire des Sentences: il n'y a pas un mot de l'effet corporel de l'onction. Les conséquences d'une telle théorie seront inévitablement qu'il faudra retarder l'onction jusqu'à l'article de la mort. C'est dans la logique du système. L'onction a pour but de remettre les péchés. Ce n'est pas du péché originel qu'il s'agit, puisqu'il est remis par le baptême; ce n'est pas davantage le péché mortel, qui est remis par la pénitence. Il ne reste donc plus que le péché veniel. L'onction des malades sera donc le dernier coup d'éponge donné à la conscience du chrétien avant qu'il paraisse devant son créateur."23

PSEUDO-HALENSIS: "Egrediens ab hac vita [homo] indiget sacramento in remedium aliquorum venialium ex sola virtute gratiae, et sic est extrema unctio" (cit. in p. 55). Etiam Cone. Trid. loquitur de sacramento exeuntium.

BONAVENTURA: "Illud sacramentum debet dari solis infirmis . . . prout sunt in articulo mortis. . . Hoc sacramentum dari debet solis infirmis ... in periculo mortis existentibus." S. Doctor non distinguit inter periculum et articulum mortis. Hoc mortis periculum sic describit, ut quis debeat "infirmari . . . notabiliter et graviter, ita quod deficit virtus naturae et auxilium medicinae." Hucusque nihil stricte habetur quod imminens periculum sonet. Excessive vero sonant sequentia verba: "Ad illud ergo quod obicitur, quod non datur nisi in statu infirmitatis, dicendum quod non est propter infirmitatem, sed propter hoc quod appropinquat egressui, in quo possunt venialia perfecte curari. Et quod istud sit verum, patet, quia quantumcunque quis infirmetur, non datur ei hoc sacramentum *nisi praesumatur quod moriatur,* vel quod sit in articulo mortis. Et *si constaret nobis de aliquo quod liberaretur sive liberandus sit, non debet dari ei hoc sacramentum,* sicut patebit inferius."24

"Nullus in aliqua infirmitate inungendus est, nisi cum praesumitur *ad exitum propinquare;* et hoc est in infirmitatis aggravatione, *quem statum natura diu sustinere non potest,* immo aut vincit aut vincitur. Si ergo infirmus melioretur, ut diutius vivat, etsi non perfecte curetur, curatur tamen aliquo modo ab intensione morbi; et ideo, quia venialia iterum redire possunt et iterum infirmitas corporalis aggravatur, potest et debet sacramentum Unctionis iterari."25

"[Extrema Unctio] est Sacramentum exeuntium ex hac vita. . . Nec debet istud Sacramentum dari nisi . . . *imminente periculo mortis.* . . Istius sacramenti susceptio a fine dependet; et finis est velocior transitus ad caelum per depositionem oneris venialium ... : ideo non debet dari . . . aliquibus nisi in periculo constitutis et *quasi in transitu* ad alium statum."20

CONC. ANDEGAVENSE a. 1293: "Hoc sacramentum tantum est in extremo vitae articulo conferendum, quando infirmus *in brevi ex hac vita credatur* migraturus."

RICHARDUS A MEDIAVILLA (f circa 1300): "Cum effectus principalis

:0p. *cit.* (supra, in p. 582) 178.
' *Ari. cit.* (supra, in p. 583) 99.
s'/n *4 Sent.,* dist. 23, a. 1, q. 1; a. 2, q. 2, *Opera theologica selecta* IV: *Liber IV. Sententiarum* (editio minor, Ad Claras Aquas 1949) 579 sq., 5S9.
" *Ibid.* a. 2, q. 4, p. 592.
Breviloquium, pars 6, c. 11. S. *Bonaventurae tria opuscula ad theologiam spectantia* (ed. 5, Ad Claras Aquas 1938) 239, 241 sq.

hujus sacramenti sit venialium remissio non quaecunque, sed plena et perfecta, de proximo introducens ad sanitatem vitae aeternae, quae remissio de lege communi-sanis convenire non potest: ideo sano nulli debet hoc sacramentum conferri, nec infirmo nisi sic aggravato, quod probabile sit, ipsum esse *in periculo mortis de proximo imminentis."*[27]

SCOTUS (f 1308): "Non debet [Extrema Unctio] conferri . . . qualitercunque infirmo, sed periculose, ita quod probabiliter *immineat sibi exitus* de statu viatoris ad terminum."[28]

"Non debet [Extrema Unctio] conferri nisi infirmo tali, *qui non potest amplius peccare,* et qui est in periculo mortis, nec dari debet illi cui alias, vel aliter imminet periculum mortis, quam per infirmitatem, ut ingredient! mare vel bellum, quia in talibus quantumcunque immineat periculum mortis, *semper tamen habet homo usum liberi arbitrii, et potest post peccare, et talibus, qui possunt amplius peccare, non debet dari,* nec hominibus habentibus naturales defectus, et propter hujusmodi paulatim deficientibus in natura, ut ethicis, hydropicis, etc. quia licet tales sint infirmi, non tamen statim aufertur ab eis potestas peccandi venialiter; si tamen cum istis defectibus naturalibus sit aliqua febris, de qua non presumeretur curatio, sed quod *mors immineat,* potest eis conferri in illo casu."[29] Ob haec verba, difficile negotium esset velle liberare Scotum ab opinione de necessitate articuli mortis, seu imminentis prorsus mortis, imo talis status, in quo homo ita vita et sensibus debilitatus sit, ut fere non possit amplius peccare.

PLURES THEOLOGI TRIDENTINI (supra cit., p. 556), nec tantum ex schola Scotistica, declararunt *"nonnisi extreme laborantes"* ungendos esse; imo, fortioribus adhuc ac repetitis expressionibus, ipsum *primum schema* decisionis Tridentinae (cit. ibidem) ferebat: *"Nonnisi extreme laborantibus, et cum morte congredientibus atque hinc ad Dominum migrantibus."*

Inde excessiva videtur supradicta admiratio et incusatio Kern scribentis: "Solum ex hoc errore [Scotistarum et aliorum] declaratur, quomodo etiam unum vel alterum Concilium particulare [Cone. Aquense a. 1585 et Avenionense a. 1594] potuerit praescribere, sacramentum esse administrandum 'periculose aegrotantibus propeque moribundis.' " Ipsi enim theologi Tridentini in priori schemate parati erant ad hanc ipsam doctrinam proponendam, etsi in schemate definitivo eam reformaverint. Ceterum, aequivalentes expressiones proferuntur etiam a *Catechismo Cone. Trid.:* "Iis qui adeo periculose aegrotare videntur, ut, ne *supremus illis vitae dies instet,* metuendum sit" et a *Rituali Romano:* "Qui tam graviter laborant, ut *mortis periculum imminere* videatur" (cf. supra, p. 556 sq., 560).

Inter Scotistas posttridentinos, fortiores expressiones inveniuntur apud *Hieronymum de Montefortino* (f 1728) qui ceteroquin, in sua *Scoti Summa Theologica,* Scoti ipsius doctrinam et verba fere repetit et ad medullam redigit; unde loquitur de "laborantibus in extremis ct in mortis articulo constitutis," de "anima proxime exitura a corpore," de "imminenti morte et discessu e praesenti saeculo," de homine "proxime e vita excessuro."[30] Alii vero, ut *Hyquaeus* († 1641), *Mastrius* (f 1673) et *Frassen* (f 1711), multo mitius loquuntur, mere requirentes periculum mortis, ita ut reponi possint vel in secunda vel etiam in tertia opinione mox referenda.

Notandum est etiam quosdam antiquiores *GRAECOS SCHISMATICOS,* scilicet *Iob monachum, Ioannem Nathanael* et *Gregorium Chiensem,* supra citatos (p.

[27] *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 2, q. 3.
[28] *In 4 Sent.* [Opus Oxoniense], dist. 23, q. un., conci. 2, *Opera omnia* XIX (Parisiis: Vivès 1894) S.
[29] *In 4 Sent.* [Opus Parisiense], dist. 23, q. un., *ibid.* XXIV 344 sq.
[30] *Suppi,* q. 32, a. 2, *I. D Scoti Summa Theologica* (nova editio, Romae 1903) VI 36S.

573), non minus emphaticas protulisse expressiones quae sonent necessitatem periculi imminentis seu articuli mortis.

SECUNDA OPINIO vult sufficere ac requiri periculum proximum.

Haec videtur longe communior sententia inter antiquiores et adhuc explicite vel aequivalenter sustinetur a non paucis recentioribus.

Et imprimis ad hanc opinionem reduci possunt *quotquot retulimus pro praecedenti,* excepto fortasse uno vel altero, nominatim ipso Scoto; nam, ut supra notavimus, ea prior opinio extitit potius ut tendentia et ut logicus terminus principiorum scholae scotisticae, quam ut determinata quaedam et explicita sententia. Idem quoque sonant, in suo connatural! et usuali sensu accepta, ipsa suprarelata verba *Catechismi Cone. Trid.* et *Ritualis Romani;* quod si interpretanda sint in largiori sensu (qui, de se, ipsis verbis non repugnat) alicuius veri periculi etiam remoti, id provenit ex largiori interpretatione et expressione aliorum documentorum Ecclesiae, praecipue recentiorum, ut Codicis I.C.

Eadem opinio supponitur in mox citandis verbis *Alberti M., S. Thomae* (probabilius), *Dom. Soto, Laymann, De Sainte-Beuve, Tournely, Busenbaum, S. Alphonsi,* et, inter modernos, *De Augustinis, Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, MacDonald, Straub.* Imo hi duo postremi hanc opinionem explicite opponunt alteri modernorum opinioni de sufficientia remoti periculi. Praeterea, plures ex aliis antiquioribus (ut Bellarminus, Gonet, Mastrius, Frassen, Trombelli, Billuart), quos, quia de facto loquuntur tantum generaliter de periculo mortis, citabimus pro illa altera opinione, fortasse huic suum calculum dedissent si mentem suam explicitant fecissent.

ALBERTUS M.: "Hoc scaramentum ab omnibus dicitur 'sacramentum extremum': sed extrema non sunt *nisi quando mors est in januis, et vita in desperatione:* ergo numquam nisi tales sunt perceptibiles hujus sacramenti. . . Numquam nisi *in transitu* est sumendum hoc sacramentum. . . Cum praesumitur *imminere obitus,* debet percipi sacramentum."[81]

S. THOMAS, Suppi., q. 32, a. 2, c. et ad 2: "Hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, immediate quasi disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi *qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur.* . . Hoc sacramentum habet pro principali effectu illam sospitatem quae *exeuntibus* et iter ad gloriam agentibus est necessaria."

Ibid., q. 33, a. 1, ad 2: "Sic dicitur hoc sacramentum extrema unctio, quia non debet dari nisi illis *quorum mors est propinqua* secundum aestimationem hominum."

Ibid., a. 3: "Hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari nisi infirmis qui, secundum humanam aestimationem, videntur *morti appropinquare."*

C. Gent. 4. 73: "Hoc sacramentum non quibuscunque infirmantibus est exhibendum, sed illis tantum qui ex infirmitate videntur *propinquare ad finem.* . . Licet

[81] *In 4 Sent.,* dist. 23, a. 11, *Opera omnia* XXX (ed. S. C. A. Borgnet, Parisiis: Vivès 1894) 17 sq.

aliqui sint *in statu propinquo morti* etiam absque infirmitate, ut patet in his qui damnantur ad mortem, qui tamen spiritualibus effectibus huius sacramenti indigerent: non tamen est exhibendum, nisi infirmanti."

S. Thomam proponere necessitatem periculi proximi, probabilius facit tum cognata doctrina coaevorum theologorum, signanter Alberti M., tum ipse textus quatenus constanter agit de propinqua morte. In quo sensu etiam accipienda sunt generaliora verba *Opusculi De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis,* tr. 2: "Hoc autem sacramentum non debet dari nisi infirmis, *quando timetur de periculo mortis* [i.e. propinquae]," quae assumit ipsum *Cone. Flor.* ("Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet") ct refert etiam anonymus auctor *Opusculi apocryphi S. Thomae De Officio sacerdotis* ("Extrema Unctio debet dari adultis infirmis, poenitentibus et petentibus, de quorum morte timetur.").

Attamen, notandum est ipsum S. Thomam in illis verbis: "Illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui *sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo natu est inducere mortem,* et de periculo timetur," assignare aliquod principium quod videtur excedere ipsam suam conclusionem (quam saltem explicite profert) et ex quo sequitur etiam sufficientia periculi remoti, cum homo possit habere aliquam infirmitatem quae nata est inducere mortem, etsi non proxime sed post aliquod diuturnum tempus (v.gr. acutam phthisim) ac ideo iam sit in statu exeuntium, prout hic status definitur a S. Thoma. Nec quidquam ceteroquin cogit sic eius verba glossare: "Propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem *de propinquo."* Et hoc sensu dici potest S. Doctorcm docere ipsam moderniorum opinionem de sufficientia periculi remoti, quatenus saltem ei praebet ipsum fundamentale principium ex quo legitime deducitur. Nec praeterea improbabiliter quis diceret S. Thomam ad praefatam conclusionem sui principii attendisse, sed eam, utpote contrariam communibus expressionibus coaevorum magistrorum, clarius exprimere noluisse; quod etiam probabile facit ipse repetitus recursus ad conceptum "status" ("status exeuntium." "status propinquae mortis") quo S. Doctor videtur non tam ad tempus propinquae mortis attendere, quam ad statum ipsum infirmitatis, qui. utpote natus inducere mortem, est status propinquus morti, cum statui periculosae infirmitatis, utut protracto, succedat ipsa mors.

D. SOTO: "Hoc sacramentum non debet exhiberi, nisi infirmis, qui *morti appropinquant* . . . [seu] illis qui *iamiam ab hac luce commigrant.* . . Cum enim effectus eius praecipuus sit remissio peccatorum perfecta, usque ad eorum reliquiarum abstersionem. non congruit . . . illud applicare nisi *circa postremum vitae articulum,* ubi et infirmus reliquiis eorum peccatorum pressius vexatur, scilicet, moerore et metu, et ubi peccata, quae earum fuerunt causa, transivisse prorsus censentur nunquam reditura [Hic videtur Soto accedere ad fortiores expressiones et rationes Scoti et aliorum quos dedimus in praecedenti opinione]. Accedit, quod hoc sacramentum non nisi post viaticum adhiberi debet: viaticum autem, ut nomen sonat, non nisi viam ingredientibus universae carnis ministrari debet. . . Nihilominus praesens conclusio hoc indiget temperamento, quod ad hoc exhibendum sacramentum *non est expectandus articulus, quo infirmus sensu prorsus careat, aut ille, quo omnino eius sit desperata salus* [In hoc Soto se distinguit a Scoto et a praecedenti opinione]."[32]

LA F3/.1.VA7.· "Extrema unctio non potest iterum conferri durante eodem periculo morbi: secus si aliud novum sit periculum; quia videlicet infirmus, postquam semel inunctus fuerat, melius habere coepit, ut medicorum iudicio extra probabile seu *propinquum mortis periculum* constitutus esset, mutata corporis conditione recidit; tunc iterum ungi potest, licet intervallum temporis non longum, sed paucarum tantum hebdomadarum intercesserit, dummodo prudenti practica consideratione

[32] Dist. 23, q. 2, a. 2, *In quartum (quem vocant) Sententiarum* (Venetiis: Apud I. M. Lenum 1575) I 1074 sq.

censeantur diversa pericula, quibus homo constituatur in distinctis statibus seu dispositionibus ad moriendum."[33]

DE SAINTE-BEUVE (qui tamen loquitur de sola liceitate. cum admittat validitatem unctionis sanorum), distinguens tantum duo pericula, i.e. eorum qui sunt in exitu et eorum qui periculose infirmantur (iuxta nostram terminologiam: periculum imminens et periculum proximum), scribit: "Et iis qui in exitu constituti esse videntur, et iis qui periculose infirmantur, *etiamsi nondum sint in illo statu exeuntium,* Sacramentum Unctionis infirmorum potest administrari. . . Beato Thomae satis est si [infirmus] periculose decumbat, etiamsi non videatur constitutus in exitu. . . [Hoc sacramentum] potest conferri *quando nondum desperata est sanitatis restauratio.* . . Quaeres utrum melius sit ungi infirmum, *ex quo versatur in vitae discrimine,* quam expectare tempus quo videatur infirmus esse constitutus in exitu. . ."[34]

TOURNELY: "Quaeres . . . quibus infirmis administranda sit extrema Unctio: an illis tantum qui *jam morituri sunt;* an illis etiam, qui gravi morbo decumbunt, de quorum morte timetur, *quamquam non ita proxima sit.* Resp. utrisque posse, ac debere administrari. . . Inferes 1. non esse expectandum ultimam vitae periodum. *qua homo extremum agit spiritum,* ut inungatur. . . Inferes 2. infirmis, qui levi aliqua laborant infirmitate, ex qua mors timeri probabiliter non possit, dandam non esse Unctionem extremam."[35] Ultima verba tam lata sunt, ut videatur Tournely accedere ad tertiam opinionem de sufficientia periculi remoti, quamvis priora ac principalia verba secundam opinionem de necessitate periculi proximi clare proponere videantur.

S. ALPHONSUS, post citatam sententiam Busenbaum dicentis "Hoc sacramentum tantum dandum est *morti proximis,*" haec addit de suo: "Dubitatur. . . An sit validum hoc sacramentum, si conferatur infirmo quocumque morbo laboranti, etiam gravi? *Prima sententia* affirmat, dicens esse quidem illicitum, sed non invalidum; et hanc tenent Coninck et Wigand. — Ratio, tum quia Apostolus agnoscit absolute infirmum pro subjecto capaci hujus sacramenti, cum dicat 'Infirmatur quis in vobis? Inducat, etc.' Tum quia in Tridentino sic habetur; 'Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam; illis vero praesertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde et sacramentum exeuntium nuncupatur'. Ubi notant verbum 'praesertim' et ex eo inferunt sacramentum adhiberi posse etiam iis *qui non periculose decumbunt. Secunda tamen sententia,* communior ct sequenda, docet talem collationem non solum esse illicitam, sed etiam invalidam. Ita Suarez. Palaus. Bonacina. Escobar cum Caspensi, Granado. Amico. Diana. Rcginaldo. etc: ex D. Thoma, ubi docet hoc sacramentum non esse dandum nisi infirmis qui secundum humanam aestimationem *videntur morti appropinquare.* — Probatur ex decreto Eugenii IV in Instructione ad Armenos, ubi dictum fuit: 'Hoc sacramentum, nisi infirmo de cujus morte timetur dari non debet'. Verbum autem 'debet' hic non tantum importat praeceptum, sed etiam necessitatem; quia praefatus Pontifex, cum declaraverit subjectum hujus sacramenti, et designaverit tantum infirmum de cujus morte timetur, censetur alios quidem infirmos exclusisse. Confirmatur ex fine institutionis hujus sacramenti, qui fuit (prout ait Tridcntinum) ut hoc sacramentum 'finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio muniret'. - - Nec obstat quod in dicto *cap.* 3 dicatur: 'praesertim'. Nam haec particula, juxta contextum concilii (ut patet) non denotat posse quibusvis infirmis sacramentum ministrari: sed posse dari iis *qui periculose*

[a] *Theologia moralis,* l. 5, tr. 8, c. 4, n. 5.

[ll] *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 7, a. 2, in Migne. *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 120 sq.

[-] *De sacramento Extremae Unctionis,* q. 3, *Praelectiones theologicae* (Parisiis 1765) IX 430-432.

decumbunt, etiamsi non sint constituti in exitu vitae sive in articulo mortis, modo immineat periculum mortis. . .

"Distinguere oportet quando Extrema Unctio dari debeat, et quando dari possit. Adest quidem obligatio (ut mox diximus) eam ministrandi cum urget *periculum proximae mortis;* et tunc non est expectandum *ultimum vitae tempus,* sed ministrandum est sacramentum. . . Caeterum communiter docent DD. valide et licite posse dari Extremam Unctionem statim ac prudenter judicatur infirmus laborare *periculo mortis, etsi adhuc non proximae.* Ita Suarez, ubi ait: 'Ut minimum requirit . . . ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remote.' Idem docent Coninck, Castropalaus, Bonacina, Escobar, Holzmann, Sporer, Salmant. et alii passim cum Benedicto XIV et Honorato Tournely."[30]

Mens S. Doctoris non est valde clara, saltem attentis modernis distinctionibus. Nam in priori parte textus docet necessitatem periculi proximi, ut patet ex verbis "Morti appropinquare" et "Modo immineat periculum mortis"; in altera vero parte videtur id negare cum dicat sufficere "periculum mortis, etsi adhuc non proximae." imo adducat ipsa latiora verba Suaresii de remoto periculo mortis. Attento tamen tum contextu tum ipsis auctoritatibus quas, praeter Suaresium, adducit, videtur dicendum S. Doctorem adhuc docere necessitatem periculi proximi, prout hoc distinguitur hodie ab articulo mortis seu periculo imminenti, etsi molliores adhibeat expressiones quae certo certius viam pararunt modernorum sententiae de sufficientia periculi remoti. S. Doctor enim ibi distinguit periculum mortis imminentis seu articulum mortis ("Exitus vitae sive articulus mortis," "Ultimum vitae tempus"), periculum mortis proximae ("Periculum proximae mortis") et periculum mortis propinquae ("Qui videntur morti appropinquare," "Modo immineat periculum mortis," "Laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximae"); nondum adhuc videtur cogitare, sicut moderni, de periculo mortis remotae, seu de periculo mortis vero sed remoto, ita ut in utroque membro periculi mortis proximae et mortis propinquae videatur adhuc docere necessitatem periculi proximi, prout hoc nunc intelligimus, etsi distinguat duos gradus maioris vel minoris propinquitatis.

Ceterum, in posteriori eius opere *Homo Apostolicus,* quod tamen est potius pastorale quam doctrinale, videri potest aliqua S. Doctoris evolutio in sensum fortasse sententiae modernorum de sufficientia periculi remoti, aut etiam in sensum ipsius largioris sententiae Suaresii de sufficientia meri periculi virtualis, ut supra dictum est (p. 589).

DE AUGUSTINIS: "Communi usu recepta et approbata sententia . . . permittit huius sacramenti iterationem quotiescunque fidelis in novum incidit morbum; imo ct in eadem infirmitate, si morbus post unctionem susceptam ita remittat ut infirmus *periculum proximum mortis* evasisse videatur, et deinde iterum in vitae discrimen relabatur."[87]

BALLERINI-PALMIERI: "Liquet subjectum [sacramenti] . . . esse *proximum morti* ex infirmitate corporis. . . Convenit . . . inter omnes, non quamlibet infirmitatem satis esse pro suscipiendo hoc sacramento, sed oportere esse gravem infirmitatem vel infirmitatis statum gravem, quae *probabili periculo vicinae mortis* exponat aegrotum. Ita Rituale Romanum. . . Ex verbis Eugenii patet, non oportere, ut *mors sit in ianuis* imo neque ut certum sit, mortem secuturam ex ea infirmitate, sed satis esse, ut de *proxima morte* infirmi timeatur, utique rationabiliter. . . Quapropter vitio laborare dicenda est consuetudo illa, qua nonnisi *instante morte* vel nisi cum certum est, desperatam esse salutem, sacramentum confertur."[39]

LEHMKUHL: "Sufficit et requiritur probabile periculum, ne brevi vita finiatur: nullatenus requiritur, ut mors jam immineat, aut ut instantis mortis periculum

u Op. cit. (supra, in p. 592) 727 sq., 729.
" De re sacramentaria (Romae 1889) II 405.
"Opus theologicum morale V (cd. 2, Prati 1893) 692 sq.

adsit. Ergo sufficit morbus gravis seu periculosus, qui *vitam brevi finire* possit, aut morbi ex natura sua diuturni (ut phthisis) ille status, in quo juste timeri possit, *ne vita brevi* finiatur."30

IP. *McDONALD,* explicite contra alios modernos docet insufficientiam periculi remoti, et ex ea quoque deducit rationem quare in longius protracta gravi infirmitate sacramentum iteretur, accedente acutiori periodo, quia nempe ipsa duratio infirmitatis est signum quod infirmus non fuerit in proximo mortis periculo, quando ei sacramentum primo administratum est, ita ut illa administratio invalida fuerit ac ideo debeat reparari per novam et validam sacramenti administrationem, in qua non iteratio sed prima collatio habetur sacramenti:40

"The question here is whether in case of illness of long duration, such as phthisis and cancer, Extreme Unction can be validly administered in what may be called the early stages of the disease, when death is not likely to ensue for months, though there is little or no hope of recovery. Fr. Kern (p. 297) regards the sacrament as valid when administered in circumstances of this kind. I approach the question with a belief in the two following principles: — (1) That Extreme Unction once validly administered lasts till death or convalescence; (2) that while it lasts it cannot be validly repeated. . .

"For those who believe in both . . . [these] principles, as I do, there are but two courses open — either to give up repeating the sacrament in those cases of lengthened illness, or to maintain that the repetition is not a true repetition, as the sacrament was not validly administered in the first instance. The only conceivable reason for this latter course would be that it is *only those who are in proximate danger of death that are capable of receiving the sacrament.* It would remain to determine some measure of proximity; and as to this I should be prepared to accept as a working measure the month rule now acted on by most priests, understanding it in this sense, that if it is a month since the sacrament was administered, and there has been no amelioration, amounting to convalescence, in the patient's condition, that fact is to be regarded as proof sufficient that he was not in proximate danger, nor therefore capable of receiving the sacrament, when it was previously administered. I know that in requiring proximate danger, in the sense explained, as a condition of valid reception . . . , Î am departing from ... [a different stream of tradition which] prevails very widely even now. . ,41 I readily admit that at present *it is the common teaching that the danger of death need not be as proximate as I suppose."i2*

STRAUB: "[Doctrina de requisito proximae mortis periculo] est evidenter S. Thomae. . . Gratis fingitur43 sententiam, qua unctio infirmorum valide non praebetur *nisi in periculo vitae brevi finiendae,* errorem esse, cum ea. nedum aetate s. Thomae, sed hodie quoque appareat sola vera (cf. *Ballerini-Palmicri,* opus theol. mor. tr. 10, s. 6. n. 23–25; *Lehmkuhl,* theol. mor. 2. n. 576)."**

TERTIA OPINIO docet sufficere periculum remotum, seu quodlibet

* *Theologia ntoralis* (cd. 10, Friburgi Brisgoviac 1902) II 406.

"Cf. supra, art. 24, p. 361, in nota.

" "It seems to me quite plain that the modern practice of anointing in the early stage of phthisis, cancer, or other diseases of long duration, is a departure from the tradition represented by the *Summa* of St. Thomas. . . Phthisis alone, no matter how pronounced, does not qualify for the sacrament, unless during those acute stages which must be relieved if the patient is to live. When the relief comes, though the disease continues, the effect and sacrament ceases, and may be renewed when another acute stage is reached."

""The Sacrament of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 342-344.

"Nempe a *Kern,* cuius interpretationem de doctrina S. Thomae retulimus supra, in art. 24, p. 333 sq.

"De Ecclesia Christi (Ocniponte 1912) II 291; cf. 303.

verum periculum mortis, abstrahendo a gradu gravitatis periculi et propinquitatis ipsius exitus mortis.

Haec est ultima determinatio ad quam pervenerunt theologi moderni, apud quos haec opinio est longe communior. Eam seminaliter ac veluti in principio, imo et satis suggestive, iam invenimus supra apud S. *Thornam* (cf. in p. 601 sq.); nonnisi tamen post Cone. Trid. ipsa coepit magis definita lineamenta accipere, donec apud modernos moralistas distinctius ac securius prolata fuerit.

Eam imprimis praepararunt illi plures antiquiores qui, sepositis ulterioribus determinationibus, sobrie et generice affirmarunt necessitatem periculi mortis prudenter existimati, uno vel alio modo repetentes genericam ipsam affirmationem *Cone. Florentini,* ex S. Thoma depromptam: "Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet," quam ulterius confirmarunt non minus generalia verba Cone. Tridentini: "Haec unctio infirmis [est] adhibenda, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur" nec non authentica declaratio *Codicis I.C.:* "Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur" (can. 940, § 1). Ita inter alios loquuntur, *Bellarminus:* "Infirmus graviter, ita ut de vita periclitetur"; *Mastrius:* "Infirmo, non utcumque, sed graviter infirmus, ita ut de vita periclitetur"; *Gonet:* "Ii solum, qui secundum prudentum judicium, in morali vitae periculo versantur"; *Trombelli:* "Infirmus ad mortem"; *Billuart:* "Periculose decumbentis"; *Benedictus XIV:* "Tali morbo laborantibus, unde, peritorum judicio, mors secutura prudenter timeatur."

Positivum tamen ac peculiarem impulsum huic opinioni dederunt tres doctores, scilicet: *Suarez* qui distincte docuit: "Ut minimum requirit [hoc sacramentum] hominem ita decumbentem, ut ex tali infirmitate *mors possit moraliter timeri saltem remote, et quantum est ex natura aegritudinis in tali subjecto,*"[1] imo videtur exaggerate docuisse ipsam sufficientiam periculi nondum in se existentis, sed tantum virtualiter et in causa, ut dictum est supra (p. 588); *S. Alphonsus* qui. etsi fortasse sufficientiam remoti periculi directe non docuerit, tamen remissiores adhibuit expressiones et distinctiones quae huic opinioni viam pararunt apud posteriores moralistas, eius auctoritate facile commotos (cf. supra, p. 604), imo quibusdam visus est ipsi Suaresii opinioni de sufficientia ipsius periculis nondum in se existentis adhaesisse (cf. supra, p. 589); *Kern,* qui viam Suaresii secutus et auctoritate fretus novi decreti S. C. de Prop. Fide a. 1801, distincte docuit: "Si morbus secum ducat periculum certum mortis,

[1] Disp. 42, sect. 2, n. 4.

sed remotae, cum e. gr. iudicio medicorum vel aliunde constat, hominem graviter laborare phthisi pulmonum, protracturum autem, si nihil inopinatum accedat, vitam per complures menses, valide datur sacramentum,ac praeterea ultro secutus est praedictam Suaresii opinionem de sufficientia periculi solum virtualiter existentis (cf. supra, p. 590). De facto moderni auctores, praecipue morales, tres istas auctoritates frequenter appellant eorumque ipsa verba citant vel assumunt, cum distincte loquuntur de sufficientia periculi remoti.

Sint inter alios:47

GÉNICOT-SALSMANS: "[Requiritur:] Ut de eorum morte timeatur. Is timor ex mente Ecclesiae rationabiliter ita intelligendus est: statim atque probabile fit aegrotum ex praesenti morbo seu periculo esse moriturum, licet forsan adhuc probabilius sit eum sanatum iri. . . Sane optandum et conandum est. ut. nisi specialis ratio differendi obstet, maius et certius periculum non expcctetur.' "

NOLDIN-SCHMITT: "Gravis morbus censetur, qui ex se et natura sua letalem exitum habere potest et ad illum terminum processit, in quo probabiliter iudicari possit mortem allaturus. . . Sufficit autem, ut infirmitas probabiliter letalem exitum sit habitura, etsi periculum sit adhuc remotum; quare valide et licite inungi potest infirmus, qui hectica febri vel simili morbo diuturno laborat, etsi complures adhuc menses aut etiam annum integrum victurus praevideatur."40

P. J. TONER: "Must the sickness be such that there is imminent, or at least proximate, danger of death? Or will any grave illness suffice, any such illness as is held by doctors or by popular opinion to be serious? There is always, I take it. some danger of death in these cases, some ground for fearing a possible fatal termination; but the danger need not be proximate; the probability may be normally in favor of the patient's recovery; the case, in a word, need not to be what is commonly described as critical. . . It seems . . . that . . . the theory suggested by Dr. *McDonald* [i.c. requiring a proximate danger of death] would involve a breach with the tradition of the first twelve centuries; and that in my opinion is a very strong, if it be not a fatal, objection Nor with the exception of the Scotist view, which held its place for a time in the schools, and of the traces of that view which may perhaps linger here and there in the teaching or preaching of the present day, does there seem to be any support in scholastic or posttridentine theology for a theory that would insist on the proximate danger of death as a necessary condition for E. Unction. . .

"If I misunderstand the teaching of modern theologians or interpret it too mildly, I am willing, of course, to be corrected. But if modern teachings were found to be

"*Op. cit.* (supra, in p. 590) 299.

"Quidam tamen contenti sunt repetere generaliorem antiquiorum expressionem: "Requiritur probabile periculum mortis, etsi non imminens." Non constat utrum id agant ex quodam implicito dissensu, an ex dubio, an ex prudentia, an ex sola ratione sobrietatis vel brevitatis. Ita inter dogmaticos: *Pesch, Lépicier, Hugon, Diekamp, Lcrcher, Daffara, Boyer, Piolanti;* inter ipsos moralistas vero. *Bucccroni, Ferreres, Priimmer, Mcrkclbach, Aerlnys-Damen, Piscelta-Gennaro.*

Unus vel alter, ut *Tanquerey* (n. 783) et Faw *Noorl-Vcrhaar* (n. 188), dicit "non requiri periculum imminens, sed sufficere *periculum satis proximum"* et in confirmationem dtat Decretum a. 1801 S. C. de Prop. Fide, quod defensores sufficientiae *periculi remoti* afferunt in suam confirmationem. Inde non constat cui opinioni velit adhaerere, nisi forte ambigue quaerat mediam quandam positionem.

[l] *Loc. cit.* (supra, in p. 591).

aOp. cit. (supra, in p. 591) 457 sq.

in favor of a more rigid view of the subject's qualification for E. Unction than that which prevailed during the first twelve centuries, an interesting problem would then arise regarding the Church's power, not merely over the matter and form, but over the subject of the Sacraments — a problem which will have to be faced by those who would assert the existence of such a divergence and defend it as a legitimate development."[50]

VERMEERSCH: "Non requiritur urgens periculum mortis, vel articulus mortis. Immo admittunt sufficere probabile iudicium de morte secutura ex hac infirmitate" (adde quae retulimus supra, p. 590, de sufficientia ipsius periculi nondum in se existentis). Praeterea: "In morbo qui certum mortis periculum affert, sed remotum tantum, ita ut mors non iudicetur ante plures menses secutura, extrema unctio valide confertur. Liceitas pendebit ex adiunctis: ex occasione quam infirmus habebit vel non habebit recipiendi sacramentum, ex statu morbi, spe fructus, etc."[51]

OTTEN approbat et transcribit suprarelata verba *Kern.*

KILKER: "If the disease brings with it a remote yet certain danger of death, the sacrament can be validly given. The subject in such a case is actually in danger of death. Whether it is advisable in individual instances to administer the sacrament to those who have still a long time to live depends much on local circumstances."[52]

ARREGUI: "Valida susceptio requirit ut ungendus sit . . . in periculo mortis probabili constitutus. . . Unde . . . licet eam [E.U.] administrare infirmo qui v. c. phthisi vel simili morbo gravi laborat, quamvis complures adhuc menses, aut etiam integrum annum victurus praevideatur."[53]

SPACIL: "Ex dictis sequitur s. unctionem non solum in immediato et proximo periculo, sed etiam in remoto valide et licite ministrari posse. Quam sententiam s. Alphonsus communem et veram vocat et pro ea complures auctores citat."[54] Ex dictis de secunda opinione patet Spâcil non recte interpretari sententiam sive S. Alphonsi sive aliorum.

CAPPELLO: "Necesse non est, ut periculum sit proximum aut gravissimum aut valde grave. Requiritur et sufficit ut sit moraliter probabile. . . Quoties morbus sit periculosus et gravis, sacramentum valide confertur, 'etiamsi ad statum morbi vel non satis vel etiam nihil attendatur' [Suarez]."[55]

GOUGNARD approbat et repetit primam partem supra relati textus Noldin.

HERVE citat et approbat secundum textum *Vermecrsch* supra relatum.

CONTE A CORONATA: "Necesse . . . non est ut periculum mortis proximum

[50] "Repetition of Extreme Unction," *The Irish Theological Quarterly* 2 (1907) 247sq., 250. Ex dictis supra, circa secundam opinionem, patet Toner non recte indicasse de consensu theologorum in hac re, maxime eo tempore quo scribebat; nec verum est ex hypothesi veri dissensus theologorum in hac re necessario sequi conclusionem vel consurgere problema de potestate Ecclesiae in determinandum ipsum validum subiectum sacramentorum, ut infra explicabitur (p. 663, in textu et in nota).

[51] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 393 sq.

[52] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 172.

[53] *Summarium theologiae moralis* (ed. 4, Bilbao 1919) 433 sq.

[54] *Doctrina theologiae Orientis separati de sacra Infirmorum Unctione* ('Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 197.

[55] *Op. cit.* (supra, in p. 582) 162 sq. Ut dictum est supra (p. 588, 592), auctor sustinet cum Suaresio sufficientiam periculi solum virtualiter seu in causa existentis, imo ipsam necessitatem periculi ad valorem sacramenti nonnisi ut sententiam probabiliorem, cum ipso Suaresio, sustinet (cf. supra, p. 582).

sit, aut gravissimum; sufficit probabile periculum. . , Sunt aliqui morbi de se graves ut tuberculosis seu phthisis in quibus periculum mortis est certum sed omnino incertum est utrum proximum sit an remotum. In his casibus licet Extremam Unctionem ministrare, etsi probabile est aegrotum adhuc plures menses victurum esse. Id saltem licet in casibus in quibus aegrotus difficile visitari poterit a sacerdote quando periculum mortis certius fiet."[8®]

REGATILLO: "Si morbus secum ferat periculum certum mortis, sed remote, v.gr., post plures menses, ut ptysis, valide confertur unctio. Num licite, pendet ex circumstantiis: statu morbi, bono spirituali aegroti, scandalo quod forte orietur ex eo quod ungatur homo adhuc officia sua obiens, etc."[57]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Ad valorem sacramenti requiritur proprie dicta infirmitas, seu causa ab intrinseco inficiens organismum, ita ut soli infirmi et senes valide ungantur.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Imprimis in textu Iacobi nihil invenitur ex quo deduci queat sacramentum posse conferri etiam aliis quam proprie dicte infirmis, seu etiam illis qui ex aliqua mera extrinseca causa in periculo infirmitatis vel mortis constituti sunt. Ipsa vox *ἀσθα·ἀν* (infirmari) iuxta originalem suum sensum significat proprie dictum atque physice infirmum, ut dictum est supra (p. 562-565), nec ceteroquin etiam in sensu translato, etsi dicatur de moralibus infirmitatibus, unquam adhibetur ad designandos eos qui ex extrinseca causa morti exponuntur, puta capite damnatos et milites proelium ingressuros.

Ceterum, etiam si pro his aliquando adhiberetur, puta per quandam poeticam extensionem generalioris sensus hominis propriis viribus alienoque auxilio destituti, aut persecutioni sine auxilio expositi, aut nullam habentis apud homines auctoritatem (quo sensu vox occurrit in Scriptura: *Rom.* 5. 6; 1 *Cor.* 4. 10; 2 *Cor.* 10. 10), nihil inde sequeretur, quoniam iuxta regulam sanae hermeneuticae verba Scripturae accipienda sunt in proprio ac usuali sensu nisi cogens aliqua ratio diversum sensum translatum expostulet, quod hic nullatenus verificatur. Immo ipse contextus praedictum proprium sensum confirmat, tum quia in praecendenti v. 13 ("Tristatur aliquis vestrum"), ubi agitur de mera spirituali infirmitate a qua possunt denominari quotquot coacte morti exponuntur (ut capite damnati, milites praelia-

[57] *Op. cit.* (supra, in p. 581) 597 sq. Dictum est supra (p. 588, 592) hunc auctorem sustinere cum Suaresio ipsam sufficientiam periculi nondum actu existentis, imo in sua expressione ulterius adhuc procedere.

Op. cit. (supra, in p. 591) 436. Ut dictum est supra (p. 588, 592), hic auctor docet etiam sufficientiam periculi nondum actualiter existentis.

turi, periculosum iter aggressuri, etc.), diversum remedium proponitur, scilicet oratio, et diversa vox adhibetur, seu *κακοπαΟάν* non vero ἀσβα-ἰἰι·, tum quia unus ex effectibus qui sacramento tribuuntur est salvatio (probabiliter in sensu salutis corporalis aut in utroque sensu salutis spiritualis et corporalis[58]), quae frustra capite damnatis aut militibus praeliaturis repromitteretur.

A vi autem alterius vocis *κάμνοντα* (infirmum) abstinemus, quia, cum verbum *κάμνω* significet defatigationem, lassitudinem et deficientiam, et quidem graviorem, posset facile extendi ad designandos praedictos homines morti expositos, sicut non raro apud auctores profanos significavit moribundos, imo et mortuos. Ceterum, ipsa copulata expressio σώσ« *τον κάμνοντα* (salvabit infirmum), in probabili sensu corporalis salvationis, praefatam vocis extensionem excludit a textu Iacobi.

Probatur 2. *EX ECCLESIAE DOCUMENTIS, PRAXI ET DOCTRINA.*

Maiora Ecclesiae documenta nonnisi de infirmis, vel, duplicata expressione, de infirmis et senibus, loquuntur, et quidem in sensu exclusivo, nec aliunde sive ecclesiasticus sive profanus usus vocem infirmi unquam detorsit ad significandos capite damnatos, milites praeliaturos aliosque ex extrinseca causa morti expositos. Innocentius I et Cone. Lugd. II magis expressivam vocem *"aegrotantes"* vel *"infirmantes"* adhibent; Cone. Trid. loquitur de *"morbi* incommodis ac laboribus" ad quae sublevanda sacramentum ordinatur, de "sanitate corporis" tanquam de peculiari, utut conditionato, effectu sacramenti, et de "unctione adhibenda infirmis qui *decumbunt,"* maxime "qui periculose decumbunt." Quaedam documenta exclusivum etiam sensum explicite proponunt, ut Clemens VI: "In eo solo casu, quo graviter est infirmus," Cone. Flor.: "Nisi infirmo," Catechismus Cone. Trid.: "Iis tantum qui periculose aegrotare videntur," Codex I. C.: "Nisi ob infirmitatem vel senium." Rituale Romanum et Codex I. C. una cum infirmis nominant *senes* ob causae paritatem, seu quia, ut ait Rituale, "prae senio deficiunt et in diem videntur morituri."

Catechismus Cone. Trid. tandem, exponens mentem ipsius Concilii, explicite et signate excludit eos qui ex alia causa sint morti expositi: "Nemini igitur, qui graviori morbo affectus non sit, Sacramentum unctionis dare licet, *tametsi vitae periculum adeat,* vel quia periculosam navigationem paret, vel quia praelium initurus sit, a quo illi certa

[58] Cf. art. 1, tom. 1, p. 76-79.

mors impendeat, vel etiam si capitis damnatus ad supplicium raperetur" (p. 2, c. 6, q. 9).

Quod attinet ad traditionalem *doctrinam ct praxim* valent omnia dicta in art. praec. (p. 566-569). Peculiariter faciunt ipsa nomina quibus hoc sacramentum vocatur, quaeque satis ostendunt eius specificum finem et exclusivam destinationem, scilicet: *"Oleum infirmorum,"* "Unctio infirmorum," "Sacramentum unctionis infirmorum," "Oleum ad ungendum infirmos," "Ordo ad ungendum infirmum" (cf. in p. 567 sq.).

Peculiariter notetur omnes *descriptiones infirmorum seu infirmitatum,* per sacramentum curandarum, referri ad proprie dictam infirmitatem, seu ad morbum ab intrinseco corpus afficientem et corrumpentem. Plures dedimus in art. 10 (cf. earum summam in p. 40 sq.), satisque erit paucas ex antiquioribus recolere.

Sacramentarium Serapionis: "Fiat [unctio] in depulsionem omnis *languoris* et omnis infirmitatis" *(cit. in art. 1, tom. 1,* p. 112). *Constitutiones Apostolorum* tribuunt oleo "vim effectivam sanitatis, *morborum* expultricem" *(ibid.,p.* 115). *Innocentius 1:* "Quod [verbum lacobi] non est dubium de fidelibus *aegrotantibus* accipi vel intelligi debere" *(ibid.,* p. 116). *loannes Mandakuni,* increpans aegrotos qui magicis remediis utuntur ac proponens duo sola media quibus infirmi curari possint, scilicet artem medicorum et sacramentum, scribit: "Contemnunt donum curationis; sola enim *arte medica* urendo et secando et adhibendo medicamina fieri potest, ut *dolores* sanentur. Imo magis contemnunt dona gratiae. Dicit enim Apostolus: Infirmatur quis in vobis . . ." *(ibid.,* p. 127). *Cyrillus Alex,* ei cui "pars corporis *dolet"* commendat verba lacobi *(ibid.,* p. 125). *Cassiodorus* signanter de graviter *vulneratis* aut infirmis ait: "Si quis alterius injuria [puta, si gladio percutitur] vel corporis imbecillitate quassatur, [lacobus] presbyterum dicit adhibendum" *(ibid.,* p. 131).

Vitae Sanctorum (relatae *ibid.,* p. 133-135, 149, 153. 154) de solis infirmis decumbentibus, imo ad mortem, loquuntur. *Orationes liturgicae* variorum Sacramentariorum et Ordinum nonnisi effectum sanationis et expulsionis morborum proponunt (cf. *ibid.,* p. 136-141); ita *Sacr. Gelasianum:* "Ad evacuandos omnes *dolores,* omnem *infirmitatem,* omnem *aegritudinem* mentis et corporis. . . Ut fugatis infirmitatibus, et viribus revocatis . . . , *instaurata protinus sanitate. .* "

Haec autem omnia non esse mere affirmativa quoad subiectum infirmum, sed et exclusiva cuiuslibet alterius subiecti, satis ostensum est in art. praec. (p. 566-569). Unde falsa est assertio graeci *Dyovuniotis* (cf. supra, p. 584), hanc doctrinam revocantis ad erroneas

opiniones "quorundam Scholasticorum," quae ceteroquin confutatur ex ipsis libris symbolicis ecclesiae schismaticae, uti *Confessione fidei Metrophanes Critopuli* definiente Euchelaeon ut "ritum pro fidelibus aegrotantibus celebratum" et *Rituali Petri Moghilae* docente hoc sacramentum "non quibuscunque infirmis ministrandum esse, sed iis tantum qui graviter aegrotant, et in periculo mortis versantur, vel senibus pene confectis" (cf. supra, p. 572). Ceterum huic doctrinae consentiunt communiter theologi russi, ut supra dictum est (p. 584).

Quoad senes notandum est rarius de eis fieri explicitum sermonem sive in operibus theologorum sive in antiquioribus Ecclesiae documentis; cuius ratio facile intelligitur ex eo quod in communi aestimatione et nemine refragante, senium pro infirmitate iugiter reputatum est, iuxta commune adagium ex Cicerone depromptum: "Senectas ipsa morbus est" (cf. supra, p. 579).

In antiquis documentis quaedam expressiones (ut de omni corporis languore, vel de corporis imbecillitate seu debilitate) magis directe ad senium referri videntur. Antiqui scholastici, ut Albertus M., S. Thomas, Bonaventura et Scotus, explicitam mentionem senii non faciunt, nec aliunde Scotistarum inclinatio in exaggerandam necessitatem periculi mortis imminentis potuit eos ullatenus inducere ad explicitam mentionem senii, ut distincti ab ipsa stricte dicta infirmitate, quod attinet ad sufficientem conditionem validi sacramenti (cf. verba Scoti supra relata, p. 600). Ceterum, nec plures ex maioribus theologis posterioribus, ut Soto, Bellarminus, Suarez et Gonet, de ea explicita mentione multum curare videntur.[50] Nonnisi post Rituale Romanum, eam distincte proponens, coepit vulgari in operibus recentioribus, ut apud Busenbaum (relatum a S. Alphonso), Gobat, Clericatum, Trombelli, Benedictum XIV, Billuart, et post Codicem I. C. evasit communissima ac veluti classica apud modernos. Mens tum Ecclesiae tum theologorum variarum aetatum apte exprimitur in sequentibus documentis.

Constitutiones Odonis de Sully episcopi Parisiensis (a. 1196-1208): "Ad sacramentum extremae unctionis moneant populum sacerdotes, non tantum divites et senes, sed pauperes et juvenes omnes ... ut se paratos exhibeant, cum necesse fuerit" (cf. infra, p. 656). *Constitutiones Richardi Poore* episcopi Sarum in Anglia (circa a. 1217): "Praecipimus quod ad Sacramentum Extremae Unctionis moneant

[50] "*Suarez* quidem eam transeunter facit, ad ostendendum qua ratione ipsa B. Virgo, etsi corporaliter proprie non aegrotavcrit, potuit suscipere hoc sacramentum: "Sicut si quis confectus senili aetate, moreretur ex ipsius naturae defectu absque alia aegritudine, nihilominus ungendus esset, quia illa est sufficiens infirmitas constituens hominem in necessitate huius sacramenti; ita . . . de B. Virgine sentiendum est" (Disp. 42, sect. 2, n. 11).

frequenter populum sacerdotes, in necessitate videlicet: et non tantum divites, sed pauperes, senes et juvenes omnes . . .” (cf. infra, p. 656). *Concilium Beneventanum* a. 1374: “Senibus autem datur qui moriuntur etiam sine aliqua infirmitate, quia defectus naturae reputatur in eis pro actuali infirmitate” (tit. 8, c. 1). *Rituale Romanum:* “Debet autem hoc sacramentum infirmis praeberi, qui . . . tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate” (inantiquiori editione, tit. 5, c. 1, n. 5). *Benedictus XIV:* “Conceditur senibus, qui, prae decrepita aetate, licet nulla alia speciali afficiantur aegritudine, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis et annosa senectus, infirmitas est quae interiora vitae organa labefactat, et mox ducit ad interitum.”[00] *Codex I. C.*, can. 940, § 1: “Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui . . . ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur.”

His consentiunt quoque *theologi russi* (cf. Rituale Petri Moghilae nuper cit.), uno vel altero excepto, ut Archangelskij cuius rationes refutabuntur infra (p. 619).

SPECIOSA DIFFICULTAS contra hoc Traditionis argumentum desumi potest ex quibusdam antiquioribus documentis, in quibus agitur de usu olei ad curationem aliorum defectuum corporis, a morbis distinctorum, uti *dejectus organorum* (caecitatis, surditatis, absentiae loquelae), *claudicationis, paralysis, phrenesis, amentiae, possessionis diabolicae* in sic dictis energumenis.

Id constat imprimis ex variis *Vitis Sanctorum,* quas retulimus in art. 1 (tom. 1, p. 133–135).[01] Ita in Vita S. Martini refertur curatio paralysis et in Vita S. Genovefae curatio energumeni seu expulsio daemonis.

Item ex ipsis formulis benedictionis Olei in *Sacramentariis.* Ita in formulis liturgiae *Ambrosianae* (relatis *ibid.*, p. 166 sq.) prima formula “Deus humani generis” loquitur de solidatione confractorum (“confracta solidet”), secunda formula “Domine sancte, gloriose” loquitur generaliter de curatione febris, imo de “causa universi doloris avertenda,” tertia formula “Domine qui studio” fert pro titulo “Benedictio olei ambrosiana ad ungendum tam infirmos quam energumenos.” In liturgia *Gallicano-Wisigothica* formula “In tuo nomine,” quae invenitur in Pontificali romano-germanico et in Libro Ordinum wisigothico,[02]

De synodo dioecesana, l. 8, c. 5, n. 2, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1098.

[01] Alia exempla citat A. Chavasse, *Etude sur l'Onction des Infirmes dans l'Eglise latine du* IIIe *au* XIe *siècle,* I: *Du* IIIe *siècle à la réforme Carolingienne* (Lyon 1942) 150-162.

[02] Citatur ex integro a Chavasse, *ibid.* 64-68, qui putat eius originem ascendere saltem ad initium saec. 8.

loquitur de "diversis morborum generibus" ad quorum curationem oleum ordinatur, et inter plura, distincte enumerata, refert claudicationem, caecitatem, defectum loquelae, arentia membra, cicatrices plagarum, paralysim, dysenteriam, amentiam, vexationem daemonum.[83]

Praeterea, *Beda* refert unctionem tum energumenorum tum generaliter quorumlibet infirmorum, tamquam morem Ecclesiae descendentem ex commendatione Iacobi. In suo enim *Commentario in Marcum* (6. 13), simul recitatis textibus Marci et Iacobi de insinuatione et promulgatione huius sacramenti, scribit: "'Et exeuntes praedicabant ut paenitentiam agerent, et daemonia multa ejiciebant,' etc. Dicit apostolus Jacobus: 'Infirmatur quis in vobis. . .' Unde patet ab ipsis apostolis hunc sanctae Ecclesiae morem esse traditum, ut *energumeni, vel alii quilibet aegroti* ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato" *(ML* 92. 188). Quae verba ex Beda transcribunt plures doctores posteriores, ut *Amalarius Metensis, Ionas Aurelianensis* et *Walajridus Strabo* (cf. *ibid.* p. 84, 86, 88, 89).

Hinc *A. Chavasse* concludit unctionem infirmorum prioribus saeculis (i.e. usque ad saec. 8 inclusive, seu, si placet, usque ad tempus Bedae) in ecclesia latina non fuisse destinatam solis infirmis proprie dictis nec solis graviter affectis, sed omnibus hominibus quibuslibet corporis defectibus laborantibus, abstrahendo a qualitate vel gravitate mali.

Ad rem ipse: "L'onction est donc destinée avant tout à procurer la guérison du malade. Mais à quel genre de maladie doit-elle porter remède? Est-elle réservée pour le traitement des maladies mortelles? Rien ne permet de l'affirmer. Tout nous en dissuaderait au contraire. A peu près tous les maux, qui peuvent atteindre un homme dans son corps, étaient alors l'occasion de l'application d'huile bénite. Pour s'en rendre compte rapidement, il suffit de relire les formules 'In tuo nomine' et 'Domine Jesu Christe,' ou de parcourir le paragraphe

[83] "Prosit febribus et dysenteria laborantibus; prosit paralyticis, claudis, caecis, simulque vexatis Quatarna, tertiana et quotidiana excutiat frigora; mutorum ora resolvat; arentia membra reficiat; dementiam mentis ad scientiam revocet; dolorem capitis, oculorumque infirmitatem, manuum, pedum, brachiorum, pectoris simul ct intestinorum atque omnium membrorum tam intrinsecus quam extrinsecus, mcdullarumque dolorem expellat; somnum quietis infundat et salutem conferat sanitatis. Si qua vero maligna vel venenosa nascentia in corporibus quorumcumque fuerint generata, tactus unguenti hujus omnes radicitus eorum arefaciat sationes. Morsus vero bestiarum, canum rabiem, scorpionum, serpentium, viperarum atque omnium monstruosorum leniat dolores, et superinducta sanitate, plagarum sopiat cicatrices. Impetum vero daemonum, vel incursiones spirituum immundorum, atque legionum malignorum vexationes, umbras et impugnationes, artes quoque maleficorum chaldeorum augurum ct divinorum incantationes, et venena promiscua, quae per spiritum immundum et virtutem nefandam, et exercitia diabolica conficiuntur, lubeas. Domine, per hanc invocationem tuam ab imis visceribus eorum omnia expelli."

second de notre capitre III, où nous avons rapproché les textes hagiographiques et les formules de bénédiction qui traitent des mêmes emplois particuliers de l'huile bénite. Tous les maux corporels, depuis la simple blessure jusqu'à la maladie la plus grave, sont l'occasion d'une onction. On en use de même, ce qui nous étonne, avec les muets, les sourds, les aveugles et les énergumènes. Si l'on veut comprendre pourquoi fonction était pratiquée sur des gens à qui nous ne la ferions pas, il faut se rendre compte que le mot *maladie* a depuis lors changé de sens. Ou plutôt — ce qui est plus exact - certains maux corporels étaient autrefois considérés comme des maladies capables de motiver une onction, qui ne le sont plus aujourd'hui. Sont dans ce cas. nous en avons donné des preuves certaines, la paralysie, la cécité et la possession diabolique. Mais pourquoi oint-on *totis* les malades, tous ceux qui souffrent de quelque façon dans leur corps, quelle que soit la cause de leur mal, sinon parce que l'onction des infirmes est considéré avant tout comme un remède d'ordre surnaturel, qui tire son efficacité de la vertu divine inhérente a l'huile bénite, mais remède quand même. Césaire avait donc parfaitement raison d'appeler l'huile bénite la *medicina Ecclesiae."üi*

RESPONDETUR. Ut haec obiectio contra nostram Conclusionem valeret, oporteret probare quod in obiectis textibus et casibus variarum unctionum hominum non proprie infirmorum (quales sunt caeci, surdi, muti, paralytici, energumeni) agatur non de mero aliquo sacramentali. adhibito ad imitationem sacramenti, sed de applicatione ipsius sacramenti, seu quod agatur de ea praecise unctione quam Apostolus dicit esse infirmis adhibendam, adeoque de ipso oleo ad hoc consecrato, de ipso ministro designato a lacobo, seu presbyteris, de ipso fine ab Apostolo intento, seu utraque spirituali ac corporali sanatione, et praeterea, si totum hoc in aliquo casu ostenderetur, oporteret etiam probare quod illis corporis defectibus qui. ut caecitas, surditas, absentia loquelae, claudicatio, paralysis, phrenesis, amentia, possessio diabolica, proprie infirmitates non sunt, non intelligeretur (merito vel immerito, non refert) coniungi aliqua proprie dicta infirmitas vel gravis virium deficientia, ratione cuius sacramentum administratum fuerit.

lamvero, ut iam notavimus in art. 1 (tom. 1, p. 193 sq.) agendo de unctionibus non sacramentalibus in genere, in quibusdam casibus, praesertim ex Vitis Sanctorum depromptis, non agitur de usu ipsius olei sacramentalis, sed de alio miraculose producto vel coram reliquiis alicuius sancti asservato, et aliquando a viro laico vel femina bene-

M0/>. *cit.* (supra, in p. 613) 192 ; cf, 125, 137, 1S4.

dicto. Quandoque quidem ipsum oleum ab episcopo consecratum adhibitum fuisse ostendi aut praesumi potest, cuius ceteroquin usus liceitas ea aetate satis probabiliter ostenditur non tantum ex supradictis olei benedictionibus liturgiae Ambrosianae et Visigotico-Gallicanae, sed etiam ex benedictionibus Gregoriana et Gelasiana, imo et ex antiquioribus formulis Testamenti D.N.I.C., Constitutionum Apostolorum, Sacramentarii Serapionis, Didascaliae Apostolorum et Traditionis Apostolicae, in quibus agitur simul de benedictione olei et aquae vel de gustatione et potu olei, ut notavimus ibidem (p. 109-115); at minister non est sacerdos, quem Iacobus designat, sed laicus vel femina. Quandoque, etsi agatur de debito ministro, finis unctionis non est ea plenior corporis et animae sanatio, ex materiali et spirituali effectu praecipue remissionis peccatorum consurgens, quam indicat Apostolus, sed solus corporalis effectus quaeritur et exhibetur.

Potuit ceteroquin accidere ut subiecto non proprie infirmo daretur sacramentum ex ratione vel praesumptione concomitantis aut resultantis infirmitatis (nam defectus organi, paralysis, phrenesis, amentia, possessio diabolica, possunt ita corpus afficere ut inde graviter infirmetur) vel etiam ex errore sive defectu distinctionis inter proprie dictam infirmitatem et ceteras corporis afflictiones; sed non ex particularibus et incertis factis et dictis sensus Traditionis et praxis Ecclesiae eruendus est, cum aliunde habeamus unam, praecipuam et constantem ac linearem praxim et doctrinam, sese per saecula affirmantem ac homogenee determinantem, iuxta quam sacramentum, a Iacobo commendatum, est, iuxta ipsius verba, proprium infirmorum sacramentum.

Ad verba *Bcdae* quod attinet, ipse imprimis loquitur quidem de "quibuslibet infirmis" sed undenam probatur ipsum sub eis verbis intelligere quodlibet corporis malum praeter proprie dictam infirmitatem, aut etiam quemlibet gradum huiusce infirmitatis? Loquitur praeterea de energumenis, quasi de altera categoria hominum qui iuxta Apostolum inungantur; sed undenam probatur ipsum agere de omnibus energumenis potiusquam de illis tantum qui tam violenter agitantur ut inde aequivalenter infirmentur, eo fere modo quo nunc loquimur de senis, dicendo infirmos et senes inungi debere (quod quidem videtur innuere ipse Beda loquens de "energumenis vel aliis quibuslibet infirmis"), vel undenam ostenditur ipsum non indicare ad modum unius utrumque sacramentalem et extrasacramentalem olei usum, quorum alter potest etiam indirecte ad Apostolum revocari utpote prioris imitatio?

Ceterum mentio energumenorum accidentalis videtur in verbis S. Doctoris, quod attinet saltem ad considerationem sacramenti; non

enim exigebatur nisi ab ipsa mentione eiectionis daemonum in textu Marci; ac inde est quod in suo *Commentario in textum Iacobi,* in quo profert directum ac praecipuum suum testimonium de hoc sacramento, Beda eam mentionem simpliciter omittit, sicut etiam omittit generalem expressionem quorumlibet infirmorum, quam in priori textu exigebat processus sermonis, scribens: " 'Et orent super eum, ungentes eum', etc. Hoc et apostolos fecisse in Evangelio [Marci] legimus, et nunc Ecclesiae consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur," imo loquitur de infirmo "qui majorem sustinuit plagam" i.e. qui gravi infirmitate laborat (cit. in art. 1, tom. 1, p. 142; cf. hic infra, p. 640). Posteriores vero doctores, ut *Amalarius, Ionas, Strabo, Haymo,* repetunt fere ad verbum ac quasi perfunctorie textum Bedae in Marcum, imo Haymo omittit mentionem ipsam energumeni necnon verba "vel alii quilibet aegroti," scribens: "Unde patet ab ipsis apostolis hunc sanctae Ecclesiae morem esse traditum, ut pontificali benedictione consecrato oleo, perungatur infirmus" (cit. *ibid.,* p. 152 sq.).

Fortasse consuetudo, si quae fuit, ungendi energumenos unctione quadam extrasacramentali, aut quomodolibet eos associandi infirmis in ipsa sacramentali unctione, ob praesumptionem concomitantis infirmitatis, evoluta est ex generali et antiquo more introducendi mentionem expulsionis daemonum inter effectus huius sacramenti, ob intimam quae agnoscebatur connexionem inter influxum daemonum et spiritualem infirmitatem peccati necnon corporalem omnem infirmitatem ab ipso peccato directe vel indirecte dependentem, ita ut omnis infirmus, sive quia peccator sive quia aegrotus, consideraretur ut quidam late dictus energumenus.[65] Cui copulatae mentioni fortasse occasionem dedit ipse textus *Mare.* 6. 13, in quo bina actio expulsionis daemonum ab energumenis et unctionis infirmorum, huius sacramenti insinuativae, simul exhibetur in eodem ministerio Apostolorum. Hinc iam antiquissimum *Sacramentarium Serapionis* sic huius sacramenti effectum describebat: "In remedium adversus omnem daemonium, in expulsionem omnis spiritus immundi" (cit. *ibid.,* p. 122). *Constitutiones Apostolorum:* "Vis daemonum fugatrix" *(ibid.,* p. 115). *Sacr. Gallicanum* in exorcismo olei: "Ut omnis virtus adversarii, omnes exercitus diaboli, omne phantasma eradicetur" *(ibid.,* p. 137). *Sacr. Gregorianum* in ipsa forma sacramentali: "Inungo te de oleo sancto in nomine P. et F. et Sp. S., ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla com-

[65] Iuxta illud ipsius *Bedae* in eodem *Commentario in Iacobum:* "Multi propter peccata in anima facta, infirmitate seu etiam morte plectuntur corporis" (cit. *ibid.,* p. 142), quod repetit *Amalarius Metensis:* "Nisi infirmitas accederet ex peccatis, non diceret Jacobus, 'Et si in peccatis sit, dimittentur ei'" (cit. *ibid.,* p. ISO).

pagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi" (cit. *ibid.*, p. 140). *Codex Rhemensis* in alia forma sacramentali quae est etiam forma Ambrosiana: "Ungo caput tuum oleo santificato, in nomine P. et F. et Sp. S., ut, more militis uncti, praeparatus ad luctamen, possis aerias superare catervas."[08] Ipsum *Cone. Trid.* describit hoc sacramentum tanquam "firmissimum quoddam praesidium" quo Christus contra insidias diaboli "finem vitae munivit" *(Denz.* 907) et *Catechismus Cone. Trid.,* describens varios sacramenti effectus, de hoc contra insidias diaboli munimine ait quod "merito omnium maximum videri potest" (p. 2, c. 6, q. 15).

Probatur 3. *EX RATIONE.*

Hic valent iterum omnes rationes adductae in art. praec. (p. 573-578) ad probandum non homines sanos sed solos infirmos esse validum subiectum sacramenti. Quae quidem, ut ibidem diximus, habent diminutum tantum valorem nisi reducantur vel connectantur cum principali ratione adducta a S. Thoma.

Haec autem ratio deducitur ex propria sacramentali significatione huius sacramenti, quae, ut ait S. Thomas signanter in *C. Gent.* 4.73 (cit. in p. 576), non competit eis qui proprie dicta infirmitate non laborant, etsi sint periculo mortis ab extrinseco expositi (ut capite damnati et milites praeliaturi) aut alio corporali malo ab intrinseco afficiantur (ut mutilati, organo aliquo privati, paralytici, amentes, energumeni), nam isti non sunt capaces corporalis curationis per quam spiritualis curatio huius sacramenti significari debet.

Ad *alias duas praecipuas rationes,* quas afferunt alii theologi, haec nota. *Scotus* et quidam Scotistae pro ratione adducunt quod alii, praeter infirmos, "semper habent usum liberi arbitrii, et possunt post peccare, et talibus, qui possunt amplius peccare, non debet [hoc sacramentum] dari" (cf. supra, p. 600). Attamen haec ratio, fundata in falsa opinione quod specificus effectus huius sacramenti sit ultima et perfecta remissio omnium peccatorum, nimis probat, cum inde sequeretur incapaces esse sacramenti etiam senes necnon ipsos infirmos qui non sint in extremo mortis articulo constituti. *Suarez* vero et alii qui docent specificum effectum sacramenti esse aegroti alleviationem et confortationem, hic rationem adducunt quia "quando [homo] sanus est, licet sit morti vicinus, habet integras naturales vires, et non ab intrinseco, sed per accidens et ab extrinseco deficit."[07] Attamen, abstrahendo a falsitate illius opinionis de specifico effectu, quamvis

[w] Cit. in art. 7, toni. 1, p. 520. Cf. *ibid.,* p. 519 sqq., varias alias formas Sacramentariorum. Codicum et Ordinum mediaevalium.

[*'] *Suarez,* Disp. 42, s. 2, n. 6.

concedi possit per se et ordinarie infirmos magis aut specialius quam alii indigere alleviatione et confortatione ob peculiarem ipsius animi aggravationem sub corporali infirmitate,[1] tamen haec ratio sufficiens non est, quia etiam alii qui corporalibus malis graviter exponuntur vel afficiuntur, maxime si sint in periculo mortis, indigent alleviatione et confortatione (ut praecipue patet de capite damnatis certae morti addictis et de militibus gravissimum aliquod certamen ingressuris), nec magis et minus valet mutare speciem aut reddere sacramentalem subiecti capacitatem specifice diversam.

Ad senes quod attinet, eos apte in ecclesiasticis documentis et praxi infirmis aequiparari, ostendit ipse sensus communis habens senium pro aequivalente infirmitate, iuxta illud Ciceronis: "Senectus ipsa morbus est." Cum enim proprie dicta infirmitas consistat in quadam deordinatione et debilitatione aequilibrii in humoribus et viribus corporalis organismi (iuxta ipsum conceptum contrariae sanitatis quae in tali aequilibrio subsistit), accidentarium prorsus est utrum id proveniat ex morbo, seu ex inopinata ac veluti repentina causa, an ex senio, seu ex connatural! ac lenta organismi consumptione.

Ceterum nonnisi pauci ac recentiores theologi schismatici ausi sunt explicite id impugnare atque senes pro invalido sacramenti subiecto habere. Quorum rationes sic refert ac refellit *Kern:* "Immerito theologi quidam ecclesiae russiacae oppugnant praescriptum ritualis romani, quo edicitur, iis, qui prae senio sine alia infirmitate deficiunt et in diem videntur morituri, sacramentum esse praebendum. Nullius momenti sunt rationes, quas opponunt. Arguit e. gr. *Archangelskij,* falsum esse dictum Ciceronis ab ecclesia romana pro nostro casu adductum: 'Senectus ipsa morbus est'; nam mortem physiologicam, mortem ex plena confectione organorum esse mortem sine morbo. Verum his tantum asseritur, quod probandum esset. Addit, verba s. Jacobi: *ἀσθινά* τι cl· *νμϊν,* non convenire in senem graviter aegrotum. At negamus, senem tam male affectum, ut in diem videatur moriturus, non esse graviter aegrotum. Mira est sequens ratio: Medici sanant morbos iuvenum et senum, non sanant senium. Sed hinc solum sequitur, senium non includere merum periculum mortis, sed eius certitudinem: quam esse impedimentum praebendi euchelaeon. nec Archangelskij affirmaverit. Quod tandem non omnes orationes librorum ritualium quadrent in infirmum senio deficientem, verum est. sed nimium probat; sequeretur enim. το «υχέλαιον omnibus denegandum

[1] "Si enim, inquit *Bellarniinus,* corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, etiam <lum optime valet, certe in ipso actu corruptionis maxime aggravabit: et experientia ipsa testatur vix posse ejusmodi aegrotos mentem ad Deum attollere" *(De Extrema Unctione,* c. 4, circa finem).

esse, qui a spe evadendi mortem plene sunt exclusi. Sufficit, ut ritus essentialis aegroto conveniat."[80]

Conclusio 2. Ad valorem sacramenti requiritur gravis infirmitas.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

In textu Mare. 6. 16, quo huius sacramenti institutio insinuatur, nonnisi de gravibus infirmitatibus agitur: "Ungebant oleo multos aegros et sanabant"; ad confirmandam enim apostolicam praedicationem nihil conduxisset leviter infirmos sanare aut in eis speciali unctionis ritu tractandis immorari; quod etiam confirmat magnitudo alterius effectus, eidem praedicationi copulati, daemoniorum scilicet expulsionis.

In textu Jacobi ipsa vox *ἀσθνά* (infirmatur) rem quidem suadet sed non evincit. Nam, quamvis in N. T. ipsa saepe, imo saepius, referatur ad graviter infirmos (certe in *Mare.* 6.56; *Luc.* 7.10; 9.2; *Io.* 4.46; 11.2, 3, 6; *Act.* 9.37; *Phil.* 2.26; 2 *Tim.* 4.20; probabilius in *Mat.* 25.36, 39; *Luc.* 4.40; *Act.* 9.12), tamen nonnunquam significat infirmitatem in genere *(Mat.* 10.3; *Io.* 6.2; *Act.* 20.35; 1 *Cor.* 11.30) et ceteroquin hic genericus sensus est ipsi proprius et originalis. Altera etiam vox *κάμνοντα ex se* sola rem non probat, quoniam, etsi significet graviorem depressionem et lassitudinem, tamen non necessario significat ipsam infirmitatem. Si tamen duae istae voces simul copulentur, prout substitutive pro eodem subiecto se habent in textu lacobi, invicem se complent, altera indigitante physicam infirmitatem, altera istius gravitatem, et hoc modo ex ipsis etiam terminis, ab Apostolo adhibitis, habetur sufficiens argumentum pro hac Conclusione (cf. dicta in art. praec., p. 562-565).

Ceterum, etiam si quis cum quibusdam modernis scrupulose nolit arguere ex ipsis praedictis verbis, utut ad invicem copulatis, rem saltem cum illis ex ipso contextu obtinebit. Gravitas enim infirmitatis deduci potest sive ex eo quod dicantur advocari seu "induci presbyteri" ac si infirmus sit incapax eos adeundi, tum ex eo quod iidem dicantur "orare super infirmum" ac si hic sit decumbens ac viribus prostratus, tum ex eo quod promittitur effectus alleviationis, imo et salvationis, qui periculum supponit, tum ex eo quod leviter infirmi possent facile comprehendi inter eos quos Apostolus in praecedenti v. 13 non infirmari aut lassos esse *(ἀσθενάν, κάμνειν),* sed tristari (κακοπαὸαι-), dicit, quibusque non unctionem sed solam orationem in

[80] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 297 sq.

remedium proponit. Ceterum tota traditio et praxis Ecclesiae in hoc sensu verba Apostoli intellexit.

Probatur 2. *EX ECCLESIAE DOCUMENTIS EIUSQUE TRADITIONAL! DOCTRINA ET PRAXI.*[10]

UNIVERSALIS ECCLESIAE DOCUMENTA, i.e. Clemens VI, Cone. Flor., Cone. Trid., Catechismus Cone. Trid., Benedictus XIV, Pius XI, Rituale Romanum, S. Congregatio de Prop. Fide et Codex I.C. (supra cit., p. 552-562), concorditer loquuntur de graviter infirmis, imo in periculo mortis constitutis, et quaedam i.e. Clemens VI, Cone. Flor., Catechismus Cone. Trid., et Codex I.C., directe etiam et explicite sensum exclusivum proponunt (i.e. solis graviter infirmis sacramentum conferendum esse), qui ceteroquin et in aliis implicite vel aequivalenter continetur. Propterea supra (p. 582) diximus doctrinam de invaliditate sacramenti collati homini non graviter infirmo, imo non in periculo mortis, recte a pluribus theologis iudicari theologice certam, vel saltem ita firmam ut contraria sit temeraria. Velle autem cum quibusdam raris modernis hanc notam abiudicare. esset idem ac verba horum documentorum interpretari in solo sensu disciplinari, omni dogmatico valore expuncto, quod quam ineptum sit non difficile est ostendere etiam ex paritate plurium aliorum capitum doctrinae sacramentariae quae in iisdem documentis proponuntur.

Praecipua obicctio, quae quorundam doctorum mentibus fucum fecisse et adhuc facere videtur, est ea quae desumitur ex ipso maiori documento *Cone. Tridcntini* dicentis "Esse hanc unctionem *infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur,* unde et sacramentum exeuntium nuncupatur" (cit. supra, p. 555). Hinc arguitur: Concilium distinguit inter infirmos in genere et infirmos graviter decumbentes, atque docet sacramentum conferri posse omnibus infirmis et praesertim conferendum esse graviter decumbentibus. Ex his Concilii verbis quidam arguunt contra necessitatem periculi mortis, vel de ea dubitant (Suarez, Disp. 42, s. 2, n. 3, Coninck, De Clercq, Botte, supra relati, p. 583 et 588), alii ulterius contra necessitatem ipsius gravis infirmitatis (Maldonatus, Quintanadvenas aliique relati in p. 587 V'

" *Hoc argumentum valet etiam ad ostendendam necessitatem periculi mortis, de qua quaestio erit in Conci, seq.;.* nequit enim convenienter hoc argumentum inter duas Conclusiones disiungi, cum plura documenta exhibeant periculum mortis, in quo gravis infirmitas a fortiori continetur, et quaedam exhibeant saltem gravem infirmitatem.

" Ex iisdem verbis Concilii alii, ut *De Sainte-Beuve* et *Suénin,* arguunt contra necessitatem ipsius infirmitatis, sed hoc, ut patet, non deducunt ex ea particula "praesertim"

Attamen talis expositio verborum Concilii vana est. et, praesertim quod attinet ad magis criticos doctores modernos, parum critica videtur. .Attento enim sive textu, sive contextu tam proximo quam remoto, Concilium nequaquam distinguit inter infirmos generaliter et infirmos graves, aut in articulo mortis constitutos, sed inter infirmos graves, imo in periculo mortis constitutos, et infirmos tam graves atque periclitantes ut sint in extremo articulo mortis seu in exitu vitae constitutos; adeoque sensus Concilii est: Hoc sacramentum potest ac debet conferri infirmis, scilicet periculose aegrotantibus, et praesertim illis qui tam periculose aegrotant ut sint in ipso extremo mortis articulo constituti. Ita merito ea verba interpretantur communiter theologi tam antiquiores quam moderni, ut Billuart, S. Alphonsus, Kern, Pesch, Spâëil, Cappello, Gougnard, Boyer.

Et *imprimis, ipse textus* nude sumptus et ut prostat, huic interpretationi potiusquam alteri favet. Nam verba "Illis praesertim qui *tam periculose decumbunt* ut in exitu vitae constituti videantur" ob suam ipsam indolem contrarietatis quam accipiunt ex particula "praesertim," trahunt praecedens verbum "infirmis" ad sensum infirmorum quomodolibet periculose decumbentium, ita ut logicus sensus Concilii sit: Extrema Unctio danda est omnibus quidem infirmis periculose decumbentibus, sed praesertim illis qui tam periculose decumbunt ut sint in exitu vitae. Non enim adest immediata oppositio inter quomodolibet infirmos et iamiam e vita exeuntes (cum inter has duas categorias medient illi qui sunt graviter imo periculose infirmi nec tamen adhuc e vita exeuntes seu in extremo articulo constituti), sed immediata oppositio currit inter generaliter infirmos et graviter infirmos, vel inter generaliter graves periculoseque infirmos et tam graviter infirmos ut sint in articulo seu exitu vitae constituti.

Secundo, ipse immediatus contextus hunc sensum exigit. Nam Concilium immediate prosequitur: "Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari *poterunt, cum in aliud simile discrimen inciderint."* Ergo Concilium exigit vitae discrimen, seu gravem infirmitatem imo et periculum mortis, tum in iteratione sacramenti tum in prima eius susceptione.

Tertio, remotus contextus idem ostendit. Nam certe in illis verbis cap. 3 non de aliis infirmis Concilium loqui intendit quam de illis de quibus loquitur in praecedentibus capitibus. lamvero sive in prologo sive in cap. 2 loquitur tantum de graviter ac periculose infirmis; ait enim hoc sacramentum fuisse a Christo institutum ut "*finem vitae*

<ed ex voce "adhibendam." qua. ait De Sainte-Beuve, indicatur Concilium *"jubere* unci infirmos non ⌊tamen⌋ excludere sanos" (cf. supra, p. 549 sq., 556). Quam interpretationem supra refutavimus (p. 554).

tanquam firmissimo quodam praesidio muniret" cum pro aliis humanae vitae circumstantiis sufficienter providerit per institutionem aliorum sacramentorum, illiusque praesidii rationem esse quia "nullum tempus est. quo vehementius ille [adversarius noster, diabolus] omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus . . . *quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit"* (Prologus, *Denz.* 907); item, docet proprium sacramenti effectum esse "aegroti animam alleviare . . . [ut] infirmus sublevatus et *morbi incommoda ac labores levius ferat* . . . , et *sanitatem corporis* interdum, ubi saluti animae expedierit, consequatur" (cap. 2, *Denz.* 909), qui duplex effectus gravem saltem infirmitatem manifeste supponit.

Quarto, extrinsecus contextus idem vehementer suadet. Imprimis *Acta ipsa Concilii,* ut dictum est supra (p. 556), ostendunt in praeparatoriis sessionibus nonnisi de infirmis in periculo mortis theologos locutos esse, quorum quidam visi sunt requirere ipsum extremum mortis articulum; imo ipsum *primum schema* illius cap. 3 ita exaratum fuisse ut videretur illius articuli necessitatem proponere ("Illis *dumtaxat,* qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur"); ex quo intelligitur quod, cum haec verba in ultimo schemate reformata sunt, substituta nempe particula "praesertim" pro "dumtaxat," huius substitutionis ratio non fuit ut sacramentum extenderetur ad omnes infirmos, sed tantum ne viderentur exclusi illi infirmi qui sint in vero periculo mortis, etsi nondum in ipso extremo articulo seu exitu vitae.

Quod quidem confirmatur ex eo quod, cum praefata prioris schematis expressio possit etiam in mitiori sensu de omni vero periculo intelligi, eam adhibere, etiam post Concilium imo et ad mentem Concilii exprimendam, non cunctati sunt sive *Catechismus Cone. Trid.,* loquens de "iis qui adeo periculose aegrotare videntur, ut, ne supremus illis vitae dies instet metuendum est" (cit. in p. 557), sive ipsum *Rituale Romanum,* loquens de "infirmis qui tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur" (cit. in p. 560). Quapropter Concilium per eam schematis reformationem et eam particulae "praesertim" substitutionem, praecipue intendisse videtur abusum illum praecavere, de quo explicite loquitur *Catechismus Cone. Trid.,* addens praefatis verbis: "In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat"; in quam reprobationem frequentissime insistunt posteriora documenta Ecclesiae, et imprimis ipsum *Rituale Romanum* (cit. in p. 560).

TRADITIONALIS DOCTRINA ET PRAXIS ECCLESIAE pariter ostendit nonnisi graviter infirmis, imo in periculo mortis constitu-

tis, sacramentum ministrari posse. Potest autem reduci ad sequentia capita quorum primum ostendit potius traditionem theoreticam, minus quidem perspicuam in antiquiori sua phasi, quod attinet ad sensum ipsum exclusivum ceterorum infirmorum, cetera vero referuntur praecipue ad practicam traditionem.

1. Frequentia dicta *antiquorum Patrum et ecclesiasticorum scriptorum* in hoc colliniant ut Extrema Unctio consideretur tanquam quaedam praeparatio ad beatam mortem seu ad aeternitatem. Quandoque simultanea Viatici susceptio exhibetur.

Irenaeus in sua allusione ad hoc sacramentum, loquens de eius corruptione apud Gnosticos, ait: "Alii sunt, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum et aquam ... ut incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant, et ut superascendat super invisibilia interior ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima vero projiciatur Demiurgo" (cit. in art. 1, *tom. 1,* p. 94).

Eusebius Caesariensis: "Uncti illo unguento, non ultra morti erunt obnoxii, sed immortalitatis et aeternae vitae consortes"; "Immittitur gentibus qui moriuntur unguentum" *{ibid.,* p. 102).

Athanasius ad hoc sacramentum probabiliter alludit, cum commentans *Psal.* 91.11 "Senectus mea in misericordia uberi," ait: "Post labores quos sustinui . . . , tunc ceu oleo utar ad regale sacerdotium" *{ibid.,* p. 103).

Pscudo-Prospcr Aquitanus loquitur de anima quae "corpore abscedente, sacramento farris et olei unctione munitur, secura expectans gratam pluviam" seu aeternam retributionem de qua in *Mat.* 25.21: "Euge, serve bone et fidelis . . ." *{ibid.,* p. 124). Ubi etiam non improbabiliter fit allusio ad simultaneam susceptionem Viatici et Extremae Unctionis.

Caesarius Areiatensis quater in suis Sermonibus explicitam mentionem facit huius simultaneae administrationis: "Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat: et inde corpusculum suum ungat: ut illud quod scriptum est impleatur in eo, Infirmatur aliquis, inducat presbyteros . . "Quantum rectius et salubrius erat ut ad ecclesiam currerent, corpus et sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto et se et suos fideliter perungerent"; "Eucharistia Christi et sicut scriptum est oleo benedicto a presbyteris deberent perungere"; "Ad ecclesiam recurrite, oleo vos benedicto perungite, eucharistiam Christi accipite" *{ibid.,* p. 128 sq.).72

" Dc sensu horum textuum Cacsarii confer infra, p. 635 sq., 639.

Cassiodorus, saltem de gravi vulnere et gravi corporis debilitate, etsi non directe de ipso periculo mortis, loquitur cum scribit: "Si quis alterius praegravatur injuria vel corporis imbecillitate quassatur, [Iacobus] presbyterum dicit adhibendum, qui oratione fideli et olei sancti perunctione concessa, salvet eum qui videtur afflictus" *(ibid.,* p. 131).

Sonnatius in Statutis ipsi attributis: "Extrema unctio deferatur laboranti et petenti, eumque pastor in propria saepius inviset, et pie visitet, eum ad futuram gloriam animando, et debite praeparando" *(ibid.,* p. 131).

Eligius: "Qui aegrotat. . . . Eucharistiam corporis ac sanguinis Christi cum fide et devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat" *(ibid.,* p. 132).

Bcda gravem infirmitatem tum physicam tum moralem proponit cum ait: "Infirmanti autem vel corpore vel fide mandat [Apostolus] ut qui majorem sustinuit plagam, plurimorum se adjutorio, et hoc seniorum, curare meminerit" *(ibid.,* p. 142).

Pseudo-Egbertus Eboraccnsis: "Ut secundum definitionem sanctorum Patrum, si quis infirmatur, a sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter ungatur. Ut presbyter Eucharistiam habeat semper paratam ad infirmos, ne sine communione moriantur." "Hanc unctionem quilibet fidelis, si possit, acquirere sibi debet, et statuta, quae ad eam pertinent, quoniam scriptum est quod quicunque hanc disciplinam habuerit, anima ejus aeque pura sit post obitum ac infantis qui statim post baptisma moritur" *(ibid.,* p. 146).

Prudentius Trecensis: "De manu tua eucharistiae et unctionis extremae recipiam sacramenta" *(ibid.,* p. 153). Hic, sicut apud Sonnatium nuper citatum, prima vice apparet *vox ipsa "Extrema Unctio,"* quae late diffusa est saec. 12 tanquam proprium nomen huius sacramenti. Ipsa quidem valde significans esset ad rem nostram, si esset authentica et si simul significaret unctionem collatam his qui sunt in extremis; utrumque tamen controvertitur, nam ut dictum est in art. 1 *(ibid.,* p. 132 et 153), quidam dubitant de authenticitate Statutorum Sonnatii et ceteroquin volunt saltem illam vocem in utroque documento esse interpolatam, eo quod nonnisi saec. 12 vulgata inveniatur, de originali vero sensu vocis controvertitur, ut explicatum est in Introductione tractatus *(ibid.,* p. 7-9).

Hincmarus Rhemensis: "Quanti viri, quantae feminae, sine reconciliatione et sacri olei unctione atque sancta communione . . . de isto saeculo exierunt"; "Si . . . jam in desperationem de vita temporali devenerit . . . sancto oleo ungatur, et communio corporis et sanguinis Christi ei largiatur" *(ibid.,* p. 155).

2. *In omnibus libris liturgicis, variae orationes,* sive ad benedicendum oleum sive ad conferendam unctionem, significant vel supponunt hominem graviter infirmum, et in posterioribus Sacramentariis, Codicibus et Ordinibus exhibetur *ritus unctionis* qui totus persolvitur in domo infirmi graviter decumbentis. Praeterea saepissime Extremae Unctioni Viaticum coniungitur.

Liber Ordinum antiquae liturgiae Mozarabicae loquitur de infirmo "quem languor curvat ad exitum et virium defectio jam pertrahit ad occasum" *(ibid.,* p. 136). *Sacramentarium Gelasianum* in oratione super infirmum "in domo" Deum deprecatur "ut, fugatis infirmitatibus, et viribus revocatis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat" *(ibid.,* p. 139). *Sacramentarium Gregorianum* in "orationibus super infirmum et super domum ejus" iterum talem sanitatem deprecatur ut possit infirmus ad pristina opera pietatis redire seu ut fiat iterum capax opera et praecepta vitae christianae obeundi: "Plenam ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus et sanatus, ad pristina pietatis tuae reparetur officia," atque immediate post unctionem iubet infirmo Viaticum ministrari: "Subinde communicet cum corpore et sanguine Domini" *(ibid.,* p. 140). Hoc utrumque recurrit in tribus *Codicibus Ratoldi, Tiliano* et *Rhemensi* (de quibus *ibid.,* p. 167-170); praeterea, in Codice Rhemensi sermo est de "orationibus quae sunt de reconciliatione poenitentis ad mortem" et de "Missa pro infirmo, qui proximus est morti"; item ad Symbolum quod a ministro super infirmum recitatur, notat rubrica: "Deinde a sacerdote dicitur ad infirmum: 'Credis, frater, quod diximus Symbolum'. Cum responderit, aut nutu significaverit 'Credo,' unguatur a sacerdote."[73]

In variis *Ordinibus* a Martène editis, quorum plures sunt saec. 12 antiquiores[71] eadem fere recurrunt in solemni ritu unctionis peracto in domo infirmi decumbentis; communissime recurrit administratio Viatici, quam indicat vel specialis "Oratio ad communicandum infirmum" vel explicita rubrica: "Deinde communicet cum Corpore et Sanguine Domini"; quandoque notatur "missa pro infirmo qui proximus est morti"; nonnumquam sermo est de "Absolutione languentis ad mortem" vel "Reconciliatione poenitentis ad mortem"; frequentissime sermo est de "Oratione super infirmum"; quandoque exhibetur sacerdos "ad lectum aegroti accedens" et "ante aegrotum inclinans."[75]

[7]' Haec ex tribus illis Codicibus habes in *ML* 78. 524 sq., 526, 528, 534, 535, 537. 538

[7]* Cf. supra, art. 7, tom. 1, p. 522 sqq.

[7]' Sufficiat consulere Ordines 1. 2. 3 et 4. apud Martène. *Dc antiquis Ecclesiae ritibus,* 1. 1, p. 2, c. 7, a. 4 (Rotomagi 1700) 117, 120, 123, 125, 126, 128, 129, 131, 132.

Pariter in *liturgia Graeca* variae Euchologii orationes et ritus infirmum graviter decumbentem supponunt; inter alios unctionis effectus, praeparatio ad bonam mortem, non uno modo exhibetur, ita: "Ut et in hoc uncti . . . in sanctorum splendoribus effulgeant non habentes maculam aut rugam, et in aeternam requiem admittantur."

3. *Statuta episcopalia et concilia provincialia* (cit. *ibid.*, p. 131, 145-157), in suis canonibus quibus particularium ecclesiarum sensus exprimitur et praxis regulatur, nonnisi periculose decumbentibus collatam Unctionem ostendunt. Omnia referunt simultaneam administrationem Extremae Unctionis et Viatici; quaedam loquuntur explicite de morientibus, fine vitae, exitu vitae, de infirmis in periculo positis, de periculosa infirmitate et morbo violento; praeterea Cone. Ticinense testatur explicite ipsam communem persuasionem de administrando hoc sacramento in periculosa tantum infirmitate.

Statuta Sonnatii archiepiscopi Rhemensis et Canones *Egberti Eboracensis* episcopi, supra relata,[70] loquuntur de praeparatione infirmi ad bonam mortem et de simultanea administratione Viatici. *Capitularia Caroli Magni* (saec. 8-9): "Ut morientes sine sacrati olei unctione et reconciliatione et viatico non deficiant"; "Ut cuncti sacerdotes omnibus infirmis ante exitum vitae viaticum et communionem corporis Christi misericorditer tribuant." *Capitula Theodulphi Aurelianensis* a. 789: "Admonendi sunt sacerdotes de unctione infirmorum et poenitentia et viatico, ne aliquis sine viatico moriatur. . . . Si permiserit infirmitas . . . [infirmus] in ecclesiam deportetur" (ubi simul indicatur periculum mortis et excluditur necessitas articuli mortis). *Canones Isaac Lingolnensis* (circa medium saec. 9): "Si in infirmitate deprehensus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat." *Capitula Hincmari Rhemensis* (t 882): "Ipse presbyter visitet infirmos, et inungat oleo sancto, et communicet."[71] *Capitula Hcrardi Turonensis* a. 858: "Ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, et viaticum viventes accipiant, et benedictione sacrati olei non careant." *Cone. Aquisgrancnsc* a. 836: "Si subditus infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [i.e. presbyteri] negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali cum acceptione s. Communionis" (ubi in eadem contingentia periculi mortis fit quaedam distinctio inter ipsum periculum et urgentius periculum in quo confertur Viaticum). *Cone. Moguntinuni* a. 847:

[70] Hic, in p. 625.
[71] Cf. alia Hincmari verba, ex suis epistolis, supra relata, hic in p. 625.

"Ab infirmis in periculo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum. . . Orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra cum unctione Dei animati secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur." *Cone. Ticinense* a. 850: "Quia frequenter contingit ut aegrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci presbyter congruenter admonere. . . Hoc tamen sciendum est quod si is qui infirmatur publicae poenitentiae mancipatus est, non potest hujus mysterii consequi medicinam nisi prius reconciliatione percepta communionem corporis et sanguinis Christi meruerit."

4. *In Vitis Sanctorum* (cit. in *torn.* 7, p. 133-135, 149, 153 sq.), nominatim S. Launomari, S. Tresani, S. Leobini, S. Hypatii, S. Eugenii, S. Marii, S. Cuthberti, S. Mesrop, S. Eutychii, Theodori Studitae, virginis Mansae, S. Adalhardi, agitur continuo de unctione ministrata gravissime decumbentibus, saepius de ipsis moribundis. Quandoque refertur simultanea Viatici administratio.

In Vita S. Launomari agitur de matre familias quae iam inde ab "annis adolescentiae gravissima infirmitate tabescebat" nec nisi "jam pene exanimis longa corporis molestia confracta" ad virum Dei inungenda allata est. *In Vita Tresani,* hic nonnisi iam "lecto decumbens et usque ad extrema deductus finem corporis sui imminere persentiens, convocat sacerdotes . . . [a quibus] oleum sanctae reconciliationis exciperet." *In Vita S. Hypatii* refertur: "Si necessitas suaderet, infirmum [quemlibet] oleo sacro inungi debere, [Hypatius monachus] monebat abbatem, qui presbyter erat, et curabat ab ipso perfici unctionem." *Vita S. Eugenii:* "Vitae termino appropinquante annis maturus et meritis gravi corripitur infirmitate, qua magis et magis ingruente omne monachorum agmen convocatur ac venerabile corpus sacro oleo ungitur et exitus eius Viatico non deficiente communitur." In *Vita S. Marii* agitur de infirmo qui "adeo infirmabatur ut de salute ejus desperarent." In *Vita S. Cuthberti* agitur de infirmo "funditus a medicis desperato." In *Vita Theodori Studitae,* hic exhibetur placide moriens, "sumpta eucharistia et oleo pro more inuncto." In *Sermone de vita et morte gloriosae Virginis Mansae,* scripta a Prudentio Trecensi, haec iamiam moriens, ministrum alloquitur: "Hoc extremum munus a te peto, Prudenti Pater episcope, ut de manu tua eucharistiae et unctionis extremae recipiam sacramenta." In *Vita S. Adalhardi,* hic, suscepta Extrema Unctione, exclamat: "Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii sacramenta."

5. *Simullanea administratio Extremae Unctionis et Viatici* peculiariter ostendit sensum traditionalem de necessitate periculi mortis ad suscipiendam Unctionem. Ea praxis constat ex quampluribus inter supra citata documenta, seu ex verbis Pseudo-Prosperi, Caesarii Arei., Eligii, Egberti, Prudentii, Hincmari, ex libris liturgicis, ex Statutis et Conciliis, ex Vitis Sanctorum. De eadem praxi, quod attinet ad ordinem servatum inter duo sacramenta, fuse agetur in art. seq. (p. 687-694).

Ceterum ex ipso more, olim fortasse frequentiori, quo Extrema Unctio praeponebatur Viatico, inepte quis inferret non necessitatem periculi mortis ad susceptionem Extremae Unctionis, nam ex allatis documentis constat utrumque sacramentum in eadem contingentia seu in eodem periculo, simul vel fere simul, collatum esse; pariter ex invalescente inde a saec. 13 contrario more postponendi Viatico Extremam Unctionem, inepte quis inferret nonnisi ab eo tempore, sub impulsu theologorum medii aevi, assertam esse necessitatem periculi mortis pro administratione huius sacramenti, imo invaluisse in Ecclesia doctrinam de necessitate ipsius extremi articuli mortis, ita ut sacramentum infirmorum converteretur in sacramentum exeuntium seu moribundorum et sacra unctio antiquorum in modernam Extremam Unctionem.

6. *Ipse accessus ministri ad locum infirmi,* potiusquam vicissim, ostendit quoque gravitatem infirmitatis; quod ceteroquin iam significabat ipse Apostolus, loquens de advocandis presbyteris Ecclesiae.

Accessum illum signanter exhibent tum *libri liturgici* tum *Vitae Sanctorum* supra relatae (p. 626-628). Praeterea, *Statuta S. Sonnatii:* "Extrema Unctio deferatur laboranti et petenti." Poenitentiale *Egberti Eboracensis:* "Si quis infirmatus sit . . . invitet ad se sacerdotem suum." Capitula *Gerbaudi Leodiensis:* "Presbyteri quando ad infirmum accedunt, cum oleo consecrato veniant, et oleo sancto ungant eum in nomine Domini." *Capitula Theodulphi Aurelianensis:* "Primitus infirmo poenitentia detur. Deinde, si permiserit infirmitas, abluto corpore, albis vestimentis induatur, et in ecclesiam deportetur, et jaceat in cilicio superjecto cinere" (cit. in art. 1, *tom. 1,* p. 147); hic supponitur gravis infirmitas, nam sacerdos debet accurrere ad domum infirmi eumque immediate absolvere, infirmus deferri, non venire, debet ad ecclesiam, nec certum est ipsum posse etiam deferri, unde excluditur tantum necessitas extremi articuli mortis, *Ionas Aurelianensis:* "Sibi presbyteros Ecclesiae induci" *(ibid.,* p. 151). *Hincmarus Rhemensis:* "Ipse presbyter visitet infirmos, et inungat oleo sancto" *(ibid.,* p. 155). *Cone. Ticinense:* "Secundum propriae possibilitatis

vires . . . presbyteros invitet" *{ibid.,* p. 156). *Aejricus Cantuaricnsis:* "Infirmos visitate, et eos reconciliate: et juxta Apostolum oleo sancto inungite, et propria manu communicate" *{ibid.,* p. 157).

Fuit quidem etiam mos ungendi infirmos in ipsa ecclesia, sed inde inepte argui non necessitatem periculosae infirmitatis, ostendit ipse textus Theodulphi Aurelianensis nuper relatus et clarius inferius patebit in responsione ad hanc, quam quidam movent, difficultatem.

7. *An ipse mos tingendi mortuos,* qui olim invaluit apud Monophysitas et Schismaticos Orientales, thesim nostram suo modo confirmare possit, quatenus nempe fuerit quaedam corrupta forma derivata ex ipso ritu Extremae Unctionis, non apparet, cum incerta sit origo et ratio unde mos ille processerit, ut constat ex dictis in art. 1 *{ibid.,* p. 187-191).

Ex hucusque dictis de traditione tam theoretica quam practica, intelligitur quam facile necnon prorsus connaturaliter potuerit apud posteriores theologos mediaevales evolvi ac firmari explicita doctrina iuxta quam hoc sacramentum est veluti proprium sacramentum exeuntium, quatenus praeparat ad bonam mortem et futuram gloriam, seu, ut ait *Pseudo Abaelardus:* "ultimum est omnium, et quasi consummativum" *{ibid.,* p. 162), et, ut magis determinat 5. *Thomas,* "est ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo, quasi ad percipiendam gloriam praeparatur; unde et Extrema Unctio nuncupatur" *{C. Gcnt.* 4.73). Inde late ac legitime vulgata est ipsa *vox "Extrema Unctio"* tanquam proprium nomen huius sacramenti, necnon cognatum nomen "Sacramentum exeuntium" (cf. *ibid.,* p. 4. 6-12), quorum utrumque assumpsit ipsum Cone. Tridentinum.

De cuius mediaevalis sanae ac traditionalis doctrinae sensu et vi, satis dictum est in art. 17. Quod si quidam theologi eam immoderate urgere potuerint, ita ut dicerent hoc sacramentum sic ad gloriam praeparare ut sit ordinatum ad plenam et finalem remissionem peccatorum (Scotus eiusque schola) vel ad plenam remissionem poenae temporalis (quidam inter ipsos modernos post Kern), ac inde fortasse plures in antiquiori aetate occasionem arripuerint hoc sacramentum ad postremum prorsus mortis articulum postponendi, id non ipsi doctrinae imputandum est, sed humanis ipsis moribus iuxta quos facile contingit ut cum tritico zizania succrescat.

Contra hoc Traditionis argumentum, sequentia opponi possunt, et a quibusdam tum Schismaticis tum catholicis opponuntur:

PRIMO OBICITUR. Antiquitus Extrema Unctio solebat ante Viaticum administrari, ita ut quandoque, iam collata Extrema Unctione, expectaretur mortis periculum pro Viatici administratione, ut significat Cone. Aquisgranense supra relatum (p. 627).

RESPONDETUR. Ut dictum est supra (p. 629), Viaticum et Extrema Unctio in eadem circumstantia, seu eidem infirmo graviter decumbenti, administrabantur, etsi Extrema Unctio frequentius praecederet. Ceterum, in pluribus documentis eiusdem temporis et loci, inversus ordo exhibetur qui posterius, inde saltem a saec. 13, omnino praevaluit, nec constat quaenam praxis fuerit antiquior (cf. in art. seq., p. 687-689). Ex Cone. Aquisgranense ad summum deduci potest quod Extrema Unctio potest conferri infirmo graviter decumbenti ("Si infirmitate depressus fuerit") ante ipsum tempus quo conferendum sit Viaticum, scilicet antequam "finis urgere perspiciatur."

SECUNDO OBICITUR. Plura in antiqua disciplina observabantur quae supponunt infirmum non necessario fuisse graviter decumbentem, vel saltem non in periculo mortis.

Imprimis, olim, saltem in ecclesia latina (et probabiliter etiam in graeca) fuit *mos iterandi Unctionem per septem continuos dies,* ut constat ex documentis allatis in art. 24 (p. 305-308); iamvero, quidquid sit de sacramentalitate repetitarum unctionum, saltem ipsa diuturnitas ritus ostendit non agi de infirmis in periculo mortis.

Praeterea, quaedam rubricae antiquorum Sacramentariorum et Ordinum praescribunt ut infirmus *sedeat,* vel *genua Pectat,* vel *psallat,* vel *recitet fidei confessionem,* vel (in Euchologio Graeco) *ingrediatur m medium sacerdotum* et accipiat librum Evangelii super caput suum. Ita Codex Tilianus: "Et sic flectat genua sua, qui est languidus, et stet ad dexteram sacerdotis, et cantetur haec Antiphona: Sana. Domine . . ." (*ML* 78. 526). Ordo 3, inter Ordines a Martène editos: "Flectat genua languidus, et sedeat ad dextram sacerdotis, et psallant hanc antiphonam cum psalmo. . ."[78] Idem prorsus ferunt Ordines 4 et 12.[70] Ordo 25: "Tunc flectat genua languidus, si potest, ad dextram sacerdotis, et alii cantent antiphonam."[81] Apud Warren similis rubrica citatur: "Infirmus canit, si potest; si non, persona eius canit sacerdos: ignosce, domine."[8] Euchologium Graecorum (seu Ordo 30 apud Martène): "Tum vero in medium Sacerdotum ingreditur, qui

Martène, *op cit.* (supra, in p. 626) 127.
[70] *Ibid.* 131, 166.
"Ibid. 222.
"F. E. Warren, *The Liturgy and Ritual of the Celtic Church* (Oxford 1881) 169.

extremam unctionem suscipit, et acceptum sanctum Evangelium ponit super caput eius Sacerdotum praecipuus, et manus illi Sacerdotes alii imponunt."[82]

Praeterea, olim viguit *mos administrandi Extremam Unctionem in ipsa Ecclesia,* eo accurentibus vel delatis infirmis. Iam *Canones Hippolyti* (can. 219) id testari videntur: "Aegroti curationem habent si ecclesiam frequentant ut aquae orationis et oleo orationis participent, excepto eo qui morbo periculoso laborat; is debet a clero quotidie visitari qui eum novit" (cit. in art. 1, *tom. 1,* p. 110). *Isaac Antiochenus:* "Servi Christi et orthodoxi afferre solent aegrotos et infirmos ad sanctum altare, non autem ipsi oleum conficere audent, ne donum expiationis contemnere videantur, sed ubi sacerdos est regens plebem, observant ordinem iustitiae" *{ibid.,* p. 126 sq.). *Caesarius Arelatensis* bis loquitur de "currendo ad ecclesiam" ut sacra unctio accipiatur.[83] *Acta S. Oswaldi Vigorniensis* episcopi: "Regressus in oratorium, convocatis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacrae unctionis."[81] *Statuta Gibeltinarum* (seu monialium, a beato Gilberto fundatarum[85]): "Provideatur locus in ecclesia vel in infirmitoriis earum ad inunguendum eas."[80] *Theodulphus Aurelianensis* (supra relatus, p. 629) iubet ut infirmus "si permiserit infirmitas, abluto corpore, albis vestimentis induatur, et in ecclesiam deportetur." *Agobardus Lugdunensis,* verba Caesarii Arei, fere repetens contra abusus superstitiosarum unctionum, ait: "Melius enim facerent, si . . . ad Ecclesiam currerent, ungendi oleo, secundum praeceptum evangelicum et apostolicum" *{ML* 104. 184 sq.).

Apud *Graecos* "aegroti plerique e plebe aliorum manibus et ope ad Ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum praesentia, et animo levamen et corpori miraculi alicuius experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnumquam dierum spatio, in Catechumenaeis iacent, pernoctant, morantur, et sacra tandem Unctione sibi remedium exposcunt";[87] in Codice Sinaitico 960 (cit. in art. 24, p. 307) Euchelaeon recepturi dicuntur "permanere in Ecclesia usquedum septem dies compleantur."

RESPONDETUR. Mos iterandi unctionem per septem dies nequa-

[*] J. Goar, Ευχολόγιο»- *sive Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 427.

[M] Cf. supra, p. 624. Hoc testimonium, ut praecipuum et antiquius, proponunt *Chardon* et *Martine* qui scribit: "Nullum hanc in rem S. Caesarii testimonio praestantius antiquiusve proferri potest" (op. *cit.* [supra in p. 626] a. 2, p. 110).

[“] Apud Martène, *loc. cit.*

[“] Cf. *Monasticum Anglicanum* II 775.

[“]Apud Martène, *loc. cit.*

WJ. Goar, *op. cit.* (supra, in p. 632) 432.

quam supponit aegrotos non fuisse graves aut periclitantes, imo in contraria suppositione fundantur ipsa verba quae in rubrica apponi solent: "Et sic [faciant per] septem continuos dies, nisi necessitas contingent," i.e. si status infirmitatis, utut gravis et periculosus sed nondum imminentis articuli mortis, id permiserit (cf. art. 24, p. 306, 314). Ceterum, ut iam notavimus agentes ex professo de tali praxi *(ibid.,* p. 315 sq.), ea in ecclesia latina non viguit nisi in una fere aetate et una ecclesia, et multo rarior fuit in ecclesia graeca.

Obiectae observantiae infirmorum, ut nempe sederent, genua flecterent, psallerent, orationes recitarent, nullatenus supponunt levem infirmitatem, cum ea possint fieri etiam a graviter et periculose infirmantibus; ceterum totus ritus praedictorum ritualium supponit statum gravis infirmitatis, ut supra ostensum est (p. 626), imo eundem clare supponunt ipsae obiectae rubricae, cum explicite notant: "Flectat genua, si potest, et alii cantent antiphonam," "Infirmus canit, si potest"; ad recitationem Symboli quod attinet, notat Codex Rhemensis (cit. in p. 626), eam fieri a ministro qui subinde petit ab infirmo: "Credis, frater, quod diximus Symbolum? Cum responderit, aut nutu significaverit 'Credo,' ungatur." Agitur ergo in objectis rubricis de pio ac laudabili more, observando iuxta possibilitatem virium infirmi et pro uniuscuiusque fervore ac pietate. Similes cetero-quin rubricae occurrunt in multo recentioribus Ritualibus. Ita in *Rituali Ambrosiano* a. 1645 (Ordine 29 apud Martène) ante Extremam Unctionem notatur: "Et manibus junctis, [sacerdos] confessionem generalem dicit; aegrotus, si potest, cum eo saltem submissa voce pronunciante, aut saltem attente audiente, percutitque ter pectus ad ea verba: 'mea culpa' "; et ad ipsum Viaticum notatur: "Si aegrotus extra lectum genibus flexis esse poterit . . . , scamnum panno mundo ecclesiastico stratum ante se habeat."[88]

Quod attinet ad rubricam *Euchologii Graecorum* nihil probat ea verba "In medium Sacerdotum ingreditur qui extremam unctionem suscipit" necessario intelligenda esse in sensu proprio, quasi ipse infirmus per se ingrediatur, et non potius ab aliis deferatur; saltem in ipsis orationibus infirmus supponitur graviter decumbens, ut cum dicitur: "Fias [Domine] medicus hujus servi tui: erige eum e dolorum lecto, ab infirmitatis strato"[89] ac propterea Benedictus XIV (supra cit. p. 558 sq.) declaravit se nolle immutare rubricas Euchologii. etsi quaedam videantur referri ad praxim conferendi Euchelaeon etiam sanis aut leviter infirmis.

[88] Apud Martène, *Op. cit.* (supra, in p. 626), a. 4, p. 235, 238.
[89] Apud Goar, *loc. cit.* (supra, in p. 632).

Mos ipse ungendi infirmos in ecclesia, ceteroquin rarior si comparetur ordinario ritui administrationis in domibus, non probat sufficientiam levioris infirmitatis, sed tantum fidem et pietatem antiquorum,[*'] sicut et hodierna praxis deferendi graviter infirmos ad miraculosum sanctuarium B. Virginis apud Lourdes. Ille mos tantummodo probat non necessitatem ipsius articuli mortis ad valorem sacramenti, nam improbabile est etiam infirmos, in tali articulo constitutos, ad ecclesiam delatos fuisse, quod praeterea explicite excludit *Theodulphus Aurelianensis* inquiens: "Si permiserit infirmitas, in ecclesiam deportetur."

Ceterum ipsum factum infirmos deportandi in ecclesiam, de quo relati *Theodulphus Aur., Isaac Antiochenus* et mos *Graecorum,* ostendit status gravitatem. Quae dicuntur de *Oswaldo* et *Gibeltinis* facilius adhuc intelliguntur, cum agatur de religiosa domo in qua sine magno incommodo possunt graviter infirmi ad speciale sacellum intra domum deferri.

Nec obstant expressiones de infirmis "frequentantibus ecclesiam," apud *Hippolytum,* aut "ad ecclesiam currentibus" apud *Caesariinn* et *Agobardum,* nam eae possunt intelligi sive in physico sensu delationis per alios (Hippolytus) sive etiam in morali sensu sollicite quaerendi Ecclesiae remedia aut advocandi Ecclesiae presbyteros, iuxta commendationem Apostoli (Caesarius et Agobardus), quod quidem sonant verba Agobardi, dicentis oportere currere ad ecclesiam iuxta praeceptum Apostoli, Apostolus autem praecipit presbyteros advocare. Nec aliud profert *Eligius Noviomensis,* plagiarius ipsius Caesarii, cum, reprobans eundem abusum quem Caesarius in obiectis verbis impugnat, ait: "Quoties aliqua infirmitas evenerit, non quaerantur praecantatores . . . , sed qui aegrotat . . . oleum benedictum fideliter ab Ecclesia petat . . . secundum apostolum" (cit. in art. 1. *tom. 1,* p. 132). Pariter *lonas Aurelianensis,* loquens de eodem abusu, scribit: "Sunt plerique qui dum infirmantur aut ipsi, aut eorum parentes et propinqui, non sibi presbyteros induci, et sanctae Ecclesiae more perungi; sed magis divinos . . . consulere expetunt. . . Oportet ut quando quis infirmatur, non a divinis . . . sed ab Ecclesia . . . sibi remedium . . . postulet" (cit. *ibid.,* p. 151 sq.).

TERTIO OBICITER. In ecclesia latina usque ad saec. 8 inclusive, saltem attentis testimoniis quae hucusque noscuntur, Extrema Unctio nondum considerata est ut sacramentum reservatum graviter decumbentibus aut ut ritus praeparatorius ad mortem, sed conferebatur

*' In *Vila S. Launoniari* (cit. in art. 1, tom. 1, p. 133) est sermo de quadam muliere "iam pene exanimi, [et] longa . . . corporis molestia confracta famulorum! ulnis levata leti ad hominem Dei medendi gratia delata."

quibuslibet infirmis, ratione cuiuslibet, utut levis infirmitatis. Id signanter apparet ex verbis tum *Bedae,* loquentis de unctione "quorumlibet aegrotorum" tum *Cacsarii Arclatensis* (quem fere excribit *Eligius Noviomcnsis)'.* "Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat: et inde corpusculum suum ungat." Nec copulata administratio Viatici apparet nisi inde a saec. 9, cum unicum exemplum quod ex aetate anteriori afferatur, scilicet testimonium Caesarii Arclatensis (ab eodem Eligio repetitum), nullatenus respiciat Viaticum, sed meram susceptionem Eucharistiae; nam Caesarius, intendens reprimere abusus aegrotorum recurrentium ad divinos et ariolos, eos increpat ut potius recurrant ad Ecclesiam, ubi invenient duplicem medicinam, suis corporalibus infirmitatibus paratam, scilicet Extremam Unctionem et Eucharistiam.

Haec est, in summa, conclusio *A. Chavasse,* qui ceteroquin profitetur se loqui mere ut historicus, non ut theologus, adeoque eam conclusionem non esse accipiendam ut obiectionem sed ut meram historicam et veram constatationem, de cuius theologico valore nonnisi a theologo iudicandum est.[91] Iam supra (p. 614) ab eodem historico audivimus generaliorem eius conclusionem, iuxta quam in eadem aetate Extrema Unctio non administraretur solis proprie dictis infirmis, sed omnibus qui quolibet corporali defectu affligerentur. Cui conclusioni hanc alteram immediate addit, scribens:

"L'onction des infirmes n'apparaît pas, dans les textes qui nous restent, sous forme de rite préparatoire à la mort.

"Nous avons constaté à maintes reprises au cours des chapitres précédents, et nous venons de le rappeler, que l'huile des infirmes était bénite pour servir à la guérison de toute sorte de 'maladies' et que les pasteurs, tels Césaire et Eloi, en recommandaient eux-mêmes l'emploi aux mêmes fins. Ainsi sommes-nous avertis qu'il ne faut pas nous attendre à trouver, durant cette première période, de nombreux cas d'onctions conférées 'in extremis' dans le but exprès et singulier de préparer le malade à la mort.

"Certes on rencontre avant le IXe siècle des cas d'onctions pratiqueés sur un homme à la veille de mourir. Nous avons signalé dans notre chapitre III ceux que nous avons relevés au cours de nos recherches. Mais dans ces cas-là eux-mêmes, fonction pratiquée nous a paru être un rite dont on attend, comme effet immédiat, la guérison du moribond. Aussi bien l'onction n'est-clle faite si tardivement qu'en raison de circonstances fortuites, mais non point, autant qu'on peut voir, parce qu'on la considérait comme spécialement destinée à préparer le malade à quitter ce monde.

"De fait, si on avait dès lors et de façon courante reconnu à l'onction semblable destination, elle devrait, quand sont décrits les derniers moments d'un chrétien, figurer au moins quelquefois à côté du viatique. Il serait surprenant en effet que. parmi les nombreuses 'vies' de saints que nous possédons, aucune ne fît allusion à une telle onction. Beaucoup d'entre elles, il est vrai, ne font aucune allusion du

"*Op. cit.* (supra in p. 613) 163 in nota, *202* in nota

tout à la réception par leur héros des derniers sacrements. Mais lorsque l'hagiographe s'avise d'en parler, il ne signale jamais à notre connaissance que la seule réception du viatique sous les deux espèces. Il faut attendre le IXe siècle pour trouver l'onction mentionnée à côté du viatique. Sans doute les textes ne manquent pas, qui à partir de cette dernière date se contentent encore de ne parler que du viatique. Du moins, quand on compare les témoignages antérieurs au IX" siècle et ceux qui lui sont postérieurs, constate-t-on qu'ils forment comme deux blocs opposés: dans le premier, l'onction 'in extremis' — au sens que nous avons dit — n'est jamais mentionnée, tandis que dans le second elle l'est très fréquemment.

"Autre fait significatif. Il est des vies de saints qui ont été rédigées à partir du IXe siècle, mais dont le héros a vécu antérieurement à ce siècle. Or de ce saint, ces biographies racontent volontiers, ce que ne font pas les biographies antérieures, qu'il aurait reçu a ses derniers moments l'onction en même temps que le viatique. Anachronisme bien sûr! Mais pareil état de chose quant à la mention de l'onction 'in extremis' dans les vies de saints qui ont vécu avant le IX" siècle, suivant que ces vies ont été écrites avant ou après ce même IXe siècle, cet état de chose, disons-nous, prouve que nous n'étions pas le jouet d'une illusion, lorsque nous constations plus haut que jamais avant ce siècle il n'était question de l'onction des infirmes, dans les textes qui nous restent, comme d'un rite conféré 'in extremis' en vue de préparer spécialement le malade à quitter ce monde. Il est possible que des cas de ce genre aient existé. Jusqu'ici on n'a pas pu citer un texte décisif en ce sens, et nous mêmes, malgré nos recherches, nous n'avons pas pu en découvrir un seul qui soit dans cette condition."[92]

Quoad Bedam ait: "L'onction des infirmes n'apparaît donc pas chez Bède comme une préparation à la mort. Elle reste, pour lui, comme ses commentaires de Marc et de Jacques nous l'avaient révélé, un rite de guérison. . . L'onction des infirmes, que pratique l'Eglise, est un legs de l'âge apostolique. La reçoivent les malades, au nombre desquels sont compris les possédés."[93]

Quoad Caesarium Arei, scribit: "Destinés, en l'occurence à supplanter un rite païen de guérison, les rites chrétiens de l'onction et de la communion sont nettement ordonnés chez Césaire à la guérison corporelle. Ils s'adressent à des malades et se présentent avant tout comme des remèdes. Il est très net aussi que ce ne sont pas là des remèdes auxquels on a recours en des circonstances absolument exceptionnelles, comme le serait, par exemple, le danger de mort imminent. Etant opposés à la médecine magique en général, ils doivent avoir la même extension qu'elle. L'application de ces rites à toute maladie, légère ou grave, est d'ailleurs impliquée par ce fait que le malade est supposé aller lui-même à l'église, et l'expression 'aliqua infirmitas' enlève tout doute à ce sujet. Qu'on n'imagine pas que la communion, qui accompagne l'onction, soit la communion en viatique, et donc que l'onction elle-même serait faite 'in extremis'. Comme nous le montrerons plus loin, Césaire recommande au malade de communier, afin d'avoir avec lui 'l'auteur de la santé'. La communion, dont il s'agit ici, est donc nettement orientée dans le sens de la guérison corporelle du malade et ne doit pas être assimilée à la communion en viatique.

"A cet homme, à ce chrétien, atteint d'une maladie quelconque. Césaire demande dc recevoir le corps et le sang du Christ ; il lui demande aussi de se procurer de l'huile bénite par les prêtres et dc s'oindre lui-même de cette huile ou de recevoir cette onction de ses parents. Dans ce but, le malade doit se rendre à l'église. L'expression 'currere ad ecclesiam' n'est pas une simple métaphore pour dire l'empressement du malade à recourir aux remèdes chrétiens, car Césaire l'emploie toujours dans son sens obvie. Cette présence du malade dans l'église implique

" *Ibid.* 193-196.
"*Ibid* 133 sq.

d'abord, semblc-t-il, que c'est là qu'il reçoit l'Eucharistie et qu'il se procure l'huile bénite par les prêtres."[04]

RESPONDETUR. Etiam si verum esset quod obicitur de testimoniis ecclesiae latinae usque ad saec. 8 inclusive, robur nostri argumenti subsistit, attentis copulatis testimoniis utriusque ecclesiae in qualibet periodo et testimoniis ipsius ecclesiae latinae in periodo subséquente saeculum 8, una cum ipsa lege doctrinalis et practicae continuitatis, quae non solum a theologo, sed etiam ab ipso historico, et maxime catholico, in suis iudiciis et conclusionibus consideranda est. Parum enim critice affirmaretur usque ad saec. 8 nullum haberi testimonium de persuasione necessitatis periculosae infirmitatis ad administrationem sacramenti et dein iam inde ab initio saec. 9 ea testimonia multiplicari, eo vel magis quod nullum signum habeatur tam profundae mutationis et e converso testimonia saec. 9 communiter sese referant ad antiquiora documenta, nominatim ad Innocentium I et Bedam, quos plura fere ad verbum repetunt et excribunt.

Ceterum, attente consideranti praecedentia testimonia, et quidem ea tantum quae certius referuntur ad hoc sacramentum (ipse Chavasse inter testimonia ecclesiasticorum scriptorum saltem retinet textus Innocentii I, Caesarii Arei., Cassiodori, Eligii Noviomensis et Bedae, ceteris sine discussione prorsus derelictis[05]), solide fundatum apparebit hoc Traditionis argumentum, pluraque occurrent signa praedictae traditionalis continuitatis, qua communis doctrina et praxis saec. 9 et sequentium aetatum colligatur per priora saecula cum ipso textu Apostoli loquentis de infirmis graviter decumbentibus.

Canones Hippolyti (cit. in art. 1, *toni. 1,* p. 110) ad graviter infirmos se referunt, cum loquuntur de diacono qui debet episcopo "indicare singulos infirmos" ad ipso visitandos, et de infirmo qui "reconvalescit a morbo quando episcopus ad eum venit," eo fere modo quo "umbra Petri sanavit infirmum." Nec refert quod etiam dicatur aegrotos debere frequentare ecclesiam ut curativam unctionem percipiant "excepto eo qui morbo periculoso laborat," nam, etiam si in his verbis agatur de more ungendi aegrotos in ecclesia, ipsa delatio aegrotorum in ecclesiam non necessario ostendit levitatem infirmitatis, ut dictum est supra, sed tantum absentiam extremi articuli mortis quo afficiebantur ceteri "morbo periculoso laborantes" qui domi ungebantur. Nec ceteroquin iam licet disiungere Canones Hippolyti a latina traditione; nam. quidquid sit de illorum praecisa origine et aetate, convenit inter criticos eos esse antiquissimae aetatis atque

110-112.
"Cf. *ibid.* 87-89.

ab opere Hyppolyti immediate vel mediate derivari, ita ut sint verum testimonium ipsius ecclesiae latinae.

Liber Ordinum, antiquae liturgiae mozarabicae in 'Ordine ad visitandum et unguendum infirmum" loquitur de infirmo *"quem languor curvat ad exitum et virium dejectio jam pertrahit ad occasum" (ibid.,* p. 136). Férotin, editor illius operis, putat hunc "Ordinem" esse anteriorem invasionibus barbarorum. C. Ruch scribit: "Le théologien catholique ne pourrait en vérité, désirer un témoignage plus complet et plus fort |de la doctrine de l'Extrême-Onction]. . . Ce texte vaut, à lui seul, un petit traité de l'extrême onction et s'il est antérieur aux invasions barbares, comme le pense l'éditeur, on sent l'importance d'un témoin de la foi des chefs et des fidèles espagnols de cette époque."ün Chavasse ⁂quidem' 7 docet omnes Ordines respicientes unctionem, seu ipsam olei applicationem, esse posterioris aetatis, et in hac prima periodo, seu usque ad saec. 8, non inveniri nisi formulas benedictionis olei: sed generalis huius assertionis nullam probationem affert, atque licet cum Férotin hunc ritum *Libri Ordinis* adscribere antiquiori aetati, donec contrarium probetur.

Liturgiae Ambrosianac triplex benedictio olei (ζὐά/.,ρ. 166sq.),quae ab ipso ℭhavasse'" dicitur anterior saec. 9, has expressiones continet, in quibus nonnisi voluntarie quis leves quoque infirmitates leget: *"Conjracta solidet* et *languentia foveat — Invalescentes estus febrium* et causam universi doloris avertat — Debilitatem expellat et *plenam conferat sospitatom";* ubi generalia verba "Causa universi doloris" et "Debilitatem expellat" ex ipso contextu ceterarum expressionum trahuntur ad sensum gravis doloris et debilitatis.

Innocentius I (ibid., p. 116) in sua citatione textus lacobi substituit verba "salvabit *laborantem"* pro "salvabit infirmum" et subinde loquitur de "fidelibus aegrotantibus" et de *"languidis"* quos omnes episcopus vel presbyteri *adire debent;* laborantem salvandum et languidum necessario adeundum, difficile quis referet ad leviter tantum infirmos. Xec ex eo quod in ultimis verbis eiusdem textus S. Pontifex dicat Extremam Unctionem esse denegandam publice poenitentibus sicut cetera sacramenta, cum tamen ipse in duplici epistola ad Decentium et Exuperium concedat moribundis Poenitentiam et Viaticum, sequitur ipsum hic non agere de graviter infirmis in periculo mortis sed generaliter de infirmis adhuc poenitentibus; nam, ut dictum est supra *(ibid.,* p. 116), ea verba ita possunt intelligi

M "Extrême-Onction (du ΓΙ au IX' siècle)," *Dictionnaire dc Théologie Catholique* 5. 2 11913) 1064 sq.

" *Op. cit.*

M *Ibid. 52.*

ut moribundis publice poenitentibus Extrema Unctio non sit danda nisi prius Ecclesiae reconcilientur per cetera sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae; quam interpretationem explicite protulit ipsum Cone. Ticinense a. 850.

Caesarii Arelatensis interpretatio, a Chavasse prolata, nec necessaria est nec satis solida videtur. Et imprimis, quamvis Caesarius ex abusibus infirmorum recurrentium ad ariolos sumat occasionem suadendi recursum ad ecclesiastica remedia Unctionis et Eucharistiae, non necessario sequitur ipsum non loqui de Unctione periculose decumbentium et susceptione Viatici; potuit enim ex logica quadam connexione idearum ex illis abusibus transire ad sermonem de his duobus extremis Ecclesiae remediis, eo vel magis quod connaturaliter supponendum est christianos illos non in qualibet infirmitate ad ariolos recurrisse sed in illis praecipue gravioribus casibus in quibus non putarent sibi aliud remedium superesse. *Praeterea,* constans illa consociatio Unctionis et Eucharistiae, suadet ipsum loqui de Unctione periculose decumbentis cui simul confertur eucharisticum Viaticum, nec alia conveniens ratio talis consociationis assignari potest; Chavasse quidem eam assignat rationem quod utrique ritui Unctionis et Communionis tribueretur effectus sanitatis corporalis, sed haec particularis et directa destinatio Eucharistiae ad conferendam sanitatem corporalem aliena videtur a mente ceterorum scriptorum, qui tantum loquuntur, post ipsum S. Paulum, de effectu corporalis infirmitatis consequente, tanquam poena, ex peccato sacrilegae communionis. *Praeterea,* expressio "ad ecclesiam currere" non necessario accipienda est in sensu physici ac personalis accessus, ut dictum est supra (p. 634). *Item,* generalis expressio "Quoties aliqua infirmitas supervenerit" non necessario sumenda est absolute de quolibet genere et gradu malorum corporis, sed intelligi potest dc qualibet infirmitate intra genus et gradum morbi periculosi: etiam Beda loquitur de "quibuslibet aegrotis," etsi simul loquatur de eo "qui majorem sustinuit plagam"; ipse ceteroquin lacobus generaliter dicit: "Infirmatur quis in vobis?" (i.e. quoties aliqua infirmitas supervenerit), sed quis inde concludet cum Chavasse: "L'expression 'aliqua infirmitas' enlève tout doute à ce sujet"?

Confirmatur ex sensu aliorum scriptorum qui contra similes abusus sive in Oriente sive in Occidente invehuntur. Ante Caesarium. *Cyrillus Alex,* infirmis quibus aliqua pars corporis dolet, abiecto recursu ad magicas artes, proponit praecipuum remedium orationis et invocationis divinae, ac deinde, vcluti ad abundantiam et ex logica connexione idearum appellante mentionem illius sacramentalis orationis quae solis graviter decumbentibus applicatur, addit: "Commemorabo etiam

divinitus inspiratam Scripturam quae ait: 'Infirmatur quis in vobis . . .' " *(toni. 1,* p. 125). *Isaac Antiochenus,* reprehendens similem aliquem abusum advocantium indebitum ministrum, seu monachum non sacerdotem, ad unctionem faciendam, ait: "Sacerdotem visitatorem non probatum habent stultae [mulieres] ideoque signationem eius contemnunt; sed talem quaerunt, qualem supra descripsimus, qui etiam extemplo advenit, ut ipsas signet. . . Servi Christi et orthodoxi afferre solent aegrotos et infirmos ad sanctum altare . . ." *(ibid.,* p. 126); ubi, visitatio ministri et adductio infirmi ad ecclesiam indicant gravem infirmitatem. *loannes Mandakuni,* reprobans eundem abusum recurrentium ad magicas artes eique opponens remedium contentum in textu lacobi, loquitur de doloribus seu infirmitatibus quae "sola arte medica urendo et secando et adhibendo medicamina" sanari possunt *(ibid.,* p. 127). *Procopius Gazaeus* fere repetit commendationem Cyrilli Alex. In Occidente *Eligius Novioniensis,* Caesarii pedisequus, verba ipsius fere repetit *(ibid.,* p. 128); *Agobardus Lugdunensis,* assumens alia verba ipsius Caesarii de avertendis magicis artibus et accurrendo potius ad ecclesiam, ait hoc exigi a praecepto Apostoli, qui tamen loquitur non de accersendis sed de advocandis presbyteris; *lonas Aurelianensis,* agens contra eundem abusum, statum gravis infirmitatis significat cum ait: "Plerique . . . dum infirmantur . . . non sibi presbyteros Ecclesiae induci ... sed magis divinos et divinatrices, imo in illis diabolum consulere expetunt, sibique divinari quo casu morbum infirmitatis incurrerint, et utrum eandem infirmitatem evadere possint, necne" *(ibid.,* p. 151).

Cassiodorus (ibid., p. 131) loquitur de eo qui "alterius praegravatur injuria [i.e. injuria reali et physica, seu percussione vel vulnere] vel corporis imbecillitate quassatur"; praegravari autem et quassari, rei saltem gravitatem satis clare designat.

Eligius Noviomensis (ibid., p. 132) interpretandus est ut Caesarius, cuius verba fere repetit.

Bcda gravem saltem infirmitatem significat cum loquitur non solum de "infirmante" eiusque "imbecillitate" sed etiam de eius "majori plaga" ("infirmanti autem vel corpore vel fide mandat [Jacobus] ut qui majorem sustinuit plagam, plurimorum se adjutorio, et hoc seniorum curare meminerit"; *ibid.,* p. 142). Unicum exemplum administratae Extremae Unctionis, quod a Beda affertur in sua *Vita S. Cuthbcrti,* respicit mulierem in periculo mortis constitutam, seu "gravissimo languore depressam . . . , funditus a medicis desperatam" *(ibid.,* p. 134). Affert quoque aliud exemplum cuiusdam monialis, quam sacerdos ab ulcere pessimo sanavit per applicationem salis bene-

dicti, oleo infirmorum commixti,"[9] sed eo non indigemus, cum improbabiliter dici possit huius sacramenti administratio potiusquam usus privatae unctionis. Quod autem verba "Quilibet aegroti" ex eius *Commentario in Marcum* non obstent, dictum est supra (p. 617).

Probatur 3. *EX RATIONE.*

Hic etiam suum valorem, etsi minus perspicue, habent eaedem fere rationes allatae pro praecedenti Conclusione (p. 618 sq.) necnon pro praecedenti articulo (p. 573-578), ad probandam necessitatem ipsius ac proprie dictae infirmitatis. Scilicet:

1. *Ex generali fine sacramentorum.* Omnia sacramenta sunt a Christo instituta ad subveniendum homini in particularibus quibusdam circumstantiis et necessitatibus, iuxta quas singula sacramenta dividuntur ac distinguuntur. Levis autem infirmitas non constituit hominem in particulari aliqua circumstantia et necessitate. Unde nulla apparet ratio quare Christus voluerit per particulare aliquod et tam fructuosum sacramentum subvenire homini in qualibet infirmitate, utut levi, constituto. Resque confirmatur ex ipso solemni ritu quo Ecclesia, mentem Christi de intima indole ac dignitate huius sacramenti, fideliter interpretans, illius ministrationem iugiter circumdedit; quis enim sibi finget Ecclesiam ad leviter infirmos tam solemniter accedentem?

2. Ex peculiari, utut secundario, effectu *alleviationis et conjortationis.* Hac enim proprie ac peculiariter non indigent nisi qui ex infirmitate graviter deprimuntur et affliguntur.

3. Ex ipsa specifica indole et effectu huius sacramenti, prout est *spiritualis curatio,* quae oportet significari per corporalem ipsam curationem, modo explicato in art. praec. (p. 575-578). Curatio enim levis infirmitatis non videtur sufficiens ad salvandam praedictam sacramentalem significationem, cum vix curatio dici possit, sicut ipsa levis infirmitas vix proprie infirmitas vocatur, eo quod parum pro nihilo reputetur. In ipsa humana conversatione non solent medici ad curandas leves infirmitates advocari, aut si invitentur, eorum opus cura potius quam curatio vocitatur.

Conclusio 3. Ad valorem sacramenti requiritur aliquod verum, seu actuale et obicctivum, mortis periculum.

Probatur 1" pars: *REQUIRITUR VERUM MORTIS PERICULUM.*

Praecipuum argumentum, quod ex sola *Traditione* tum theoretica

[9] *In Lucae evangeliuin expositio,* l. 3, c. 8, *ML* 92. 437 sq.

tum practica deduci potest, dedimus in ipsa Conclusione praecedenti, ut notatum est supra (p. 621, in nota). Manet ut aliquid eruamus ex Scriptura et ratione.

In verbis Iacobi, etiam attento ipso contextu, periculum mortis non tam distincte indicatur quam ipse status generaliter gravis infirmitatis; suadetur tamen ex iisdem expressionibus "Inducere presbyteros," 'Orare super infirmum" ac si sit prorsus languens ac prostratus, et praecipue "Salvabit infirmum," quae expressio, prout referatur ad salutem corporalem, periculum sonat.

Ratio theologica, ex ipsis fontibus revelationis deducta, idipsum suadet.

Primo enim hoc sacramentum, ut ait Cone. Trid. *(Denz.* 907), est "totius christianae vitae *consummativinn,*" adeoque convenit ut nonnisi cum humana vita periclitatur, ipsum conferatur.

Secundo, ut ait S. Thomas, "hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, [utpote quod] immediate quasi *disponit ad gloriam" (Suppi.,* q. 32, a. 2), quem quidem conceptum esse vere traditionalem patet ex dictis tum in Conci, praec. tum in art. 11 et 17. Unde nonnisi infirmis de vita periclitantibus, et ad gloriam veluti properantibus, adhiberi convenit.

Tertio, proprius etsi non principalis effectus huius sacramenti est peculiaris *alleviatio* et *confortatio.* Hac autem homo indiget in eo momento quo vires humanae naturae physice resolvuntur, moraliter deprimuntur, spiritualiter periclitantur, ad limen terrestris vitae et ostium aeternitatis, dum in aliis vitae circumstantiis, utut gravis afflictionis vel infirmitatis, sufficienter per cetera sacramenta homini subvenitur. Ergo hoc sacramentum solis de vita periclitantibus convenit.

Quarto, proprius et specificus effectus huius sacramenti, ut alibi probavimus, est *abstersio reliquiarum peccati* qua completur perfecta animi sanatio, incoepta in Baptismo et Poenitentia. Nulla autem apparet ratio quare tam perfecta curatio, quam nec ipsa excellenter sanativa sacramenta Baptismi et Poenitentiae conferre valent quamque Deus exigit complenda ab ipso homine per suum opus operantis, daretur nisi homini in eo periculo constituto in quo iam "venit nox. quando nemo potest operari" *(Io.* 9. 4).

Quinto, specifica *sacramentalis significatio* spiritualis curationis, quae debet fieri per ipsam corporalem curationem, suam perfectionem non obtinet nisi per curationem mortalis infirmitatis, nec ideo perfecte verificatur nisi in homine de vita periclitante. Deus autem omnia imperfecta adducit ad perfectum nec diminute aut minus convenienter res disponit, praecipue in supernaturali ordine. Ergo hoc sacramentum

spiritualis curationis nonnisi pro infirmis de vita periclitantibus convenienter instituit.

Peculiaris autem ratio, a *Scoto ct Scotistis* addita, quia nempe specificus effectus huius sacramenti est ultima et perfecta remissio omnium peccatorum, quae solis illis convenit qui, ut moribundi, non possunt amplius peccare, seponenda est, non solum quia non recte assignat specificum sacramenti effectum, sed etiam quia logice ducit ad consectarium de necessitate ipsius extremi periculi mortis (cf. supra, p. 618).

Probatur 2“ pars: *REQUIRITUR ACTUALE ET OBIECTIVUM PERICULUM MORTIS, nec sufficit virtuale aut subiectivum seu putativum* (contra duas modernorum opiniones relatas in p. 588-593).

1. *ACTUALE PERICULUM* significant connaturaliter ipsa Ecclesiae documenta (cit. in art. praec., p. 552-562). cum loquuntur de necessitate seu existentia periculi; virtuale enim periculum, quod nempe sit tantum virtute in ipsa causa, erit quidem in futuro, sed revera nondum est, nec simpliciter dicitur adesse.

Clemens VI loquitur de infirmo “in mortali periculo constituto”: nequit autem aliquis dici constitutus in periculo quod nondum sit. *Cone. Flor,* loquitur de infirmo “de cujus morte timetur’’; verus autem timor non gignitur nisi iam adsit causa nociva ex qua effectus de quo timetur praevidetur futurus. *Cone. Trid.* ait quod “si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile discrimen inciderint”; nemo autem dicitur in discrimen seu periculum incidere quod nondum est. *Catechismus Cone. Trid.* ait sacramentum iis tantum conferendum esse “qui . . . periculose aegrotare videntur’’; nequit autem dici periculum videri quod nondum existit. *Codex I. C.* loquitur de infirmo “qui in periculo mortis versatur” (non dicit: versabitur) additque sacramentum iterari posse si “in aliud vitae discrimen inciderit” (non dicit: fore ut incidat), et praeterea Codex in can. 523 explicite distinguit inter gravem infirmitatem et periculum mortis (cf. in p. 561): iamvero in omni gravi infirmitate dici potest virtualiter adesse periculum mortis, quatenus potest ita increscere ut periculum gignat.

Ceterum, vix intelligitur ea distinctio, quae latet in verbis Suaresii et aliorum, inter periculum virtuale et periculum actuale, vel inter periculum qui erit et periculum qui adest, vel inter gravem infirmitatem quae natura sua inducet periculum mortis et infirmitatem iam actualiter periculosam. Nam vel totum hoc negotium indicatur ex gradu infirmitatis vel ex istius natura. Si prius, “quaelibet infirmitas |utut levis]

augmentata potest mortem inducere" *(Suppi.,* q. 32, a. 2, ad 1), et hoc sensu quaelibet infirmitas, etiam levis, continet virtualiter et in semine periculum mortis, quod tamen non sufficit ad valorem sacramenti, sed requiritur ut infirmitas talem gradum actualiter attingat ut sit non tantum levis, nec etiam quomodolibet gravis, sed periculosa. Si secundum, seu si agitur de aliqua infirmitate quae, ut phthisis vel ulcus, veluti natura sua ad acutiores phases tendit nec nisi violentioribus mediis intra remissos limites cohiberi potest, iterum nequit ob eam solam tendentiam dici continere periculum mortis, sufficiens ad suscipiendum sacramentum, secus ad hoc sufficeret quilibet remissus gradus vel initium praedictae infirmitatis, sed requiritur ut succrescat in aliquem intensiorem gradum, in quo iam difficile sit fatalem eius cursum cohibere et in quo proinde iam actualiter habetur mortis periculum. Unde, nisi velimus indebite supprimere discrimen inter gravem infirmitatem et periculum mortis, aut confundere periculosam infirmitatem cum periculo mortis, oportet simpliciter affirmare necessitatem actualis periculi mortis, seu talis status infirmi in quo morbus ad illum terminum aut gradum actualiter processerit, ut, consideratis tum natura morbi tum eius gradu in relatione ad tale subiectum, probabile iam sit hominem ex hoc praesenti morbo moriturum.

2. *OBIECTIVUM PERICULUM requiri, nec sufficere putativum, sequitur:*

Primo, ex ipsa rei natura. Nam in institutione et efficientia sacramentorum, quae sunt causae supernaturales, Deus sequitur modum et indolem ipsarum causarum naturalium. Nulla autem causa influit unquam nisi revera et obiective adsint omnia requisita ad eius causalitatem, nec ullius causalitatis requisitum pendet quoad suum valorem ex humana aestimatione, aut ullius requisiti defectus sanatur et suppletur a Deo ratione humanae aestimationis vel bonae fidei. Unde si semel Deus Extremam Unctionem ita instituerit ut eius valor sit pendulus a statu periculi mortis in subiecto, hic status in se et obiective necessario requiritur.

Secundo, ex paritate cum aliis requisitis ad valorem huius sacramenti quae sunt natura humana, status viatoris, reliquiae peccati, infirmitas proprie dicta, infirmitas gravis, intentio subiecti, validus Baptismus. Omnia et singula haec requisita exiguntur in re et obiective, nec humana aestimatio valet ullius defectum supplere, ita v.g. quod sacramentum sit validum etiam in casu quo prudenter aestimetur subiectum habere reliquias peccati, aut esse graviter infirmum, aut esse infirmum, quod tamen reapse non habeat reliquias peccati, aut

sit leviter tantum infirmum, aut imo sit sanum. Ergo a pari periculum mortis exigitur in re et obiective.

Tertio, ex paritate cum aliis sacramentis. In nullo alio sacramento valor dependet a putativo aliquo requisito ita ut ipsa aestimatio vel bona fides de existentia requisiti suppleat eius defectum; ita invalida est ipsa absolutio si habeatur mera putativa attritio, seu si desit minimus gradus in linea verae attritionis, quantumvis existimetur adesse. Imo, stante ipso valore sacramenti, ipsa eius fructuosa efficacitas, quantum ad effectum gratiae, nulla est, ubi reapse desit requisita dispositio quae existimatur adesse, ut patet in eo qui valide baptizatur absque sufficienti attritione quam in bona fide vel ignorantia sufficientem reputat. Quod si bona fides, seu existimatus status gratiae vel existimata perfecta contritio, in sacramentis vivorum effectum gratiae non impedit, id provenit ex eo quod, ratione bonae fidei, ponitur a parte rei et obiective requisita dispositio seu absentia obicis, ac proinde numquam verificatur quod rei existimatio sanet in sacramentis defectum ipsius rei, ad eorum influxum requisitae.

Nec valet cum adversariis invocare exceptionem in favorem huius sacramenti, eo quod nempe, cum de existentia periculi mortis difficile iudicetur, si ipsum obiective et in se requireretur, saepius sacramentum exponeretur nullitati, minister anxietatibus et ipse infirmus privationi tanti auxilii in momento quo maxime indiget et quo maiorem fructum ex eo capere potest, quae quidem non videntur convenire institutioni Christi, humanis modis et conditionibus iugiter accommodatae.

Nam haec ratio, quae plures gravesque doctores plus aequo commovit atque in contrariam sententiam inclinavit, non videtur imprimis sufficiens ad evertendum ac veluti reformandum connaturalem ordinem et indolem sacramentalium causarum, ita ut possit veluti extorquere a Deo privilegiatam quandam et exceptionalem conditionem in favorem huius sacramenti. Praeterea, similes casus angustiae accidunt ob unam vel aliam rationem etiam in administratione ceterorum sacramentorum, signanter ipsius Baptismi et ipsius Poenitentiae, non obstante absoluta horum necessitate; ita in multis casibus non minus difficile est iudicare de sufficienti attritione in poenitente quam de sufficienti periculo in infirmo, praecipue si cum pluribus ex ipsis adversariis dicatur ad valorem Extremae Unctionis sufficere periculum remotum. Nec etiam si dicatur in hoc sacramento praedictos casus angustiae frequentius quam in ceteris verificari, inde sequeretur sufficientia periculi putativi, tum quia magis et minus non mutat speciem, tum quia ceteroquin in hoc, sicut in aliis sacramentis, illis casibus dubiis obviari potest per

condilionatam ministrationem, quam licitam esse ostendit ipsa praxis Ecclesiae, fundata in interpretatione mentis Christi qui institutionem sacramentorum humanis conditionibus attemperavit.

Quarto, ex inconvenientibus contrariae sententiae. Si enim putativum periculum sufficeret, validitas sacramenti penderet ab aliquo elemento subiectivo, instabili ac multiplici, qualis est humana aestimatio. Ex quo ulterius sequeretur quod si ego minister nunc iudico adesse sufficiens periculum et illico applico sacramentum, hoc validum est, si vero aliquamdiu expectem ac, re maturius pensata, muto meum iudicium ac puto non adesse sufficiens periculum, iam non amplius possem eidem prorsus infirmo sacramentum valide ministrare; item, si ex duobus ministris, unus iudicet adesse sufficiens periculum, alius vero contrarium putet, prior valide, alter invalide sacramentum administret. Nec difficultas eluditur dicendo quod requiritur in omni casu ut obiective adsint tales conditiones quae possint fundare iudicium prudentiale, etsi fortasse erratum; nam. stantibus iisdem obiectivis conditionibus et iudicii elementis, duo ministri possunt adhuc et diversimode et prudentialiter iudicare.

Ineptitudo contrariae sententiae apparet quoque ex variis limitationibus et distinctionibus quibus eius patroni illam subicere et contorquere coguntur. Ita *Regatillo* scribit: "Nequit valide administrari. Si quis graviter infirmum se simulaverit, aut omnino imprudenter talis existimatus fuerit; aut forte prudenter, sed reapse morbus nullus erat, v.gr. ebrius lethargo correptus.'" Item *Cappello:* "Quidnam, si Titio, qui graviter infirmum se esse simulaverit aut qui imprudenter talis fuerit existimatus, extrema unctio collatasit? Resp. In priori hypothesi. sacramenti susceptio fuit procul dubio illicita et invalida. In altera hypothesi, ita distinguendum: si omnino imprudenter, i.e. absque ullo fundamento Titius fuerit existimatus gravi morbo oppressus, dum revera aut nullus aut plane levis erat morbus, sacramentum fuit invalide collatum; si minus prudenter, seu cum aliquo dubio sive fundamento levi, administratum fuerit sacramentum, speculative collatio dicenda est illicita et invalida."[2]

Quinto, ex ipsis documentis Ecclesiae (supra cit. p. 552-562) nihil eruitur quod adversariis faveat, imo illorum connaturalis sensus verum et obiectivum periculum significat. *Codex 1. C.* absolute statuit "Extremam unctionem non posse praeberi nisi fideli, qui ... in periculo mortis versetur"; idem *Codex* cum *Cone. Trid.* docet "in eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non posse, nisi infirmus ... in

[1] *Loc. cit.* (supra, in p. 591).
[2] *Op. cit.* (supra, in p. 582) 166.

aliud vitae discrimen inciderit"; *Benedictus XV* dicit ungendos esse eos "qui in discrimine ultimo versantur."

Nec his contradicere possunt aut quodmodolibet adversariis favere *aliae ab cis obicctae expressiones,* scilicet de infirmo, cuius mors timetur aut qui in periculo vitae constitutus videtur, vel de periculo quod imminere videtur, vel de sufficientia prudentis iudicii de periculo ad licitam et validam ministrationem sacramenti (cf. supra, p. 592). Nam haec omnia dicuntur et vera sunt quantum est ex parte ministri, ac indicant quando et quomodo minister procedere debeat ad conferendum sacramentum. Simul enim ac minister prudenter ac probabiliter iudicat de existentia periculi mortis, inhaesitanter procedere potest ad licitum et validum sacramentum ministrandum, quantum est ex parte sui (non enim potest incertitudinaliter procedere, quasi dicendo: Ego licite administro, an vero valide, non refert; sed debet intendere validum ac certum sacramentum conferre), quamvis, ob defectum conditionis in subiecto, accidere possit ut sacramentum invalide administretur. Simili modo, quantum est ex parte ministri, recte dici potest sacerdotem, semel ac sibi efformaverit moralem quandam certitudinem de dispositione poenitentis, licite et valide absolvere, etsi fortasse, ob erratum judicium et obiectivam absentiam dispositionis, invalidam absolutionem impertiat.

Inde est quod *Cone. Trid.,* considerans sacramentum simpliciter et ex parte subiecti, absolute significat illud non esse conferendum nisi his qui "in discrimen inciderint" et nihilominus, simul illud considerans ex parte ministri, dicit conferri debere "illis qui in exitu vitae constituti videntur" (supra, p. 555), et pariter *Benedictus* AT, attenta utraque consideratione, simul loquitur de his "qui in discrimine ultimo versantur" et de his de quibus habetur "prudens ... de periculo mortis judicium." Similes expressiones occurrunt etiam apud theologos; ita *S. Thomas* ait: "Illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur" *[Suppi.,* q. 32, a. 2).

Ceterum, plures ex theologis antiquioribus, quos supra pro contraria sententia adduximus (p. 591 sq.), satis ambigue loquuntur, ac possunt in alio sensu intelligi. Ita de praeciso sensu sententiae *Suaresii* non satis constat (cf. supra, p. 588, 592). Ipse S. *Alphonsus,* qui explicite quaestionem ponit de periculo putativo, satis ambigue procedit; nam prius quaestionem directe ponit de sola liceitate ("An hoc sacramentum licite conferri possit aegroto in solo putato periculo vitae"), subinde vero, dum eam resolvit, divertit ad liceitatem simul et validitatem ("Ad administrandum hoc sacramentum valide et licite.

sufficit quod infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter putetur esse in periculo proximae mortis"); non improbabiliter S. Doctor intelligi potest in sensu quem praefatis documentis Ecclesiae assignavimus, quatenus scilicet, quantum est ex parte ministri, putativum periculum sufficit ad licite et valide sacramentum ministrandum. Et haec est fortasse ratio quare *Aertnys-Damen,* fideles S. Alphonsi discipuli, praesentem quaestionem pro disputata praetermittunt nec utrae sententiae adhaerent, scribentes: "Ad licitam administrationem sufficere quod de periculo mortis habeatur vera probabilitas seu prudens timor, communis habet DD. sententia et confirmatur can. 941. Disputatur autem utrum administratio fuerit valida, si periculum mortis mere putativum fuerit, ita ut objective nullum periculum mortis habeatur."[3]

Conclusio 4. Ad valorem sacramenti non requiritur tempus ipsum agoniae, nec etiam imminens mortis periculum, seu, ut aiunt, articulus mortis; imo probabilius nec requiritur periculum proximum, sed sufficit periculum remotum, seu talis status vel gradus infirmitatis in quo iam vere probabile est hominem, abstrahendo ab aliis causis vel accidentibus, ex hoc praesenti morbo moriturum esse.

Probatur 1a pars: *NON REQUIRITUR TEMPUS IPSUM AGONIAE,* in quo infirmus veluti mori incipit.*

Hoc ostendunt, et a fortiori, quotquot dicentur in sequenti parte de non necessitate articuli mortis. Directe tamen et exclusive ad hoc faciunt sequentia verba, ex supra relatis (p. 556-562) documentis Cone. Tridentino posterioribus excerpta, quibus contraria praxis vehementer reprobatur:

Catechismus Cone. Trid.: "Gravissime peccat, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus [infirmus] carere incipiat." *Rituale Romanum:* "Extremae Unctionis Sacramentum . . . omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo." *Codex I. C.,* can. 944: 'Omni studio et diligentia curandum, ut infirmi, dum sui

* *Theologia moralis* (ed. 14, Taurini 1944) II 406.

' Quaestio an infirmus sensus amiserit vel amittere incipiat, sive hic sive in sequenti parte, potius impertinens est; nam sensuum amissio potest contingere etiam in eo qui est tantum in proximo periculo mortis, quin sit in articulo mortis aut in agonia, etsi in his statibus facilius et frequentius contingat.

plene compotes sunt, illud [sacramentum] accipiant." *Benedictus XV:* "Qui in discrimine ultimo versantur, sacri viatici et extremae Unctionis susceptionem ne eo usque remorentur cum sensum amissuri jam sunt, sed, contra, quemadmodum Ecclesia docet et praecipit, iis roborentur Sacramentis vixdum, ingravescente morbo, prudens fiat de periculo mortis judicium." *Pius XI:* "In hoc autem potissimum, cum sodalium, tum praecipue zelatorum studiosam voluntatem desideramus advocatam, ut exitialem quoquo pacto profligent errorem, ex quo fit ut cum animae detrimento sancto oleo non ante liniantur infirmi quam, morte imminente, sensus paene vel omnino amiserunt."

Eandem reprobationem constanter iterarunt *particularia concilia* variarum ecclesiarum inde a saec. 16:

Cone. Mediolanense I a. 1564, sub S. Carolo Borromeo: "Extremae Unctionis Sacramentum curet parochus, ut aegroto, dum integris est sensibus adhibeatur."[5]

Cone. Rhemense a. 1583: "Parochus . . . caveat ne vel mors unctionem praeveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat" *(Hardum* 10. 1288).

Cone. Burdigalense a. 1583: "Non eo usque differendum est dum aeger omnibus paene sensibus destitutus sit" *(ibid.* 1347).

Cone. Bituricense a. 1584: "Administretur tempestive a sacerdote extrema Unctio olei sancti, ita ut Christianus mente adhuc integra sacramenti efficaciam agnoscere possit. Doceantur infirmi eam percepturi, quis sit eius fructus et non esse expectandum ad eam suscipiendam finem vitae" *(ibid.* 1489).

Cone. Tolosanum a. 1590: "Parochi . . . dabunt sedulo operam ne in id tempus sacram extremamque unctionem differant, quo novissima conflictati valetudine, auctiorique morbo, tam profuturi sacramenti commoda, quod frequenter nimium accidit, satis agnoscere non possint" *(ibid.* 1804).

Cono. Beneventanum a. 1693: "Non est sine animadversione praetereundum, a Parochorum quamplurimis, extremae Unctionis Sacramentum collaturis, ex culpabili negligentia illud differri, donec aegrotus, amissis sensibus, animam agere incipiat: quod (ut Catechismo Romano admonentur) gravissimo peccato eos involvit, cum constet, ad hujus Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare Parochos omnes Sancta Synodus monet, ut, quoties aegritudo ea est, ut apta sit indu-

[5] *Op. cit.* (supra, in p. 494) 55.

cere mortem, et de periculo timetur, cum aegrotus sensibus est integris et rationis usu viget, coelestem hanc medicinam, cum eius pietate et religione maxime profuturam, adhibeant."[6]

Cone. Aquense a. 1850: "Ecclesiarum rectores parochianos gravi morbo laborantes adhortationibus iteratis, si opus est, alliciant et inducant ad mature devoteque suscipiendum hoc ultimum misericordiae Christi sacramentum. . . Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa insani et impia opinione abducere, qua plerique de virtute huiusce sacramenti inepta sentiunt, perinde ac si mortem aegris acceleret."[7]

Cone. Westmonasteriense. a. 1852: "Hortetur igitur [sacerdos] fideles ut non ad extremum vitae punctum, cum iam sensus deficere coeperint, huius saluberrimi sacramenti receptionem remittant, sed ut potius, ingravescente morbo, statim ac fuerint in periculo constituti, vocent presbyteros Ecclesiae, qui eos oleo ungant, sicque pro extremo agone vires praebeant et tutamen. Ideoque aegroti familiares studiose moneat, ac frequenter fidelibus, dum bene valent, insinuet, quod, si medici acatholici ope utantur, insistant ac frequentibus interrogationibus urgeant, ut statim ac morbus periculi speciem inducat, ipsos admoneat, ne, superveniente repentino aliquo casu, anima huius sacramenti beneficio privetur."[8]

Quaedam autem *ambiguae, expressiones* aliquorum Conciliorum, tam ante quam post Cone. Trid., de sacramento conferendo infirmis in "extremo vitae articulo" *(Cone. Andcgavense* a. 1293) vel "prope moribundis" *(Cone. Aquense* a. 1585 et *Avenionense* a. 1594; cf. supra, p. 599 sq.), nequeunt in contrarium invocari, cum similes expressiones inveniantur etiam in Catechismo Cone. Trid. et in Rituali Romano, ac proinde possint ad summum accipi in sensu necessitatis solius articuli mortis, de quo mox dicetur.

Probatur 2" pars: *NON REQUIRITUR IMMINENS PERICULUM, SEU ARTICULUS MORTIS,* i.e. ille infirmitatis status in quo mors non tantum est moraliter certa sed etiam imminens, puta intra aliquot horas secutura.

Ex verbis laeobi nihil pro aut contra hanc partem deduci potest: ipsa advocatio presbyteri ("Inducat presbyteros") non excludit necessitatem articuli mortis, cum possit etiam in eo articulo fieri ab infirmo, nec etiam excludit necessitatem ipsius status inconscientiae,

[6] *Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacrnsis* I (Friburei Brisgoviae 1870) 30 sq.
[7] *Ibid.* IV (1873) 992 sq.
[8] *Ibid* III (1875) 935.

cum infirmus potuerit antea explicite vel per se ipsum presbyterum advocare, aut dici possit nunc implicite vel per alios illum expetere.

Documenta Ecclesiae (relata in p. 552-562) excludunt necessitatem periculi imminentis seu articuli mortis.

Et imprimis hic invocari potest ipsum primum documentum *Innocenta I,* si ei tribuatur primus ex duobus sensibus assignatis in art. 1 (tom. 1, p. 116), scilicet publice poenitentibus non esse dandam Extremam Unctionem nisi in articulo mortis; exinde enim sequitur aliis infirmis posse conferri etiam extra illum articulum.

Clemens VI loquitur tantum de "mortali periculo."

Cone. Flor, tantummodo requirit ut "de morte [infirmi] timeatur"; quod verificatur etiam ante articulum mortis, i.e. in periculo proximo, imo et in remoto periculo.

Cone. Trid. loquitur de "fine vitae" et de "discrimine" seu periculo mortis; quod pariter intelligi potest de omni vero periculo, etiam proximo aut remoto. Imo quod ita intelligi debeat, constat ex verbis "Est haec unctio infirmis adhibenda, illis . . . praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur," nam haec ultima verba indicant saltem eos qui sunt in periculo imminenti, ita ut Concilium significet etiam aliis (saltem nempe illis qui sunt in periculo proximo sed non imminenti) sacramentum conferri posse. Xec valet obicere quod in priori schemate Concilii legebatur "Illis dumtaxat" pro "illis praesertim"; nam primum schema est opus theologorum conciliarium, ultima vero forma est doctrina ipsius Concilii, et ceteroquin difficultas, qua parte respicit ipsum primum schema, evacuatur, si dicatur per supradicta verba indicari non solum eos qui sunt in periculo imminenti sed etiam eos qui sunt in periculo proximo, ita ut primum schema voluerit excludere tantum eos qui sunt in solo periculo remoto, alterum vero ac definitivum schema hos etiam incluserit.

Catechismus quidem Cone. Trid. et Rituale Romanum fortiores adhibent expressiones, quae prima fronte videntur significare necessitatem periculi imminentis, cum primus dicat sacramentum dandum esse tantum "iis qui adeo periculose aegrotare videntur, ut, ne supremus illis vitae dies instet, metuendum sit," alterum vero iis "qui tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur." Attamen has expressiones esse intelligendas non proprie de periculo imminenti seu articulo mortis, sed ad summum de periculo proximo suadetur ex ipsis oppositis verbis "videri, metuere," nam, ubi proprie agitur iam de mortis articulo non tantum timetur ne finis instet nec tantum videtur periculum imminere, sed id practice certum et clarum

iam est, et ceteroquin id confirmatur ex sensu tum ipsius Cone. Trid., cuius doctrinam explicant et applicant Catechismus et Rituale, tum ceterorum documentorum Ecclesiae.

Codex I. C. non plus requirit quam "periculum mortis" vel "vitae discrimen," adeoque non exigit periculum imminens, imo nec periculum proximum, sed quemlibet infirmitatis statum vel gradum qui vere periculum mortis dici possit, etiam si sit remotum.

Benedictus XV, quamvis adhibeat fortiorem expressionem "discrimen ultimum," similem illis quae adhibentur a Catechismo et Rituali, tamen eam immediate explicat his generalioribus verbis, quae sufficientiam ipsius remoti periculi sonant: "Qui in discrimine ultimo versantur . . . iis roborentur Sacramentis [i.e. Viatici ex Extremae Unctionis] vixdum, ingravescente morbo, prudens fiat de periculo mortis judicium." Ipsa praeterea copulatio Viatici cum Extrema Unctione ostendit non agi de periculo imminenti, nam constat Viaticum conferri posse etiam ante articulum mortis, saltem in periculo proximo.

Pius XI explicite excludit necessitatem periculi imminentis, imo satis suggestive videtur excludere necessitatem ipsius periculi proximi, seu proponere sufficientiam ipsius periculi remoti: "Neque enim, ut sacramentum valide liciteque detur, necesse est ut mors proxime secutura timeatur, sed satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo judicium."

5. *C. De Propaganda Fide* pariter excludit necessitatem periculi sive imminentis sive etiam proximi et proponit sufficientiam periculi remoti cum permittit ut Viaticum et Extrema Unctio conferantur infirmo, cuius mors, iuxta communiter contingentia, non sequetur nisi post plures menses seu intra annum. Ipsa copulatio Extremae Unctionis cum Viatico per se solam excludit saltem necessitatem periculi imminentis seu articuli mortis.

Inter *Concilia particularia* supra relata (p. 649), notetur *Cone. Beneventanum* requirere tantum ut "aegritudo apta sit inducere mortem et de periculo timeatur" (sunt verba ipsa S. Thomae), *Cone. Aquense* "gravem morbum," *Cone. Wcstmonastcriense* "morbum speciem periculi inducentem"; quae videntur significare sufficientiam ipsius periculi remoti.

Traditionalis doctrina et praxis Ecclesiae idipsum ostendit.

Quae enim de *theoretica traditione* exposuimus in Conci. 2 (p. 623-625, 630) probant quidem necessitatem periculi mortis, et hoc sensu propriam destinationem huius sacramenti ad disponendum hominem ad bonam mortem et felicem aeternitatem, sed non probant necessitatem periculi imminentis, imo nec necessitatem ipsius periculi

proximi, cum etiam homo, in vero sed remoto mortis periculo constitutus, possit ad bonam mortem disponi ac praeparari. Imo necessitatem imminentis periculi excludit alia, traditionalis nec opposita, doctrina de destinatione huius sacramenti ad recuperandam ipsam corporalem sanitatem; improbabiliter enim ad hunc effectum sacramentum a Deo ordinaretur in ea infirmi conditione in qua evaderet fere miraculosus. Nec valet in contrarium obicere posteriorem traditionem, seu doctrinam theologorum inde a saec. 13; nam, ut ostensum est supra (p. 601), opinio de necessitate ipsius articuli mortis potius ut tendentia et logica consequentia principiorum Scotistarum extitit quam ut determinata illorum doctrina, et ceteroquin nonnisi uni scholae, imo quibusdam ex antiquioribus illius scholae discipulis, tribui potest.

Pariter *practica traditio,* expressa in libris liturgicis, in episcopalibus et synodalibus statutis et in Vitis Sanctorum (cf. p. 626-628), nequaquam indicat necessitatem articuli mortis. Plures quidem expressiones inveniuntur quae prima fronte hanc innuere videantur, cum nempe sermo est de "exitu vel fine vitae" (liber Ordinum, Capitularia Caroli M., Vitae Sanctorum), de homine "proximo morti" (Codex Rhemensis), de "morientibus" (Capitularia Caroli M.), sed, praeterquam quod hae ipsae expressiones possunt large intelligi, aliunde temperantur per alias generaliores, in quibus nempe agitur communiter de "infirmis" (Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum), de "infirmis qui ad ecclesiam deportari possunt" (Theodulphus Aurei.), de "deprimente infirmitate, nondum urgente fine vitae" (Cone. Aquisgranense), de infirmis "in periculo positis" (Cone. Moguntinum), de "periculosa infirmitate" (Cone. Ticinense). Ceterum, ut notatum est supra (p. 651), similes fortiores expressiones non desunt in quibusdam posterioribus documentis, tum particularium ecclesiarum, ut Cone. Andegavensi a. 1293 ("In extremo vitae articulo") et, post ipsum Cone. Trid., Conciliis Aquensi a. 1585 et Avenionensi a. 1594 ("Prope moribundis"; cf. supra, p. 599 sq.); tum ipsius Ecclesiae universalis, scilicet Catechismo Cone. Trid. et Rituali Romano (cf. supra, p. 651).

Ceterum, sensus practicae traditionis, potius ex factis quam ex verbis deducendus, signanter apparet ex sequentibus quae necessitatem articuli mortis excludunt, scilicet: *Primo,* ex praxi administrandi Extremam Unctionem simul *cum Viatico,* de qua diximus supra (p. 629); Viatici enim administratio non exigit articulum sed periculum mortis. *Secundo,* ex praxi, olim frequenti et fortasse frequentiori, Extremam Unctionem administrandi ante Viaticum, de qua in art. seq. (p. 687-694), cuique tamen non ita opponitur contraria ac

recentius frequentissima praxis postponendi Extremam Unctionem ut ex hac ipsa inferri possit necessitas articuli mortis, ut iam notavimus supra (p. 629). *Tertio,* ex more iterandi unctionem *per septem continuos dies,* nisi necessitas seu casus urgentia id impediret (cf. supra, p. 631, 632). *Quarto,* ex Ritualium rubricis praescribentibus ut infirmus, si possit, durante Unctionis ritu *sedeat, genua plectat, psallat, cum sacerdote oret* (cf. supra, p. 631, 633). *Quinto* ex more Extremam Unctionem *administrandi in ipsa ecclesia* (cf. supra, p. 632. 634).

Unica obiectio, quae ex praxi recentiorum saeculorum cum aliqua specie veritatis opponi potest quamque Schismatici orientales supra citati (p. 594), concinentibus Protestantibus, opponere non omittunt, est ea quae deducitur ex *GRAVI ABUSU, A SAEC. 12 AD SAEC. 16 SATIS DIFFUSO, HOC SACRAMENTUM AD EXTREMUM MORTIS ARTICULUM DIFFERENDI.*

Attamen huiusmodi abusus extensio exaggeratur, attributio confunditur, sensus ab adversariis pessime iudicatur.

Primo, extensio et proportio illius abusus non sunt exaggerandi. Nec consentimus Kern concedenti adversariis: "Si . . . quaeramus, num Orientales recte ecclesiae latinae exprobrent, quod contra doctrinam s. Jacobi Extremam Unctionem ad ultimum fere momentum differat, certe fatendum est, vituperatam praxim a saec. XII. longe lateque per Occidentem fuisse usitatam neque hodie esse extinctam. Si negaremus, adversarii fere innumeris documentis nos possent convincere."[9]

Nam maior pars documentorum quae de illa praxi afferri solent, respiciunt saec. 13, ut constat ex Mabillon,[10] Martène[11] et Chardon[12] qui praecipue illam praxim indigitarunt, et ex Benedicto XIV, Kern, Kilker, Cappello, aliisque qui ex illis doctoribus sua documenta et explicationes desumpserunt. Ad saec. 18 quod attinet *Benedictus XIV* (f 1758) ait: "Hac nostra aetate liberi profecto sunt fideles ab enarratis praeiudiciis [mediaevalibus, de quibus infra]: et nihilominus humani generi hostis hanc plerisque rudibus et ignaris mentem injecit, ut credant actum esse de vita illius qui sancto oleo est inunctus, et solum ei superesse sepulchrum; ex quo fit ut a sacra Unctione, perinde ac ab ipsa morte abhorreant. Opportunum idcirco et perutile erit ut episcopus in sua synodo aut synodali instructione, hunc detes-

[9] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 282.
[10] *Observatio de Extrema Unctione,* in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 134 sq.
[11] *Loc. cit.* (supra, in p. 626), a 2, p. 110-112.
[12] *Loc. cit* (supra, in p. 578).

tandum errorem c rudium hominum mente evellere satagat; quod nos pro nostro pastorali munere praestare curavimus in nostra instit. 22."n Quae quidem verba vera sunt etiam de posteriori et hodierno tempore, et verisimiliter vera erunt pro tempore etiam futuro, quousque nempe apud fideles invenientur mentes rudes et corda nutantia, sed inde nemo loquetur de vera praxi longe lateque in Ecclesia diffusa.

Et, ut ipsis doctoribus schismaticis respondeamus, in eorum ecclesia, non obstante doctrina et praxi de administrando Euchelaeon omnibus etiam leviter infirmis, necnon ipsis sanis, non defuit similis abusus hoc sacramentum ad extrema vitae differendi. Illum enim apud Graecos olim viguisse testatur Arcudius14 ac hodiedum adesse supponunt illi Graeci doctores qui, ut Rallis,15 explicite monent fideles ne unctio differatur usque ad tempus quo infirmus sensibus destituitur; eundem apud suos vigere concedunt et reprobant plures theologi russi, ut Smirnov, Bjeljaev, Muraviev, Archangelskij, et *Dmitrievskij* qui scribit: "Quod vero sacramentum benedictionis olei attinet ... ht, ut a permultis totaliter negligatur; tametsi vero conficiatur, id tum demum fiat, cum aegrotus iam fere sensibus est alienatus, aliis verbis, cum necessitas huius sacramenti totaliter cessavit. . . Ob intempestivam collationem sacramenti benedictionis olei multi persuasum habent. istud sacramentum necessarium esse graviter aegrotis, qui nullam praebeant spem recuperandae valetudinis, esse quodammodo sacramentum extremum, homini, qui convaluerit post collatum sacramentum (sic e.gr. simplex plebs opinatur), non licere lavare corpus suum, comedere carnes, inire matrimonium et sic porro.'"6

Secundo, in attributione illius abusus confusio fieri videtur inter plebem et pastores. Agitur enim praecipue de abusu fidelium, ob unam vel aliam superstitiosam rationem refugientium a susceptione sacramenti usque ad extremum periculum, non vero de abusu ipsorum pastorum, etsi fortasse exaggerata doctrina quorundam theologorum, de schola praecipue Scotistarum, potuerit etiam in praxim pastoralem aliquem influxum habere.

Tertio, sensus et vis illius abusus male ab adversariis iudicatur ac si ageretur non de particulari quodam more, ab ipsa Ecclesia tanquam intolerabili abusu reprobato, sed de communi praxi ipsius Ecclesiae, eiusdem doctrinam de indole et fine huius sacramenti fideliter tradu-
cente. Quod quidem patet ex consideratione duarum praecipuarum

"*Op. cit.* (supra, in p. 613), c. 7, n. 2, coi. 1103 sq.
"*Op. cit.* (supra, in p. 532) 469.
* *irtpl των μυστηρίων τήτ ptravoias καί τού (ὕχιλαίον* (Athenis 1905) 115
"*De defectibus contemporaneae ecclesiastico-religiosac educationis* [russiccl (Kijcv 1001) 16 sq. Apud Kern, *op. cit,* (supra, in p. 590) 288.

causarum, quae cum Mabillon, Martène et Chardon, illi abusui assignari solent et ex illarum reprobatione per antiqua statuta ecclesiasticae auctoritatis.

Prima causa fuit culpa ministrorum, seu avaritia et cupiditas plurium sacerdotum, qui pro administratione sacramenti pretium, illudque nonnunquam grave, exigebant, ita ut quandoque pauperioribus fidelibus vix possibilis esset Extremae Unctionis susceptio vel certe ab ea plures refugerent, tanquam a proprio divitum sacramento.

Iam *Cone. Ticinense* a. 850 hunc timorem ab infirmo avertere conabatur cum, alludens ad praxim advocandi plures presbyteros pro Unctione ministranda, aiebat: "Debet eum [i.e. graviter et morosum infirmum] loci presbyter congruenter admonere, quatenus ad hanc spiritualem curam secundum proprias possibilitatis vires vicinos quoque presbyteros invitet" (cit. in art. 1, *tom* 7, p. 156).[17]

Constitutiones Odonis de Sully episcopi Parisiensis (a. 1196-1208), a quibus pendent plures aliae constitutiones mox referendae[18]: "Ad sacramentum extremae unctionis moneant populum sacerdotes, non tantum divites et senes, sed pauperes et juvenes omnes tempore discretionis, maxime a quatuordecim annis et supra, et ad omnes communiter, ut se paratos exhibeant, cum necesse fuerit."[19]

Constitutiones Richardi Poore, episcopi Sarum in Anglia (circa a. 1217), c. 67: "Praecipimus, quod ad sacramentum extremae unctionis moneant frequenter populum sacerdotes, in necessitate videlicet: et non tantum divites, sed pauperes, senes, et juvenes omnes; maxime a quatuordecim annis, et supra. Et omnibus petentibus et poenitentibus gratis exhibeant hoc sacramentum in necessitate, cum fuerint humiliter requisiti" *{Harduin* 7. 107).

Constitutiones synodales cuiusdam anonymi episcopi in Britannia (circa a. 1237): "Ad sacramentum extremae unctionis moneant saepe populum, Domini sacerdotes: scilicet omnes a quatuordecim annis, et supra: et ad omnes, tam pauperes quam divites, communiter paratos se exhibeant, cum necesse fuerit" *{ibid.* 309).

Cone. Valentinum, a. 1255: "Nihil inde [i.e. ex administratione huius sacramenti] penitus exigatur sive a paupere sive a divite: sed si quid gratis datum fuerit, accipiatur" *{ibid.* 1979).

Cone. Exoniense a. 1287: "Et qui difficiles se exhibuerint in hac parte, et infirmis poenitentibus et petentibus, gratis absque ulla exactione pecuniae sacramentum hoc non contulerint: cum gratia sit gratis

[17] Cf. apocryphum opusculum S. Thomac *De officio sacerdotis,* infra cit., p. 658.
[18] Cf. supra, art. 28, p. 483.
[19] *Synodicae constitutiones,* cap. 8, n. 2, *ML* 212. 62 sq.

data, et non pretio conferenda; convicti super hoc, juxta canonicas sanctiones punientur condigne" *(ibid.* 1081).

Synodalia Guilelmi Maioris episcopi Andegavensis (a. 1294): "Nosque accepimus, referentibus fide dignis, quod dictum sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittitur: immo ut verius loquamur, ex sacerdotum rapacitate et avaritia, qui in collatione hujus sacramenti novas et insolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina, quibus jacens inungitur aegrotans."[20]

Cone. Baiocense circa a. 1300, n. 74: "Ad sacramentum extremae unctionis moneant saepe sacerdotes populum, non tantum divites, sed etiam pauperes, et omnes, maxime a quatuordecim annis, et supra. Et omnibus communiter, cum fuerit necesse, exhibeant se paratos, sanctum oleum ad eos cum magna reverentia et honore deferentes" *(ibid.* 1237).

Rcyncrius O.P. in suo *Libro de Waldensibus,* edito a. 1254, refert hos haereticos ex praedicto abusu occasionem sumpsisse hoc sacramentum reprobandi: "Sacramentum Unctionis reprobant [Waldenses] quia tantum divitibus datur, et propter plures sacerdotes ibi necessarios. . . Sacramentum Unctionis extremae dicunt esse ultimam superbiam. . . Occasio quia hoc Sacramentum nulli datur sine pretio. Et hoc facit pluralitas sacerdotum. . . Item praedicant quidam nulli Sacramentum hoc debere dari, nisi qui possit habere saltem duas vaccas. Unde pauperes graviter scandalizantur. Item dicunt quod duodecim lumina sunt necessaria in Unctione, cum tamen sufficiat unicum lumen ubi corpus Christi ministratur, quia est dignissimum Sacramentum: ita et hic."[21]

Idem fere refert *Anonymus Passaviensis* in suo opusculo *Dc occasionibus errorum haereticorum,* edito a. 1260: "Quidam in ecclesia dictis et factis plurimos scandalizant tam catholicos quam haereticos leonistas [Waldenses] sacramentis Ecclesiae irreverentiam exhibentes, et sic per eos divino cultui et sacramentis et clero et statutis et observantiis Ecclesiae ab haereticis derogatur. . . Sacramento Unctionis derogant, qui hoc sine pretio nulli dant: qui dicunt, quod sine pluribus sacerdotibus non possit dari ct sine 12 luminibus: qui dicunt, quod nullus debeat hoc petere nisi habens valorem duarum vaccarum; qui inungendis iniungunt, ut alicui licito renuntient."[22]

"*Bertholdus Ratisboncnsis* O.S.Fr., celeberrimus medii aevi in Germania condonator et missionarius, in quodam sermone de septem sa-

[20] Apud Martène, *op. cit.* (supra, in p. 626), a. 2, p. 111.
[21] Apud De Sainte-Beuve, *op. cil.* (supra, in p. 603) 11.
[22] Apud Kern, *op. cit.* (supra, in p. 590) 284.

crammentis instanter hortatur fideles, ut morbo occupati s. Unctionem expetant. Facit auditores praeter varias superstitiones opponentes, quod parochus a quovis infirmo pro Unctione exigat tres schillingos (secundum modernum valorem pecuniae circ. 50-60 francos), a divitibus etiam maiorem summam, et absolute neminem velit ungere, qui eum non possit pecunia conducere."[23]

Apocryphum Opusculum S. Thornae Dc officio sacerdotis (§ De Sacramento Unctionis): "Non debet sacerdos in collatione hujus sacramenti pecuniam exigere, nec aliquo modo petere, quoniam hoc esset simoniacum; sponte autem oblatum potest recipere. In nullo enim sacramento permittitur pecuniam postulare, sed dari, ut I, quaestione v, cap. ultimo. Si vero infirmus voluerit alios clericos praeter clericos Ecclesiae suae convocare, ad ipsum inungendum, sacerdos parochialis Ecclesiae licet non debeat pecuniam petere potest tamen denuntiare sibi, et dicere: Ego et socii mei nihil petimus, parati sumus sine aliqua satisfactione. Aliis vero cum sint extranei est honestum et consuetum ut aliqua eleemosyna tribuatur."

Altera causa eiusdem abusus fuit culpa fidelium, seu falsae et superstitiosae persuasiones quas multi de plebe sese efformabant de effectibus vel sequelis huius sacramenti, quod nempe, semel suscepta Extrema Unctione, oporteret vitam poenitentem ac continentem agere, ac proinde non amplius liceret *comedere carnes, uti matrimonio* (ex quadam fortasse assimilatione unctionis infirmorum cum ordinatione sacerdotali), *nudis pedibus ambulare* (ne inuncti pedes profanarentur), *testamentum condere* (forte etiam quia susceptio sacramenti haberetur ut ultimus actus vitae). Quibus superstitionibus accessit error, de quo Benedictus XIV (supra cit., p. 654) adhuc suo tempore conquerebatur quique hodiedum imbecilliores mentes facile exagitare solet, susceptionem nempe huius sacramenti esse *causam aut saltem signum velocioris vel certioris mortis.*

Constitutiones Richardi Poore episcopi Sarum in Anglia (circa a. 1217), c. 68: "Dicant [populo sacerdotes] ... ac denuncient confidenter, quod post susceptum hoc sacramentum, licitum est reverti ad opus conjugale" *(Harduin* 7. 107). *Cone. Wigorniensc* a. 1240, n. 19: "Sunt autem quidam, ut audivimus, qui post perceptionem hujusmodi sacramenti sanitati pristinae restituti, nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione, nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinae sanae contrarium. exeeramur. et eos excommunicationibus et monitionibus duxi-

[23] M Kern, *ibid* 285.

mus corrigendos: quia ferro abscindenda sunt vulnera, quae fomenta non capiunt" *(ibid.* 337). *Cone. Exoniensc* a. 1287: "Quoniam quidam laici imperiti, de hoc sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent in tantum, quod vix velint suscipere etiam in extremis, fatue aestimantes, quod post ipsius susceptionem, carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima, sibi fore penitus interdicta: praecipimus parochialibus presbyteris, ut ubi noverint tantam haeresim pullulare, contrarium praedicent: parochianis notificantes inter cetera, hoc sacramentum posse licite iterari; et quod uncti, si ab infirmitate postea convaluerint, carnes comedere, nudis pedibus ambulare et, si coniugati fuerint, uxores suas cognoscere, occasione hujusmodi omittere non tenentur" *(ibid.* 1081). Idem ferunt *Statuta Petri de Collcmedio* archiepiscopi Rotomagensis circa medium saec. 13, *Cone. Baiocense* circa a. 1300 et *Cono. Wintoniensc* circa idem tempus.

Error de inhabilitate ad *condendum testamentum* videtur nonnisi in posteriori aetate natus esse; circa finem saec. 16 invenitur diffusus in Belgio et Germania; quidem eruditi putant ipsum originem duxisse ex quibusdam principiis iuris germanici. *Cone. Mechliniense* a. 1607 declarat: "Falluntur qui existimant suscepto hoc sacramento vel testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui. Ideoque pastores contrarium subinde populum doceant. Et si forte alicubi usu introductum sit, ut testamentum a susceptione hujus sacramenti conditum non subsistat, declarat haec synodus, ejusmodi consuetudinem pro corruptela habendam esse; utpote causam, cur differatur, iique interim effectus sacramenti non percipiant, et saepe etiam sine eo moriantur" *(ibid.* 10. 1946).

His sublatis superstitionibus, mansit subinde, et adhuc hic vel illic apud rudiores et imbecilliores fideles non raro deprehenditur, falsa persuasio quod huius sacramenti susceptio sit causa vel signum velocioris aut certioris mortis, contra quam insistunt recentiora documenta. *Cone. Burdigalense* a. 1583: "Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani et impia opinione abducere, qua plerique sinistre de hujus sacramenti virtute sentiunt, perinde ac si mortem aegris acceleret: quum certum sit ex Apostoli doctrina, Deum non animae tantum, verum etiam corpori, si expedierit, virtute hujus sacramenti, salutem conferre" *(ibid.* 1347). *Rituale Argentinense.* "Solantur Sacramenta, non occidunt; hoc saepe saepius pastor mentibus fidelium inculcet."[2] *Cone. Mechliniense* a. 1607, nuper cit.: "Falluntur qui existimant, suscepto hoc sacramento, . . . spem convalescendi ob id

[2] Apud Benedictum XIV, *op. cit.* (supra, in p. 613), c. 7, n. 2, coi. 1104.

imminui." *Benedictus XIV* supra cit. (p. 654). *Cone. Aquense* a. 1850 supra cit. (p. 650). Huc etiam indirecte faciunt documenta *Benedicti XV* et *Pii XI,* aliaque superius allata (p. 648-650), quibus reprobatur abusus hoc sacramentum ad extrema vitae differendi.

Theologica autem ratio, ex qua intelligitur excludi tum necessitas tum etiam convenientia periculi imminentis seu articuli mortis, multiplex assignari potest:

Primo, tale periculum non est necessarium ad complendam sacramentalem significationem spiritualis curationis, sed haec perfecte salvatur in omni vero periculo mortis.

Secundo, in quolibet pariter mortis periculo salvatur particularis significatio variorum spiritualium effectuum vel finium huius sacramenti, scilicet consummationis vitae Christianae, dispositionis ad gloriam, supremae confortationis et alleviationis, abstersionis reliquiarum peccati.

Tertio, imminens mortis periculum opponitur proprio, utut secundario, effectui corporalis sanitatis, quae in tali extrema conditione evaderet sacramentaliter impossibilis aut fere miraculosa (cf. dicta in art. 18, p. 219 sq.). Ad haec *Kern:* "Sanitatis restitutio, quam Deus ope sacramenti concedere paratus est, si ad salutem animae expediat, penitus impeditur. Efficitur enim restitutio sanitatis per confortationem supernaturalem vi redundantiae eius in corpus. Talis autem redundantia excluditur, si anima ipsa non est amplius capax actualis confortationis; sed etiamsi adhuc confortationis sit capax, rarissime sufficit ad salvandam vitam. — Tres orationes, quae secundum romanum Ordinem post collatum sacramentum sunt dicendae, omnes a Deo postulant restitutionem pristinae sanitatis. Quo sensu eas recitabit sacerdos, qui ipse s. officium distulit, donec iudicaret. nullam amplius superesse spem vitae?"[25]

Quarto, in eadem infirmi conditione, ipse multiplex spiritualis effectus ex magna saltem parte minuitur et quandoque frustratur, cum non amplius supersint sufficientes vires ad ponendam eam cooperationem ex qua illi effectus dependent, iuxta dicta de unoquoque in art. 12-17.

Quinto, necessitas imminentis periculi non raro infirmos exponeret ad moriendum sine sacramentis, ut patet praesertim de illis morbis qui repentinis crisibus subici solent. Observat *Kern:* "Si conferamus, quae fontes revelationis nos docent de effectibus coelestis medicinae animae et corporis, cum sequelis tristis illius consuetudinis [qua hoc sacramentum ad articulum mortis differtur] . . . , oportet nos concludere: Multi cruciantur in purgatorio, qui iam triumpharent in

[25] *Op. cil* (supra, in p S9O) 303.

coelo; multi in aeternum perierunt, qui essent salvi; multi mortem obierunt, qui adhuc sani viverent, si mature remedium piissimae misericordiae divinae eis esset impensum."[20]

Probatur 3" pars: *PROBABILIUS NEC REQUIRITUR IPSUM PERICULUM PROXIMUM, SED SUFFICIT PERICULUM REMOTUM,* seu talis status vel gradus infirmitatis in quo iam vere probabile est hominem, abstrahendo ab aliis causis vel accidentibus, ex hoc praesenti morbo moriturum esse.

Haec pars, prima fronte, videtur difficilius probari posse, tum ob discrepantia iudicia theologorum, tum ob varias ac fluctuantes distinctiones quas varii doctores periculo mortis assignant (cf. supra, p. 580), tum ob ipsam intrinsecam difficultatem hoc periculum definiendi et distinguendi, tum ac praecipue ob ipsum non uniformem modum quo conditio infirmitatis requisitae ad valorem sacramenti exprimitur in ipsis Traditionis et Ecclesiae documentis, necnon ob innegabilem evolutionem quae in ea expressione et determinatione observatur sive in opinionibus theologorum sive in concomitantibus declarationibus Ecclesiae per successivas aetates.

Fortasse facilius et congruentius res dirimi et intelligi poterit, si abstrahatur a variis supradictis distinctionibus et expressionibus (de gradu nempe infirmitatis et de maiori vel minori proximitate ad ipsum instans mortis), ac quaestio reducatur ad hoc unicum ac simplex punctum: Utrum ad valorem sacramenti sufficiat ut infirmus inveniatur, quomodolibet et quandocunque, in aliquo vero et obiectivo periculo mortis, seu in tali statu vel gradu infirmitatis in quo iam vere probabile est eum ex hoc praesenti morbo moriturum, abstrahendo ceteroquin ab aliis quibuscunque causis quae possint accidere ad hunc praesentem statum in melius vel in peius modificandum.

Dicimus ergo affirmativam responsionem huic quaestioni esse traditionalem sensum Ecclesiae, necnon ipsorum theologorum, sese ceteroquin magis ac magis per varias aetates determinantem in sua expressione, ac pro tanto sese evolventem in eam exactiorem doctrinam de sufficientia periculi remoti, cui quamphires moderni explicite adhaerent, et plura Ecclesiae documenta, praecipue recentiora, increscens suffragium dederunt.

Profecto ipsa documenta universalis Ecclesiae, ad quae, in interpretando ipsius Traditionis sensu, maxime attendendum est, nihil habent quod cogat asserere necessitatem alicuius status certioris aut propinquioris morti quam sit ille quem modo descripsimus. Ut enim

[n] *Loc. cit.*

iam notavimus supra (p. 651 sq.), ipso eodem tempore quo theologi severius in hac re iudicare videbantur, *Clemens VI* non loquitur nisi generaliter de "mortali periculo," nec ipsum *Cone. Flor,* aliud exigit quam statum in quo "de morte timeatur"; quae quidem de omni vero ac probabili mortis periculo dici possunt. *Cone. Trid.* loquitur de "fine vitae" et de "discrimine" seu periculo mortis, quod pariter intelligi potest de omni statu in quo vere probabile est vitam periclitare et ad finem, utut remote, appropinquare; ceterum, ut dictum est supra, comparatio decisionis Tridentinae cum formulatione prioris schematis, idipsum suadet vel amplius confirmat, imo verba ipsa a Concilio prolata tam ample, prima fronte, sonare videntur ut quidam theologi, utut inepte, sibi persuaserint ea nequidem necessitatem gravis infirmitatis importare. *Codex I. C.* non exigit nisi "periculum mortis" vel "vitae discrimen." *Benedictus XV* exigit tantum talem "ingravescentem morbum, [ut] prudens fiat de periculo mortis judicium." *Pius XI* explicite excludit quod sit necesse "ut mors proxime secutura timeatur," addens "satis esse ut prudens seu probabile adsit de periculo judicium." S. *C. de Prop. Fide,* affirmans posse hoc sacramentum concedi infirmo cuius mors nonnisi post plures menses seu intra annum secutura praevidetur, manifeste abstrahit a gradu periculi vel propinquitate mortis. Quaedam *Concilia particularia* pariter non plus quam remotum periculum requirere videntur, ut dictum est supra (p. 652).

Duriores quidem expressiones *Catcchismi Cone. Trid.* et *Ritualis Romani,* prima fronte et prout extant, videntur requirere plusquam aliquod quodeumque verum periculum mortis; attamen, attentis ceteris documentis nec necessario contradicente ipso elastico verborum sensu, illa dicta de "supremi vitae diei instantia" et de "mortis periculi imminentia" possunt large intelligi de omni vero mortis periculo, eo vel magis quod in ordinarie contingentibus, ad quae directius duo illa practica Ecclesiae documenta attendere videntur, satis breve intercedere soleat intervallum inter insurgentiam veri periculi et ipsam mortem.

Quoad reliquam Traditionem, tam speculativam quam practicam. possunt hic accommodari, etsi cum minori vi, quaecumque diximus in parte praecedenti de non necessitate articuli mortis (p. 652-654). Peculiariter ad rem faciunt verba *Cone. Aquisgranensis* de infirmo "infirmitate depresso, [citra] finem urgentem." *Cone. Moguntini* de "infirmis in periculo positis" et *Cone. Ticinensis* de "aegroto aliquo [qui] minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulat" non advocans presbyteros.

Theologos ipsos quod attinet, dissimulari quidem nequit sat magnum adesse discrimen expressionis inter eos qui Cone. Trid. praecesserunt et ceteros posteriores, saltem generaliter loquendo. Ut constat ex dictis in Parte Negativa et Affirmativa (p. 581 sqq., praecipue p. 601-605), antiquiores theologi communiter ita loquuntur ut necessitatem proximi periculi docere videantur, imo quidam, praecipue de schola Scotistica, etiam articulum mortis requirere visi sunt. Posteriores vero, talem rigorem paulatim uno vel alio modo emollire coeperunt, ita ut quidam cum Suarcsio proposuerint sufficientiam periculi virtualis et in causa, alii cum eodem Suaresio sufficientiam periculi putativi, alii denique sensim sine sensu de sufficientia solius remoti periculi loqui coeperint, donec haec expressio iam satis communis et firma evaserit, praecipue apud theologos morales qui de hac re hodie directius occupantur.

Ceterum, non denegata hac appretiationum discrepantia et evolutione, quae ipsis Ecclesiae documentis extranea non est. dici potest eadem doctrina de sufficientia cuiuslibet veri periculi mortis essentialiter latuisse in fluctuanti illo opinionum decursu, quasi quoddam commune principium quod sub variis formis conaretur suam ipsius aptiorem expressionem attingere.27 Satis sit ad invicem comparare sequentes auctoritates per diversa saecula distributas. 5. *Thomas:* "Illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, *propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem,* et de periculo timetur"; quo nihil aptius dici potest in sensu modernorum opinionis de sufficientia periculi remoti, ut notatum est supra (p. 602). *Suarez:* "Ut minimum requirit hominem ita decumbentem, ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri *saltem remote,* et quantum est ex natura talis aegritudinis in tali subjecto" (Disp. 42. sect. 2, n. 4). *Benedictus XIV:* "Ecclesiae Latinae perpetua et constans traditio fuit extremam Unctionem solis infirmis esse exhibendam: et quidem tali morbo laborantibus, unde peritorum judicio, *mors secutura prudenter timeatur" (Dc synodo dioecesana,* l. 8, c. 5, n. 1). S. *Alphonsus:* "Communiter docent 1)D. valide et licite posse dari Extremam Unctionem *statim ac prudenter judicatur infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximae" (Theol. mor.,* l. 6, n. 714). *Kern* quem repetunt plures moderni: "Si morbus secum ducat *periculum certum mortis, sed remotae,* cum e.gr. indicio medicorum vel

"Nec proinde ad explicandum hoc theologorum discrimen ullatenus indigemus recursu, quem hypothetice suggerit *Toner* (supra cit., in p. 607 sq.), ad eam gcnericam doctrinam, quae frequenter allicit modernos, dc potestate Ecclesiae in conditiones respicientes validitatem sacramenti, ita ut extendatur etiam ad designationem ipsius subiecti sacramenti, praeterquam ad determinationem materiae et formae.

aliunde constat, hominem graviter laborare phthisi pulmonum, protracturum autem, si nihil inopinatum accedat, vitam per complures menses, valide datur sacramentum."[28]

Unum tamen est quod ab huius doctrinae legitima evolutione ac determinatione prorsus ut antitraditionale abici et expelli debeat, scilicet ea unius vel alterius peregrini moderni scriptoris tendentia (cf. supra, p. 596), iuxta quam conceptus huius sacramenti expurgandus esset ab omni vera et directa sua ordinatione ad mortem, ita ut verum mortis periculum ad eius validitatem non requiratur et ipsum sacramentum veluti rebaptizari debeat tanquam proprius ac generalis ritus infirmorum, qua talium, et tanquam mera medicina Ecclesiae, abiectis ceteroquin traditionalibus et conciliaribus ipsis nominibus Extremae Unctionis et Sacramenti Exeuntium pro propriis appellationibus Unctionis Infirmorum et Sacramenti aegrotantium. Quidquid enim sit de illorum nominum aptitudine, quae videntur extremum ipsum periculum significare, necnon de convenientia vel secus ea immutandi (cf. art. 1, tom. 1, p. 7-12), certum est ipsam generalem doctrinam de huius sacramenti ordinatione ad mortem deque eius specifica destinatione ad adiuvandum hominem in periculo mortis constitutum, esse doctrinam catholicam cui temerarie obsisteretur, ut abunde constat ex constanti sensu Traditionis et Ecclesiae, ab ipso *Cone. Tridentino* his ipsis verbis declarato: "Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit" *(Denz.* 907).

Rationes auteni theologicas quod attinet, pariter etsi cum minori vi, possunt pro sufficientia cuiuslibet periculi, etiam remoti, invocari eaedem rationes superius adductae (p. 660 sq.) ad excludendam necessitatem periculi imminentis seu articuli mortis.

PRAXIM QUOD ATTINET, theologi praesertim morales sequentes casus vel determinationes quatuor Conclusionibus huius articuli apponunt.

1. *De senibus.* Senectus incipit, circa annum sexagesimum, iuxta sensum communem indirecte confirmatum a Codice I.C. can. 1254, § 2 eximente sexagenarios a lege ieiunii. Hac aetate etiam dici potest communiter incipere ea debilitatis conditio quae senium nuncupatur

[28] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 299.

et infirmitati assimilatur. Valida tamen administratio huius sacramenti requirit periculum mortis, adeoque eam debilitatis conditionem et gradum in quo vere dici possit incipere pro senibus periculum mortis. Id autem nequit ex ipso numero annorum aut alia generali regula assignari, cum maxime dependeat ex ipsius organismi conditionibus et resistentia; sunt enim plures homines, valde protractae aetatis, qui sine ulla peculiari molestia aut deficientiae signo communis vitae conversationem et opera facili quodam usu agere pergunt, quique facilem plebis admirationem suscitarent si hoc sacramento donarentur.

Quidam auctores loquuntur de "senectute protracta" vel de "senectute decrepita" vel de "senectute viribus exhausta" pro hoc sacramento administrando; alii praecisius de apparenti statu gravis consumptionis ac debilitatis; alii melius de signis appropinquantis dissolutionis vel de casibus sensuum destitutionis aut defectionis (anglice: fainting or sinking-spells). *Rituale Romanum* in antiquiori editione hanc strictiorem expressionem ferebat: "Iis, qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri" (cit. in p. 560); *Codex I.C.* vero generalius loquitur de eo qui "ob senium in periculo mortis versatur." Ceterum, etiam in hac re, sine scrupulo et anxietatibus procedendum est, ita ut sacramentum conferri possit quotiescunque praedicta signa vel casus apparere incipiunt. Nec improbabile est etiam seni decrepito, in quo praedicta signa nondum apparuerint, si tamen timetur de eius morte intra annum, posse applicari responsionem quam *S.C. de Prop. Fide* dedit de graviter infirmis intra annum morituris, ubi praevideatur defectus sacerdotis quo tempore clarius verificabitur casus sacramenti administrandi (cf. supra, p. 561 sq.).

2. *Qui in periculo mortis constituitur ex vulnere, veneno, combustione, suffocatione, aut simili causa,* valide ungitur, quia ex causa iam intrinseca in eo periculo constituitur atque aequivalet infirmo (cf. supra, p. 579). Consequenter, quamvis ille qui in periculo mortis constituitur ex aliqua causa violenta et extrinseca (ut capite damnatus, miles praeliaturus, periculose navigaturus, chirurgicam operationem subiturus, periculoso partui accessura, incendio vel pesti vel inundationi vel naufragio aut simili periculo expositus) non sit validum subiectum sacramenti, tamen postquam tali causa ab intrinseco ac periculose afficitur (scilicet post supplicium, vulnerationem, chirurgicam incisionem, periculosum partum, suffocationem, etc.), evadit validum subiectum, eodem iure quo ipsa causa evadit intrinseca. Id iam notabat *Suarez,* referens communem doctorum sententiam: "Ad-

vertendum est tamen, aliud esse hominem sanum violenter interfici, aliud vero, quod homo per violentiam in morbum inciderit, in quo jam est morti vicinus; nam quae diximus procedunt in priori casu, ut exempla adducta declarant. At vero in posteriori casu est longe diversa ratio, quia homo est vere infirmus, et consequenter capax hujus sacramenti, undecunque infirmitas originem duxerit. Exemplum est, cum aliquis lethale vulnus accipit, estque in periculo mortis; sine ulla enim dubitatione ungendus est, quia jam vere aegrotat, licet causa aegritudinis fuerit extrinseca et violenta, quod accidentarium est; et ita etiam in hoc omnes conveniunt."[20]

Peculiariter autem a moralibus et pastoralibus theologis considerantur et amplius determinantur duo ex praedictis casibus, scilicet ejus qui subiturus est chirurgicam operationem et mulieris periculose parturientis. De quibus sit breve verbum.

3. *Qui subicitur gravi operationi chirurgicae,* post vel intra operationem potest inungi a momento quo, ratione illius, supponitur adesse in periculo mortis. Ante operationem vero, si est leviter infirmus, vel etiam graviter sed non in periculo mortis, nequit inungi;[30] si autem est iam in periculo mortis, potest inungi, saltem si felix exitus operationis non est certus, seu si certum non est quod per ipsam operationem removebitur ipsum periculum mortis; si vero hoc certum est, et infirmus illi operationi velit se committere (nam non tenetur), disputatur an inungi possit.

Unus vel alter doctor, signanter *Kern,* docet in hoc casu sacramentum conferri non posse, quia ipsa certitudo felicis exitus operationis evacuat periculum mortis redditque subiectum incapax sacramenti. Ad rem Kern: "Si per se adsint omnes conditiones, sub quibus sacramentum praeberi potest, medici autem fide digni declarent, per operationem chirurgicam gravem quidem, sed plene securam omne periculum posse removeri, distinguendum est. Si infirmus operationem illam, cui ut se submittat non tenetur, nolit subire, manifesto licet

[20] *Op. cit.* (supra, in p. 588) 853.

[30] Ad rem *Conte a Coronata* (resumens longiorem expositionem *Kilker):* "An ministrari possit ante operationes chirurgicas. — Quia non adest morbus gravis et periculosus, licet adsit periculum mortis, nequit iuxta communiorem doctrinam ministrari Extrema Unctio ei, qui licet aliquantulum infirmus sit, tamen nullo modo dici potest esse in periculo mortis, si talis operationi chirurgicae se subiiciat. Casus practicus esset casus infirmi ex *appendiciti chronica,* qui se operationi chirurgicae subiicit; itemque casus operationis chirurgicae ad corporis deformitatem corrigendam et similia. In his casibus ante operationem chirurgicam nullus morbus periculum mortis afferens exsistit et ideo Extrema Unctio ministrari nequit. Idem dicito de infirmo qui narcosi ante operationem subiicitur. Simplex operatio narcosis non est morbus periculosus. Attamen etiam in istis casibus Extrema Unctio poterit ministrari si, durante operatione chirurgica, aut durante narcosi. infirmus in periculum mortis incidat, quia in casu infirmitas revera habetur orta ex ipso facto narcosis aut operationis chirurgicae. Quod non raro accidit" *(Institutiones turis canonici* I (Taurini 1943] 599).

eum sacramentalitcr inungere. Simulae autem consentit consilio medicorum, mea quidem sententia se constituit inhabilem, qui sacri mysterii particeps fiat. Eo ipso enim, quod voluntate acceptat medium, cum quo certa restitutio sanitatis coniungitur, morbo suo rationem periculi adimit, omnem fundatum timorem mortis excutit et incapax fit illius confortationis, quae est sacramenti effectus principalis." Pariter *Vcrmeersch-Creusen* pro "illicita saltem" habent unctionem in illo casu, speculative tamen loquendo, nam practice vix ea certitudo haberi potest: "Si infirmus in periculo remoto consentiat in securum scalpelli usum (opération, operazione), quo omne periculum ex morbo quem nunc habet arcebitur, speculative quidem dixeris unctionem ante scalpelli usum futuram esse saltem illicitam. Sed practice securitati isti parum fidendum est. Quare praesens morbus periculosus coniunctus cum alea usus scalpelli ministrationem licitam facere nobis videtur."[32]

Alii ac frequentiores theologi, ut *Quinn, Kilker, Cappello, Conte a Coronata, Regatillo,* rectius docent, saltem ut probabilius (Cappello: "Sententia omnino tenenda"; Regatillo: "Probabilius"), infirmum in eo casu ungi posse, tum quia, quamvis in futuro per operationem periculum removebitur, tamen hic et nunc ante operationem adest ac ideo reddit subiectum capax, tum quia, si ob futurum periculum procedens ex eadem operatione, subiectum nondum in periculo existens non fit capax sacramenti, pariter ob futuram cessationem periculi non redditur incapax sacramenti subiectum iam in periculo existens, causa enim extrinseca nequit influere in capacitatem vel incapacitatem sacramenti nisi postquam per suum effectum evadit quodammodo intrinseca.

Ceterum, omnes admittunt quod, si infirmus nolit praedictae operationi se committere, inungi potest: item. quod, ob practicam insecuritatem illius operationis, utut a peritis pro certa indicatae, potest infirmus ante operationem saltem sub conditione inungi: in quo casu conditionatae administrationis. unctio subinde sub conditione iteranda est, si praeter expectationem contigerit infirmum post operationem adhuc in periculo mortis versari.

4. *Puerpera ante partum,* utut periculosum, nequit inungi, cum periculum quamvis certum, sit adhuc futurum. Ita. ut videtur, omnes doctores. Quidam tamen ambigue loquuntur de unctione tempore "ante partum" vel "instante partu," fortasse partum accipientes pro ultima phase actus parientis. Ita *Génicot-Salsmans:* "Necesse est ut . . . periculum oriatur ex dispositione intrinseca seu infirmitate cor-

Op. cit. (supra, in p. 590) 299.
Epitome turis canonici (ed. 6, Mechliniac 1940) II 153.

poris, vid. ex morbo vel ex causa quae morbo aequiparari soleat, puta ex vulnere, ex senectute viribus exhausta, ex instanti partu difficili" (n. 422); *Noldin-Schmitt:* "Morbus intelligitur quaelibet causa in ipso organismo iam existens, ex qua probabiliter sequitur dissolutio organismi; etiam vulnus acceptum duello vel suicidio vel operatione; partus qui periculum affert, senium. . . Non . . . potest valide ungi miles ante praelium, qui capite damnatus est, qui operationem subiturus est, nisi iam sit antea in periculo vitae, mulier ante ordinarium partum" (n. 444); *Piscctta-Gennaro:* "Valide inunguntur qui in mortis periculo versantur ex causa intrinseca, v. gr. morbo, venenosa potione, vulnere accepto, instante partu difficili et periculoso" (n. 1027).

In partu vero (et a fortiori post partum) si periculum mortis succedat *ex partu anormali* (vehementi sanguinis profluvio, interna laceratione, necessitate chirurgicae operationis ad extraendum fetus), mulier inungi potest, quia iam accessit vera infirmitas seu causa ab intrinseco inducens periculum vitae. Ita pariter omnes doctores: inter antiquiores nominatim S. Alphonsus (n. 713) referens Bonacinam, Filliuccium, Dianam, Lugonem, Amicum, Escobar, Reginaldum, Trullenchi, Candidum; inter modernos vero, Scavini, Tanquerey, Capellman, Kilker, Génicot-Salsmans, Aertnys-Damen, aliique moralistae communiter.

Si autem periculum mortis contingat *ex partu normali,* seu absque praedictis vel aliis, ut aiunt, complicationibus, ita ut ipsa consueta poena et difficultas pariendi de facto constituat hanc puerperam in mortis periculo, puta ob exanguem et debilem organismi conditionem, *disputatur* a doctoribus an ipsa inungi possit. Plures, praecipue inter antiquiores, negant eo quod tale periculum videtur provenire ex causa veluti extrinseca quae nequit infirmitati assimilari; ita inter antiquiores, S. Alphonsus et alii supradicti qui a S. Doctore etiam pro hac sententia afferuntur,[33] inter modernos vero, Scavini, Konings, Tanquerey, Gury-Ferreres, Aertnys-Damen, Augustine, Merkelbach et Conte a Coronata (qui tamen duo postremi ambigue loquuntur, ac possunt etiam ad contrariam sententiam reduci, ut ostendetur infra). Alii vero, praecipue inter modernos, rectius affirmant, ob contrariam rationem, quia nempe, etsi ipse partus non sit infirmitas, seu non sit aliquid pathologicum sed mere physiologicum, tamen de facto inducit tales corporis conditiones quae infirmitati assimilari possunt, ac ideo periculum infirmitatis iam provenit ex causa intrinseca inducta per

M In confirmationem solent citare verba S. Caroli Borromco ex *Cone. Mediolanensi IV:* "Parochus Extremae Unctionis sacramentum . . . ne ministret . . . mulieribus in partu laborantibus" *(Acta Ecclesiae Mediolanensis* [Mediolani 1843] I 147), sed hacc intelligi possunt dc casu quo desit mortis periculum.

ipsum partum. Ita Dens, Kenrick, Falise, Berardi, Génicot-Salsmans, Vermeersch, Noldin-Schmitt, Piscetta-Gennaro, Kilker; imo hic postremus doctor, quorundam modernorum peritorum testimoniis innixus, praefert partum ipsum considerare ut factum non mere physiologicum sed etiam pathologicum ita ut directe, sicut senium (nec tantum indirecte, sicut vulnus et venenum), assimiletur infirmitati.

Ceterum, inter duas opiniones non tanta est discrepantia, saltem si consideretur periculum mortis non ut insitum ipsi partui (ac si hic revera, sicut senium, sit secundum se aliquid pathologicum, directe assimilandum infirmitati, haec enim Kilker opinio videtur excessiva nec satis congruens Codici I.C. loquenti tantum de infirmitate vel senio), sed ut accidentaliter procedens ex partu, puta ratione magnae debilitatis virium, quemadmodum ex vulnere vel veneno periculum mortis induci potest (Vermeersch, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Piscetta-Gennaro). Propterea quidam moderni medio modo loquuntur, ac si velint utramque sententiam ad unam reducere. Ita *Merkelbach:* "Sacramenti hujus non sunt capaces . . . mulieres illae quae regulariter cum aliquo periculo pariunt, nisi ob specialem infirmitatem timenda sit mors aut ex partu vires iam sint valde debilitatae."[t] Pariter *Conte a Coronata:* "Si mulier ceteroquin sana communibus tantum doloribus partus laboret, etsi id prima vice accidat, non poterit ei Extrema Unctio ministrari, quia non exsistit morbus gravis et periculum mortis secum afferens. Si autem durante partu mulier coeperit gravissimis cruciatibus divexari ita ut in periculo mortis sit, utique tunc ei poterit Extrema Unctio ministrari, quia tunc morbus et quidem mortalis censetur adesse. . . Ab hac autem S. Alphonsi doctrina vix differre videtur doctrina quae a Kilker . . . enuntiatur. . . "[u]

5. *Si morbus sit levis* sed timeatur ne fiat gravis et periculosus, sacramentum invalide administratur, quia de facto deest necessaria conditio validitatis, scilicet mortis periculum; non enim haec conditio est periculum futurum vel timor de futuro periculo, sed praesens periculum cum timore de futura morte. Si e contrario adest periculum mortis, etsi morbus nonnisi leviter affligat infirmum, valide ministratur, quia praesens periculum, saltem remotum, est sufficiens conditio validitatis. Nec in his duobus est ullus dissensus inter auctores.

6. *Si morbus sit gravis sed nondum periculosus,* timeatur tamen imo moraliter certum sit ipsum evasurum periculosum, sacramentum invalide administratur, quia, ut probatum est in Conci. 3 (p. 643 sq.),

[t] *Summa theologiae moralis* (cd. 3, Brugis 1939) III 683.
[u] *Institutiones iuris canonici* I (Taurini 1943) 599, in textu et in nota.

necessaria conditio validitatis est periculum non futurum, aut quomodolibet virtuale et in causa, sed actuale et in se. Huic tamen assertioni contradicunt plures doctores, ut *Suarez, Kern, Cappello,* ut supra dictum est (p. 588-591). Supponimus autem quod revera constet morbum esse simul gravem nec adhuc periculosum; cum tamen saepe constet quidem de gravitate, puta quia graviter affligit infirmum, sed non satis constet de eius indole non periculosa, puta quia natura morbi ignoratur, *in casu dubii de existentia periculi* sacramentum conditionate administrari potest, iuxta ipsum *Codicem I.C.,* can. 941: "Quando dubitatur num infirmus . . . in periculo mortis reapse versetur . . . hoc sacramentum ministretur sub conditione." Cuius ceteroquin validitas pendebit ab obiectiva et actuali praesentia periculi. Praefati tamen doctores absolutam administrationem proponere videntur; ita *Cappello* (post Kern) scribens: "Si natura morbi ignoratur, et dubium existât utrum gravis et periculosus sit an non, licetne sacramentum ministrare? Resp. . . . Sacramentum potest ministrari" (n. 240).

Ceterum haec ipsa conditionata administratio non est temere et sine sufficienti ratione facienda, sed, si nulla peculiaris ratio necessitatis obstat, prudentius expectatur tempus in quo periculum mortis apertius fiat seu vere probabile appareat, ut notat ipse *Kern* (cit. in p. 590).

7. *In dubio de existentia periculi mortis,* sacramentum conditionate administrari potest, iuxta Codicem nuper relatum. Antiquiores tamen theologi contrarie indicabant: ita 5. *Alphonsus* scribens: "In dubio autem an infirmitas sit periculosa mortis, recte aiunt Castropalaus et Laymann non posse Extremam Unctionem ministrari . . . quia praeceptum est ne aliis quam de vita periclitantibus ministretur."[38]

8. *Judicium dc existentia periculi,* fundans liceitatem, et, iuxta casum, ipsam validitatem sacramenti, fieri potest sive a medico, sive ab ipso infirmo, sive ab aliis (puta a ministro vel familiaribus). Unde si medicus declaret non haberi periculum, infirmus vero ita graviter affligatur ut solide reputet se in periculo versari, sacramentum conferri potest, quia medici et falli et fallere possunt. Pariter, si vicissim infirmus abiudicet se esse in periculo, medicus vero vel alii (ut parochus aut familiares) iudicent adesse iam periculum, sacramentum conferri potest, quia infirmus in iudicio de propria causa facile falli potest, praecipue ubi agatur de quibusdam infirmitatibus quae minus graviter affligunt. Etiam de hoc nullus videtur adesse dissensus inter auctores.

[38] *Op. cit.* (supra, in p. 592) 730.

9. Cum ad validitatem sacramenti requiratur *periculum obic.ctivum* et a parte rei, nec sufficiat mere subiectivum et existimatum, ut probatum est in Cone. 3 (p. 644-648) contra plures doctores, praefatum iudicium de existentia periculi conditional per se ac necessario solam liceitatem administrationis, ita ut validitas pendeat a sola obiectiva existentia periculi. Unde, si post absolutam vel conditionatam administrationem, comperiatur falsitas prioris iudicii. seu ex progressu morbi eiusque manifestationibus indicetur antea revera periculum defuisse quod iam adest, sacramentum iterari potest, saltem sub conditione.

10. Quamvis, iuxta dicta in Conci. 4 et communiorem modernorum sententiam, *periculum remotum* sufficiat ad validitatem sacramenti, et consequenter, per se et abstracte loquendo, etiam ad eius liceitatem, tamen licitus usus illius sententiae, nondum certae sed tantum probabilioris, subicitur in praxi variis prudentialibus conditionibus, i.e. pendebit ab impossibilitate aut difficultate adeundi infirmum in alia occasione (cf. supradictum casum a S. *C. de Prop. Fide* resolutum, p. 561), a statu infirmitatis et infirmi (seu quo gradu infirmitas processerit vel quandiu iam duraverit; quae media curationis infirmo, puta pauperiori, praesto sint, etc.), a spirituali indigentia infirmi, a spe ipsa recuperandi corporalem sanitatem per sacramentum, a scandalo fidelium (non nimis tamen urgendo) quod forte oriatur ex cognita unctione infirmi adhuc ordinaria sua officia obeuntis.

Ad rem *Kern:* "Si morbus secum ducat periculum certum mortis, sed remotae . . . valide datur sacramentum. . . Difficilius determinatur, num collatio sacramenti liceat. Licebit certe, si ex circumstantiis timendum sit, ne postea infirmo desit occasio illud recipiendi [ut constat ex responso S. C. de Prop. Fide]. . . In aliis casibus expendendus est status morbi, spes restituendi languidum sanitati ope supernaturalis medicinae, maius eius bonum spirituale, scandalum forte exoriturum, si Extrema Unctio detur homini adhuc sua officia obeunti etc. Unde speciales regulae spectant ad theologiam postoralem."[37]

Kilkcr: "If the disease brings with it a remote yet certain danger of death, the sacrament can be validly given. The subject in such a case is actually in danger of death. Whether it is advisable in individual instances to administer the sacrament to those who have still a long time to live depends much on local circumstances. Thus the Propaganda, on February 20, 1801, permitted missionaries to anoint consumptives who had several months to live, but who would die within a year, because of the likelihood that the missionary might

[37] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 299 sq.

not be able to return to them. Such extraordinary circumstances make licit the administration of the sacrament. In other cases, such as the usual instances of consumption, cancer, etc., whose outcome will certainly be fatal yet whose danger is but remote, very many factors will have to be considered by the priest in regard to the time most opportune to anoint. The present state of the disease will first claim attention. How far it has progressed and is afflicting the subject must be considered. The hope of restoring health in virtue of the sanative powers of the sacrament and the question whether greater good will result from an administration now or later will be weighed by the prudent priest. The danger of scandal must not be overlooked. It may arise easily enough from the anointing of a subject who is still able to walk about, and even perform his everyday duties. Pastoral prudence will dictate what is to be done in individual cases."[38]

11. Quod attinet ad relationem inter *Extremam Unctionem el Viaticum,* notandum est non maius aut certius periculum mortis requiri ad recipiendum unum sacramentum quam aliud, nec ex varia praxi postponendi aut praeponendi Extremam Unctionem Viatico colligi potest necessitas strictioris periculi pro uno vel altero sacramento. Unde, si sufficit remotum periculum pro Extrema Unctione, sufficit etiam pro Viatico. Idque patet ex ipsa praxi et documentis Ecclesiae, in quibus ministratio utriusque sacramenti copulatur; peculiariter ad rem faciunt documenta *Benedicti XV* et S. *C. de Prop. Fide* (supra relata, p. 561 sq.) et *Codex I.C.* qui de utroque sacramento eodem generali modo loquitur, non requirens nisi periculum mortis (can. 864, § 1, can. 865, can. 940, § 1, can. 944).

Duplex aliunde discrimen adest inter Extremam Unctionem et Viaticum; nam illa dari potest solis infirmis et quidem semel tantum in eodem periculo, hoc vero conferri potest omnibus qui sunt in periculo mortis, ex quacunque causa, et quidem pluries in eodem periculo mortis.

12. Quod attinet ad connexionem huius quaestionis de sufficientia periculi remoti cum quaestione de *initerabilitate sacramenti,* oportet utramque logice connectere et cavere a confusionibus, sive quoad ipsam doctrinam sive in iudicandis variis dictis vel opinionibus theologorum (ut iam notavimus in art. 24, p. 334, 357). Si nempe admittitur sufficientia periculi remoti, logica consequentia est quod quousque hoc periculum durat, sacramentum semel administratum repeti non potest, etiam si periculum fit proximum aut imminens. Cum

[38] *Op. cit.* (supra, in p. 590) 172 sq.

tamen sufficientia periculi remoti non sit certa, sed tantum probabilior, convenientior modus agendi erit ut in periculo remoto (suppositis prudentialibus circumstantiis de quibus supra) sacramentum conferatur sub conditione, ac subinde, accedente periculo proximo seu certiori, iteretur sub conditione.

13. Quod attinet *obligationem administrandi sacramentum* in relatione ad varia genera periculi, quae fingunt doctores, recte ipsi distinguunt inter posse et debere, dicentes sacramentum conferri *debere* in eo periculo in quo iam moraliter certum est mortem imminere vel propinquam esse, conferri vero *posse* in eo periculo in quo id probabile tantum est. In qua obligatione fundanda, doctores magis attendere videntur ad distinctionem inter certitudinem et probabilitatem secuturae mortis quam ad distinctionem inter periculum imminens, proximum et remotum, quae binae distinctiones non omnino coincidunt.

Ea distinctio fortasse involvitur in verbis *Cone. Trid.:* "Est haec unctio infirmis adhibenda, illis vero praesertim qui tam periculose decumbunt ut in exitu constituti videantur" *(Dcnz.* 910). Explicite facta est a S. *Alphonso* scribente: "Distinguere oportet quando Extrema Unctio dari debeat, et quando dari possit. Adest quidem obligatio . . . eam ministrandi cum urget periculum proximae mortis. . . Caeterum communiter docent DD. valide et licite posse dari Extremam Unctionem statim ac prudenter judicatur infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximae."[30] Eam repetunt plures moderni moralistae, ut *Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Kilker, Piscctta-Gennaro,* ac confirmavit recentius *Pius XI* in supradicto documento (p. 561) docens: "Neque enim, ut sacramentum valide liciteque detur, necesse est ut mors proxime secutura timeatur, sed satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo judicium; quodsi in ea rerum conditione conferri debet, in hac conferri utique potest."

Ad rem *Génieot-Salsmans,* sic sententiam S. Alphonsi traducens: "Ut advertit S. Alphonsus (n. 714) casus ille in quo dari potest extrema unctio, probe secernendus est ab eo in quo dari debet. Hic autem contingit *quando iam moraliter certum est* mortem infirmo imminere" (n. 422). Paulo aliter *Noldin-Schmitt:* "Cum primum hoc probabile periculum mortis adesse iudicatur, conferri potest extrema unctio. . . Dari autem debet *saltem quando* mors morali certitudine iam imminet" (n. 444). Iterum paulo aliter *Piscctta-Gennaro:* "Sedulo distinguendum est inter periculum probabile et periculum moraliter

"*Op. cit.* (supra, in p. 592) 729. S. Doctor tamen sufficientiam remoti periculi directe non docuit, ut notatum est supra (p. 604, 606); unde haec eius verba sic intelligi possunt, imo probabiliter intelligcnda sunt, ut in periculo imminenti seu in articulo mortis sacramentum conferri debeat, in periculo vero proximo sed non imminenti conferri possit, accipiendo quidem has distinctiones in sensu iam supra explicato.

certum. Nam si periculum tantum probabile est, nempe ex praesenti morbo mors secutura timetur, at *spes eam evadendi ipso timore validior est,* Extrema Unctio licite quidem confertur, at nulla eam conferendi exstat obligatio. E contra, si mortis periculum est moraliter certum, nempe *timor mortis subeundae validior est spe eam evadendi.* Extrema Unctio dari debet. Quod si dubitatur an infirmus in mortis periculo revera versetur, Sacramentum hoc ministrandum est sub conditione" (n. 881).

ART. 32. Utrum Ad Validitatem Huius Sacramenti Requiratur Ac Sufficiat, Praeter Ipsam Subiecti Capacitatem, Duplex Proprie Dicta Conditio, Scilicet Intentio Suscipiendi Et Character Baptismalis.

STATUS QUAESTIONIS

Quaestio est *de conditionibus requisitis* ad valorem sacramenti, prout, iuxta dicta superius (p. 446). conditio stricte distinguitur a mera capacitate de qua actum est in quinque articulis praecedentibus. Iam in tractatu *De sacr. in genere* (art. 23, et 24) ostendimus intentionem, et quidem habitualem et implicitam, esse unicam generalem conditionem requisitam et sufficientem ad valorem sacramenti, attenta nempe sola generali indole sacramenti et abstrahendo a particularibus exigentiis uniuscuiusque sacramenti. Restat igitur hic determinandum utrum hoc sacramentum ex peculiari sua indole aliquid aliud ulterius requirat, seu:

1. Utrum in eo sufficiat intentio habitualis, etiam implicita, nec requiratur intentio sive actualis seu formalis, sive virtualis, sive etiam habitualis explicita, iuxta distinctiones in eodem tractatu (art. 23) explicatas.

2. Utrum tamen, praeter intentionem, requiratur alia conditio, scilicet praevia susceptio alius sacramenti (nam diversa conditio vix fingi potest), i.e. Baptismi, et ita ut Baptismi susceptio sufficiat quin praerequiratur aliquod aliud sacramentum, nominatim Eucharistia, Poenitentia, vel Ordo.

Ut patet, in hoc articulo intentio accipitur relate ad ipsum sacramentum, seu ut intentio suscipiendi sacramentum, non vero generaliter de usu rationis per actus intentionis quomodolibet exercito, nam de necessitate adepti usus rationis egimus supra in art. 28 inter requisita ad ipsam capacitatem suscipiendi sacramentum; unde hic quaestio est, utrum ad valorem sacramenti requiratur non solum ut subiectum habeat usum rationis sed etiam ut hunc exerceat relate ad sacramentum. per actum nempe intentionis suscipiendi sacramentum.

Ceterum in affirmativam responsionem ad utramque quaestionem fere unanimiter conveniunt theologi, tam moderni quam etiam antiquiores. Quaedam enim ambiguitates vel diversi modi dicendi, qui deprehendi possunt apud *aliquos doctores antiquiores,* necnon in ipsis documentis variarum ecclesiarum, circa praxim seu administrationem huius sacramenti, nequaquam involvunt dissensum aliquem doctrinalem, sed, ut constat ex mox dicendis in ipsa Conclusione, solummodo ostendunt evolutionem et progressivam affirmationem atque clarificationem eiusdem doctrinae, implicite contentae in generali sensu Traditionis, interpretante et applicante verba ipsa Iacobi de institutione et fine huius sacramenti. Ipse etiam practicus dissensus *Orientalium Schismaticorum,* qui hoc sacramentum moribundis sensibus destitutis non administrant, non necessario implicat dissensum doctrinalem, nam non necessario fundatur in persuasione invaliditatis talis administrationis, quamvis videatur connecti cum alio eorum errore quo sacramentum etiam non infirmis administrant, incusantes Ecclesiam catholicam quod Extremam Unctionem mutaverit in proprium sacramentum moribundorum.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Ad validitatem huius sacramenti requiritur et sufficit intentio habitualis implicita, ita ut valide administretur etiam hominibus non perpetuo amentibus (seu qui aliquando lucidum intervallum habuerint) nec non moribundis sensibus destitutis.

Probatur.

NECESSITAS alicuius verae et proprie dictae intentionis, cuius minimus gradus est intentio habitualis implicita, probata est generaliter quoad omnia sacramenta in tractatu *De sacr. in genere* 347-355, ubi etiam dictum est non sufficere intentionem sive interpretativam. sive negativam, sive (ut dicitur) externam, nam prima et altera non sunt vere et proprie intentio, tertia autem non respicit sacramentum (cf. ibidem, p. 345 sq., 355, 357). Non raro quidem accidit ut aliqui auctores, improprie loquentes, dicant sufficere intentionem negativam vel interpretativam, sed sub his vocibus intelligunt intentionem habitualem implicitam, quae nempe est veluti negativa vel interpretativa relate ad intentionem explicitam.

Praeterea, S. *Thomas* addit peculiarem rationem quare in hoc sacramento, necnon in ceteris praeter Baptismum, exigatur per se intentio subiecti. Ait nempe: “Baptismus non requirit motum liberi arbitrii,

quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio. Sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii" *{Suppi.,* q. 32, a. 3, ad 2).

Observa discrimen hoc, a S. Thoma breviter indicatum, inter Baptismum et Extremam Unctionem ceteraque sacramenta, in eo consistere quod, quamvis in omnibus sacramentis requiratur intentio in subiecto adulto, tamen in Baptismo, et in ipso solo, id provenit tantum ex extrinseca conditione subiecti existentis in adulta aetate, non vero ex exigentia ipsius sacramenti. Nam Baptismus ex una parte datur ad modum generationis, in qua subiectum genitum per se mere passive se habet quin possit ullo modo cooperari, cum prius sit esse et generari quam operari aut cooperari (3 p., q. 68, a. 9, ad 1) et ex alia parte confertur principaliter ad auferendum peccatum originale quod non est nostra voluntate commissum *{Suppi.,* q. 32, a. 3, ad 2, nuper cit.); unde intentio adulti in Baptismo requiritur non ex propria exigentia sacramenti, sed ex alia ratione seu ex conditione subiecti, eo quod nempe ex una parte non conveniat adultum hominem nisi volentem sanctificari et ex alia parte adultus indiget purgari etiam a peccatis actualibus quae per propriam intentionem et voluntatem commissa sunt (3 p., q. 68, a. 7, ad 3). In ceteris vero sacramentis Deus sanctificat hominem iam per Baptismum regeneratum, eumque liberat a peccatis per propriam voluntatem et intentionem commissis, adeoque ex ipsa interna exigentia horum sacramentorum provenit ut homo, si potest seu si usu rationis pollet, per suam intentionem actioni divinae et efficacitati sacramentorum cooperetur.

SUFFICIENTIA autem habitualis ac implicitae intentionis (quae continetur etiam in ipsa generali explicita intentione christiane vivendi et media salutis suscipiendi) probatur tum *ex ipsa generali ratione,* nam, ut dictum est in tractatu *De sacr. in genere* 356, ex una parte talis intentio sufficit ad reddendam susceptionem sacramenti vere voluntariam et humanam (propter quod tantum intentio exigitur in subiecto sacramenti) et ex alia parte hoc sacramentum, secus ac Ordo, non importat alicuius onerosae obligationis sequelam, tum *particulariter ex ipso sensu Ecclesiae,* prout paulatim per saecula magis ac magis determinate manifestatus est in doctrina theologorum et in ipsa praxi sacramentaria.

Ex verbis quidem Iacobi "Inducat presbyteros Ecclesiae" nihil sive pro sive contra sufficientiam habitualis et implicitae intentionis deduci potest, cum ea verba, prout sonant actualem actum advocantis, possint referri ad solum ordinarium casum infirmorum sensibus non destitutorum et aliunde intelligi queant de quacumque voluntatis

expressione, quae vere, etsi habitualiter et implicite tantum, habetur etiam in homine sensibus destituto (cf. dicta in p. 467 sq., 481).

Ex antiqua Patrum doctrina ct Ecclcsiac praxi nihil directe deduci potest, nam casus hominis sensibus aut usu rationis destituti, in ordine ad susceptionem Extremae Unctionis, multo serius explicite consideratus fuit quam in ordine ad susceptionem Baptismi et Poenitentiae, longe maioris necessitatis sacramentorum.[40] Ceterum, ipsa rei analogia, transitum ab administratione Baptismi et Poenitentiae ad collationem quoque Extremae Unctionis eidem subiecto facile suadebat ac permittebat; et de facto *Cone. Arausicanum* I a. 444 post can. 12: "Subito obmutescens, prout flatus ejus est, baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut prateritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu" *(Harduin* 1. 1785) immediate hunc can. 13 refert: "Amentibus quaecunque pietatis sunt conferenda" *{ibid.'),* qui, ut diximus supra (p. 492), non inepte invocatur ut signum mentis Ecclesiae in hac materia de administratione ipsius Extremae Unctionis.

Inde quidem ab antiquo, praxis in Ecclesia fuit, in praefatis ipsis Apostoli verbis fundata, ut *explicitus subiecti consensus* ad hoc sacramentum suscipiendum exigeretur, seu non ante infirmis sacramentum praeberetur quam ipsi petiissent. Eam testantur antiqui scriptores, particularia Concilia et varii libri Rituales usque ad saec. 17, seu *usque ad editionem Ritualis Romani a. 1614."* Ceterum, data occasione et proposito casu infirmi sensibus destituti, accessit paulatim consideratio habitualis et impliciti consensus.

Paschasius Radbertus, De Vita S. Adalhardi, supra cit., p. 518.

Vita Remberti Bremensis, supra cit., p. 306 sq.

Aefricus Cantuariensis (?) episcopus (f 1005?) in suis *Canonibus* ait: "Nemo praesumat ungere, nisi exoratus" (can. 32, cit. in art. 1, tom. 1, p. 157).

Decretum Pseudo-Eugenii Papae, relatum a Burchardo et Ivone Carnotensi *{ibid.,* p. 157 sq.), quod certe est antiquius saec. 12 et a Launoy[42] refertur ad saec. 8, implicite asserit sufficientiam habitualis intentionis, assimilans Extremam Unctionem Poenitentiae, quas dicit conferri posse infirmo qui loquelam amiserit.

Codex Ratoldi: "Incipit ordo unctionis infirmi: Hic dicat sacerdos

"Cf. tractatum *De Poenitentia* IV 580 sq.

"Plura documenta collegit Launoy, *De sacramento Unctionis Infirmorum liber.— Explicata Ecclesiae Traditio circa petitionem sacramenti Extremae Unctionis,* c. 1, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 555-558.

"Ibid., Explicata vetus Ecclesiae Traditio de data infirmis post unctionem Eucharistia, p. 604.

ad infirmum: Quid me advocasti, frater? Ille ait: Ut mihi unctionem tradas" *(ML* 78. 524).

Codex Rhemensis: "Tunc sacerdos ad infirmum dicat: Vocasti. Infirmus dicat: Desideravi tecum loqui, ut mihi poenitentiam et remissionem peccatorum tradas" *(ML* 78. 530).

Ordo 1 (ex Pontificali anglicano, circa a. 800): "Tunc sacerdos flexis genibus ante aegrotum inclinet dicens ei: Ut quid nos vocasti, frater? Infirmus dicat: Ut unctionem mihi tradere dignemini."u

Ordo 2 (ex Pontificali Prudentii Trecensis): "Postea dicat ad infirmum: Quid me vocas frater? Respondet ille: Ut mihi poenitentiam trades."[44]

Ordo 16 (ex Pontificali Cameracensi, circa a. 1200): "Tunc dicit sacerdos ad infirmum: Quid me vocasti frater? Infirmus respondet: Ut mihi tradas unctionem."[45]

Ordo Romanus (saec. 11-12), fons hodierni Ritualis Romani: "Deinde dicat: Ad quid me vocasti, frater? Respondebit infirmus: Ut confitear Deo et tibi peccata mea . . . et des mihi poenitentiam, et infundas sancti Spiritus unctionem" *(ML* 78. 1020).

Cone. Beneventanum a. 1374 (tit. 8, cap. 1): "Nullus ungendus est, nisi qui prius compos mentis existens, verbis aut signis id postulaverit. . . Si vero infirmus, qui petit hoc sacramentum, amiserit notitiam vel loquelam; nihilominus dum tamen vitam habeat concedatur eidem."

Rituale Carnotensc a. 1489: "Modus autem administrandi Extremae Unctionis Sacramentum, quod ab infirmo requirendum est, et *petendum saltem a custodientibus illum."* Idem habent Ritualia *Ucetiense* a. 1500, *Pctragoricense* a. 1505, *Claromontense,* a. 1518, *Aeduense* a. 1523, *Sanflorense* a. 1525, *Magaloncnse* a. 1533, *Virdunense* a. 1554, *Lemovicense* a. 1555.

Rituale Nemausense a. 1533: "Sequitur modus administrandi sacramentum Extremae Unctionis, et nota quod istud Sacramentum non datur, nisi infirmus petat verbo vel signo illud sibi conferri, *vel dederit alii in mandatis, ut pro ipso petat,* si necessitas evenerit, in qua ipse infirmus non possit petere causa infirmitatis."

Rituale Treccnsc a. 1541: "Incipit ordo ad visitandum infirmum, et ad sacramentum Extremae Unctionis conferendum, quando quis graviter infirmatur et *quaerit istud seu quaesivit* istud Sacramentum sibi dari." Idem fere habent *Ritualia Rhemcnse* a. 1504, *Bellovacense* a. 1544, *Lingolncnse* a. 1573. Praeterea *Statuta eiusdem Ecclesiae*

"Apud Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 4 (Rotomagi 1700) 117.

"Z6id. 122.

"*Ibid* 187.

Trecensis signantem hanc quaestionem ponunt: "Utrum ante phrenesini, vel antequam amiserint loquelam, debeat dari Extrema Unctio. Distinguunt Doctores supradicti [i.e. S. Antoninus et Paludanus], quia si talis erat excommunicatus, vel malae vitae notorie, et non ostendit signa poenitentiae, tali non debet dari, quia si semel malus, semper praesumitur malus, nisi probetur contrarium; sed si bonae vitae erat, non praesumitur immemor suae salutis in morte plusquam in vita, licet non probetur, vel quod *petivisset, si advertisset, et quod petere voluit, sed jorte non potuit.* Haec illi [doctores]."

Rituale Metense a. 1542: "Interrogetur infirmus, si petat Sacramentum Extremae Unctionis, et si in fide velit illud recipere. Respondeat: Volo." Idem habet *Rituale Tullense* a. 1559.

Rituale Meldcnse a. 1546: "Modus administrandi sacramentum Extremae Unctionis, quod ab infirmo requirendum est, et petendum saltem signo aliquo; qui si ita propinquus sit morti, et *prius illud postulaverit, vel saltem dixerit se velle vivere et mori in fide catholica.* custodes ejus nomine petere possunt et debent." Cf. alium textum cit. supra, p. 484.

Rituale Viennense a. 1577, cit. in p. 493.

Statuta synodalia Aurelianensia a. 1587, cit. in p. 493.

Instructiones S. Caroli Borromeo, cit. in p. 493 sq.

Rituale Constantiense a. 1609, cit. in p. 494.

Rituale Burdigalensc a. 1611, cit. in p. 494.

Summa horum documentorum haec est: 1. Per se requiritur ut infirmus explicite petat sacramentum, seu habeat *actualem (vel virtualcm) intentionem;* quae quidem petitionis seu intentionis expressio in quibusdam Ritualibus (Codice Ratoldi, Ritualibus Metensi et Tullensi) videtur proponi ut quaedam caeremonia, similis illi quae extat in rituali Baptismi ("Quid petis ab Ecclesia Dei? . . . Fidem. . . Vis baptizari? . . . Volo."). 2. Ea petitio facienda est ab ipso infirmo "si possibile est" (Synodus Lemovicensis), secus ab aliis, i.e. "a custodientibus illum" (rituale Carnotense et plura alia) vel ab eo cui ipse "dederit in mandatis ut pro ipso petat, si necessitas evaserit, in qua ipse infirmus non possit petere causa infirmitatis" (Rituale Nemausense). 3. Sufficit quod infirmus "ante petierit quam sensu privaretur" (Cone. Beneventanum, Ritualia Viennense, Trecense, Rhemense, Bellovacense, Lingolnense, Constantiense), adeoque sufficit *intentio habitualis.* 4. Non est necesse ut infirmus antea explicite petierit hoc sacramentum, sed sufficit quod "dixerit se velle vivere et mori in fide catholica" (Rituale Meldense). imo sufficit quod "bonae vitae fuerit, ac ideo praesumatur quod petiisset, si advertisset,

et quod petere voluerit, sed non potuit" (Statuta Trecensia, Rituale Burdigalense), imo sufficit quod "verisimile sit quod petiisset" (Instructiones S. Caroli Borromeo); quibus clare significatur sufficientia ipsius *intentionis habitualis implicitae.*

Eadem doctrina et formulatio habetur *apud theologos a saec. 13 ad initium saec. 17,* seu usque ad editionem Ritualis Romani.

Albertus M.: "Hoc sacramentum nonnisi recognoscentibus ipsum et postulantibus est exhibendum" (cf. supra, p. 490). *Bonaventura:* "Non debet istud Sacramentum dari nisi adultis et postulantibus" (cf. supra, p. 491). S. *Thomas:* "Hoc sacramentum non est dandum nisi recognoscentibus ipsum. . . Illis qui non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum dari non debet" (cf. supra, p. 474 sq.). Hi tres doctores non sibi explicite proponunt casum moribundi sensibus destituti ac ideo nec explicite docent sufficientiam intentionis habitualis; attamen inepte quidam, ut Spâcil (supra cit., p. 488), dicunt eos hanc negare, ut ostensum est supra (p. 474 sqq., 489 sqq.) praecipue quoad S. Thomam, qui de sufficientia habitualis intentionis loquitur in simili casu de temporanee amentibus relate ad susceptionem Eucharistiae (3 p., q. 80, a. 9, cit. in p. 476, 489). Ceterum, ut supra diximus (p. 489, 491), mens illorum doctorum non inepte illustrari etiam potest tum ex verbis *Apocryphi Opusculi S. Thomae De officio sacerdotis:* "Si autem infirmus qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum sacerdos," tum ex verbis *Scoti:* "Excluduntur [ab hoc sacramento] furiosi et amentes, et hoc nisi per voluntatem praecedentem expressam praesumantur illud velle," et "Non debet dari furiosis in extremis, nisi prius ante furiam, quando usi fuerunt ratione, illud petiissent."

Ceterum, apud theologos posteriores paulatim magis explicite significata est sufficientia intentionis habitualis et quidem etiam implicitae. Verba *Capreoli* (**t** 1444) interpretantis sententiam S. Thomae de sufficientia habitualis intentionis in amentibus, dedimus supra (p. 490, nota); sensum vero doctrinae *Paludani* (**f** 1342) et S. *Antonini* (**t** 1459) modo audivimus (p. 679) in interpretatione *Statutorum Trecensium.* Verba ipsa *Paludani* citat Capreolus: "Sicut baptismus debet dari illi qui in sanitate illum petiit, etiam si fiat furiosus, nec speretur lucidum intervallum, quia non requirit actum suscipientis per se, quia ordinatur ad peccatum contractum sine actu proprio; sic infirmo, qui cum sanae mentis esset petiit hoc sacramentum et postea incidit in phrenesim, datur hoc sacramentum, cum etiam detur ei Eucharistia; qui tamen non est capax rationis, nec per consequens

hujus hilaritatis, nec conversionis ad Deum, nec per consequens displicentiae."[40] Eandem sententiam repetunt doctores saec. 16, notanter *D. Soto* (**t** 1560; supra cit., p. 491), *Navarrus* (**t** 1586; cit. ibid.) qui etiam sufficientiam implicitae intentionis signanter exprimit, dicens sacramentum posse administrari amenti "si . . . antequam insaniret, expresse aut *tacite petierit illud, aut, si meminisset, petiturus fuisset,*" *et Suarez* (**t** 1617) scribens "fore peccatum grave dare sacramentum homini habenti obicem, et nullo modo, id est, nec expresse, nec *implicite seu interpretative petenti* sacramentum, et salutis suae remedium, saltem per signa attritionis, aut bonae vitae."[47]

Sensum antiquorum et explicitant doctrinam posteriorum omnium theologorum apte sic exhibuit idem *Suarez* circa tempus quo prodibat Rituale Romanum: "Hoc maxime confirmat Ecclesiae usus; nihil enim frequentius fit, quam juvare hoc sacramento homines aliis sacramentis destitutos, et omni sensu ac ratione carentes. *Ut autem susceptioni talis sacramenti consentire censeantur, satis est quod signa aliqua contritionis ediderint, vel quod quacunque ratione probabili praesumantur esse dispositi ad sacramentum recipiendum, quod semper praesumendum est quoties contrarium non constat, quia qui malus non probatur, bonus esse praesumitur.* Qui autem praesumitur contritus, vel bene dispositus ad justificationem, etiam creditur habere, et revera habet virtute voluntatem suscipiendi illa media, quae hic et nunc ad suam salutem vel necessaria sunt, vel valde utilia, et haec voluntas sufficit ad valorem hujus sacramenti, ut superiori tomo, disput. 6 de sacramentis in genere, dixi, et *Navarr.* supra declaravit, dicens, sufficere, ut antequam aliquis amittat usum rationis, hoc sacramentum petierit, aut si meminisset, petiturus fuisset. Et in hoc sensu dicunt fere Doctores omnes, quod licet ad recipiendum hoc sacramentum necessaria sit intentio seu petitio recipientis, juxta illud Jacobi 5: 'Inducat presbyteros Ecclesiae,' non tamen semper sit formalis necessaria, sed *virtualis, seu interpretativa sufficiat,* ut patet ex Palud., Soto, Ledesm., aliis, d. 23; Anton., 3 par., tit. 11, c. 8, § 3; Petro Soto, lect. 2 de hoc sacram., et Summistis."[48]

Rituale Romanum a. 1614, supra cit. (p. 495), sufficientiam habitualis implicitae intentionis expressit verbis "Illud petierint, seu *verisimiliter petiissent*" quae habebantur in Instructionibus S. Caroli Borromeo ("Illud petierunt, aut verisimile est quod petiissent").

"*In 4 Sent.,* dist. 23, q. 1, a. 3, ad 5 Durandi, *Defensiones theologicae D. Thomae Aquinatis* (Turonibus 1906) VI 460.

"In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 42, sect. 1, n. 8, *Opera omnia* XXII (ed. C. Bcrton, Parisiis: Vivès 1866) 850.

"*Ibid.* η. 6.

Codex I.C., can. 943, cui aptata est ipsa *nova editio Ritualis,* eandem expressionem repetit ac complet, simul etiam complectens utrumque casum hominis temporanee amentis et hominis sensibus destituti: "Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud [sacramentum] *saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent,* etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur." Ex quibus verbis licet interpretari, in sensu sufficientiae intentionis habitualis implicitae, etiam tria supra relata (p. 523) documenta SS. *CC. S. Officii ct Propagandae fidei* circa Extremam Unctionem conferendam immediate post Baptismum paganis in periculo mortis ablutis.

Conclusio 2. Ad validitatem Extremae Unctionis praeter intentionem requiritur ac sufficit character baptismalis, nec praerequiritur alterius sacramenti susceptio, scilicet Ordinis, aut Poenitentiae, aut Eucharistiae.

Probatur.

1. *BAPTISMUS REQUIRITUR.*

Generalis ratio, quae valet etiam pro ceteris sacramentis, est quia: *primo,* Baptismus, mediante gratia regenerationis, dat primo et per se vitam gratiae, quae subinde modificatur sub una vel altera ratione per varias gratias sacramentales quae sunt effectus ceterorum sacramentorum, non enim potest vita gratiae per cetera sacramenta confirmari, restaurari, curari, aut audiuvari, nisi prius per Baptismum habeatur; *secundo,* per Baptismum, mediante charactere, homo incorporatur Christo et Ecclesiae ac ideo connectitur cum sacerdotio Christi, ex quo procedit omnis influxus sacramentorum, et fit membrum illius sacerdotalis societatis cui, tanquam bona propria, concredita sunt sacramenta. Unde neque pagani neque catechumeni, quantumvis gratia fidei iam illuminati aut baptismo ipso flaminis seu contritionis iustificati, sunt subiectum capax cuiuslibet sacramenti praeter Baptismi.

Particularis ac propria ratio desumitur praeterea ex specifico effectu et proprio fine huius sacramenti. Proprius enim eius finis est quaedam "totius vitae christianae consummatio" (Cone. Trid.), quae Christiana vita nonnisi per Baptismum inchoatur; specificus vero effectus est abstersio reliquiarum peccati, quae remissionem ipsius peccati, primo per lavacrum regenerationis effectam, necessario praesupponit, nec potest vita gratiae per Extremam Unctionem multifarie perfici, purgari, curari, restaurari, roborari, confortari et ad vitam ipsam gloriae praeparari, nisi prius per Baptismum conferatur.

Nec obstat quod Extrema Unctio possit mederi ipsis reliquiis peccati originalis aut saltem reliquiis peccatorum actualium ante Baptismum commissorum, quoniam priores reliquiae non cadunt sub materia huius sacramenti "nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae" *(Suppi.,* q. 32, a. 4, ad 2), ceterae vero reliquiae nequeunt per hoc sacramentum curari nisi prius ipsa peccata sint per Baptismum remissa, nec tantum quomodolibet per Baptismum remissa, puta per Baptismum in voto contritionis, sed per Baptismum in re ipsa primo peccata abluentem vel subinde per suam specificam gratiam iam factam remissionem confirmantem.

Ceterum in hoc tota Traditio inde a textu ipso *lacobi* collimat. Verba promulgationis "Infirmatur quis in vobis" christianos seu fideles baptizatos alloquuntur, quibus ipsa epistola catholica dirigitur. *Innocentius 1* in sua epistola ad Decentium, quae praebet primum indubium testimonium de hoc sacramento, ad textum lacobi observat: "Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt" *(Denz.* 99 ». *Cone. Trid.* hoc sacramentum vocat "non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum" additque Christum "quaemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivisse" *(Denz.* 907). *Codex I.C.* postquam in can. 737, § 1, asseruerit: "Baptismum Sacramentorum ianuam ac fundamentum" esse, in can. 940, § 1, docet: "Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli," quae vox, iuxta antiquum usum ecclesiasticum, ad minimum significat baptizatum.

Practica quaestio hic incidit de his qui sint dubie baptizati; cuius solutio est non ut illis conferatur Extrema Unctio sub conditione sed ut prius ipse Baptismus detur sub conditione, ac subinde, iam sublato dubio de requisito Baptismo, Extrema Unctio absolute conferatur.

Quod autem solus *Baptismus sufficiat* ad validitatem Extremae Unctionis constat tum ex ratione generali, cum ad nullius sacramenti valorem aliud, praeter Baptismum, sacramentum praerequiratur, tum ex particulari consideratione trium sacramentorum de quorum necessitate aliquod dubium oriri posset, scilicet Ordinis, Poenitentiae et Eucharistiae.

2. *ORDO NON PRAEREQUIRITUR.*

Innocentius I in suo classico textu de Extrema Unctione, ex Epistola

ad Decentium (cit. in art. 1, tom. 1, p. 116). ait: "Oleo chrismatis ... non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum." Ut iam notavimus *{ibid.,* p. 119-122), disputatur ab auctoribus utrum haec verba accipienda sint in sensu activo, seu de ministro, an in sensu passivo, seu de subiecto. Si igitur accipiantur in hoc altero et, ut videtur, probabiliori sensu, S. Pontifex videtur alludere ad aliquem abusum vel ad aliquam falsam persuasionem quae apud quosdam oriri posset et iuxta quam soli sacerdotes vel clerici sint aptum subiectum huius sacramenti. Hoc ceteroquin modo verba Innocentii interpretati sunt tum *Theodulphus Aurelianensis* (saec. 8), scribens in suo Capitulario: "Non solum autem clericis, sed et laicis, nec tantum viris, sed et feminis, unctio talis tribuenda" *(ML* 105. 221), tum *theologi tridentini* in sequentibus verbis quae extabant in priori schemate cap. 3, sess. 14, de Extrema Unctione: "Infirmorum autem nomine non solum sacerdotes aegrotos, sed cuiusvis conditionis fideles homines intelligi oportere, non inutiliter olim Innocentius I. ad Decentium scribens admonuit: Ne quis videlicet, unctionem hanc quarundam aliarum instar, solos sacerdotes suscipere posse existimaret."[40]

Non constat an cum simili aliqua persuasione connecteretur quarundam ecclesiarum separatarum praxis vel abusus ungendi defunctos sacerdotes, clericos et monachos, de qua sermo fuit supra in art. 27 (p. 448 sq.) et art. 1 (tom. 1, p. 187-191).

Quidquid sit, nulla peculiaris ratio excogitari potest quare sacerdotalis character requireretur in subiecto Extremae Unctionis. Ipse enim specificus effectus huius sacramenti, seu abstersio reliquiarum peccati necnon ceteri effectus cum illo connexi, uti praeparatio ad bonam mortem et aeternam gloriam, aeque conveniunt quibuslibet baptizatis, nec ceteroquin ipsa unctio, quae huius sacramenti materiam constituit eiusque symbolismum perficit, necessario solis ordinatis convenit, nam aliae quoque extant sacramentales unctiones, uti in Confirmatione et Baptismo, quae nonnisi ad significandam aliquam gratiae sacramentalis abundantiam ordinantur ac propterea omnibus in Christo regeneratis aeque et apte conveniunt.

3. *POENITENTIA NON PRAEREQUIRITUR.*

Necessitas hoc sacramentum ante Extremam Unctionem suscipiendi deduci nequit tam ex natura sacramenti quam ex documentis aut praxi Ecclesiae, quinimmo ex utroque capite contrarium deducitur.

Nam specificus effectus Extremae Unctionis est auferre reliquias

[40] Apud A. Theiner, *Acta genuina ss. oecumcnici Concilii Tridentini* (Zagabriae in Croatia [1874]) II 391.

peccati, ad quod unice praerequiritur ut peccatum ipsum auferatur, quod quidem fieri potest sive per Baptismum quoad peccata praebaptismalia sive per solam contritionem auferentem peccata postbaptismalia ante ipsum sacramentum Poenitentiae, etsi non sine voto sacramenti quoad peccata mortalia.[50] Nec obstat quod Extrema Unctio dicatur complementum Poenitentiae. Nam id non implicat necessitatem praemittendi hoc sacramentum, sed triplici alio modo verificatur. Primo nempe ac principaliter, verificatur ex parte obiecti, quatenus Extrema Unctio habet pro obiecto aliquid quod est posterius peccato seu obiecto Poenitentiae, scilicet reliquias eiusdem peccati; quo sensu effectus Extremae Unctionis complet non solum effectum Poenitentiae sed etiam Baptismi (nisi dicatur Extremam Unctionem remittere solas reliquias peccatorum postbaptismalium, quod non est improbabile, quamquam in art. praec. ab hac ulteriori determinatione abstinere praetulimus, eo quod eam non inveniamus a theologis ventilatam). Secundo id verificatur ex parte ipsius effectus, quatenus saltem peccata mortalia ante sacramentum Poenitentiae non remittuntur nisi ex voto ipsius sacramenti seu veluti ab ipso sacramento iam in voto praeoperante, ac ideo Extrema Unctio, abstergendo reliquias illorum peccatorum ante sacramentum Poenitentiae re susceptum, complet ipsum effectum huius sacramenti ac quodammodo subsequitur ipsum sacramentum tanquam in voto iam susceptum. Tertio id verificatur ex parte ipsius executionis, quatenus in ordinariis contingentibus Extrema Unctio de facto subsequitur susceptionem Poenitentiae, cum conferatur in fine vitae, qua durante, non semel, ex praecepto divino vel ecclesiastico, oportet Poenitentiam suscipi ab eo saltem qui in mortalia inciderit.

Cone, quidem Tridcntinum (sess. 14, prologus) Extremam Unctionem appellat "Poenitentiae consummativum," sed id apte intelligitur triplici modo praedicto, eo vel magis quod Concilium Poenitentiam ibi intelligat veluti in communi tam pro sacramento quam pro virtute, ut patet tum ex eo quod sese refert ad praecedentia capita eiusdem sessionis ("Visum est . . . praecedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod [est] .. . poenitentiae . . . consummativum"), in quibus utrumque Poenitentiae aspectum in uno sermone contexuerat (cf. cap. 1, 4 et 8), tum ex eo quod immediate addit Extremam Unctionem esse "non modo poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum" *(Dcnz.* 907). Ceterum, suprarelata *decreta S.C. de Propaganda Fide et S. Officii* (p. 523) de ungendo

[50] "Imo, ut dicetur infra (p. 702), ncc ad ipsam liceitatcm necessario requiritur ut Poenitentia praecedat Extremam Unctionem.

infirmo immediate post Baptismum manifeste confirmant Poenitentiae susceptionem non esse necessarium praerequisitum ad suscipiendam Extremam Unctionem, nec ceteroquin illi pauci theologi, qui videntur olim respuisse vel non consuluisse immediatam administrationem Extremae Unctionis post Baptismum,[31] ullatenus arguebant ex necessitate praemittendae Poenitentiae sed ex praesumptione absentiae reliquiarum alicuius peccati post Baptismum commissi, quae per Extremam Unctionem abstergi queant.

Nec opponi potest antiqua praxis non conferendi Extremam Unctionem poenitentibus nondum Ecclesiae reconciliatis, quam, ut diximus in art. 1 (tom. 1, p. 116, 156) testantur *Cone. Ticinense* a. 850 et ipse iam *Innocentius I* (f 417); nam in ea praxi non agitur praecise de ordine sequendo inter duo haec sacramenta, sed de denegandis quibuslibet Ecclesiae sacramentis his qui publicam poenitentiam nondum absolvissent, eo fere modo quo etiam hodie Ecclesiae sacramenta, nominatim Extrema Unctio, impoenitentibus et contumacibus denegantur (cf. Codicem I.C., can. 942 infra cit., p. 701).

4. *EUCHARISTIA NON PRAEREQUIRITUR.*

Necessitas praeviae susceptionis huius sacramenti ex nulla ratione deduci potest:

Neque nempe ex specifico efiectu Extremae Unctionis; quinimo abstersio reliquiarum peccati, cum sit aliquid negativum, convenienter (sin minus convenientius) praecedit positivum effectum spiritualis cibationis quae fit per Eucharistiam, ut scilicet homo, magis purificatus ac roboratus, facilius et expeditius totam virtualitatem illius cibi capere ac veluti absorbere queat. Quo sensu S. *Thomas* ait "per poenitentiam ... et extremam unctionem praeparari hominem ad digne sumendum corpus Christi" (3 p., q. 65, a. 3).

Neque ex generali fine Extremae Unctionis, quatenus hoc sacramentum iuxta ipsam suam propriam appellationem, est extremum subsidium quo Christus "finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit" (Cone. Trid.) necnon immediata quaedam praeparatio ad gloriam: nam haec non sunt intelligenda in sensu exclusive, cum aliunde constet etiam Eucharistiam sub ratione Viatici ad eundem finem et quidem magis universaliter ordinatam esse, ut nempe omnes homines iamiam morituri, nec tantum infirmi, "illius vigore confortati [3 Rg 19. 8] ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum [Ps. 77, 25],

[31] Pro hac sententia praecipue afferri solet *Ioannes Sanchez* scribens: "Ego recens baptizato Unctionem ministrandam non consulerem, nisi novum post Baptismum peccatum admisisse constaret" (Disp. 27, n. 18).

quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi" (Cone. Trid., *Denz.* 882), sed in solo sensu affirmativo et excellentiori, quatenus ex una parte sola Extrema Unctio est veluti proprium sacramentum exeuntium, cum nonnisi illis conferri possit, dum Poenitentia et Eucharistia totam vitam comitantur tanquam ordinarium pharmacum et quotidiana refectio, et ex alia parte, ob specificam necnon multifariam suam activitatem ac praecipue per abstersionem ultimarum peccati reliquiarum et roborationem contra ultima spiritualia pericula, hoc sacramentum peculiari modo homini subvenit in extremo gressu quo transit ad aeternitatem.

Neque ex ipsa praxi praemittendi Viaticum Extremae Unctioni. Nam haec praxis, utut conveniens et satis antiqua, fundatur non in ipsa persuasione necessitatis ad valorem sacramenti, sed in sola convenientia seu in peculiari indole Extremae Unctionis prout est excellentiori quodam modo sacramentum exeuntium, nec ceteroquin fuit olim universalis, cum in vetustiori ritu priorum Sacramentariorum ac Ritualium, usque fere ad saec. 12, duo illa sacramenta communius inverso modo disponerentur, ita ut immediate post Poenitentiam Extrema Unctio, tanquam eius complementum, ac subinde Eucharistia, tanquam viaticum ad iter aeternitatis, conferretur. Quam quidem antiquiorem praxim etiam hodie plures doctores licitam dicunt, saltem ubi adsit rationabilis causa, et quidam praeterea etiam simpliciter advocant.

DE DUPLICI PRAXI PRAEMITTENDI VEL POSTPONENDI VIATICUM EXTREMAE UNCTIONI HAEC NOTA: 2

1. *Quoad historiam.*

Quaenam esset praxis ante saec. 8. imo an vigeret quaedam proprie

Benedictus XIV, *Dc synodo dioecesana,* l. 8, c. 8, n. 1 sq., in Migne, *Theologiat cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1106sq.

Chardon, C., *Histoire des sacrements. — Du sacrement d'Extrême-Onction,* chap. 2, in Migne, *Theologiae cursus completus* XX (Parisiis 1841) 756–759.

De Sainte-Beuve, J., *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 8, a. 3, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 129 sq.

Fischer, B., "Dic Rtihcnfolge der Sakramcnte beim Vcrschgang," *Tricrcr Theologische Zeitschrift 60* (1951) 54-56.

Launoy, J., *De sacramento unctionis Infirmorum liber. — Explicata vetus Ecclesiae Traditio de data infirmis post unctionem Eucharistia, Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 594-608.

Mabillon, J., *Observatio dc Extrema Unctione,* in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 139 sq.

Martène, E.. *Dc antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 1, c. 7, a. 2, n. 3 sq. (Rotomagi 1700) 106-108.

Suarez, In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 44, c. 1, n. 8, *Opera omnia* XXII (cd. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 865-867.

Tournely, II., *De sacramento Extremae Unctionis,* q. ultima, a. 2, *Praelectiones theologicae* (Parisiis 1765) IX 444 sq.

dicta praxis qua unus vel alter ordo in variis ecclesiis determinate praeferretur, vix dici potest tum ob generalem penuriam testimoniorum de ipso sacramento, tum ac praesertim ob defectum determinatorum ritualium. Modernam praxim praeponendi Eucharistiam videtur satis clare suggerere *Caesarius Arclatcnsis* (470-543) in duobus Sermonibus 265 et 279 (cit. in art. 1, *toni. 1,* p. 128 sq.) scribens: "Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat: et inde corpusculum suum ungat" et "Quantum rectius et salubrius erat ut ad ecclesiam currerent, corpus et sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto et se et suos fideliter perungerent." Idem habet S. *Eliglus Noviomensis {ibid.,* p. 132) qui ceteroquin a Caesario Arei, dependet. In *Vitis vero Tresani* (coaevi S. Remigii, saec. 6) et S. *Eugenii* episcopi Hiberniae circa a. 500, inversus ordo referri videtur, scilicet administratum Viaticum post Unctionem *{ibid.,* p. 133 sq.).[53]

A saec. 8 ad saec. 13 haec altera praxis multo latius quam prior invaluit in variis Sacramentariis et ritualibus ecclesiarum. Eam inter alia documenta testantur: *Sacramentarium Gregorianum {ibid.,* p. 141); *Codices Titianus* et *Ratoldi;*™ can. 26 *Cone. Moguntini* a. 847 *{ibid.,* p. 156), qui a Burchardo Wormatiensi, Ivone Carnotensi et Gratiano, indebite tribuitur ipsi Poenitentiali Theodori episcopi Cantuariensis (668-690); *Egbertus Eboracensis {ibid.,* p. 146); *Hincmarus Rhemcnsis* (**t** 882; Epist. 33 et 36, *ibid.,* p. 155); *Cone. Aquisgranense* a. 836 *{ibid.,* p. 156); *Ratherius Veronensis* (**t** 974; *ibid.,* p. 157); *Apocryphum decretum Eusebii Papae* relatum a Burchardo Wormatiensi (**t** 1025) et Ivone Carnotensi (**t** 1116) *{ibid.,* p. 157, 160); S. *Bernardus* (**t** 1153; *ibid.,* p. 163); *Ordines* 3, 4, 5, 8, 10, 11, 12, 13 a Martène editi. Plura alia Launoy et Martène afferunt documenta (quorum tamen quaedam satis ambigua videntur), praesertim ex Vitis Sanctorum excerpta.

Quibus exhibitis *Martène* observat: "Ex his omnibus aliisque hujusmodi testimoniis, in quibus ordo ministrandorum infirmis sacramentorum describitur, quaeque hic congerere possem, luce meridiana clarius demonstratur, unctionem Viatico olim ordinario usu praemissam fuisse: id quod confirmant omnia pene Ritualia mss. quae meas in manus aliquando ceciderunt. Non ibo tamen inficias contrariam alicubi consuetudinem obtinuisse. . . Caeterum pauca haec exempla infinitae Ritualium multitudini, auctorumque veterum turbae in quibus unctio Viatico praemittenda decernitur praejudicium afferre non debet."[55]

" Plura cx his ct sequentibus documentis retulimus etiam in art. praec., p. 624-628.
ll *ML* 78. 523, 525.
M *Op. cit.* (supra, in p. 687) 107 sq.

Ceterum, eodem tempore prior quoque praxis viguit, ut constat saltem cx sequentibus testimoniis: *Capitulare Aquisgranense* sub Carolo Magno a. 801 refert praescriptionem de conferenda Unctione post praescriptionem de praebenda eisdem infirmis Communione *[ibid.,* p. 147); nec obstat quod in Capitulari generali a. 769-771 decernatur "ut morientes sine sacrati olei unctione et reconciliatione et viatico non deficiant" *(ibid.),* nam ex mentione ipsius Poenitentiae, una cum Viatico, post Unctionem, saltem intelligi datur nimis leviter quosdam eruditos ex solo ordine mentionis deducant ordinem ipsum ministrationis in quibusdam documentis. *Prudentius Trccensis* episc. (circa a. 843-861) loquitur de "eucharistiae et unctionis extremae receptione" *(ibid.,* p. 153).50 *Isaac Lingoncnsis* episc. in suis Canonibus (circa medium saec. 9; tit. 1, c. 23) ait: "Si in infirmitate deprehensus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat" *(ibid.,p.* 155). *Herardus Turonensis* episc. in suis Capitulis (a. 858) monet: "Ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, et viaticum viventes accipiant, et benedictione sacrati olei non careant" *(ibid.,* p. 155). *Cone. Ticinense* a. 850: "Hoc tamen sciendum quod si is qui infirmatur publicae poenitentiae mancipatus est, non potest hujus mysterii [Extremae Unctionis] consequi medicinam nisi prius reconciliatione percepta communionem corporis et sanguinis Christi meruerit" *(ibid.,* p. 156). Quatuor alia testimonia minoris momenti, praesertim ex Vitis Sanctorum, refert Martène.

Iam inde a saec. 13 minor uniformitas invenitur, quatenus haec praxis paulatim latius invalescere coepit donec saec. 16 fere universalis reputaretur, ut constat ex Catechismo Cone. Trid. a. 1566 et paulo posterius ex ipso Rituali Romano a. 1614, in quo tanquam universalis Ecclesiae praxis proponitur et sancitur.

Saec. 13 et 14, Ordines 16, 19, 20, 21, 22, 23, a Martène editi, referunt praedictam alteram praxim postponendi Viaticum Extremae Unctioni. Eandem referunt saec. 15, Ordo 26, a Martène editus, et Ritualia Carnotense a. 1480 et Constantiense a. 1494, relata a Launoy; et saec. 16, plura ritualia relata ab eodem Launoy, scilicet Teruanense a. 1500, Sagiense a. 1505, Lexoviense a. 1507, Claromontense a. 1518, Ebroicense a. 1521, Suessionense a. 1530, Laudunense a. 1538, Coenomanense a. 1540, Nannetense a. 1540, Ambianense a. 1541,

MAd hunc textum observat *Martène:* "Erit forte qui Eucharistiam reverentiae causa ab istis auctoribus prius nominatam asserat, quamvis ordine unctio praecederet: non deerunt etiam qui interpolationem forte suspicentur. Et certe in Prudentii testimonio Extremae-unctionis vocabulum illis temporibus prorsus inauditum interpolationem sonat. Verum obstat Prudentii ipsius Pontificale ms. eleganter scriptum, quod fuit olim monasterii Arremarcnsis, in quo Viaticum ante ct post unctionem dari decernitur" *(ibid.* 108).

Rotomagense a. 1544, Abrincense a. 1559, Andegavense a. 1580, Aurelianense a. 1587.

Tamen iam inde a saec. 13 satis saltem communis prior quoque praxis postponendi Extremam Unctionem fuisse videtur, cum non aliam suspicari videantur maiores theologi illius saeculi. Nam S. *Thomas* scribit: "Hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre" *(Suppi.,* q. 32, a. 2). *Bonaventura:* "Inter omnia sacramenta [Extrema Unctio] ultimo datur, propter quod et Extrema Unctio nuncupatur" *(In 4 Sent.,* dist. 23, dub. 1, circa litteram Magistri). *Albertus M.* hanc sibi proponit obiectionem: "Post extremam sacramenti susceptionem nullum sacramentum suscipitur: haec autem unctio ideo vocatur extrema, quia ultimo suscipitur; ergo ultimo loco tradendum erit de ipsa [i.e. ultimo etiam loco ponenda esset in catalogo sacramentorum, sicut ultimo loco ponitur in administratione]," atque respondet: "Vere dicitur extrema respectu suscipientis, sed in ordinatione sacramentorum non dicitur extrema. . . . Inunctus nihil recipit ultra, sicut dicit objectio . . . [sed] non sequitur, si ab hoc ultimo recipitur, quod sit ultimum in ordine sacramentorum Ecclesiae" *(In 4 Sent.,* dist. 23, a. 5).

Unde satis inepta et parum etiam critica videtur sequens Launoy admiratio, qui, supponens contrariam praxim fuisse eo saeculo communem imo universalem, ad ea verba S. Thomae (nam non videtur legisse clariora adhuc verba Alberti M.) observat: "Omnino capere non possum, quonam tandem pacto factum sit, ut beatus Thomas, qui tunc vixit, scripserit, quod ab eo scriptum retulimus [i.e. supra relata verba]. Nam perinde scribit ac si quod lemma sibi sumit, id sursum versus Apostolos retroque duceretur. At salva honorificentia, res ita se non habet: beati Thomae lemma praecedentium saeculorum omnium obruitur silentio. Aliud est argumenti genus istud cum Ecclesiastica Traditione, altero Theologiae verae principio tractare, quod hoc loco sanctus Doctor non perficit; aliud seorsum ab Ecclesiastica Traditione, et humanis tantum rationibus, quae cum Theologiae verae non sint principium, ad sanciendam Sacramentorum doctrinam nihil pertinent, definire: quod ille nunc perficit."[57] Ad haec nota: Iam ante saec. 13 ea praxis quam videntur supponere S. Thomas, Bonaventura et Albertus, existebat (ut fatetur ipse Martène et constat ex supradictis documentis) in aliquibus ecclesiis, in quibus proinde verisimiliter perseveravit usque ad saec. 13 nisi contrarium probetur (imo Mabillon asserit aliam praxim fuisse mutatam saec. 13); praeterea, ea praxis potuit interim ita extendi, saltem in regionibus in quibus praefati doctores vixerunt, ut ab ipsis communis iudicaretur:

* *Op. cit.* (supra, in p. 687) 606 sq.

ceterum, horum doctorum verba possunt fortasse recte explicari etiam in hypothesi quod Eucharistia communiter post Extremam Unctionem tunc conferretur, quatenus nempe Eucharistia, utpote iam a subiecto suscepta ante infirmitatem seu interdum in vita, non est, simpliciter loquendo, ultimum sacramentum quod homini confertur, quem sensum quis posset confirmare ex verbis S. Thomae: "Per poenitentiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi" (3 p., q. 65, a. 3).

Quidquid sit sive de mente horum doctorum sive de eorum influxu in introductionem vel extensionem hodiernae praxis praemittendi Eucharistiam Extremae Unctionis, certum est, stando ad ipsa sola Ritualia, quae fere unice ex ecclesia Gallica, necnon ex solo proposito probandi antiquiorem et universaliorem indolem alterius praxis congerit Launoy (ut ipse explicite fatetur'8), saec. 16 hodiernam praxim in ipsa quoque ecclesia Gallica late invaluisse. *Rituale Parisiense* a. 1504 ait nihil referre si Eucharistia Unctioni praeponatur vel postponatur: "Nec est magna vis de ordine: si enim infirmus prius petat sacramentum Eucharistiae, quam Extremam Unctionem, sibi (prius confessione facta peccatis) ministretur." Idem fere ad verbum repetit paulo post *Rituale Redonense* a. 1557. In editione a. 1581 eiusdem Ritualis Parisiensis, ritus ministrandi Eucharistiam praeponitur ritui ministrandi Extremam Unctionem. *Synodus Lemovicensis* a. 1519: "Postrema unctio ideo dicitur, quia est postremum Sacramentum, quod datur infirmis graviter aegrotantibus." *Synodus Carnotcnsis* a. 1526 signanter decrevit: "Cum hoc Sacramentum sit ultimum Sacramentum, inhibemus illud dari infirmo, nisi post confessionem peccatorum suorum, et post corporis Christi communionem, si possibile sit infirmum communicare." Inde in nova editione *Ritualis Carnotcnsis* anni 1604, iuxta hoc decretum reformatus est diversus ritus quem ferebat prima editio a. 1489. Pariter circa initium eiusdem saec. 17 suum ritum reformarunt Ritualia *Constanticnse* a. 1609, *Burdigalense* a. 1611 (supra cit. p. 494), *Rotomagcnsc* a. 1611. *Baioccnse* a. 1611. *Sagicnsc* et *Ebroicensc.* Eundem ritum signanter referunt tum *Instructiones S. Caroli Borromeo* tum *Rituale* a. 1645 eiusdem ecclesiae Ambrosianae quod refert Martène sub nomine Ordinis 29. *Catechismus Cone. Trid.* ed. a. 1566 testatur ac statuit "Quoniam

""Mihi tantum curae luit eas notare Ecclesias, quae acceptum a majoribus ordinem servaverunt usque in praesens fere sacculum, non quae diu ante mutaverant: creditu quippe difficilius est, eam disciplinam, qua in aegrotis Unctio praemittebatur Eucharistiae, durasse usque in saeculum, quod excurrit, quam superioribus aliquot saeculis mutatum esse. Sunt enim, qui quem habent prae oculis ritum, omni retro aetate viguisse, sibi minimo negotio persuadent. Quin etiam ejusmodi homines somnia fortasse putabunt ea, quae ex variis sacrorum rituum libris sincerissime produxi" *(ibid.* 607).

vero omni studio curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adversatur, quam alicuius peccati mortiferi conscientia; servanda est catholicae Ecclesiae perpetua consuetudo, ut ante Extremam Unctionem Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentum administretur" (p. 2, c. 6, n. 12). Ad haec notat *Stiarez:* "Hoc . . . quod de perpetua consuetundine dicitur, vel referendum est ad solum sacramentum poenitentiae, quia ratio in principio verborum posita non aliud probat. Nam conscientia peccati mortalis non tollitur per Eucharistiam, sed per poenitentiam; alias posset retorqueri ratio, scilicet, quia curandum est, ne gratia sacramenti Eucharistiae impediatur, poenitentiam et unctionem praemittendam esse, etc. Vel certe intelligi potest de Eucharistia, ut absolute cibus animae est, non ut viaticum. Vel denique loquitur de communi consuetudine Ecclesiae Romanae, aut Catholicae majori ex parte, non vero de omnibus ejus provinciis, vel religionibus. Et hoc satis est, ut hic ordo convenientior a nobis judicetur."[59]

Rituale Romanum praescribit: "In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus, et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur" (tit. 5, c. 1, n. 2).

2. *Quoad convenientiam utriusque praxis.*

Utramque consuetudinem esse theologice fundatam et practice convenientem, patet ex dictis supra inter arguendum (p. 686 sq.).

Ad rem *Suarez:* "Nec defuit congruentia huic consuetudini [scilicet postponendi Eucharistiam], vel quae supra insinuata est, quod Eucharistia est finis omnium sacramentorum, et ideo esse debet executione ultimum; vel quia decet, ut post perfectissimam animae purgationem, tam quoad culpas, quam quoad reliquias earum, suscipiatur; vel quod perinde est, quia cum extrema unctio sit consummativa poenitentiae, illi debet proxime conjungi, ut perfecte hominem disponat ad Eucharistiam. Vel denique quia viaticum, ut tale est, majus periculum, seu propinquitatem mortis requirit, quam unctio, quia viaticum per se solum dandum est his, qui discessuri sunt, nec datur eis ut retineantur (ut sic dicam), sed ut proficiscantur. Unctio vero datur, ut in vita retineantur si expediat; et ideo magis datur, ut curentur, quam ut vadant, et ideo per se videtur prius danda.

"[Altera vero consuetudo] fundari potuit in hoc, quod Eucharistia multo citius et facilius datur infirmis, quam extrema unctio, quia non habet solum rationem viatici, sed etiam cibi, qui semper necessarius est; postquam autem semel accipitur, regulariter saepius non datur

[59] "Op. di. (supra, in p. 687) 866 sq.

eidem infirmo, etiamsi ad extremum deveniat, propter difficultatem, vel propter reverentiam, aut propter parochorum morem, qui suo muneri satisfecisse videntur unctionem extremam addendo. At si post acceptam unctionem infirmus petat Eucharistiam, licet illam antea receperit, illi neganda non est, si aliud non obstat. Et hoc fortasse modo accidit in exemplis in contrarium allatis; nam ex eis solum habetur, Eucharistiam datam fuisse post unctionem, non vero quod antea etiam suscepta non esset.""0

Launoy vero iudicat hodiernam praxim esse minus convenientem ob plura incommoda quae altera praxis vitabat. Ad rem ipse: "Quotidiana constat experientia, posteriorem ritum non quidem per se, sed κατὰ *συμβεβηκο* incommodis exponi nonnullis, quibus priorem expositum fuisse vix invenies: incommoda sunt maxime quatuor. Primum quidem, quod plerique putant, Extremam Unctionem certum esse futurae mortis indicium; id pene abiit in proverbium: Extremam, inquiunt, accepit Unctionem: actum est de vita illius. Haec autem falsa est opinio, qua tamen qui occupantur, Sacramentum hoc saepe multo serius quam oportet, accipiunt. Deinde quod sunt aliquando, qui rem ita different et procrastinent, ut morte praeventi Sacramentum non accipiant, et fructu careant, qui ex eo sperari potuit. Tum quod Christiani privantur Presbyterorum exhortationibus, quibus ad bene sancteque moriendum juvarentur. Denique quod nonnunquam restitueretur corporis sanitas, si Sacramentum temporius administraretur: non restituitur, sive quia tam perversa ratione tentandus non est Deus, sive quia Sacramentum non ita institutum est, ut in recuperanda desperati infirmi valetudine miraculum fiat."61

Recenter quidam coeperunt suadere vel advocare reditum ad communiorem praxim antiquam postponendi Viaticum. Ita *B. Botte* O.S.B.: "Je me permet de suggérer quelques voeux: Un premier voeu, c'est qu'on revienne, autant que possible, à l'ancienne appellation d'onction des malades . . . [car] ici l'emploi de l'adjectif 'extrême' a eu de fâcheuses conséquences. . . Ut second voeu, c'est qu'on puisse revenir à l'ordre traditionnel: onction, communion. L'usage actuel est inspiré par les théologiens du moyen âge qui ont vu dans Fonction le sacrement de l'agonie, le sacrement qui clôt, pour ainsi dire, l'action sanctificatrice de l'Eglise, alors que traditionnellement c'était le viatique, dernier réconfort du mourant et gage de résurrection."02

* *Ibid.*

nOp. cil. (supra, in p. 687) 608.

"'"L'onction des malades," Ao *liturgie des malades* ("La Maison-Dieu," n. 15, Paris 1948) 104 sq.

Recentius in Collectione rituum, ad instar appendicis inserta Rituali Romano, *ad usum omnium Germaniae dioecesum,* et a S. Sede approbata 21 mart. 1950, antiquus ille ritus restitutus est, nam ibi sequens ordo exhibetur: confessio, Extrema Unctio, Viaticum, indulgentia plenaria.[63]

3. *Quoad vim obligativam hodiernae praxis.*

Omnes fere doctores, etiam antiquiores, ut Suarez et Benedictus XIV, docent obligationem non esse gravem; moderni satis communiter dicunt ab hac levi obligatione excusare quamlibet rationabilem causam (ita Piscetta-Gennaro, Cappello, Regatillo et Merkelbach); quidam praeterea dicunt nullam per se obligationem proprie dicti praecepti haberi ac ideo etiam sine peculiari ratione ordinem duorum sacramentorum inverti posse.

Ad rem *Suarez:* "Propter rationabilem causam certum est posse dari unctionem sine viatico, quando, vel illud haberi non potest, vel non sine vomitu, aut alia irreverentia sumi. . . Eadem vero ratione poterit mutari ordo, quando servari non possit sine mora, in qua periclitaretur vita infirmi. Seclusa vero aliqua hujusmodi causa, servandus est ille ordo, propter consuetudinem, et quia ille ordo videtur satis consentaneus rationi et institutioni utriusque sacramenti; illud enim ut cibus ad confortandum in via praebetur, et ideo ut detur non est expectandum ultimum vitae periculum; hoc vero sacramentum exeuntium est, quasi in ultimum subsidium institutum. Non opinor autem hunc ordinem adeo esse rem gravem, ut si absque contemptu praetermittatur, ad peccandum mortaliter sufficiat, quia non extat adeo clarum praeceptum de hac re."[64]

Benedictus XIV: "In locis in quibus . . . [antiquus] mos obsolevit, vigetque disciplina a concilii Tridentini Catechismo praescripta, non facile permitteremus ab hac recedi, solum ad indulgendum privatae et peculiari infirmi devotioni: sed potius parochis injungeremus ut extremam Unctionem petentibus ante viaticum, suaderent tutius et utilius fore Ecclesiae Romanae ritui ac usui a majori parte Ecclesiae catholicae jam recepto, se accommodare."[65]

Cappello: "Certe grave non est ministrare extremam unctionem ante Viaticum; imo nec leve, si causa rationabilis, quaecunque ea sit, illud suadeat. Quidam censent verum praeceptum de hac re non haberi, ideoque, etiam deficiente peculiari causa, nullum per se esse peccatum."[66]

° Cf. B. Fischer, "Die Reihenfolge der Sakramcntc beim Vcrsehgang," *Treier Theologische Zeitschrift* 60 (1951) 54-56.

[64] *Op. cit.* (supra, in p. 687) 866.

[65] *Op. cit.* (supra, in p. 687), n. 2, coi. 1107.

[66] *Op. cit.* (supra, in p. 582) 55.

ART. 33. Utrum Extrema Unctio (Necnon Poenitentia) Possit Licite Administrari Acatholicis Aut Impoenitentibus Peccatoribus, Saltem Si Sint Sensibus Destituti.07

STATUS QUAESTIONIS

Post quaestiones de requisitis ad validitatem, logice sequeretur sermo de requisitis ad fructuosam et (in casu hominis sui compotis) licitam sacramenti susceptionem. Porro, ut constat ex dictis in tractatu

Praenota quod diximus in tractatu *De Poenitentia* IV 57S ct 600.

Auctores morales de hac quaestione tractant in triplici loco, i.e. in De sacr. in genere (ubi de ministro, seu de denegandis sacramentis), De Poenitentia (ubi de subiecto), De Extrema Unctione (ubi de subjecto); canonistae vero rem brevius tangunt in commentario canonum 731, § 2, 942. Utilius conferuntur:

Aleixo, F., "De sacramentis acatholicis administrandis," *Revista Ecclesiastica Brasileira* 10 (1950) 923-928.

Bvttignoni, "L'assoluzionc degli acattolici," *Palestra del Clero,* a. 15 (1936), v. 1, p. 390-392.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* I: *De sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione et Eucharistia* (ed. 4. Taurini 1945) 54-56; II *De Poenitentia* (ed. 4, Taurini 1944) 162 sq.; III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 181-184.

Chrétien, P., *De Poenitentia* (ed. 2, Metis 1935) 545-549.

Connell, F. J., "The Hospital Chaplain and the Administration of Extreme Unction," *The American Ecclesiastical Review* 109 (1948) 95-104; "Sacraments for the Dying," *ibid. 125* (1951) 146 sq.

Ferreres, J. B., *Compendium theologiae moralis* (ed. 10. post Codicem 3, Barcinone 1919) II 358 sq.

Ford, J. C., "Current Moral Theology and Canon Law," *Theological Studies 2* (1941) 543.

Kelly, G., "Notes on Moral Theology," *Theological Studies* 13 (1952) 94-97.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 316-322.

Kilker, A. J,, *Extreme Unction* (St. Louis, 1927) 121-135, 225-250.

King, J. L, *The Administration oj the Sacraments to Dying Non-Catholics* (Washington 1924) 20-25, 61-91.

Koerperich, G., "De subjecto Extremae Unctionis," *Collationes Namurcenses* 30 (1936) 14-25.

Mahony, C., "Dispositions for Receiving Extreme Unction," *Clergy Review* 35 (1951) 104-106.

Nolddî, H. ct Schmitt, A., *Summa theologiae moralis* (ed. 26, Ocniponte 1940) III 300-303.

Prümmer, D., "Conditional Administration of Sacraments to Non-Catholics," *The Homiletic and Pastoral Review* 30 (1929) 234-241.

Regatillo, E. F., *Ius sacramentarium* (ed. 2, Santander 1949) 18-20, 428 sq.

Revue Ecclésiastique de Metz (1930) 68sqq.

Statkus, F. J., *The Minister oj the Last Sacraments,* Washington 1951.

Szal, I. J., *The Communication oj Catholics with Schismatics* (Washington 1948) 150-163.

Umberg, J. B., "Spendung der Krankcnolung bei verungliickten, unbekannten Personcn," *Theologisch-praktische Quartalschrijt 79* (1926) 784-791; "Quo iure haereticis et schismaticis sacramenta sunt neganda," *Periodica* 18 (1929) 97 sqq.

Vermeersch, A., *Theologia moralis* III (ed. 4. Roma 1948) 117 sq., 356 sq.; "De condicionata Extremae Unctionis administratione," *Periodica de re canonica* 14 (1925) (7)-(H).

Vermeersch, A., et Creusen, J., *Epitome iuris canonici* (ed. 6 a Creusen recognita, Mechliniac 1940) II 11, 153.

De sacr. in genere 365 sqq., quamvis fides et bonitas non requirantur ad validitatem sacramenti (excepta Poenitentia), requiruntur tamen ad eius efficacitatem salutarem, seu fructum gratiae, suscipiendam, et consequenter etiam ad licite, seu sine sacrilegio, suscipiendum sacramentum in subiecto sui compote. Quae quidem requisita bonitas quoad hoc Unctionis sacramentum, ut constat ex dictis sive ibidem (art. 25, p. 374 sq.; art. 13, p. 229–233) sive in praesenti tractatu (art. 13, p. 125), est per se ipse status gratiae, cum agatur de sacramento vivorum, per accidens vero potest esse sola attritio in subiecto inconscio de defectu status gratiae.

Attamen, quamvis status gratiae aut praedicta attritio, secundum se sufficiant ad licitam et fructuosam susceptionem, potest tamen adhuc ex parte ipsius subiecti illi obstare aliqua Ecclesiae prohibitio qua aliqui homines, puta acatholici (seu haeretici et schismatici), utut in statu gratiae fortasse existentes (ratione nempe solius materialis erroris seu bonae fidei), nihilominus ob suam conditionem publicae indignitatis arceantur a susceptione sacramenti donec talis indignitas removeatur. Praeterea, ex parte ipsius ministri, seu attenta sacramenti administratione potiusquam susceptione, quaestio de liceitate adhuc magis implicata evadit, quod attinet sive praedictos publice indignos, sive etiam vere indignos qui reapse statu gratiae carent vel carere censentur, sive ac praecipue moribundos qui sensus amiserint in ipso statu apostasiae aut peccati.

Quamvis autem haec quaestio magis pertineat ad caput de ministro quam de subiecto, maluimus tamen eam hic appendere, cum sit ex magna parte intime connexa cum quaestione de requisita intentione ad ipsum valorem sacramenti, ut patebit ex praecipuo puncto difficultatis ac controversiae de liceitate administrandi hoc sacramentum acatholicis et quibusdam peccatoribus sensibus destitutis.

Porro, quamvis eadem iugiter fuerit generalis agendi ratio Ecclesiae, fundata in evangelic© praecepto: “Nolite dare sanctum canibus” *{Mat.* 7. 6), necnon generalis doctrina theologorum menti Ecclesiae sese accommodans eamque legitime interpretans, evidenter tamen apparet indulgentius in dies, maxime recentiori tempore, Ecclesiam cum acatholicis et peccatoribus egisse, et consequenter ad remissiores prorsus ac fere latissimas conclusiones theologos moderniores descendisse. In variis tamen casibus licitae administrationis assignandis, tanta deprehenditur apud doctores morales varietas, et tanta apud quosdam inconstantia aut fluctuatio, ut vix vacet opinionum vel dicendi modorum classificationem attentare, quin facilius ac utilius erit ad ipsas Conclusiones immediate procedere, praedictas quoque

theologorum discrepantias hic vel illic pro discursus opportunitate assignando.

Illud autem praenotare oportet quod, quamvis hic agatur directe de Extrema Unctione, tamen, ob paritatem vel analogiam duorum sacramentorum, *quaestio connatiiraliter extenditur quoque ad administrationem sacramenti Poenitentiae,* praecipue quod attinet casum moribundorum sensibus destitutorum. De facto in quaestionem de liceitate administrationis utriusque sacramenti collimant tum Ecclesiae documenta tum theologorum disputationes et opiniones, ac propterea doctores morales hanc quaestionem indifferenter resolvunt in uno vel altero tractatu et generatim fatentur moribundum sensibus destitutum posse inungi in omnibus casibus in quibus absolvi potest atque ex liceitate absolvendi in aliquo casu deducunt, ratione a fortiori, liceitatem ungendi in eodem casu, cum in Extrema Unctione sufficiat habitualis ac mere interna attritio, dum in Poenitentia requiratur, et quidem ad ipsum valorem, actualis et aliquatenus exterior attritio, ac inde etiam certior sit in talibus moribundis efficacitas, et a fortiori valor, prioris sacramenti.

Quae quidem pariter ratio fuit, quare in tractatu *De Poenitentia* IV 575 et 600, resoluta modo generali ac indefinito difficiliori ac fundamentaliori quaestione de liceitate absolvendi moribundum sensibus destitutum, ulteriorem quaestionem de variis categoriis moribundorum qui absolvi possint, nominatim de acatholicis et impoenitentibus peccatoribus, pertractare noluimus et ad praesentem locum remisimus, ut simul cum quaestione de his qui ungi possint, ex iisdem ceteroquin principiis ibidem assignatis, uno ictu et eodem modo resolveretur. Unde ne miretur lector, si in recitandis sive Ecclesiae documentis sive theologorum dictis et opinionibus, ex uno ad aliud sacramentum, iugiter servata unitate processus, sermo noster libere discurrat.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Extrema Unctio et Poenitentia nequeunt licite administrari moribundo sui compoti, qui sit formaliter acatholicus (haereticus vel schismaticus) aut contumaciter peccator seu obstinate impoenitens. Probabiliter vero potest utrumque sacramentum licite administrari (servatis quidem servandis, seu sub conditione, remoto scandalo, et ubi non possit vel non expediat bonam fidem perturbare per formalem retractationem) moribundo sui compoti qui sit acatholicus tantummodo materialiter et bona fide.

Probatur I" pars, *MORIBUNDO SCILICET FORMALITER* .4- *CATHOLICO VEL CONTUMACITER PECCATORI, dum est sui compos, non posse haec sacramenta ministrari.*

Primo, id ostendit *ipsa ratio theologica.* Nam in utroque subiecto deest dispositio requisita ad fructum, et, in casu Poenitentiae, ad ipsum valorem sacramenti, nec licet attentare sacramentum mutilum, seu validum et informe, et multo minus sacramentum invalidum. Praeterea, in homine formaliter acatholico facile quoque deesse potest ipsa intentio requisita ad valorem utriusque sacramenti, et quidem connaturaliter saltem deest ubi haeresis versetur circa ipsam existentiam sive propriam naturam sacramenti.

Secundo, documenta Ecclesiae id explicite testantur.

Mens antiquae Ecclesiae patet, quoad sacramentum Poenitentiae ex tota poenitentiali disciplina, quam exposuimus in tractatu *De Poenitentia* II 849 sqq.,08 quoad Extremam vero Unctionem, ex duobus praecipue documentis *Innocenta I* (f 417) et *Cone. Ticinensis* a. 850, denegantibus hoc sacramentum ipsis moribundis publice iam poenitentibus antequam publice reconciliarentur cum Ecclesia.

Variarum ecclesiarum *ritualia* supra relata (p. 483 sq.), omnia uno ore excludunt excommunicates (adeoque haereticos et schismaticos) a susceptione Extremae Unctionis, atque omne subiectum, cui hoc sacramentum sit denegandum, colligunt sub illa quadruplici enumeratione: infantes, sanos, amentes, excommunicates.

Recentiora *concilia provincialia* id a fortiori implicant, dum decernunt Extremam Unctionem denegandam esse ipsis moribundis sensibus destitutis qui aut fuerint a communione Ecclesiae separati aut non christiane vixerint. Ita, inter alia, *Cone. Strigoniense a.* 1858 (tit. 3, §6, n. 2): "Moribundi . . . sensibus destituti, licet communionem non possint recipere, si ante petierint aut saltem christiane vixerint, hoc salutis praesidio [i.e. Extrema Unctione] muniantur; de quolibet enim fideli, nisi contrarium constet, praesumendum est fuisse hoc sacramentum petiturum. Quod de haereticis, et notoriis impoenitentibusque peccatoribus presumi nequaquam potest."09 *Cone. Pragense* a. 1860 (tit. 4, c. 9): "Moribundi, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verosimiliter petiissent, muniendi sunt hoc salutis praesidio [i.e. Extrema Unctione], quoniam de quolibet fideli Ecclesiae communione non destituto, nisi impoenitens

*' Cf. Abbreviatum sermonem de hoc habes apud J. I. King, *The Administration oj the Sacraments to Dying Non-Catholics* (Washington 1924) 66-79.

"*Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis* V (Friburgi Brisgoviae 1879) 24.

sit aut in manifesto peccato mortali decedat, praesumendum est, fuisse hoc sacramentum petiturum."[70] *Concilium Neogranatense* a. 1868 (tit. 4, c. 9): "Hoc sacramentum denegandum est . . . publicis peccatoribus, quos nulla praeteritorum criminum poenitentia tangi constiterit, atque ceteris, qui in Rituali Romano indigni reputantur. Sacro oleo erunt ungendi, qui subito morbo correpti, sensuum usu distituuntur, cum ex eorum actae vitae ratione prudenter existimetur, hoc sacramentum eos esse postulaturos, si sui compotes essent, ac praesertim si salutaris poenitentiae signa praebuerint et hujus sacramenti desiderium expresserint."[71]

SS.CC. de Propaganda fide et S. Officii non semel declararunt sacramenta, nominatim Poenitentiam (cui assimilanda est Extrema Unctio), esse deneganda haereticis et schismaticis. Ita S.C. de Prop. Fide, 4 febr. 1664, exegit explicitam fidem in primatum R. Pontificis a Graecis schismaticis qui absolvi petant; S. Officium, 28 aug. 1669 et iterum 15 maii 1709, prohibuit ne absolverentur Nestoriani; 22 sept. 1763, permisit schismaticorum accessum ad ecclesias catholicas, exclusa tamen omni participatione in sacris.[72]

Huc etiam, saltem indirecte, faciunt tria earundem Congregationum decreta a. 1703, 1821 et 1861 circa Extremam Unctionem dandam infirmo immediate post Baptismum (supra cit., p. 523), quatenus nempe requirunt in subiecto intentionem suscipiendi sacramentum.

5. *Officium,* 13 ian. 1864, interrogatum circa usum existentem Hierosolymis absolvendi moribundos haereticos et schismaticos nec exigendi ab eis signum reconciliationis cum Ecclesia, respondit: "Usum de quo quaeritur, prout exponitur, esse improbandum: et ad mentem: Le mente è di accennare a Mons. Patriarca di Gerusalemme che, qualora il moribondo eretico o scismatico avesse dato un qualche segno su cui fondare un ragionevole dubbio che quegli aderisca alia santa Chiesa cattolica, in tal caso i preti di quella delegazione dovranno seguire le norme dettate da accreditati autori."[73]

S. *Officium,* 20 iul. 1898, interrogatum: "An aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur." respondit: "Cum scandalum nequeat vitari, Negative: praeterquam in mortis periculo, et tunc efficaciter remoto scandalo."[74]

5. *Officium,* 17 maii 1916, sequens dedit rescriptum: "1. An schismaticis materialibus in mortis articulo constitutis, bona fide sive abso-

[70] *Ibid.* 514.
[71] *Ibid.* VI (1882) 516.
[72] *Collectanea* 5. *Congregationis de Propaganda Fide* (Romae: Ex Typographia Polyglntta S. C. de Propaganda Fide 1907) I, n. 156, 185, 276, 450.
[73] *Hfd.* n 1246. p. 689.
[74] //r7/ II, n. 2012. p. 372.

lutionem sive Extremam Unctionem petentibus, ea Sacramenta conferri possint sine abiuratione errorum. 2. An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et Extrema Unctio conferri possit. . . Ad I. Negative, sed requiri, ut, meliori quo fieri possit modo, errores reficiant et professionem fidei faciant. Ad 2. Sub conditione affirmative, praesertim, si ex adiunctis conficere liceat, eos implicite saltem errores suos reficere, remoto tamen scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse." Cum tempore belli, schismatici moribundi ob defectum suorum ministrorum peterent a catholicis absolutionem et Extremam Unctionem, ad instantiam *episcopi Linciensis* (Linz in Austria) S. Officium illud rescriptum emisit, quod tamen non est officiale, cum publici iuris factum non sit neque in Actis Apostolicae Sedis neque subinde in Fontibus luris Canonici, sed vulgatum fuit a quibusdam ephemeridibus, ut *Linzer Theol. Quartalsch.* (1916) 692 sq. (1926) 40-46, *Kolner Pastoralblatt* 50 (1916) 304, *Pastor Bonus* 19 (1916) 17, 88, *Archiv jür Katholisches Kirchenrecht* 97 (1917) 84 sq.

S. *Officium,* 15 nov. 1941, idem confirmavit in alio rescripto (pariter non publicato in Actis Apostolicae Sedis), dato in similibus circumstantiis ad Visitatorem Apostolicum *pro Ucranianis* in Germania: "1. Sacerdos catholicus commendatos sibi habeat schismaticos qui, deficiente ministro acatholico, catholicum vocent. Infirmos visitet, et praesertim in mortis periculo versantes ad orationem, contritionem, et submissionem divinae voluntati excitet (c. 1350, § 1). 2. Etiam in periculo mortis, ut sacramenta eis ministrentur, requiritur ut meliori quo fieri possit modo, pro adiunctis saltem implicite errores reficiant et fidei professionem emittant. 3. Bona fide errantibus iam sensibus destitutis sacramenta conferri possunt sub conditione, praesertim si conficere liceat eos implicite saltem errores reiecisse. 4. Semper curandum est ut scandalum vel suspicio interconfessionalismi vitetur. Quo minus est periculum in mora eo magis explicita retractatio errorum et fidei professio exigi debent."[75]

Rituale Romanum in priori editione habebat: "Impoenitentibus vero et qui in manifesto peccato mortali moriuntur et excommunicatis et nondum baptizatis [hoc sacramentum Extremae Unctionis] penitus denegetur." Quae verba in ultima editione (tit. 5, c. 1, n. 10) mutata sunt in mitiorem formam ipsius can. 942 Codicis I. C.

Codex I. C., can. 731, § 2 generaliter statuit: "Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint." *Can. 940, § 1,* ubi de Extrema Unctione.

[a] Cf. *II Monitore Ecclesiastico* 67. 114.

statuit: "Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli," et can. 942: "Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione."

Quoad peccatores autem seu "qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant" (can. 942), notandum est imprimis non ex ipso capite defectus intentionis eis sacramentum denegari, ut quidam putare videntur (v.g. Kern, p. 318 sq., Noldin-Schmitt, n. 295 et 443, Woywod, n. 865, Conte a Coronata, n. 552), sed ex ipso defectu bonae dispositionis requisitae ad fructum sacramenti, ut patet tum ex generali praxi Ecclesiae denegantis sacramenta indignis, utut petentibus, tum ex ipsa ratione, nam intentio recipiendi sacramentum potest consistere etiam cum contumaci perseverantia in aliquo peccato mortali, imo et cum ipsa absentia fidei, etsi tum perseverans ac generalis contumacia in peccatis tum et a fortiori absentia fidei, ipsam intentionem recipiendi fidei sacramenta et salutis remedia facile corrumpere et extinguere queant.

Secundo notandum est quod, quidquid sit de severiori fortasse praxi Ecclesiae in anteriori aetate necnon de consequenti strictiori iudicio antiquiorum doctorum, praefata Codicis verba sunt stricte accipienda, ita ut illis tantum sit sacramentum denegandum, in quibus tres sequentes conditiones verificantur, scilicet 1. ut habeatur contumacia seu obstinatio in peccato gravi, 2. ut haec contumacia sit perseverans, 3. ut utrumque manifeste constet;[75] unde ex defectu alicuius ex his conditionibus vel ex dubio de ipsa, sacramentum conferendum est, absolute vel conditionate.

Hae conditiones verificantur in eo qui in peccato publico contumaciter persistit, nullum ostendens exterius signum resipiscentiae, et a fortiori in eo qui positive ac persistenter renuit facere id ad quod tenetur sub poena peccati mortalis. In particulari hae conditiones facile verificantur in his qui nomen dederunt societati Francomuratorum (Free Masons) aut simili ab Ecclesia explicite damnatae, vel qui mandant cremari corpus suum nec, admoniti, hoc mandatum revocare volunt (hi ab ipso Codice, can. 1240, § 1, enumerantur inter eos quibus serpultura ecclesiastica denegatur), vel qui vivunt in publico concubinatu aut meretricio.[77]

Nequaquam tamen verificantur in eo qui renuit Extremae Unctioni

[*] In antiquiori forma *Rituali!: Romani* supra relata (p. 700) contumacia et perseverantia non significabantur, sed omnes generaliter impoenitentes, imo et in manifesto peccato mortali moricntes, a sacramento excludi videbantur.

[75] Cf. Kilker, *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 232-234, ubi hi casus magis ckterminatc exponuntur.

praemittere confessionem sacramentalem,[78] tum quia praescriptio Ritualis de praemittenda Poenitentia (necnon Viatico) Extremae Unctioni non obligat saltem sub gravi; tum quia motivum non accedendi ad Poenitentiam potest esse aliud quam complacentia in peccato, et a fortiori quam contumacia in peccato (potest enim esse quaedam peculiaris repugnantia confitendi, sive generaliter, sive apud hunc confessarium, puta parochum qui ius habet Extremam Unctionem ministrandi); tum quia status gratiae requisitus ad hoc sacramentum acquiri potest per actum contritionis nec ulla lex praescribit hunc esse acquirendum per ipsam sacramentalem confessionem (id enim praescribitur in ordine ad solam Eucharistiae susceptionem); tum quia ipsum praeceptum divinum confitendi in articulo mortis potest adimpleri post Extremam Unctionem. Quidam etiam hanc aliam addunt rationem, quia, cum Extrema Unctio cum sola attritione suscepta remittat etiam peccata, infirmus potest eligere inter tria media huius remissionis, scilicet vel actum perfectae contritionis, vel susceptionem Poenitentiae, vel ipsam receptionem Extremae Unctionis; attamen, haec ratio non valet et falsa est, quia, ut dictum est in art. 13 (p. 135 sq.), ad fructuosam susceptionem Extremae Unctionis non sufficit attritio sed requiritur etiam bona fides, scilicet existimata contritio.[79]

Probatur 2n pars, *moribundo scilicet sui compoti qui nonnisi MATERIALITER ET BONA FIDE ACATHOLICUS sit, sacramenta probabiliter conferri posse.*

Hic quidem habetur *primum ex duobus praecipuis dissidiis inter doctores morales,* quod oportet referre antequam rei ipsius probabilitas ostendatur.

Quidam, ut *Kern, Aertnys-Damen, Merkelbach, Cappello* (mitius) et *Chretien,*[80] *negant sacramentum posse conferri,* quia in illis haereticis qui reiciunt hoc sacramentum (i.e. Protestantibus) deest ipsa intentio ad valorem sacramenti requisita; quoad Schismaticos vero et alios haereticos qui sacramentum admittunt (Nestorianos et Monophysitas), etsi talis intentio in eis non desit (imo etsi ipsi explicite petant sacramentum) et habeant praeterea requisitam bonam dispositionem animi, tamen saltem ab ipsa Ecclesia positive eis sacramenta denegantur, ut patet ex suprarelatis documentis, signanter ex *Decreto*

n Cf. Suarez, Disp. 44, sect. 1, n. 9sq.

u An sola attritio absque proprie dicta bona fide et cum quadam dispositione aequivalenti bonae fidei, possit necne sufficere in aliquo casu peculiaris angustiae, dictum est in eodem art. 13 (p. 131 sq.).

''*De Poenitentia* (ed. 2, Metis 1935) 549.

S. *Officii* 1916 (ad 1) et ex *Codice I. C.*, seu ex generali can. 731 quo omnia sacramenta denegantur ipsis "haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus," sive ex peculiari canone 740 quo dicitur "Extrema Unctio praeberi non posse nisi fideli," hac enim voce nequaquam designatur omnis baptizatus sed solus catholicus, ut patet ex ipsius Codicis terminologia.

KERN citatur infra, p. 716.

AERTNYS-DAMEN: "Qui [inter haereticos vel schismaticos] rationis usu gaudent, nequeunt absolvi, nisi prius, meliori quo fieri potest modo errores rejiciant et professionem fidei faciant; sive Sacramentum Poenitentiae admittant sive non admittant. Ita rescriptum S. Off. 17 Maji 1916."[81]

MERKELBACH: "Quamdiu sunt sui compotes et usu rationis gaudeant 'vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis et schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint' (can. 731, § 2 et S. Off., 17 maii 1916). Quod si id nolint, aut eos in bona fide relinquere prudentius judicaverit sacerdos, curet tamen ut eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis."[82]

CAPPELLO: "Si haereticus, sive formalis sive materialis, sit compos sui, extrema unctio (ut in genere cetera sacramenta) nequit ipsi ministrari, nisi prius errores abiuraverit et fidei catholicae sincere adhaeserit, servatis de iure servandis."[83] Tamen, alibi, ubi agit generice de sacramentis denegandis, de contraria sententia sincere fatetur: "Hanc sententiam, omnibus mature consideratis, censemus adhuc sustineri posse non obstante praescripto can. 731, § 2, qui statuit normam ordinarie ac tuto sequendam, dummodo absit scandalum aliudve grave incommodum."'[84] Imo. ubi agit de absolutione moribundorum, in eam sententiam inclinare videtur.[85]

Alii vero (quorum numerus magis in dies increscere videtur), ut *Gury, Rcuter-Lehmkuhl-Umbcrg, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Ferreres, Arregui, Vermeersch, Vermeersch-Crcusen, Rcgatillo, Buc-čeroni Hanley*[86] *Wouters*[86] *Tanquerey-Quevastre*[90] *Telch,*[00] *King*[01] *Murray,*[02] *Kilker,*[03] *Cappello (?),*[lu] *Conte a Coronata,*[0*] *affirmant sacramentum posse conferri.* Nam etiam ipsi haeretici, quorum secta

[81] *Theologia moralis* (ed. 14, post Codicem 6, Taurini 1944) II 259; cf. 407, ubi de Extrema Unctione.
[82] *Summa theologiae moralis* (ed. 3, Brugis 1939) III 622; cf. 684.
[83] *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 181.
[84] *Ibid.,* I: *De sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione ct Eucharistia* (ed. 4, Taurini 1945) 55 sq.
[85] *Ibid.,* II: *De Poenitentia* (ed. 4, Taurini 1944) 165.
[86] *Casus conscientiae* (ed. 4) 552 sq.
[87] *Treatise on the Sacrament of Extreme Unction* (New York 1907) 31.
[88] *Manuale theologiae moralis* II (Brugis [1933]) 373 sq.
[89] *Brevior synopsis theologiae moralis et pastoralis* (Tornaci 1920), n. 1194.
[90] *Epitome theologiae moralis* (Oeniponte 1919) 413.
[91] *The Administration of the Sacraments to Dying Non-Catholics* (Washington 1924) 85-87.
[92] In *The Homiletic and Pastoral Review* 26 (1926) 412 sqq.
[93] *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 126. 134 sq., infra cit. p. 710.
[94] "Quatenus saltem favet, in textu nuper citato.
[95] *Institutiones iuris canonici* I (Taurini 1943) 52, 596.

denegat sacramentum, cum sint in bona fide, habent implicitam intentionem sacramentum suscipiendi, quatenus habent saltem habitualem intentionem implendi mandata Christi et utendi omnibus mediis ad salutem ab ipso institutis. Nec aliunde extat ulla clara Ecclesiae prohibitio quae praedictos etiam acatholicos, in bona fide existentes, necessario respiciat; nam ex una parte can. 942 loquitur tantum de obstinatis impoenitentibus; can. 940 loquitur quidem de fideli sed forte haec vox intelligi potest de baptizato potiusquam de solo catholico; can. 731, videtur tantum assignare quid Ecclesia officialiter concedat, sed non excludit aliquid amplius ab ea non-officialiter permittere, ut constat ex ipsa permissione inclusa in Deer. S. Officii a. 1916, etsi haec respiciat solos sensibus destitutos, imo, addit Vermeersch, ille canon valet per se de solis personis benevalentibus, non vero de particulari casu articuli mortis, et ex alia parte quaedam Ecclesiae documenta praedictam permissionem faciunt vel explicite sive aequivalenter, ut Deer. S. Officii a. 1898 et a. 1916, vel implicite, quatenus innuunt sacramentum conferri posse quotiescunque adest saltem intentio habitualis implicita illud recipiendi, ut Decreta a. 1703, 1821, 1861 et 1864 (supra memorata, p. 699).

GURY: "Si vero cum aliqua probabilitate nunc ad se redierit aliquis haereticus moribundus et videatur aliquod doloris signum edere, etsi dubium, tamen tentanda sunt omnia. Sed etiam in hoc casu parochus 1) conditionate tantum sacramenta administrare potest; 2) unctionem etiam clam tantum, ne alias sit scandalum."[88]

REUTER-LEH'M.KUHL-U'MBERG: "Petes, quid agendum sacerdoti si intelligat haereticum esse ad extrema deductum? Resp. Imprimis prae oculis habendus est can. 731, *2:* 'Vetitum est sacramenta Ecclesiae,' etc. Quo canone vetatur Sacramentorum collatio haereticis et schismaticis a) mala fide errantibus, erroribus non rejectis; b) etiam bona fide errantibus, si simul, sui compotes, sacramenta petunt, erroribus non rejectis. Et sic Ecclesia hoc canone enuntiat quid quasi officialiter concedat hac in re, quid non concedat. Ut vero sciamus, quid Ecclesia, pia mater, non-officialiter permittat, consulenda est decisio S. Officii d. 26 Maii 1916. eo vid. tempore facta, quo canon ille sine subio jam erat elucubratus."[87] Haec quidem S. Officii decisio indirecte favet etiam liceitati administrandi sacramenta schismaticis et haereticis sensibus non destitutis, saltem quatenus ostendit can. 731 non habere sensum exclusivum sed proferre tantum normam generalem in ordinariis contingentibus sequendam. Unde isti auctores possunt invocari in favorem huius sententiae.

GÉNICOT-SALSMANS: "Si talis moribundus [haereticus vel schismaticus] non sensibus destitutus est, neque affulget spes eum ad fidem catholicam adducendi, saltem excitandus est ut contritionem, quantum fieri possit perfectam de peccatis suis eliciat: quo praestito, clam absolutione conditionata donari potest, non obstante can. 731. Cfr. S. O. 20 jul. 1898. — Si spes aliqua est eum ad fidem catholicam adducendi in primis ad eam amplectandam exhortandus est. Neque gencralim pro moribundo magnum periculum dari putamus ne forte proposita obligatione ingrediendae Ecclesiae, graviter peccet eam detrectando. Si enim eam

Casus conscientiae (ed. 1902), n. 625 sq.
Neo-conjcssarius practice instructus (Friburgi Brisgoviae 1919), n. 203.

obligationem percipiet, facile obsequetur, cum, instante morte, evanescant pleraque impedimenta quibus sani deterreri solent; si vero eam non percipiet, neque imputabitur abiurationis dcnegatio. Cfr. Vol. I. n. 204. — Cas. 797."[98]

NOLDIN-SCHMITT: "Num haereticis vel schismaticis concedi possit absolutio.

"1. Extra articulum mortis non licet sacramenta ministrare haereticis vel schismaticis etiamsi bona fide sint et petant; semper prius doceri debent de erroribus etiam materialibus, et his reiectis ecclesiae reconciliari. Ratio est scandalum aliorum : catholici horrorem haeresis amitterent et haeretici in suo errore confirmarentur.

"2. In articulo mortis per se eadem regula servanda est, nisi alia ratione scandalum efficaciter removeatur.

"a. Schismaticus materialis qui sensibus valet, facile petit sacramenta moribundorum, cum noverit haec sacramenta et intentionem habeat; sed praecise quia bona fide est, eius petitio nondum est signum retractationis erroris, nec scandalum evitatur. Ideo meliori quo fieri potest modo errores reicere et fidei professionem facere debet; i.e. si doceri non potest in tantum, ut explicite veram fidem profiteatur, saltem implicite hoc fateri debet. Tunc non solum absolutio, sed etiam extrema unctio dari potest. Si sensibus destitutus est. et haec implicita reiectio errorum ex adiunctis praesumi potest, sub conditione haec sacramenta dentur remoto scandalo, scii, adstantibus manifestando, ecclesiam supponere eum in ultimo momento ad unitatem rediisse.

"b. Protestans non facile petet, quia haec sacramenta non novit vel ea detestatur ut superstitiosa; inde neque intentionem habet. Parum ergo probabile est, si haeretici sensibus destituti sunt, eis condicionatam absolutionem prodesse, quamvis scandalum arceri posset eo quod clam detur absolutio. Si autem sensibus valet, etiam docendus esset in tantum, ut meliori quo fieri potest modo veram fidem profiteatur; si propter adiuncta de hac re moneri non potest, implicita petitio absolutionis ei suggeri potest. Scii, sacerdos interroget eum. num velit ab eo iuvari in assequenda vita aeterna, quam lesus Christus promisit et num omnia servare velit, quae a lesu Christo in hunc finem ordinata sunt. Tunc eliciat cum eo actus fidei, spei, caritatis, contritionis perfectae, et moveat eum ut se declaret peccatorem, qui a Deo petit remissionem peccatorum. His praemissis eum clam sub conditione absolvere poterit.

"3. Si dubium etiam leve tantum esset de baptismo talis moribundi, praemissis actibus necessariis imprimis sub condicione baptismus conferatur."[99]

FERRERES: "Etiam haereticus materialis, sensibus non destitutus, absolvi conditionatc posse in mortis articulo videtur, quin prius de fide catholica convictus eam amplectatur et confessionem peragat, modo excitetur ad contritionem, quantum fieri possit perfectam, de peccatis suis et paratus sit facere omnia, quae a Deo ordinata sunt ad aeternam salutem consequendam."[1]

ARREGUI: "Potest absolvi condicionatc . . . haereticus materialis, sensibus non destitutus, si de suo errore moneri nequeat, modo tamen excitetur ad contritionem, quantum fieri potest perfectam et paratum se praebeat ad ea omnia ponenda quae necessaria sunt ad salutem aeternam."[2]

VERMEERSCH: "Regula ista [quae statuitur in can. 731] nulli exceptioni locum dat, cum agitur de personis bene valentibus. . . . Necessitas tamen consulendi, in periculo mortis, saluti animae, permittit ut moribundis acatholicis sacramenta necessitatis stricte vel late dictae (poenitentia et extrema unctio) administrentur, saltem conditionatc, si sensibus destituti sint. vel. si sensibus praesentes, in bona

[98] *Institutiones theologiae moralis* (ed. 10, post Codicem 3, Bruxellis 1922) II 268.
[99] *Summa theologiae moralis* (ed. 26, Oeniponte, Lipsiac 1940) III 301 sq
[1] *Compendium theologiae moralis* (ed. 10, post Codicem 3, Barcinone 1919) II 359.
[2] *Summarium theologiae moralis* (ed. 4, Bilbao 1919) 373.

fide prudenter linquendi videantur. Ac sensibus destitutus, certius quam absolutione sacramentali, iuvabitur extrema unctione, quae non exigit actus subiecti tanquam quasi-materiam sacramenti. Cavendum tamen est a scandalo vel miratione populi, si extrema unctio non possit satis secreto ministrari. Si dubium etiam leve esset de baptismo talis moribundi, quod nostris temporibus facile aderit, praemissis actibus necessariis, in primis baptismus sub conditione conferatur. Neque obstat particulare et tantum in ephemeride dioecesana vulgatum responsum S. Officii 17 — 20 maii 1916, quo negatum est schismaticis materialibus in mortis articulo constitutis, bona fide sive absolutionem sive E.U. petentibus, sacramenta ista conferri posse, sed requiri 'ut. meliori quo fieri possit modo, errores reiciant ct professionem fidei faciant'. Responsum enim istud dat regulam generalem de solis schismaticis, quibuscum facilius peccari potest quodam indifferentismo, et qui, ob ipsam petitionem, videntur satis commode adduci posse ad errorum abiurationem; nec casum contemplatur quo periculose, pro animae aeterna salute, bona fides turbaretur."[1]

"Si [moribundus usu sensuum pollens] fuerit acatholicus qui de errore suae sectae prudenter moneri nequeat, excitetur ad eliciendum actum contritionis perfectae; dein se peccatorem coram Deo et sacerdote declaret, et, concepto dolore, etiam declaret sibi gratum esse ut sacerdos, quantum possit, ipsum iuvet. Quo facto, absolvatur sub condicione. Actus isti quos poenitens absolute facit, meliores et utiliores censentur voluntate condicionata sic expressa: 'si id necessarium scirem, vellem confiteri et absolvi' (Lehmkuhl, II. 651). Magis certo tamen acatholicus contritione perfecta atque extrema unctione iuvabitur."[4]

VERMEERSCH-CREUSEN repetunt ad verbum ea quae habet Vermeersch in priori parte primi textus nuper citati, usque ad "Neque obstat" exclusive.[5]

REGATILLO, ubi agit de Extrema Unctione, sacramentum concedit solis acatholicis quorum secta admittit sacramentum (cf. infra, p. 719); ubi vero agit de sacramentis in genere, absque ulla distinctione scribit: *"Sensibus non destitutus* [acatholicus] qui prudenter existimetur versari in bona fide: 1) si rationabiliter speratur eum errores abiuraturum, si moneatur, fiat haec monitio, et post abiurationem absolvatur et ungatur; 2) si prudenter timetur, ne monitio sit inutilis, ne fiat; ct tunc, praemissis praemitendis, iuxta aliquos absolvi et ungi potest. Haec sententia mihi videtur tuta in praxi, si contritus vel saltem attritus sit, et se ostendat paratum facere omnia ad salutem necessaria. *Ex parte validitatis* nihil obstat, Nam 1) tunc adest intentio, saltem implicita, recipiendi sacramenta, qualis in baptismo, poenitentia et extrema unctione sufficit; 2) adsunt actus poenitentiae requisiti, scilicet contritio et confessio, saltem generalis: se esse peccatorem, quod insinuari potest moribundo, ei suadendo ut doleat; 3) adesse potest fides supernaturalis. *Ex parte liceitatis* ab Ecclesia non prohibetur: nam 1) Ecclesia vult plus quam omnes hominum salutem. 2) SO 20 iul. 1898 ad quaestionem 'An aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur', respondit: 'Cum scandalum nequeat vitari, negative; praeterquam in mortis periculo; ct tunc efficaciter remoto scandalo'.

"Obiicies: 10 C. 731, § 2: Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis etiam bona fide errantibus, eaque petentibus; nisi prius, erroribus reiectis. Ecclesiae reconciliati fuerint. *Resp.* a) Canon hic, sine dubio, non opponitur responso S0 20 iul. 1898; b) non agit de mortis periculo, sed intelligi potest de regula generali, a qua recedi licet ob gravissimam causam, ut in casu.

"2.° SO 17 maii 1916. ad quaestionem 'An schismaticis materialibus in mortis articulo constitutis, bona fide sive absolutionem, sive extremam unctionem petentibus. ea sacramenta conferri possint sine abiuratione errorum', respondit: 'Negative.

[1] *Th'-olog'a moralis III* (cd. 4 a Crcusen recognita, Roma 1948) 117 sq.
[4] *Ibid.* 357.
[5] *Epitome iuris canonici* (ed. 6, Mechliniae 1940) II 11.

sed requiri ut, meliori quo fieri possit modo, errores reiiciant et professionem fidei faciant'. *Resp.* a) Responsum fuit de schismaticis tempore belli europei monentibus, qui, cum non adesset minister schismaticus, absolutionem et unctionem petebant a catholicis, b) Fuit responsum privatum Episcopo Linciensi missum et in aliqua ephemeride dioecesana publicatum, non in *Actis Apostolicae Sedis* c) Vix admitti potest, hoc responsum opponi praecedenti 28 iul. 1898. Intelligi potest, ita ut schismatici per se absolvi et ungi nequeant, nisi prius errores reiiciant et fidei professionem faciant; sed haec abiuratio et fidei professio non semper explicita urgenda sit; implicita possit quandoque admitti; quod indicant verba 'meliori quo fieri potest modo'. Id est, si haereticus vel schismaticus doceri vel moneri non potest in tantum ut explicite veram fidem profiteatur, saltem implicite hanc fateri debet, ostendendo se contritum et paratum facere omnia ad salutem necessaria, in hunc finem a Christo ordinata. Hoc confirmatur responso SO 15 nov. 1941 ad Visitatorem Apostolicum pro ucranianis in Germania: 1. Sacerdos catholicus commendatos sibi habeat schismaticos qui, deficiente ministro acatholico, catholicum vocent. Infirmos visitet, et praesertim in mortis periculo versantes ad orationem, contritionem et submissionem divinae voluntati excitet (c. 1350, § 1)."[6]

Intrinseca probabilitas huius sententiae patet ex eo quod administration! sacramenti praedictis acatholicis nihil certo opponitur sive ex parte rei, seu requisitorum ad validam et fructuosam sacramenti susceptionem, sive etiam ex parte alicuius positivae prohibitionis Ecclesiae.

Pritno enim, requisita dispositio, seu attritio vel status gratiae, haberi vel procurari potest, saltem cum probabilitate, sive in schismaticis sive in haereticis bonae fidei. Requisita *ipsa intentio* suscipiendi sacramentum adest certo in illis qui admittunt sacramenti existentiam illudque a sacerdote catholico petunt vel acceptant. In ceteris vero haereticis quorum secta sacramentum reicit (i.e. Protestantibus), generalis quaedam et implicita intentio sufficienter habetur, vel a sacerdote procurari potest; nam ipsa generalis intentio sumendi media salutis a Christo instituta, quam potest habere haereticus denegans aliquod sacramentum in particulari, copulata cum ipsa bona fide qua non absolute nec pertinaciter hoc sacramentum denegat, sufficienter salvat implicitam, utut remotam, intentionem suscipiendi hoc ipsum sacramentum, eo quod huiusmodi materialis haereticus ita ex illa generali intentione est absolute dispositus ut, si sciret hoc sacramentum revera esse a Christo institutum, (quod ex mera accidentali ignorantia non cognoscit), illud directe vellet suscipere. Quod quidem confirmatur a paritate cum ministro haeretico qui, ideo valide baptizat, quia, quamvis non intendat explicite facere quod facit Ecclesia catholica, tamen, cum absolute velit facere quod Christus instituit, eo ipso implicite vult facere id ipsum quod facit Ecclesia catholica, etsi id ex ignorantia non advertat aut etiam illogice abnuat.[7]

[6] *Ius sacranienlarium* (ed. 2, Santander 1949) 19 sq.

[7] Cf. dicta de administratione Baptismi acatholicis moribundis in tractatu *De sacr, in genere* 357.

Secundo, quod attinet ad Ecclesiae documenta, et signanter ad Codicem I. C. (cf. in p. 700 sq.), *canon 942* prohibens Extremam Unctionem dari pertinaciter impoenitentibus, evidenter nullam hic facit difficultatem, quoniam praefati acatholici non necessario sunt impoenitentes. Difficultas, nec parva, provenit sive ex *can. 940, § 1,* in quo dicitur "Extremam unctionem praeberi non posse nisi fideli" seu catholico* sive, ac praecipue, ex *can. 731, § 2,* in quo directe et explicite omnia sacramenta schismaticis et haereticis denegantur nisi prius Ecclesiae reconcilientur, imo signanter additur id valere etiam quoad eos qui in bona fide existunt ac sacramenta petunt. Qui quidem canon confirmatur etiam ex supra relata (p. 699 sq.) duplici declaratione S. Officii a. 1916 et 1941, eodem fere tempore emissa, qua ipsis schismaticis, sacramenta profitentibus ac petentibus, ea denegantur.

Nihilominus hanc Codicis legem esse interpretandam tantummodo ut "normam ordinariam ac tuto sequendam" (Cappello), qua "Ecclesia enuntiat quid quasi officialiter concedat hac in re, quid non concedat" (Reuter-Lehmkuhl-Umberg), ita ut in ea "agatur [tantum] de personis bene valentibus" (Vermeersch) seu non respiciatur exceptionalis casus extremae necessitatis in qua inveniuntur moribundi,' sequitur cum solida probabilitate ex sequentibus considerationibus:

1. Rationes, quare Ecclesia denegat sacramenta acatholicis, sunt: praesumpta eorum indignitas; praesumptus defectus intentionis suscipiendi; poena excommunicationis qua privantur bonis propriis Ecclesiae (cann. 87; 2314, § 1, n. 1; 2260, § 1); scandalum fidelium; periculum ne fideles odium haeresis vel schismatis amittant (periculum indifferentismi vel interconfessionalismi); bonum ipsorum acatholicorum ne in suo errore confirmentur. Iamvero, in casu moribundorum bonae fidei, prima et secunda ratio non valent vel sufficienter auferri

* Vox "fidelis" hic significat "baptizatum et catholicum" in oppositione non solum ad non baptizatos sive paganos sed etiam ad haereticos et schismaticos. Id constat non solum ex traditional! usu vocis sed etiam ac praecipue ex ipsa Codicis terminologia, in quo vix non semper sic ea vox accipitur; cf. cann. 46S, § 6, 467, § 1 et 2, 4S3, § 2, 684, 687, 707, 906, 1161, 1162, §3, 1169, §1, et praecipue 1152 in quo fit explicita distinctio et oppositio: "Non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos" (cf. ipsum Indicem Codicis, ad vocem: Infideles). Nec refert quod in illo canone agatur de requisitis ad valorem huius sacramenti, scilicet fidelitate, usu rationis et infirmitate ("Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur"), fides autem ad valorem non requiratur, nam potuit Codex sub eadem priori voce "fidelis" simul exprimere duas conditiones, alteram ad valorem (Baptismum fidei) et alteram ad ipsam liceitatem requisitam (professionem fidei), ita ut ibi inciperet etiam sermonem de liceitate, mox complendum in can. 942 ubi addit secundum requisitum non contumaciae in peccato.

' Sic interpretanda est ea Vermeersch minus felix expressio; nam Extrema Unctio, quae certe includitur cum aliis sacramentis in can. 731, necessario respicit personas non bene valentes, seu in periculo mortis, etsi non necessario moribundos, seu in articulo mortis.

possunt, ut supra dictum est; tertia ratio non urget, nam in periculo mortis can. 882 levat omnem excommunicationem, permittens ut "omnes sacerdotes . . . valide et licite absolvant quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis"; ceteris rationibus potest sufficienter satis fieri, et aliunde ipsae amice componendae sunt cum suprema ratione boni animarum seu salutis aeternae, quam praecipue attendit ac prosequitur pia mater Ecclesia.

2. Si can. 731 haberet sensum exclusivum absolutum et accipiendus esset in toto verborum rigore, sequeretur etiam ipsos acatholicos sensibus destitutos, utut bonae fidei et pertinentibus ad sectam quae sacramenta profitetur, non posse ungi et absolvi, quod tamen negatur ab omnibus fere modernis doctoribus, saltem quoad acatholicos bonae fidei qui admittunt sacramenta (cf. infra, p. 721 sq.). Quo ergo iure et ratione adversarii, non obstante generali tenore canonis, hanc exceptionem constituunt, eodem iure et ratione invocari potest et altera exceptio, in favorem nempe moribundorum sensibus non destitutorum. Nec valet discrimen in eo assignare quod illi non possunt, sicut isti, suorum errorum facere retractationem, nam potest contingere ut etiam istis ea retractatio sit saltem moraliter impossibilis, ob defectum temporis quo instrui et disponi possint aut ob ipsum spirituale periculum perturbandi eorum bonam fidem. Nec etiam valet invocare explicitum discrimen quod fit in privato rescripto S. Officii a. 1916 (et a. 1941), quo sacramenta conceduntur moribundis sensibus destitutis, negantur vero sensibus non destitutis; nam praeterquam quod in alio, ac officiali, Decreto S. Officii a. 1898 sacramenta conceduntur absque distinctione omnibus moribundis, ex eo ipso rescripto a. 1916 indirecta saltem confirmatio peti potest etiam in favorem moribundorum sensibus non destitutorum, ut mox ostendetur.

3. Decretum S. Officii a. 1898 (supra cit., p. 699) concessit ut schismatici materiales seu bonae fidei, in mortis periculo, absolvi possint. Ibi nulla fit distinctio inter sensibus destitutos et sensibus non destitutos, adeoque omnibus sacramenta conceduntur; imo connaturaliter sensus concessionis videtur praecipue respicere moribundos sui compotes, qui sacramenta petere possunt et in quibus ipse valor sacramentorum multo securius obtinetur. Nihil autem ostendit, aut probabile facit, hoc Decretum per canonem 731 aut etiam per Rescriptum a. 1916 (et 1941) revocatum esse. Nec probabilis videtur sequens assertio *Aertnys-Damc.n:* "Hoc rescripto in resp. ad I et ad II igitur explicatur deer. S. Off. 20 Julii 1898",[10] ac si nempe soli moribundi sensibus destituti in illo Decreto respicerentur.

4. Ipsum Rescriptum a. 1916 (idem dic de rescripto a. 1941) non

[10] *Op. cit.* (supra, in p. 703) 260, in nota.

necessario excludit administrationem sacramentorum acatholicis sensibus non destitutis. Imprimis notetur hoc rescriptum esse particulare ac privatum responsum episcopo unius dioecesis, nec eius valorem esse ultra modum exaggerandum. Praeterea, ut apte advertunt Vermeersch et Regatillo (supra cit., p. 705-707), responsum istud dat *regulam generalem,* a qua recedi liceat ob gravissimam necessitatis causam, et quidem agit directe de solis schismaticis, quibuscum facilius peccari potest quodam indifferentismo, et qui, ob ipsam petitionem, videntur satis commode adduci posse ad errorum abiurationem; nec casum contemplatur quo periculose, pro animae aeterna salute, bona fides turbaretur. Praeterea, ut advertit Regatillo (supra cit., p. 707), verba illa "Requiri ut, *meliori quo fieri possit modo,* errores reiiciant et professionem fidei faciant" quandam admittunt latitudinem, ita ut possint intelligi etiam de ea generali ac implicita fidei professione et erroris reiectione, ad quam facile sacerdos potest adducere homines bona fide errantes et ad Dei praecepta oboediendum paratos, quamque indicat tum Rescriptum a. 1941 ea verba sic reformans: "Ut meliori quo fieri possit modo, *pro adiunctis saltem implicite* errores reiiciant et fidei professionem emittant," tum utrumque Rescriptum a. 1916 et 1941 in responsione ad alterum quaesitum de moribundis sensibus destitutis, dicens hos posse ungi et absolvi "praesertim si ex adiunctis [i.e. ex ipsa bona fide] conficere liceat, eos implicite saltem errores suos reficere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere eos in ultimo momento [meliori quo fieri possit modo, i.e. saltem implicite, ex bona voluntate ad oboediendum Deo in omnibus parata] ad unitatem rediisse."

Ex dictis sequitur hanc sententiam in praxim deduci posse, utpote sive extrinsece sive intrinsece probabilem. Non tamen tanta est eius probabilitas nec adhuc tantus doctorum in eam consensus, ut inde oriatur etiam obligatio pro bono animarum eam in praxim deducendi. Ad rem *Kilker:* "At any rate a priest who gives Extreme Unction to dying heretics has enough of extrinsic probability on his side to save him from any scruples of conscience or criticism of his superiors. Again, a priest who does not anoint in these cases cannot be impugned for a lack of love towards souls. He has in support of his refusal arguments whose intrinsic worth are much greater than those which prompt the contrary mode of procedure. Such a priest may be firmly impressed by the arguments which make it absolutely wrong to administer the sacraments to these dying persons."[11]

[11] *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 135.

Ubi autem in praxim deducatur attendenda sunt quae observant ipsi ejus patroni, ut Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Ferreres, Arregui, Vermeersch, supra citati. Scilicet:

1. Sacerdos debet quantum fieri potest procurare explicitai» errorum abiurationem et fidei professionem; id requirit generalis norma et lex Ecclesiae atque rationes in quibus ipsa fundatur.

2. Si talis abiuratio et professio fidei impossibilis est, sive ob defectum temporis aut physicas infirmi conditiones, sive ob ipsum periculum perturbandi bonam fidem, sacerdos debet prius procurare, meliori modo quo possit, probabilem utut implicitam saltem intentionem recipiendi sacramentum, ut nempe, in casu moribundi protestantis (nam in schismaticis aliisque qui sacramentum admittunt, facile habetur explicita intentio), infirmus velit a sacerdote spiritualiter adjuvari quantum fieri potest vel sit paratus ad faciendum et suscipiendum quidquid Deus vult et ordinat ad aeternam salutem, et praeterea requisitam dispositionem ad fructum sacramenti, seu saltem attritionem quoad Poenitentiam et contritionem seu statum gratiae quoad Extremam Unctionem, quod quidem practice fiet excitando infirmum ad actus fidei, timoris, doloris et amoris Dei. Ceterum numerus casuum in quibus necessarium evadat sacramenta conferre absque aliqua explicita fidei catholicae professione, non parum fortasse reducitur si consideretur quod plures schismatici et haeretici qui haec sacramenta admittunt, non tam difficile, adiuvante ipsa eorum bona fide et praesenti statu periculi mortis, in quo evanescere solent impedimenta conversionis, ad eam professionem induci possunt; de ceteris etiam non inepte observant *Génicot-Salsmans:* "Neque generatim pro moribundo magnum periculum dari putamus ne forte proposita obligatione ingrediendae Ecclesiae, graviter peccet eam detrectando. Si enim eam obligationem percipiet, facile obsequetur, cum, instante morte, evanescant pleraque impedimenta quibus sani deterreri solent; si vero eam non percipiet, neque imputabitur abiurationis denegatio" (in textu cit. supra, in p. 704 sq.).

3. Sacramenta nonnisi sub conditione conferri possunt, quidquid sit de gradu probabilitatis vel moralis certitudinis de intentione et dispositione subiecti. Nam. praeterquam quod in subiecto cuius secta denegat sacramentum, implicita intentio illud recipiendi est de se valde incerta, in omni casu ipsa liceitas administrandi sacramentum tali subiecto in articulo mortis, non obstante generali prohibitione Ecclesiae, non est nisi probabilis. De modo autem et qualitate apponendae conditionis confer supra art. 27, p. 450, in nota, et art. 20, p. 259 sq.

4. Diligentissime vitandum est scandalum, in quo praecipue fundantur prohibitiones Ecclesiae. Scandalum facilius vitatur in absol-

vendo quam in ungendo, saltem quatenus facilius est eludere attentionem adstantium clam absolvendo quam ungendo; ceterum, ubi aliter fieri non possit, scandalum removendum est per congruam declarationem, factam saltem post sacramenti administrationem, seu, ut ait Rescriptum a. 1916 quoad casum absolutionis et unctionis acatholici sensibus destituti, "manifestando adstantibus, Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse."[12]

5. Si dubitetur, etiam leviter, de facto vel validitate baptismi, moribundus debet prius sub conditione baptizari ac subinde pariter sub conditione absolvi et ungi.

Conclusio 2. Probabiliter Extrema Unctio et Poenitentia possunt licite administrari sub conditione cuilibet baptizato moribundo sensibus destituto, etiam ei qui nullum signum bonae dispositionis dederit antequam sensibus destitueretur. Id quidem nonnisi leviter, sufficienter tamen, probabile est quoad acatholicos formales et quoad obstinatos peccatores qui usque ad momentum destitutionis sensuum in formali infidelitate vel in obstinata impoenitentia apparenter saltem perseveraverint. Id vero probabilius est quoad ceteros acatholicos vel peccatores, qui absque ullo conversionis signo sensibus destituti fuerint, scilicet quoad acatholicos materiales seu bonae fidei, quoad catholicos pagane viventes qui tamen fidem publice non negaverint, quoad respuentes sacerdotem et susceptionem sacramentorum sibi oblatorum, quoad eos qui in ipso actu vel habituali statu peccati sensus amiserint, et a fortiori quoad eos qui parum christiane vixerint necnon quoad ignotos moribundos.

Probatur.

In hanc Conclusionem non consentiunt ipsi doctores moderni, et multo minus antiquiores. Inter antiquiores quaestio erat omnino generalis (quam pertractavimus in tractatu *De Poenitentia* IV 582 sqq.), an nempe sacramenta (nominatim Poenitentia) possent licite ministrari moribundis sensibus destitutis, qui nullum antea dederint signum poenitentiae; plures maioresque quidem theologi id negabant, alii vero affirmabant donec paulatim haec altera sententia praevaluerit, praecipue post S. Alphonsum, qui ei suum calculum attulit. Ad varias tamen huiusmodi moribundorum categorias descendentes, patroni huius sententiae excipiebant tum omnes acatholicos (etiam materiales, ut supra dictum est) tum omnes obstinatos peccatores, ita ut benignior ipsius S. Alphonsi sententia nonnisi ultimis duabus peccatorum categoriis nuper enumeratis, scilicet iis qui in ipso actu peccati

[12] Cf. dicta in art. 27, p. 463.

sensibus destituti fuerint et iis qui parum christiane vixerint, sacramenta concederent. Moderni vero hanc concessionem etiam ad alios peccatores et ad ipsos acatholicos extenderunt, ita ut quidam eam ad omnes prorsus baptizatos extendant, alii vero excludant praecipue acatholicos formales et peccatores obstinatos (in quo quidem habetur *secundum praecipuum dissidium* inter doctores morales; cf. supra p. 702), quibus quidam assimilant catholicos pagane viventes et eos qui sacerdotem et sacramenta explicite respuerint.

Praefatam generalem quaestionem iam agitavimus ac resolvimus in tractatu De Poenitentia IV 582 sqq.; manet ut eam applicemus ad praedictas varias moribundorum categorias, primo quidem indeterminate quoad omnes, subinde determinate quoad singulas, simul in decursu exhibentes varios particulares doctorum dissensus.

Ex generali duplici principio, regulante praxim sacramentalem, scilicet: "Sacramenta sunt propter homines ita ut in extrema necessitate extrema liceat tentare" et "Sancta sunt sancte tractanda, ita ut non liceat temere sacramenta nullitati aut infructuositati exponere," sequitur *primo,* quod non licet ea administrare subiecto in quo moraliter certo deest vel intentio requisita ad eorum validitatem vel etiam bona voluntatis dispositio requisita ad eorum fructuositatem; *secundo,* quod, nisi aliunde obstet positiva Ecclesiae sanctio seu prohibitio, licet e converso sacramenta necessitatis administrare, saltem sub conditione, ubi talis certitudo non adsit, ita ut simul habeatur non mera quidem possibilitas requisitae intentionis et dispositionis, *sed vera aliqua utut minima, probabilitas, de utraque,* fundata nempe vel in aliquo particulari actu aut signo, vel saltem in aliqua generali indole aut charactere anteactae vitae. Signanter autem dicimus "Ubi habeatur non mera possibilitas sed vera aliqua probabilitas," nam, ut iam animadvertimus in tractatu *De Poenitentia* IV 584 resolventes praefatam generalem quaestionem, mera possibilitas nequit esse rationale fundamentum praxis seu prudentialis iudicii regulantis actiones morales; unde inepte plures theologi continuo invocant possibilitatem mutationis vel dispositionis subiecti in statu destitutionis sensuum ad probandam liceitatem conferendi illi sacramenta.

lamvero, in quolibet homine baptizato qui sit moribundus ac sensibus destitutus, utut antecedenter refragans aut indispositus ad susceptionem sacramenti, non habetur stricta, utut moralis, certitudo de defectu intentionis vel dispositionis requisitae ad sacramentum valide et fructuose suscipiendum, et simul *habetur vera aliqua {maior vel minor pro qualitate, subiecti} probabilitas de praesentia eiusdem intentionis et dispositionis,* nec aliunde ulla Ecclesiae lex quemquam

baptizatum, qui sit moribundus ac sensibus destitutus, a susceptione sacramentorum necessitatis positive excludit.

Ergo cuilibet homini baptizato, moribundo ac sensibus destituto, sacramenta necessitatis, qualia, diverso quidem modo, sunt Poenitentia et Extrema Unctio, possunt licite administrari, saltem sub conditione.

Minor ostenditur.

Imprimis notandum est quod ipse status destitutionis sensuum, per se solus consideratus, cedit in favorem moribundi, quod attinet ad efformandum iudicium de eius dignitate vel indignitate; nam, cum ipse nullum iam det signum actualis indignitatis, per se praesumendus est dignus nisi contrarium aliunde constet, iuxta receptum effatum "Nullus praesumitur malus, nisi probetur talis," et hoc sensu valorem habet assertio illa *Vermeersch-Creusen,* quam quidam alii repetunt: "Non iam constat de contumacia eius qui sensibus est destitutus." Attamen, hic status et hoc principium, quod per se sufficeret ad fundandam probabilitatem requisitae conditionis ad suscipiendum sacramentum et de facto sufficit si agatur de ignoto moribundo, cuius nempe antecedens vita prorsus ignoretur, non sufficit in casu moribundi sensibus destituti cuius noscitur praecedens nec revocata indignitas (etsi nihilominus in meliori conditione ipse inveniatur quam ille qui non est sensibus destitutus et actualem indignitatem manifeste ostendit), nam contra ipsum stat ipsa praesumptio perseverantis indignitatis, quam sic apte exprimebant antiqua *Statuta Ecclesiae Trecensis* (supra cit., p. 679): "Quia si semel malus, semper praesumitur malus, nisi probetur contrarium." Oportet igitur ut haec praesumptio destruatur per aliquam aliam probabilem rationem mutatae indignitatis.

Dicimus igitur hanc rationem sufficienter consurgere ex consideratione alicuius generalis indolis aut characteris anteactae vitae, prout actu influit in mutationem praecedenter manifestatae nec retractatae indignitatis.

Probabilitas nempe mutatae intentionis vel dispositionis satis solide fundari videtur in ipsis adiunctis praesentis status periculi mortis copulatis cum generali saltem indole anteactae vitae hominis Christiani ac baptizati, quatenus, ut iam notavimus in tractatu *De Poenitentia IV* 592-596, 598 sq., tenor illius vitae, seu generalis praxis vel fides Christiana, continet in se quaedam semina salutis et remota saltem principia resipiscentiae quae connaturaliter tendunt ad proprium effectum producendum, cum maiori quidem vel minori spe et efficacia iuxta varias hominis conditiones, praesertim in circumstantiis mortis imminentis et gratiae divinae specialiter tunc adiuvantis. Imminens enim mortis articulus dupliciter influit in genesim requisitae intentionis et dispositionis, sive nempe debilitando corpus et sensitivas

passiones, quae directe vel indirecte esse solent praecipua resipiscentiae impedimenta, sive suscitando in hominis conscientia, ac veluti praesentialiter indigitando, cogitationem aeternitatis et periculum damnationis; auxilium autem divinae gratiae, specialiter moribundos assistentis aut certe nemini deficientis, utrique praedictae rationi salutare confert incrementum, foecundando nempe influxum dispositionum christianae vitae vel principiorum fidei, et confortando vires humanae voluntatis necnon tremores perturbatae conscientiae.

Aliunde autem nulla positiva Ecclesiae lex quemquam moribundum, sensibus destitutum, excludit a susceptione sacramentorum Poenitentiae et Extremae Unctionis. *Can. 731, $ 2* (supra cit., p. 700), denegans sacramenta haereticis et schismaticis, non respicit homines sensibus destitutos, cum exigat reiectionem errorum et professionem fidei. *Can. 942* excludit quidem omnes "illos qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant," seu quorum contumacia est manifesta et certa (cf. supra, p. 701); attamen de contumacia sensibus destitutorum nequit amplius certo constare, ob ipsam absentiam signorum in illo statu. *Can. 882* levat omnem excommunicationem eiusque effectus relate ad moribundos. *Decretum S. Officii* a. 1898 (cit. in p. 699) concedit sacramenta ipsis acatholicis non destitutis sensibus, ergo a fortiori iis qui sunt sensibus destituti; nec refert quod ibi agatur tantum de acatholicis materialibus, nam acatholici materiales, quatenus sunt sui compotes, inveniuntur in peiori conditione quam acatholici formales, sensibus destituti, quod attinet ad praecipuam rationem publicae indignitatis et scandali, ob quam Ecclesia sacramenta denegat acatholicis. *Rescriptum* a. 1916 et a. 1941 concedit sacramenta schismaticis sensibus destitutis nec aliud ad summum in eis requirit nisi quod aliquomodo possit coniici eos implicite suos errores reiciere, quatenus possit prudenter supponi eos in ultimo momento ad unitatem rediisse; ipsa verba "Affirmative, *praesertim* si . . ." ample sonant, ita ut ad alios casus concessio extendi possit; de ipsis autem acatholicis formalibus potest, ut supra explicavimus, satis prudenter supponi eos, dum sunt in statu destitutionis sensuum, ad talem dispositionem probabiliter pervenire qua dicantur implicite saltem ad unitatem redire.

Restat ut aliquid in particulari dicamus de singulis categoriis tum acatholicorum tum peccatorum, ut inde ostendantur tum particulares dissensus theologorum, tum variae particulares rationes et varii gradus probabilitatis nostrae Conclusionis.

1. *DE ACATHOLICO FORMALI.*

Negant sacramentum conferri posse, ob defectum saltem requisitae intentionis, *Kern, Merkclbach, Cappello* (qui tamen concedit probabilitatem contrariae sententiae), *Conte a Coronata, Chrétien,*[3] *Aertnys-Damen* et *Regatillo* (qui tamen duo postremi rem non omnino excludunt; cf. infra).

KERN de utroque casu formalis et materialis acatholici, necnon de casu catholici practice infidelis (i.e. more pagano viventis), scribit:

"Sacramentum non potest administrari:

"1. *Haereticis, qui secundum placita suae sectae s. Unctioni denegant dignitatem sacramentalem;* quales sunt Protestantes. Sunt enim in habituali intentione non admittendi istum ritum superstitiosum Catholicorum. Quare etsi sacerdos habeat firmam persuasionem, aliquem protestantem moriturum esse bona fide et in habituali dispositione explendi omne mandatum divinum cognitum, et utendi in hora mortis omnibus mediis salutis divinitus provisis, tamen non potest ei succurrere per Extremam Unctionem. Nam cum optima illa voluntate generali consistit habitualis voluntas respuendi hunc ritum determinatum. Qui inclinant in sententiam, illam bonam voluntatem generalem habitualiter permanentem sufficienter includere intentionem recipiendi in hora mortis omnia media salutis divinitus constituta, necessaria consequentia adstringuntur dicere, tali haeretico materiali etiam tum, cum est sui compos, *valide* s. Unctionem applicari, etsi omnibus viribus reclamet et reluctetur. Nam si habitualis voluntas bona in eo, qui rationis usu caret, praevalet super habitualem voluntatem respuendi sacramentum, a pari actualis voluntas bona in eo, qui rationis usu potitur, praevalet super actualem voluntatem non admittendi ritus catholicos. Quis autem hoc ultimum admittet? *Si autem,* ut hoc statim adnectamus, *haereticus bonae fidei adhaeret sectae, quae dignitatem sacramentalem Unctionis infirmorum profitetur,* valide et aliis conditionibus suppositis etiam cum fructu s. oleo munitur. Difficilius respondetur quaestioni num sacerdoti catholico liceat, tali haeretico materiali spiritualem medicinam praebere. Cum quantum scio, decisiones s. Sedis desint, salvo meliore iudicio censeo, id licere, si periculum scandali removeatur, cum moribundo sensibus destituto per absolutionem vix amplius possit succurri. Constat enim, haeretico materiali in articulo mortis remoto scandalo licite dari absolutionem. Conf. e. gr. Acta s. Sedis t. 31, p. 253 s. Cur ergo, si sacramentalis Poenitentiae non amplius est capax, sub eadem restrictione non iuvetur Extrema Unctione, a cuius receptione probabiliter dependet aeterna eius salus?

"2. *Tum iis infirmis, qui inter Catholicos numerantur quidem, quia Ecclesiam externe non deseruerunt, at fidem abiecerunt et hostilem contra religionem animum gesserunt, tum iis, qui omnibus exercitiis religionis abiectis curam salutis penitus neglexerunt:* his omnibus, si, donec mentis compotes erant, nullum signum verae poenitentiae exhibuerunt. In talibus enim hominibus non minus quam in haereticis deest intentio absolute requisita ad valorem sacramenti. Quare sacerdotibus prae-

[3] *De Poenitentia* (ed. 2, Metis 1935) 549. A fortiori id negabant omnes antiquiores qui imo generatim excludebant etiam acatholicos materiales seu bonae fidei. Sit unus pro aliis, 5. *Alphonsus* scribens: "Potest et debet absolvi (intellige semper sub conditione) homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur: pro hoc enim etiam merito praesumi potest quod ipse, in proximo periculo suae damnationis constitutus, cupiat omni modo suae aeternae saluti consulere. Dixi: *homo catholicus,* ut recte advertit Holzmann. Haeretici enim, etiamsi in eo casu dent signa poenitentiae non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant; quia tales numquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent" *(Theologia moralis* [ed. L. Gaudé, Romae 1909] III 501).

sertim nostro tempore, quo secus ac prioribus saeculis, innumeri hujusmodi 'Catholici', maxime in urbibus vivunt, prudenti circumspectione est opus. Quae certe non servatur, si omnibus istis hominibus, cum sensibus destituti non amplius valent reluctari, Unctio adhibetur secundum adagia: sacramenta sunt pro hominibus, in extrema necessitate omnia sunt tentanda, si moriturus ante exitum eliciat actum attritionis, ope sacramenti reviviscentis salvabitur. Verum Ecclesia eiusque ministri severa tenentur obligatione sancta sancte tractandi, tenentur custodire verbum Domini: 'Nolite dare sanctum canibus' . . . tenentur cavere, ne sacrosanctos ritus irrisioni et ipsum munus sacerdotale contemptui exponant. . .

"Sane excesserunt illi theologi, qui docebant, Extremam Unctionem ob reverentiam sacramenti denegandam esse omnibus, qui actu non fruuntur usu rationis. Sed peius excedunt, qui nulla habita ratione sanctitatis sacramenti attentant illud conferre omnibus, qui mentis non sunt compotes. 'Constat, inquit *Suarez,* fore peccatum grave, dare sacramentum homini habenti obicem [eo quod amisit rationis usum in malo statu et indispositus], et nullo modo, i.e. nec expresse nec implicite seu interpretative petenti sacramentum et salutis suae remedium, saltem per signa attritionis aut bonae vitae' (Disp. 42, sec. 1, n. 8).

"Quod spectat adagia commemorata, sacramenta certe sunt pro hominibus, sed danda tantum iis, quos non esse indignos prudenter existimatur. In extrema necessitate omnia sunt tentanda, quae sanctitas mysteriorum et praecepta Ecclesiae permittunt. Si moriturus, qualem descripsimus, ante exitum eliciat actum attritionis tantum, manifesto non salvabitur, etiamsi sit inunctus. Sacramentum enim invalidum ob defectum intentionis in subiecto per nullum eius actum subsequentem evadit validum. Igitur conetur sacerdos tales infirmos iuvare medio, quod superest: implorando pro illis infinitam misericordiam Dei, qui eos, si vult, etiam sine ritu sacramentali ab interitu vindicare valet.

"Unica ratio, quae cum aliqua specie opponi potest, est: Si talis moriturus forte tamen, antequam mente penitus excideret, habuit mere internum actum attritionis cum implicito desiderio auxiliorum Ecclesiae, inunctus salvabitur, derelictus peribit. Respondetur: Peribit propria culpa, sacerdos autem suae obligationi satisfecit, quia mera possibilitas sufficientis dispositionis non fundat prudens iudicium, de facto adesse, quae ex parte subiecti requiruntur. Si illa mera possibilitas existentiae necessariae dispositionis sufficeret, omnes Judaei morituri et sui non amplius conscii recte baptizarentur; forte enim, antequam mente penitus exciderunt, internum actum attritionis et desiderii Baptismi habuerunt."[14]

MERKELBACII eodem modo ac Kern distinguit inter acatholicos bonae fidei, quorum secta admittit vel negat sacramentum, supponens, ut evidens, formaliter acatholico non posse Poenitentiam et Extremam Unctionem ministrari:

"Si sensibus iam sint destituti: 1) Schismatici, qui sunt in bona fide, absolvi possunt sub conditione, remoto tamen scandalo (S. Off., 20 iul. 1898 et 17 maii 1916). 2) Item haeretici qui sunt in bona fide et simul sacramentum Poenitentiae admittunt; non tamen si hoc positive reiiciunt vel etiam negative non agnoscunt, quia illis deest intentio illud recipiendi. Et quamvis habeant voluntatem sese salvandi, non tamen voluntatem sacramentum recipiendi et confitendi, seu sese salvandi per tale medium. *Vellent* forsan confiteri, si sacramentum Poenitentiae esse necessarium salutis medium scirent, nunc autem id *non volunt.* . .

"Recentius quidam benignius censent, etiam arguentes a pari ex laudato decreto 17 maii 1916. Sed decretum unice loquitur de schismaticis, nullatenus de haereticis; nec est paritas, quia schismatici voluntatem praesumuntur habere recipiendi sacramentum, non ita haeretici qui illud non admittunt. Quidam tamen exceptionem posuit casu quo haereticus, antequam sensibus fuerit destitutus, dixerit se velle iuvari modo quo sacerdos catholicos iuvare soleat moribundos. Id tamen admodum difficulter intelligitur. imo difficilius pro Poenitentia quam pro Extrema Unctione:

[14] *Dr sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 317-320.

quomodo enim talis haereticus dolorem velit concipere et se peccatorem et dolentem *manifestare in ordine* ad absolutionem, quam non admittit?"'[5]

CAPPELLO eandem distinctionem afferens, scribit: "Quoad haereticos (schismaticos, apostatas) haec teneas: 1° Haereticis moribundis, qui secundum placita suae sectae negant extremam unctionem esse sacramentum, uti sunt protestantes, hoc sacramentum nequit ministrari, si iam compotes sui non amplius sint. Ratio, quia versantur in habituali intentione non admittendi istum ritum. Quare sacerdos, licet habeat firmam persuasionem, aliquem protestantem moribundum esse in bona fide et habere habitualem intentionem utendi hora mortis omnibus mediis salutis divinitus datis, non potest tamen ei consulere per extremam unctionem. Nam huic generali voluntati opponitur *specialis* voluntas habitualis, numquam scii, retractata, hunc ritum determinatum reiiciendi.

"2° Si haereticus adhaerebat sectae, quae dignitatem sacramentalem extremae unctionis profitetur, sacramentum ex capite necessariae intentionis *valide* confertur. Licetne sacerdoti catholico illud conferre tali haeretico sensibus destituto? Si haereticus sit *formalis,* non licet; si materialis seu in bona fide, licet, remoto scandalo. Nam si haeretico materiali in articulo mortis, scandalo remoto, licite datur absolutio, cur conferri non poterit extrema unctio in iisdem adiunctis?"'[6]

Alibi, agens de Poenitentia, fere idem docet, scribens: *"Haereticus vel schismaticus* moribundus, sensibus destitutus, absolvi potest conditionatc, modo sit baptizatus, 'nec absit spes probabilis eum in bona fide versari et libenter admissurum esse adiutorium sacerdotis, si hoc sciret esse necessarium.' Ita plures. Nonnulli tamen negant cum S. Alphonso. At sententia affirmativa est certa ex resp. S. Officii, 17 maii 1916."[17]

Attamen, ubi agit de sacramentis in genere in quaestione de sacramentis denegandis, sententiam suam non leviter emollit, concedens probabilitatem contrariae opinionis: "Non desunt quidam theologi, praesertim recentiores. qui affirmant posse probabiliter absolvi conditionatc haereticum vel schismaticum publicum et formalem sensibus destitutum. Haec sententia, remoto scandalo, vere probabilis est eaque confirmatur resp. S. Off. 17 maii 1916, ad 2."[18]

AERTNYS-DAMEN eandem distinctionem affert, introducens tamen aliquam exceptionem: "*Si* [haeretici vel schismatici] *sensibus destituti sunt,* iterum distinguendum. Si pertinet ad sectam, quae *Sacramentum Poenitentiae rejicit,* absolvi nequit, etiamsi signa poenitentiae dederit, quia haec signa non praesumi possunt data esse in ordine ad sacramentalem absolutionem quam abhorret. , . *Excipe si ex aliquo probabili* saltem signo conjicere licet eum habere intentionem hoc Sacramentum suscipiendi, puta si antea propensionem in doctrinam catholicam monstraverit, vel. catholice educatus, dein ad sectam transiit. Si autem est *schismaticus* vel pertinet ad sectam, quae *Sacramentum Poenitentiae admittit,* remoto efficaciter scandalo absolutio et extrema unctio sub conditione conferri possunt, modo aliqualis ratio adsit supponendi bonam fidem in moribundo."[19]

CONTE A CORONATA pariter: "Haereticis et schismaticis moribundis et sensibus destitutis, si tantummodo materiales sint, remoto scandalo, si secta cui adscript! sunt fidem in hoc sacramentum [Extremae Unctionis] retinuerit, illud ministrari poterit."[20]

"*Summa theologiae moralis* (ed. 3, Brugis 1939) **III** 622 ; cf. 684. ubi idem breviter refert quoad ipsam Extremam Unctionem.

"*Tractatus canonico-moralis dc sacramentis,* **III**: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 181.

*' *Ibid.* **II**: *De Poenitentia* (ed. 4. Taurini 1944) 164 sq.

"*Ibid.* I: *Dc sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione et Eucharistia* (ed. 4, Taurini 1945) 55.

"*Theologia moralis* (ed. 14. Taurini 1944) **II** 260; cf. 407.

■' *Dc Sacramentis tractatus canonicus* I (Taurini 1943) 602.

REGATILLO: "Haereticis et schismaticis formalibus, nequit unctio ministrari. Acatholicis baptizatis qui in bona fide, vel saltem non certo in mala fide sunt: 1) Si in sua secta non admittitur unctio ut sacramentum, nequit ministrari, etiam si sint sensibus destituti; nam non potest praesumi voluntas seu intentio, ne habitualis quidem, eam recipiendi (c. 943). 2) Si extrema unctio in sua secta admittitur, ut apud schismaticos: a) sensibus destitutis, potest dari, remoto scandalo; b) non destitutis per se nequit conferri; per accidens utique, si non possunt sine fructu a bona fide deturbari, et aliunde de peccatis doleant et parati sint adhibere media ad salutem necessaria, divinitus instituta (n. 22). 3) Qui extremam unctionem reiiciunt, non debent ungi, non tamen damnaverim cum qui illos sub conditione ungant sensibus destitutos. Prudentia prohibere potest ne acatholicus ungatur propter scandalum. Caeterum qui moribundo assistit, curet ei suggerere actus fidei, spei, caritatis et perfectae contritionis."[21]

Attamen, ubi agit de sacramentis in genere, idem auctor contrariae sententiae favet, nam absque distinctione ait: "In periculo mortis haereticus vel schismaticus .. . sensibus destitutus absolvi potest et ungi conditionate. Sic de schismaticis SO 17 maii 1916 ad 2: 'praesertim si ex adiunctis coniicere licet eos implicite errores suos reiicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem Ecclesiae rediisse.' Quia SO dicit: *affirmative, praesertim,* non excluduntur alii casus. Scilicet absolvi potest modo sit baptizatus, et non desit spes probabilis eum in bona fide versari et libenter admissurum adiutorium sacerdotis, si sciret hoc esse necessarium."[22]

Affirmant sacramentum conferri posse, ob rationem tenuis probabilitatis de requisita intentione, seu quia defectus huius intentionis certo probari nequit, *Card. Gennari* (apud Ferreres mox cit.), *Ferreres, Arregui, Vermeersch, Vermeersch-Crcusen, Piscctta-Gcnnaro, King.* Addi potest *Noldin-Schmitt* (supra cit., p. 705) quatenus huic sententiae non refragatur, necnon *Cappello* et *Regatillo,* quatenus, ut diximus, ei positive favent.

FERRERES: "Probabiliter quoque sub conditione absolvi potest haereticus etiam publicus et *formalis,* schismaticus, apostata, etc., sensibus destitutus. Ita *Card. Genituri,* l. c. [i.e. in *II Monitore,* v. 6], pag. 113, et alii, contra plures alios: Immo etiam haereticus *materialis,* sensibus non destitutus, absolvi conditionate posse in mortis articulo videtur. . ."[23]

ARREGUI: "Potest absolvi condicionatc (de obligatione non certo constat) moribundus sensibus destitutus . . . [qui sit] *haereticus formalis* et publicus, quamvis suam haeresim, cum potuit, non retractaverit, immo [etiam] *haereticus materialis,* sensibus non destitutus. . . "[24] Observa Arregui in ultimis verbis, sicut Ferreres nuper citatum, significare a fortiori absolutionem esse dandam haeretico formali sensibus destituto quam haeretico materiali sensibus non destituto.

VERMEERSCH, simpliciter et absque distinctione inter haereticum formalem et haereticum materialem, ait: "Omnes reliqui catholici [i.e. qui antequam sensibus destituti fuerint non petierunt absolutionem] ex hodierno usu. sub conditione absolvi debent. Atque etiam ii qui sacramenta respuerunt, vel acatholici baptizati, sub condicione absolvi possunt."[25]

" *lus sacramentarium* (ed. 2, Santander 1949) 439.
3 Ibid. 19.
" *Compendium theologiae moralis* (ed. 10, post Codicem 3, Barcinone 1919) II 358 sq.
''*Summarium theologiae moralis* (ed. 4, Bilbao 1919) 373.
Theologia moralis III (ed. 4 a Creuscn recognita, Roma 1948) 357.

"Necessitas . . . consulendi, in periculo mortis, saluti animae, permittit ul *moribundis acatholicis* sacramenta necessitatis stricte vel late dictae (paenitentia et extrema unctio) administrentur, saltem condicionate, si sensibus destituti sint."[2]

PISCETTA-GENNARO similiter: "Probabiliter licet absolvere sub conditione haereticum vel schismaticum sensibus destitutum (utique rite baptizatum). Merito enim praesumendum est in eo [lege: in eis] rerum adiunctis moriturum huiusmodi velle id quod ad salutem aeternam consequendam maxime praestat; et ideo velle etiam sacramentalem absolutionem."[27]

J. I. KING: "The difficulty in regard to the lack of knowledge by the priest concerning the intention of the [baptized] dying person is not so great as in the case of the unbaptized. The dying person has been baptized, so that he is really a subject of the Church, although in a state of at least material rebellion. Penance is a Sacrament of the internal forum, which, according to the Council of Trent, requires the confession of sins *sicut in conscientia.* In the case the person may have been a material heretic or schismatic, under which circumstances he has not committed a formal sin of heresy, for which he is guilty in conscience. If he had been a formal heretic or schismatic, this cannot be proved or presumed in the internal forum, when he is destitute of his senses. Hence, in either case, he cannot be certainly proved unworthy. But in the extreme spiritual necessity of death, canon 882 gives any priest ample power, and *per se* at least conditional absolution must be given.

"There is, however, difficulty concerning the intention of the dying person. If he was a schismatic or a member of a non-Catholic sect believing in the Sacrament of Penance, there is no reason for excluding a sacramental intention. If he was not, then he probably believes in some form of confession of sin to God, or can be presumed to be at least attrite. The Holy Office, August 1, 1855, stated a presumption for contumacious freemasons, . . . 'quemadmodum etiam in articulo mortis possunt per contritionem in Dei gratiam redire, ac *internam* cum membris mystici corporis Christi communicationem adipisci. . ,'[28] In order that these contumacious persons be absolved from the censure, even after death, they must have given clear signs of repentance. Nothing is said of absolution from sin. It is the presumption, however, which concerns us here. If this act becomes perfect contrition, it contains at least an implicit desire of Penance. If it remains attrition, a disposition to ask for the Sacrament of Penance is present."[29]

Prima quidem sententia, denegans sacramenta, *suam habet probabilitatem* (imo prima fronte videretur probabilior). Nam in eo qui in formali infidelitate (haeresi vel schismate) perseveravit usque ad instans quo sensibus destitutus est, videtur haberi moralis certitudo de perseverantia defectus intentionis suscipiendi sacramentum (suscipiendi nempe simpliciter, si agatur de protestante negante existentiam sacramenti; suscipiendi vero hic et nunc a ministro catholico, si agatur de nestoriano. monophysita vel schismatico orientali). Nulla enim ratio videtur hanc certitudinem infirmare, seu aliquam, utut minimam, fundare probabilitatem mutatae intentionis; non quidem

Ibid. 117. Cf. integrum textum supra, p. 705 sq., qui invenitur etiam apud *Vernteersch-Creusen.*

Elementa theologiae moralis V (ed. 4 et 5, Torino 1938) 632.

" Coll., no. 1116.

Λ *The Administration of the Sacraments to Dying Non-Catholics* (Washington 1924) 20 sq. Inferius, auctor idem fere repetit, concludens: "Many grave authors, however, disagree with this opinion, so that the matter will have to be left to the prudent judgment of the minister himself."

ipsum factum destitutionis sensuum, in quo nempe non possit constare de actuali dispositione seu intentione moribundi (iuxta principium "Nemo praesumitur malus, nisi probetur talis"), nam tale factum est elementum omnino negativum, imo ex hoc ipso praecedens contraria dispositio iure censetur perseverare, quo nullum signum mutationis intervenerit; neque possibilitas eliciendi actum intentionis aut etiam requisitae dispositionis in statu apparentis inconscientiae, adiuvante gratia divina, nam mera possibilitas requisitae conditionis non sufficit ad fundandam rei probabilitatem, requisitam ad licitam sacramenti administrationem; neque aliquod factum vel signum anteactae vitae, puta praecedens fortasse bona fides, vel aliqua observantia legis christianae iuxta principia sectae haereticae aut schismaticae, vel fides in aliqua vera dogmata et veritates professas in eadem secta, nam quidquid praecesserit, revocatum censetur per ultimam dispositionem perseverantem in formali infidelitate, quod attinet saltem ad intentionem suscipiendi sacramentum.

Nihilominus etiam *altera sententia* concedens sacramenta, *vere probabilis est* (imo, ut videtur, saltem extrinsece probabilior), ob rationes supra explicatas, quibus iam sufficienter satisfecimus rationibus prioris sententiae. Ceterum etiam de formalibus acatholicis fortasse dici potest id quod plures doctores asserunt de peccatoribus contumacibus (infra considerandis), vix nempe cum certitudine constare posse eos in sua formali contumacia perseverasse usque ad ipsum momentum quo sensibus destituti sunt, ita ut non mutaverint in acatholicos bonae fidei, paratos nempe ad oboediendum voluntati Christi et generaliter ac implicite acceptantes quaecunque salutis media ab eo condita. Quo quidem subtraheretur ipsum suppositum praesentis controversiae seu perseverantiae formalis infidelitatis, ac legitimaretur sacramenti administratio.

Quibus consideratis, necnon attenta affirmativae sententiae extrinseca saltem probabilitate quam, ob numerum et auctoritatem patronorum nemo negabit, sequitur quod in praxi tuto quis utrumque Poenitentiae et Extremae Unctionis sacramentum praedictis infidelibus, sub conditione et cum debitis cautelis (cf. supra, p. 711 sq.). administrare potest.

2. *DE ACATHOLICO MATERIALI.*

Quoad liceitatem sacramenta administrandi moribundo sensibus destituto, qui fuerit tantum materialiter acatholicus, seu qui bona fide in haeresi vel schismate versatus fuerit, maior adest doctorum modernorum concordia (antiquiores vero communiter eam negabant, ut dictum est supra, p. 712, 716.

Omnes enim uno vel alio modo id concedunt, etsi aliqui quasdam restrictiones introducant.

Quidam id admittunt absque ulla peculiari restrictione; ita, praeter patronos secundae sententiae circa quaestionem praecedentem (i.e. *Ferreres, Arregui, Vcrniecrsch, King,* etc.), *Gury,*[30] *D'Annibale, Lehmkuhl, Génicot-Salsmans, Sabetti-Barret," Telch,*[31] *Regatillo* (non decisive sed permissive; cf. supra, p. 719). Alii concedunt sacramenta solis acatholicis quorum secta ea profitetur, ut Schismaticis, necnon haereticis Nestorianis ac Monophysitis, denegant vero illis qui, ut Protestantes, ea sacramenta (Poenitentiae et Extremae Unctionis) reiciunt; ita *Kern, Merkelbach, Cappello, Aertnys-Damen, Conte a Coronata, Regatillo* (minus decisive), *Chrétien* (citati in p. 716-719). Alii introducunt quandam conditionem quae intelligi potest sive ut restrictiva sive ut ampliativa praecedentis conditionis de bona fide; exigunt nempe in subiecto aliquod signum propensionis in catholicam fidem; ita *Kenrick, D'Annibale, Noldin-Schmitt, Aertnys-Damen, Midler.*[33]

D'ANNIBALE: "Quod si nullum prorsus signum ediderit, morbo in instanti correptus, ut puta irruente apoplexi? Ergo, ut opinor, si probabile sit non abhorrere, puta si rudis et b.f. homo sit, vel animum a catholica religione non alienum ostendit, et huic dari potest, si quid opinor; 'multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet.' "[34]

LEHMKUHL: "Immo in iis haereticis baptizatis quos in bona fide versari sumi potest, fortasse remedium reconciliationis erit, applicabile utique tantum si sensibus destituti fuerint, atque si externae sint conditionis ejusmodi, ut sine majoris mali periculo haec adjumenta valeant; quamquam etiam quoad hoc remedium satis dubium est, num in piis illorum hominum actibus, qui praecesserint, sufficiens intentio contineatur. *Kern* id admittit quoad eos haereticos tantum quorum sectae profitentur extremae unctionis sacramentum. Iis igitur, si in bona fide existunt. sacramentum dari posse, certum est; ceteris, etsi in bona fide sint, dari non posse, ita certum non est."[35]

GENICOT-SALSMANS: "Haereticum vel schismaticum moribundum, sensibus destitutum, absolvi posse condicionate plures licitum reputant, modo sit homo baptizatus nec absit spes probabilis eum in bona fide versari ct libenter admissurum esse adiutorium sacerdotis, si hoc sciret esse necessarium."[3e]

KENRICK: "Qui catholicam fidem nunquam professi sunt, sed voluntatem in eam proclivem ostenderunt, possunt eo in discrimine sub condicione absolvi censuris et peccatis, si in suis sectis fuerint jam baptizati; quod si ejus voluntatis nullum datum sit indicium, non sunt absolvendi, etiamsi dent signa doloris."[37]

" *Casus* II, n. 488.
'* *Compendium theologiae moralis* (Nco-Eboraci 1920) 713.
" *Epitome theologiae moralis* (Oeniponte 1919) 413.
" *Theologia moralis* III, § 167.
"*Summa theologiae moralis* (Romae 1892) III 317.
" *Theologia moralis* (Friburgi Brisgoviae 1914) II 716.
" *Institutiones theologiae moralis* (ed. 10. post Codicem 3, Bruxellis 1922) Il 26S.
"*Theologia moralis* (Philadelphiae 1843) III, n. 212.

NOLDIN-SCHMITT: "Si [schismaticus] sensibus destitutus est, et . . , implicita reiectio errorum ex adiunctis praesumi potest, sub condicione . . . sacramenta dentur."[38]

AERTNYS-DAMEN: "Si [moribundus sensibus destitutus] pertinet ad sectam, quae Sacramentum Poenitentiae rejicit, absolvi nequit. . . Excipe si ex aliquo probabili saltem signo conjicere licet eum habere intentionem hoc Sacramentum suscipiendi, puta si antea propensionem in doctrinam catholicam monstraverit, vel, catholice educatus, dein ad sectam transiit."[39]

Iuxta assertum in Conclusione, huic sententiae, absque ulla restrictione, *ut probabiliori* adhaeremus. Nam ex una parte nullum in contrarium afferri potest decisivum Ecclesiae documentum, imo in favorem absolutionis et unctionis Schismaticorum afferri possunt Decreta S. Officii a. 1898 et 1916 (supra cit., p. 699), ex quibus praeterea a pari argui potest in favorem absolutionis et unctionis haereticorum, saltem eorum qui ea sacramenta non reiciunt; ex alia vero parte, ipsa conditio bonae fidei praebet sufficiens fundamentum ad efformandum probabile indicium de praesenti intentione recipiendi sacramentum, ut supra explicatum est (p. 707).

Distinctio illa, a Kern invecta et ab aliis repetita, inter sectas admittentes et sectas reicientes sacramenta, non videtur decisivum aliquem influxum habere in hac re, cum agatur de subiecto bonae fidei. Qui enim materialiter tantum et bona fide reicit sacramenta, haec non simpliciter ac proprie reicit, imo implicite admittit ac suscipere intendit, iuxta generaliorem fidem qua credit in media salutis a Christo instituta et qua proinde paratus est admittere etiam ea ipsa quae ex ignorantia reicit. Idque patet tum ex validitate Baptismi collati a ministro haeretico (puta protestante), qui absolute intendit baptizare secundum mentem Christi adeoque habet reapse ipsam intentionem faciendi quod facit Ecclesia catholica, etsi ex ignorantia nolit seu non putet se administrare catholicum baptisma et agere ut ministrum Ecclesiae catholicae, tum ex ipsa non rara existentia materialium seu bonae fidei haereticorum inter ipsos fideles catholicos qui de uno vel alio dogmate, quandoque ex ignorantia pessime sentiunt. Pariter alia conditio, a quibusdam invocata, alicuius scilicet manifestatae propensionis in fidem catholicam, non necessario requiritur, sed sola bona fides sufficit; ceterum praedicta propensio ex una parte implicite continetur in ipsa bona fide hominis materialiter tantum haeretici et ex alia parte potest absolute haberi etiam in homine formaliter haeretico adeoque minus adhuc, quam bona fides, fundare probabilitatem intentionis suscipiendi sacramenta Ecclesiae catholicae.

[38] Cf. integrum textum, supra, p. 705.
[39] Cf. integrum textum, supra, p. 718.

3. *DE PECCATORE OBSTINATO, seu dc perseveranti in contumaci impoenitentia* (iuxta dicta in Conci, praec. p. 701) *usque ad instans quo sensibus destitutus juerit.*

Circa hunc casum doctores eodem modo dividi videntur ac circa casum hominis formaliter infidelis (de quo in n. 1), saltem speculative loquendo, nam quidam minus clare sese exprimunt et alii tentant practicum aliquod compromissum, inter utramque sententiam.

Quidam nempe, ut *Kern, Lehmkuhl, Noldin-Schmitt, Merkelbach, Aertnys-Damen, Tanquerey, Telch,* et, ut videtur, *Cappello* ac *Rcgatillo* (sed remissius nec valde clare; cf. infra), negant sacramentum ministrari posse, ob certum defectum dispositionis.

Kern absolute scribit: "Extrema Unctio non debet ministrari iis, qui donec sui conscii erant, obstinate restiterunt, quominus praestarent omnia sub peccato mortali praestanda. Moraliter enim certum est, eos habitualiter permanere in sua obstinatione ideoque positive esse indignos."[40] Item *Noldin-Schmitt* explicite ait: "Illi ... in morte absolvi non possunt, in quibus actus poenitentiae nullo rationabili fundamento supponi potest, vel, ut rituale romanum habet, 'qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant.' Huiusmodi autem sunt imprimis ii, qui usque ad illud tempus, quo sensibus destituebantur, ministrum ecclesiae eiusque sacramenta expresse reiecerunt; deinde etiam illi, qui adeo impie vixerunt, ut scienter usque ad extrema vitae momenta in peccato et impoenitentia perseveraverint, licet sacramenta ecclesiae, quae eis oblata non sunt, non reiecerint. Nulla enim, ne tenui quidem probabilitate hi praesumi possunt dispositi, nisi Deus extraordinario gratiae miraculo eos ad se convertat; immo in his deest intentio; sed extraordinaria gratiae miracula nec praesumenda sunt nec norma in administrandis sacramentis esse possunt."[41]

Alii vero dicunt sacramentum ministrari posse, ob non certum defectum dispositionis et aliquam, utut minimam, probabilitatem requisitae dispositionis seu mutationis prioris malae dispositionis.

Hoc signanter docet *Vermeersch* scribens "omnes reliquos catholicos [praeter eos nempe qui expresserint voluntatem absolutionis quique absolute absolvuntur] ex hodierno usu, sub condicione absolvi debere";[42] et ad can. 942 Codicis de non ungendis contumacibus peccatoribus, notat: 'Observes non iam constare de contumacia eius

[40] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 321; cf. 320, seu finem textus quem citavimus supra in p. 717.
[41] *Op. cit.* (supra, in p. 705) 300.
[42] Cf. integrum textum supra, p. 719.

qui sensibus est destitutus.”" Ceterum ei necessario consentiunt, etsi rem non in terminis ponant, *Ferreres, Arrcgui* et *Piscetta-Gennaro* (supra cit., p. 719 sq.), ob paritatem rationis quare tenent haereticis formalibus sacramentum conferri posse, quia nempe, in statu destitutionis sensuum, de nemine certo constare potest ipsum carere requisita conditione vel dispositione, sed potius probabiliter conici potest eam habere. Propterea his accensendi videntur plures alii, ut *Ballerini-Palmieri* et *Génicot-Salsmans* (infra citandi, p. 728), quatenus, etsi directe loquantur de liceitate ungendi hominem qui usque ad sensuum destitutionem respuerit sacramenta, tamen rationem assignant quae valet generatim de pertinaciter impoenitente, scilicet quia sub sensuum destitutione potest adhuc manere interior conscientiae activitas in qua potest contingere mutatio pravae dispositionis. Pariter iisdem accensendus videtur *Gougnard,* scribens: “Extrema unctio dari potest moribundis qui in statu vel in ipso actu peccati mortalis subito privati fuerunt usu sensuum, quinimo iis qui usque ad sensuum destitutionem sacerdotem repulerunt. . . Ratio est, quod forte isti peccatores intus ratione utantur et contritionem habeant, et eo casu certius prosit hoc sacramentum quam absolutio. Quoties autem de indispositione non constat, in extrema necessitate praesumendum est in favorem hominis pro quo instituta sunt sacramenta, et in extremis extrema tentanda.”[44]

Iuxta assertum autem in ipsa Conclusione et rationes ibidem allatas, standum est pro *probabilitate huius secundae sententiae* (concessa nihilominus etiam probabilitate prioris), eo vel magis quod in hoc casu agitur de homine catholico in quo, utut praecedenter impoenitente, facilius quam in haeretico aut schismatico influere possunt semina vitae et fidei christianae non abnegatae.

Ceterum quidam auctores hic introducunt *aliquod compromissum,* quo in praxi evacuetur difficultas, dicentes practice vix unquam constare posse de ipsa perseverantia proprie dictae contumaciae et impoenitentiae. Ita iam *Lehmkuhl* scribebat: “De ejus . . . qui sensibus destitutus appareat, indispositione rarissime constabit, ita ut practice vix non quilibet homo catholicus saltem sub conditione absolvendus videatur.”[45] Pariter *Cappello* satis ambigue scribit: “Haec duplex conditio [i.e. contumacia et perseverantia in manifesto peccato mortali, ratione cuius, iuxta can. 942, deneganda est Extrema Unctio], in praxi, numquam aut fere numquam omnimoda certitudine veri-

“ Vermeersch-Creusen, *Epitome turis canonici* (ed. 6, Mechliniac 1940) II 153.
"*Tractatus dc Extrema Unctione* (cd. 6, Mcchliniae 1938) 67.
"*Theologia moralis* (ed. 10, Friburgi Brisgoviae 1902) II 363.

ficatur. Nam, quamdiu Titius vivit, etsi sensus amittat, ex motu gratiae divinae nonne potest actum doloris interius elicere atque a prava voluntate recedere? Igitur sacramentum extremae unctionis potest, imo debet in tali casu ministrari. Si dubium existât, conferendum est sub conditione. Quare vix practice datur casus, in quo vel absolute vel conditionate extrema unctio conferri nequeat. Addimus: in bonum animarum, benignius semper indicandum."[10] Hic Cappello videtur divertere ad secundam sententiam Vermeersch et aliorum; attamen subinde addit: "Si agitur de aegroto sensibus destituto, regula generalis haec est: quoties prudenter praesumitur, infirmum habere debitam intentionem, licite ei confertur extrema unctio, nisi morali certitudine constet, eum esse positive indignum. Quae moralis certitudo in praxi vix habetur. Quare ad sacramentum licite ministrandum sufficit quaelibet probabilis coniectura de existentia requisitae dispositionis ex parte suscipientis: quae practice semper aut fere semper adest."[11] Pariter *Rcgatillo:* "Ille impoenitens [qui in can. 942 prohibetur inungi], post amissum sensum, potest probabiliter ungi, sub conditione, quia de certa impoenitentia et obstinatione mala practice vix constat certo; potuit enim motu gratiae divinae actum doloris internum elicere. Quare vix casus datur in quo vel absolute vel conditionate ungi nequeat sensibus destitutus."[12]

Horum auctorum verba satis ambigua sunt. Nam vel significant practicam impossibilitatem habendi certitudinem de ipsa perseverantia impoenitentiae in tempore quod praecessit amissionem sensuum, et ita excessiva videntur, tum quia contradicunt experientiae (cf. supra, p. 701), tum quia inde sequeretur canonem 942 contemplare casum vix practice possibilem aut rarissimum; vel significant practical!! impossibilitatem habendi certitudinem de perseverantia impoenitentiae durante ipso statu destitutionis sensuum, et tunc reincidunt in sententiam Vermeersch et aliorum nec fundari possunt nisi in illo principio a Vermeersch statuto, iuxta quod ipse status destitutionis sensuum reddit iam impossibilem certitudinem de perseverantia praecedentis contumaciae.

5. *DE CATHOLICIS PAGANE VIVENTIBUS,* seu de his qui, quamvis inter catholicos numerentur eo quod Ecclesiam externe non deseruerint, tamen practice saltem fidem abiecerunt, quatenus omne exercitium et omnem manifestationem christianae vitae et religionis longo iam tempore deseruerunt, imo invidum fortasse et hostilem

[9] *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 182.
[10] *Ibid.* 183.
[11] *Ius sacramentarium* (ed. 2, Santander 1949) 438.

animum contra religionem gesserunt, ac dein absque ullo resipiscentiae signo, sensus amiserunt.

Hunc casum, hodierno tempore non infrequentem, nonnisi pauci auctores proponunt, ut *Kern* et post ipsum *Cappello* et *Conte a Coronata,* qui iudicant non posse talibus Extremam Unctionem ministrari, ob ipsum defectum intentionis sicut in proprie dictis haereticis. Kern iam citavimus supra (p. 716 sq.); Cappello scribit: "Si nullum signum poenitentiae dederint, et agatur de iis, qui, licet inter catholicos numerentur, tamen fidem de facto *omnino* et *certo* abiecerunt et officia vitae christianae et salutis curam *penitus* neglexerunt, sacramentum hoc nequit iisdem conferri. In ipsis enim non minus quam in haereticis deest intentio absolute requisita ad valorem sacramenti."[10]

In sententia tamen *Ferreres, Arregui, Vermeersch* et aliorum, qui sacramenta concedunt ipsis formalibus haereticis et contumacibus impoenitentibus, a fortiori sequitur praedictis catholicis concedi posse. Idem, etsi remissiori expressione videtur significare *Génicot-Salsmans* in textu infra citando (p. 728).

Putamus autem *probabilius sacramentum illis concedi posse,* ob aliquam, utut levem, probabilitatem actualis resipiscentiae, nec ceteroquin eos esse assimilandos formalibus haereticis aut formalibus impoenitentibus, tum quia principia fidei, fere quidem sepultae at non prorsus extinctae, secundum se actuosa sunt, et, maxime in contingentia propinquae mortis, utut leviter, excandescere possunt; tum quia praedicta ratio vivendi provenit potius ex terrestribus passionibus ac inquinati cordis cupiditatibus quam ex ipsa mentis praevaricatione quae maxime obstare posset elicientiae intentionis sacramenti suscipiendi et requisitae dispositionis; quod quidem confirmatur ex ipso non infrequenti facto talium catholicorum in articulo mortis ritus Ecclesiae sponte petentium vel oblatos acceptantium.

Ceterum, ipsum supradictum compromissum, quod *Cappello* et *Rcgatillo* suggerunt quoad contumacem impoenitentem, a fortiori valere videtur de praedictis pessimis catholicis, cum in eis desit formalis ac proprie dicta contumacia et impoenitentia nec aliunde adsit vera ac proprie dicta haeresis.

6. *DE RESPUENTIBUS SACERDOTEM ET SACRAMENTA* usque ad tempus amissionis sensuum.

Quidam, ut *Aertnys-Damen, Noldin-Schmitt, Merkelbach, Tan-*

[10] *Loc. cit.* (supra, in p. 726).

querey™ Peschpl Conte a Coronata,[62] assimilantes hunc casum casui peccatoris obstinati vel formalis acatholici, dicunt sacramentum non posse conferri. *Alii* vero, data vel negata illa assimilatione, ut *Ballerini-Palniieri, Génicot-Salsmans, Ferreres, Gennari, Arregui, Cappello, Gougnard, Piscetta-Gennaro,* dicunt sacramentum conferri posse ob tenuem saltem probabilitatem mutatae subinde dispositionis.

AERTNYS-DAMEN: "Moribundi autem *sensibus destituti* non sunt iudicandi *certo* impoenitentes ex hoc solo quod in ipso actu peccati vel in impoenitentia usu rationis destituti sint. Hinc Sacramentum hoc illis tantum denegandum est qui infirmitatis tempore, ad sensuum destitutionem usque Sacramenta respuerunt, volentes mori sine illis, nec ullum signum, ne dubium quidem, mutatae voluntatis dederunt. Ministrandum vero est iis, de quibus non constat eos Sacramentum nolle, etiamsi in ipso actu peccati vel in impoenitentia usu sensuum destituantur; nam, si forte internum actum attritionis miser peccator elicuerit, quod ante mortem fieri improbabile non est, longe tutius ejus salus procurabitur per Unctionem, per absolutionem valde dubie (n. 732. H.A. n. 11; Lehmkuhl, n. 724)."[53]

NOLDIN-SCHMITT: supra cit., p. 724.

MERKELBACH: "Nullo modo est absolvendus ille qui post vitam impie peractam, antequam rationis usu privaretur, positive ex contemptu recusaverit [sacramentum]; nisi tamen ista ratio agendi revocata censeri possit non mera quidem coniectura, sed aliquo contritionis signo: secus enim deest omnis conversionis probabilitas. Quamvis influente gratia insigni certo certius converti sit possibile, in casu tamen id est omnino improbabile, utpote nulla solida suffultum ratione."[54]

BALLERINI-PALMIERI: " 'Impoenitentes, ait Aertnys . . . , certe sunt illi infirmi, qui, ad sensuum destitutionem usque, sacramenta respuerunt, volentes mori sine illis.' Sed non raro videri quidem poterit sensuum plena destitutio et nihilominus adhuc interius animus vigere. Quid, si tunc eos poeniteat? Nonne saltem sub conditione licebit eos ungere, cum certo non constat eos impoenitentes mori?"[55]

GÉNICOT-SALSMANS: "Quando . . . nullus adest testis de signo paenitentiae ab aegrotante praestito *neque ullum signum percipi* valet in moribundo qui iacet sensibus destitutus, certe probabilis est sententia quam S. Alphonsus (n. 482) sequitur et communiorem vocat: talem absolvi posse, dummodo christiane vixerit, immo etiam, iuxta eundem S. Doctorem (n. 483), si in actu peccati, puta adulterii, duelli, sensibus destitutus fuerit, quia merito praesumi potest quod ipse, in proximo periculo suae damnationis constitutus, cupiat omni modo suae aeternae saluti consulere. Quae ratio si admittitur, non apparet quare idem non sit dicendum de eo qui parum christiane vixerit, sed tamen catholicus manserit, vel etiam de eo qui, postquam sacerdotem repulerit, sensibus destitutus iaceat."[56]

FERRERES: "Absolvi etiam probabiliter sub conditione possunt moribundi, qui, antequam sensibus destituerentur, sacerdotem repulerunt. Etiam hi divina cooperante gratia possunt esse sufficienter dispositi."[57]

[1] *Theol. dogrn.* III, n. 784.
[2] *Praei, dogrn.* VII, n. 784.
[3] *Op. cit.* (supra, in p. 718) 603.
[4] *Op. cit.* (supra, in p. 718) 407.
[5] *Op. cit.* (supra, in p. 718) 621 sq.
[6] *Opus theologicum morale* V (ed. 2, Prati 1893) 697.
[7] *Op. cit.* (supra, in p. 722) 268.
[8] *Op. cit.* (supra, in p. 719) 358.

CAPPELLO: "Probabiliter iis quoque sacramentum hoc ministrari potest, qui usque ad sensuum destitutionem illud suscipere recusarunt, aut sacerdotem repulerunt."[58]

In hoc graviori casu videtur nobis distinguendum, seu potius attendendum ad motivum quo homo impellatur ad respuendum sacerdotem vel sacramenta; motivum enim esse potest vel crassa incuria sive negligentia, vel timor mundanus aut superstitiosus error de indole et effectu sacramentorum infirmorum, vel personalis aversio contra parochum aut individuum sacerdotem ministrantem, vel generalis tenor vitae eius qui practice vivit tanquam paganus, vel actualis quaedam dispositio hominis graviter peccatoris aut impie viventis, vel tandem ipsa dispositio perseverantis et obstinatae impoenitentiae. In hoc ultimo casu, iuxta utramque probabilem sententiam, sacramentum conferri vel negari potest; in ceteris vero casibus probabilior videtur sententia quae concedit administrationem; abstracte enim loquendo et secundum se, ipsum factum respuendi sacramentum non est idem ac impoenitentia, sed est tantum peccatum quoddam; potest tamen procedere ab impoenitentia vel ei copulari, ac ita esse minus probabilis ratio quare sacramentum concedi possit.

7. *DE EO QUI IN IPSO ACTU PECCATI SENSIBUS DESTITUITUR,* ut in furto violento, in rixa, in duello, in attentato suicidio, in adulterio, in ebrietate.

In hoc casu sacramenta administrari posse consentiunt omnes doctores passim supra relati et alii moderni (quibus ceteroquin iam consentiebant plures antiquiores quos refert et sequitur S. Alphonsus), etsi quidam (ut *Merkelbach)* minus decisive loquantur et unus vel alter aliquem particularem casum conetur excipere (ut *Konings* [9] et *Telch*™ post S. *Alphonsum,* [1] qui excipiunt casum perfectae ac certo gravis ebrietatis), nec ceterum prorsus concordent in assignanda ratione, aliis (ut Merkelbach et Kilker) invocantibus probabilem dispositionis mutationem quae in moribundo intervenerit ante sensuum destitutionem, aliis vero (ut Noldin-Schmitt, Génicot-Salsmans, Aertnys-Damen, Piscetta-Gennaro, post ipsum S. Alphonsum) invocantibus probabilem mutationem dispositionis quae successerit postea in ipso statu deliquii. Ceterum haec ultima ratio sufficit ad fundandam liceitatem ministrationis.

MERKELBACH: "Imo, moribundus catholicus qui in ipso actu peccati v.g.

[58] "*Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 183. Cf. II: *De Poenitentia (ibid.* 1944) 163.
* *Theologia moralis* (Neo-Eboraci) 421.
" *Epitome theologiae moralis* (Ocniponte 1919) 294 sq.
" *Op. cit.* (supra, in p. 716) 741.

ebrietate, adulterio, duello, rationis usum amisit, secundum aliquos, nihilominus probabiliter absolvi sub conditione potest, dummodo ex eius vita habeatur aliqua probabilitas contritionis, quatenus momento quo usum se amittere senserit, mentem forsan mutaverit et peccatum detestatus sit."[02]

5. *ALPHONSUS:* "Dubitatur. . . An possit absolvi qui fuerit sensibus destitutus in actu peccati, puta adulterii, duelli? Negant Genettus, Habert, Juenin et Concina. Sed affirmant Holzmann, auctor *de Officiis Confessoris* (apud Croix); et probabilem putat Elbel cum Pontio, Cardenas, Gormaz et Stoz. . . Et haec sententia satis probabilis mihi est ob eandem rationem quae adducta est in praecedenti Dubio.— Si enim licite absolvi potest et debet aegrotus sensibus destitutus qui nullum dederit poenitentiae signum, si christiane vixerit, eo quod de ipso prudenter praesumi potest quod in extremo vitae, si aliquod lucidum intervallum habet, velit absolutionem sacramentalem recipere; sic etiam potest et debet absolvi (intellige semper sub conditione) homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur: pro hoc enim etiam merito praesumi potest quod ipse, in proximo periculo suae damnationis constitutus, cupiat omni modo suae aeternae saluti consulere."[03]

8. *DE EO QUI IN STATU PECCATI SENSIBUS DESTITUATUR,* ut publice concubinario, meretrice, francomuratore, alioque membro alicujus societatis impiae aut delinquentis.

In hoc casu conveniunt doctores moderni (cf. inter alios Lehmkuhl. Cappello, Merkelbach, Kilker) sacramentum administrari posse, si huiusmodi catholicus non omnia prorsus signa fidei aut vitae christianae deseruerit (secus ageretur de viventi more pagano, de quo supra in n. 5), ut si interdum caeremoniis sacris attenderit, pia opera eleemosynis adiuverit, nomen alicui piae societati dederit, imagines sacras vel numismata apud se sive in domo servaverit. Hae enim, quasi reliquiae fidei ac vitae christianae, sufficienter fundant indicium de implicita intentione recipiendi ultima sacramenta salutis.

9. *DE EO QUI PARUM CHRISTIANE VIXERIT,* seu cuius actus nonnisi partialiter cum principiis fidei et praxi Christiana concordaverint.

In hoc casu (in quo gradus et varietates multiplicari possunt) a fortiori concordant doctores in concedenda sacramenti administratione, ob eandem rationem tactam quoad casum praecedentem.

10. *DE IGNOTO MORIBUNDO.*

Moribundus cuius qualitas, indoles et dispositiones prorsus ignorantur, absolvi et ungi potest sub conditione, quia ipse defectus cognitionis ex parte ministri cedit in eius favorem, iuxta principium "Nemo praesumitur malus nisi probetur talis."

AD PRAXIM QUOD ATTINET, haec nota:

1. In administrando sacramento quibuslibet ex praedictis acatho-

[02] Op. *cit.* (supra, in p. 718) 621,
[03] Op. *cit.* (supra, in p. 716) 500sq.; cf. 741.

licis vel peccatoribus, diligenter *Ditandum est scandalum* fidelium, praecipue in causa acatholicorum, iuxta dicta superius (p. 711 sq.).

2. Sacramentum, ut patet, nonnisi *sub conditione* administrari potest, cum agatur de subiecto quod nonnisi probabiliter, et aliquando nonnisi cum tenuissima probabilitate, praesumitur dispositum (cf. dicta supra, p. 711).

3. In casibus, de quorum probabili liceitate fere consentiunt doctores, minister potest imo debet procedere *absque ullo scrupulo,* cum agatur de aeterna animarum salute quammaxime fovenda. In ceteris vero, praecipue ubi agatur de acatholicis, *magis caute* procedat, etsi sibi efformaverit practicum conscientiae iudicium secundum benigniorem sententiam. Priores casus, quod attinet ad moribundos sensibus destitutos, sunt qui respiciunt catholicos parum christiane viventes, catholicos in statu peccati aut in ipso actu peccati sensibus destitutos, acatholicos bonae fidei quorum secta admittit sacramenta Poenitentiae et Extremae Unctionis (i.e. Schismaticos, Xestorianos, Monophysitas).

4. *De obligatione* autem sacramentum administrandi in omnibus praedictis casibus, non certo constat, quia sententia de liceitate administrationis, prout generaliter ad omnes casus extenditur, etsi sit vere probabilis, non tamen sufficiens colligit doctorum suffragium, ut possit dici plene probabilis vel, ut dicunt Génicot-Salsmans et Cappello, "certo probabilis." Haec tamen plenior probabilitas, ac consequens obligatio administrationis, videtur haberi in tribus saltem praedictis casibus respicientibus moribundum catholicum sensibus destitutum, qui scilicet parum christiane vixerit, vel qui in ipso actu peccati aut in statu seu habitu peccati sensibus destitutus fuerit.

Ita fere indicant frequentiores doctores morales, etsi quidam, ut Cappello et Gougnard, sub obligatione administrandi includant etiam difficiliorem casum moribundi qui respuerit sacerdotem et sacramenta, alii vero, ut Génicot-Salsmans et Arregui, ab ea obligatione excludant ambiguum casum eius qui parum christiane vixerit, unus tandem vel alter (ut Arregui) excludat etiam casum eius qui in ipso actu peccati sensibus abreptus fuerit.

5. *Alphonsus* hanc generalem regulam statuit: "Maxime hic advertendum est, quod sacerdos, quando potest, tenetur sub gravi absolvere infirmum."[84] *Gougnard,* agens de ungendis his qui in actu peccati vel post repulsum sacerdotem sensibus destituuntur, ait: "Iuxta ea quae in nostro tractatu De poenitentia, n. 34, dicta sunt de similium absolutione, in praxi adhaerendum est sententiae affirmanti, saltem si

[**] *Ibid.* 499.

sani catholicam religionem profitebantur."[05] Item *Cappello:* "Sacerdos tenetur absolvere moribundum, quotiescunque ex sententia certo probabili licet absolvere, licet forte, ob opiniones quas ipse sequitur, existimet absolutionem fore invalidam."[00] *Génicot-Salsmans* post eadem verba, quae audivimus a Cappello, addit: "Non viget stricta obligatio dandi absolutionem in iis casibus magis dubiis in quibus cum aliis AA. praesertim recentioribus, id licitum reputavimus . . . [i.e. in casu hominis qui parum christiane vixerit, vel infirmi respuentis sacerdotem, vel acatholici bonae fidei] . . . : eo quod de illa probabilitate non irrationabiliter alii dubitare possunt."[07] *Arregui:* "Potest absolvi condicionate (de obligatione non certo constat) moribundus sensibus destitutus: a) peccator, quamvis prius parum christiane vixerit, vel sacerdotem repulerit, vel in actu ipso peccati sit sensibus abreptus; b) haereticus formalis . . . , immo c) haereticus materialis, sensibus non destitutus."[08]

[05] *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mechliniae 1938) 67.
[00] *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* II: *De Poenitentia* (ed. 4, Taurini 1942) 184.
[07] *Institutiones theologiae moralis* (ed. 10, post Codicem 3, Bruxellis 1922) II 269.
[08] *Summarium theologiae moralis* (ed. 4, Bilbao 1919) 373.

CAPUT VII

DE MINISTRO

Ut constat ex dictis in tractatu *De sacramentis in genere, minister capax* omnis sacramenti est homo, viator, distinctus a subiecto (art. 34), minister vero *validae collationis* est adultus, a Christo deputatus, habens intentionem internam, saltem virtualem, faciendi quod facit Ecclesia, quamvis careat fide et probitate (art. 36-39); minister tandem *licitae collationis* est qui ab administratione huius vel illius sacramenti non arcetur per voluntatem Ecclesiae, cui a Christo commissa est cura et dispensatio sacramentorum (art. 32).

Porro quod attinet ad capacem ministrum huius sacramenti, praefata *distinctio a subiecto* uni vel alteri theologo non absolute necessaria visa est. Pariter, quoad ministrum validum, necessitas *sacerdotalis deputationis* in dubium revocata est ab uno vel altero moderno et prorsus reiecta a Protestantibus, ob historicam difficultatem, quam sibi fingunt, olim a laicis quoque administratae Unctionis Infirmorum. Praeterea, sic dicta *concelebratio,* seu simultanea confectio eiusdem sacramenti per plures ministros, quam ostendimus in superioribus tactatibus quoad Baptismum, Eucharistiam et Poenitentiam, peculiarem difficultatem videtur hic ingerere, ex parte praesertim praxis Orientalium, quorum ministri non simultanée sed successive ritum unctionis exequuntur, toties iterantes integram materiam et formam.

Primam et alteram difficultatem solvemus in priori articulo (art. 34), in quo quaeritur an omnis et solus sacerdos sit validus minister Extremae Unctionis, ita tamen ut non possit sibimetipsi sacramentum ministrare; tertiam difficultatem agitabimus in sequenti articulo (art. 35), quaerentes an hoc sacramentum possit valide confici sive ab uno sive a pluribus ministris. In ultimo articulo (art. 36), quem addimus ad materiae complementum, colligentur plura quae respiciunt ministrum licitum, seu quae referuntur ad legitimam et convenientem sacramenti administrationem.

ART. 34. Utrum "Hoc Sacramentum Valide Administret Omnis Et Solus Sacerdos,"[1] A Subiecto Tamen Distinctus *{Suppi.,* q. 31; *C. Gent. 4. 73)?*

STATUS QUAESTIONIS

Agitur tantum de ministro ipsius sacramenti, nam de ministro confectionis materiae remotae, seu benedictionis olei, actum est in a. 3 (tom. 1, p. 362-388), ubi diximus in hoc sacramento, non secus ac in Confirmatione, solum episcopum esse ordinarium illius benedictionis ministrum, quod attinet ad ipsam rei validitatem, etsi huiusmodi potestas possit delegari simplici sacerdoti tanquam ministro extraordinario.

Porro, characterem ordinis sacerdotalis requiri in ministro hujus sacramenti, atque Extremam Unctionem inter sacramenta proprie sacerdotalia adnumerandam esse, videtur facili negotio stabiliri tum ex analogia ceterorum sacramentorum, praeter Baptismum et Matrimonium quae ex natura sua exceptionem petunt, tum ac praecipue ex constanti ac explicito sensu Traditionis et Ecclesiae. Antiqua tamen praxis quarundam unctionum per laicos, huiusmodi necessitatis negationem vel dubium ingessit tum apud Protestantes, qui inde conati sunt[2]

[1] *Codex J. C.,* can. 938.

[2] Benedictus XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 4, n. 1-3, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1093 sq.

Bord, *J.* B., *L'Extrême Onction* (Bruges 1923) 54 sq.

Boudinhon, A., "La théologie de l'Extrême Onction," *Revue Catholique des Eglises 2* (1905) 401 sq.; "Si les fidèles se faisaient eux-mêmes autrefois les onctions de l'huile sainte," *Revue du Clergé Français* 68 (1911) 722-728.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 75-83.

Chavasse, A., *Etude sur l'onction des infirmes dans TEglise latine du* ni* *au* xf *siècle,* I: *Du ni* siècle à la réforme Carolingienne* (Lyon 1942) 50, 93 sq. in nota, 96sq., 127 sq., 130, 140, 170 sq., 201.

De Clercq, C., *Ordre, Mariage, Extrême Onction* [Paris 19391 144 sq., 153-155; *Des Sacrements* ("Traité de droit canonique," public par R. Naz, t. 2, Paris 11947]) 202.

De Sainte-Beuve, *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 6, a. 1-2, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 110-113.

Gougnard, A., *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mechliniae 1938) 47-49.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 241-251.

Kilker, A., *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 77-85.

Koerperich, G., "De ministro Extremae Unctionis," *Collationes Namurcenses* 29 (1935) 354-357.

Launoy, J. de, *De. sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae traditio circa ministrum sacramenti, Opera omnia* L. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 566-573.

Martène, E., *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 2, p. 2, c. 7, a. 3, n 1 (Rotomagi 1700) 112.

Suarez, In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 43, s. 1, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis Vivès 1866) 857-859.

Verhamme, A , "De ministro Extremae Unctionis," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 186-190.

ipsam unctionis sacramentalitatcm reicere, tum apud unum vel alterum doctoreni catholicum.

Tres quaestiones in textu articuli involvuntur:

1. Utrum solus sacerdos sit minister huius sacramenti, ita ut invalide administret sive laicus sive etiam diaconus aut alius inferior clericus, et quidem tam in ordinariis adiunctis quam in casu necessitatis seu absentiae ipsius sacerdotis.

2. Utrum omnis sacerdos sit validi sacramenti minister, nec solus presbyter aut solus episcopus, et quidem pari iure, ita ut presbyter nulla indigeat commissione sive delegatione, quemadmodum ea indiget ad benedicendum oleum.

3. Utrum minister debeat esse a subiecto distinctus, ita ut ipse sacerdos nequeat sibi sacramentum administrare.

PARS NEGATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, de necessitate nempe sacerdotalis characteris in ministro huius sacramenti, explicitus dissensus invenitur ex parte sive Protestantium, sive unius vel alterius doctoris catholici.

Protestantes, ex fine denegandi ipsum sacramentalem characterem ritus a lacobo propositi, quem dicunt esse vel piam observantiam visitandi et confortandi infirmos vel peculiarem modum quo tempore apostolico applicaretur charisma sanitatum (cf. art. 1, tom. 1. p. 28, 32, 65) docent ministrum huiusmodi ritus esse quoslibet fideles, etiam laicos, vocem "Presbyteri," ab Apostolo adhibitam, accipientes pro "Seniores," iuxta etymologicam eius originem.

Lutherus: "Nec hoc servant isti [i.e. catholici], quod apostolus iubet presbyteros ecclesiae induci, et super infirmum orari. Vix unus sacerdotulus nunc mittitur, cum apostolus velit multos adesse, non propter unctionem, sed propter orationem, unde dixit: Oratio fidei salvabit infirmum etc. Quamquam incertum est mihi, an sacerdotes velit intelligi, cum dicat presbyteros, id est, seniores. Neque enim continuo sacerdos aut minister est, qui senior est, quo suspicari possis, apostolum voluisse, ut seniores et graviores in ecclesia visitarent infirmum, qui opus misericordiae facientes et in fide orantes eum sanarent: quamquam negari non possit, ecclesias olim a senioribus fuisse rectas, absque istis ordinationibus et consecrationibus, propter aetatem et longum rerum usum in hoc electis."[3]

[3] *De captivitate babylonica ecclesiae,* § De sacramento Extremae Unctionis, *D. Martini Lutheri opera latina* V (curavit H. Schmidt, Francofurti ad M. 1868) 113.

Calvinus: "lacobus vult infirmum ungi a senioribus ecclesiae: isti unctores [i.e. catholici] non admittunt nisi sacrificulum. Quod apud lacobum presbyteros interpretantur sacerdotes, et pluralem numerum ad decorem nugantur, nimis frivolum est; quasi vero ecclesiae eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, ut in longa pompa procedere potuerint ad ferendum sacri olei ferculum."[4]

Protestantibus concinunt *Modemistae,* ut *Loisy* et *Turmel* citati in art. 1 (tom. I,ρ. 40-43). Turmel sic breviter resumit suam sententiam: "Les fidèles — sauf une exception signalée plus loin — se faisaient eux-mêmes les onctions ou les faisaient sur leurs proches. Pour être sûrs d'avoir de l'huile efficace ils la prenaient souvent à la lampe du sanctuaire voisin; d'autres fois ils la faisaient bénir par un personnage en renom de sainteté. A Rome le clergé leur donna d'abord du chrême, c'est-à-dire de l'huile parfumée consacrée pour le baptême; puis il substitua au chrême de l'huile ordinaire bénie le jeudi saint et que les fidèles emportaient chez eux. L'exception mentionnée plus haut était limitée à l'Angleterre. Là le clergé, *trompe par une jaussc. interprétation du texte de saint Jacques,* refusa aux fidèles le droit de faire les onctions d'huile et s'en reserva le monopole. Au VIIIe siècle l'usage anglais fut introduit par Boniface dans l'église franque qui constituait presque toute l'église latine. Peu à peu les prêtres furent, en Occident, les seuls ministres de Fonction des infirmes qui, par ailleurs, ne changea pas et resta provisoirement une simple recette de médecine surnaturelle. Au IXe siècle Fonction des infirmes, sans rien perdre de sa vertu thérapeutique, devint un principe de rémission des péchés."[5]

Inter catholicos, citatur imprimis sequens singularis affirmatio *Thomae Waldensis:* "Quod autem [Beda] dicit secundum Innocentium, non solum hoc licere presbyteris, sed et omnibus christianis: ubi copia sacerdotis omnino deest, intelligit; sicut in extremae necessitatis articulo christianae licet vetulae baptizare. Alias mandatum observari oportet apostoli, ut presbyteri inducantur."[7] Haec verba, prout sonant, videntur docere laicos posse *in solo casu necessitatis,* seu ubi desit copia sacerdotis, hoc sacramentum ministrare, atque in hoc sensu Waldensem interpretantur D. Soto, Bellarminus et Suarez, hunc

[*] *Institutio christianae religionis,* l. 4, c. 19, n. 21, *Corpus Reformatorum,* XXX *loannis Calvini opera omnia* II (Brunsvigac 1864) 1081.

[3] *Histoire des dogmes,* VI: *La Pénitence, L'Extrême-Onction, L'Ordre* (Paris 1936 487 sq.

[6] Thomas Netlcr cx vico Walden in Anglia (-f- 1430), ordinis Carmelitarum, emeritu? impugnator haeresis Wiclcffitarum ct Hussitarum in suo cclcbri opcrc *Doctrinale antiquitatum fidei.*

[7] *Doctrinale antiquitatum fidei. — De sacramentis,* c. 163, n. 3.

doctorem erroris insimulantes. Improbabilis tamen non est sequens benigna ac sana interpretatio, allata a J. L. Berti: "Potuit vir praeclarissimus existimare, quod urgente mortis articulo unctio fieri debeat a laicis, si presbyteri adesse non possint, quemadmodum nonnulli interpretantur verba Innocentii; non tamen, ut crediderit illam unctionem a laicis factam esse sacramentalem; ad eum plane modum, quo supra diximus fuisse complurium opinionem, ut in mortis articulo, si desit copia sacerdotis, confessio fiat laicis. Non enim Waldensis affirmat Unctionem a laico factam esse sacramentalem; et licet afferat comparationem baptismi, haec tamen ita intelligenda est, ut similitudo versetur in commendatione ritus, non in sacramenti ratione."[8]

Ceterum, quod Waldensis satis ambigue, nec nisi bona fide, affirmasse videtur, id explicite *J. Launoy* proponit ut solide probabile, seu ut aliquid "non exiguam verisimilitudinem" habens, quatenus "etsi reipsa falsum esset, non posset, ut tale, per antiquam Ecclesiae Traditionem improbari . . . [quamvis aliunde Traditionem sibi] favorabilem . . . non habeat: exemplum enim nullum est notissimum, quo confirmetur."[9] Launoy inde carpit Soto et Bellarminum quod dixerint XValdensi contradixisse omnes antiquos theologos, cum e converso, ait, "nescio, an opponi possit aliquis ex eo numero theologorum, qui ante Waldensem floruerint."[10] Ceterum, ipse eligit ut "verisimiliorem" opinionem Soto, iuxta quam in textu Innocentii I laici dicuntur administrare posse solam privatam unctionem non sacramentalem.

Praeterea ac praecipue, idem Launoy determinate et assertive docet *diaconos posse, in casu necessitatis* et ex commissione episcopi, hoc sacramentum valide ministrare; ad quod probandum, arguit a paritate aliorum officiorum erga moribundos, quae in sacerdotis absentia diacono antiquitus permittebantur, nominatim Viatici administrationis et poenitentialis reconciliationis, necnon a connexione istorum sacramentorum cum Extrema Unctione in assistentia moribundorum. "Quae . . . [quarundam] Ecclesiarum Concilia permittunt," inquit, "ut Diaconus, absente Presbytero, infirmorum confessionem excipiat, et ad eos Viaticum deferat, continuo significant, infirmos quoque a Diacono, dum abest Presbyter, ungi posse. Ex his enim tribus Sacramentis, qui duo confert aegrotantibus, tertium similiter conferre potest: neque profecto satis commode intelligeretur, Diaconum in

[7] *De sacramento Extremae Unctionis,* c. 8, *De theologicis disciplinis* (Bassani 1792) VIII 26.

[8] *De sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae traditio circa ministrum sacramenti,* c. 2, observ. 3, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae .Mlobroguni 1731) 573.

[9] *Ibid.* 572.

necessitatis casu aegrotantibus peccatorum veniam, et Eucharistiam impertire posse, non posse unctionem, quae olim ante Eucharistiam impertiretur."[11]

Recenter *A. Boudinhon,* explicite proposuit sufficientiam *ministerii laicorum in casu necessitatis,* seu in absentia sacerdotis, imo, ultra progressus, addidit nihil obesse quominus infirmus *sibimetipsi sacramentum* administret. Primum deducit a paritate cum Baptismo; alterum a paritate cum Eucharistia, considerans, ut videtur, ipsum oleum consecratum ut sacramentum permanens, sicut sunt species consecratae; utrumque tandem ex Traditione, seu ex textibus Innocentii I et Caesarii Arelatenis, praecipuis testibus de hoc sacramento, quae referunt ipsos laicos sibi et aliis sacram unctionem ministrasse: cui addit, ex tali communi ac privato modo administrationis convenienter explicari penuriam antiquorum documentorum circa hoc sacramentum.

Hanc opinionem cl. auctor proposuit non ut determinatam assertionem, sed ut quandam interpretationem seu ut tentamen explicationis, valorem habens tantum pro tempore antiquo, seu relate ad praxim unctionis a laicis administratae, de qua loquuntur Innocentius I et Caesarius Arelatensis.

Ad rem ipse: "Passons maintenant à l'interprétation théologique. Etant donné que les fidèles se servaient autrefois de l'huile sainte pour se faire des onctions dans leurs maladies, peut-on et doit-on voir dans leur pratique le sacrement de l'Extrême-Onction? Je demande la permission de reproduire ici ce que j'écrivais à ce sujet voilà six ans;[12] et cela pour mettre en relief les formules atténuées et dubitatives que l'on n'a pas reproduites lorsqu'on m'a fait l'honneur de citer mon article :

" 'L'onction pratiquée sur eux-mêmes par les fidèles était-elle sacramentelle? Les théologiens ont préféré esquiver la question que d'y répondre,' précisément en lisant nos textes de façon à y retrouver l'onction faite par le prêtre; 'et quand ils y répondent, c'est par une solution négative. Dans l'état où s'est fixée la théologie sacramentaire. ils ne peuvent faire autrement, et je ne prétends pas les contredire Toutefois, il *ne me semble pas impossible* d'admettre, *à cette époque*' (dois-je prier le lecteur de remarquer que je souligne les deux expressions: *il ne me semble pas impossible,* et *à cette époque?* Il est trop clair que je n'apprécierais pas de la même manière un fait de ce genre au XX® siècle). Donc, 'il ne me semble pas impossible d'admettre, à cette époque, le caractère sacramentel de l'onction pratiquée par les fidèles. Tout se réduit, en effet, à la question du ministre. Je ne vois pas pourquoi, en l'absence de toute déclaration de l'Eglise' (pour cette époque s'entend), 'on ne pourrait regarder comme suffisant le ministère du malade ou d'un autre fidèle, dès lors que l'huile bénite avait été préalablement sanctifiée et était devenue comme le véhicule de la grâce. Qu'importe le ministre de la distribution de l'Eucharistie? Quoique le laïque ne soit pas le ministre ordinaire du baptême, le sacrement n'est-il pas valide quelle que soit la personne qui le confère? Il y aurait même quelque chose de très favorable à l'idée de l'effet sacra-

" *Ibid., observ. 2,* p. 569.

"" "La théologie de l'Extrême Onction," *Revue Catholique des Eglises 2* (1905) 401 sq.

mcntcl *ex opere operato* dans cette communication de la grâce par le moyen de l'huile consacrée, sans qu'une seconde intervention du ministre sacré fût nécessaire. En tous cas, rien de plus conforme à l'idée du remède' (et c'est la nature propre du sacrement de l'Extrême-Onction d'être un remède spirituel), 'dont la valeur est pour ainsi dire intrinsèque, et ne dépend pas de la personne qui l'applique. Rien n'empêche d'ailleurs de ne reconnaître la valeur sacramentelle qu'au rite accompli par le prêtre, même au temps d'innocent.' (Faut-il que je prie de tenir compte de cette phrase?) 'Mais si on adopte cette manière de voir, on se prive, pour la thèse théologique, de l'appui de ce texte, plus encore, des passages de saint Césaire.'

"J'ai émis une interprétation, non une assertion. Avec les réserves formelles dont je l'ai entourée, cette interprétation garde encore mes préférences, quoique je ne me dissimule pas les objections qu'on peut lui faire par une application rétrospective de la théologie sacramentaire actuelle. Encore suis-je en droit de demander qu'on veuille bien n'y voir qu'une tentative d'explication d'un fait historique certain. '13

Ceterum, huic opinioni favent illi alii theologi positivi qui, ut *C. De Clercq* et *A. Chavasse,* dicunt in antiqua praxi ungendi per laicos, quam testatur et approbat Innocentius I, agi de ipso ritu a S. lacobo proposito, seu de sacramento;1' exinde enim, supposita Ecclesiae indefectibilitate, necessario sequitur non esse contra Christi institutionem ut hoc sacramentum adifainistretur etiam a laicis, et invaliditatem talis administrationis in moderniori aetate repetendam esse ex Ecclesiae dispositione ac potestate.

DE CLERCQ: "Faut-il accorder au terme *ungendum* [dans les paroles d'Innocent Ier: 'Oleo Chrismatis non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum'] un sens actif ou passif? Nous avons vu que le mot 'user' est employé par *l'Ordonnance ecclésiastique,* dans un sens générique, ce mot revient dans la phrase d'innocent Ier et lorsque le pape distingue l'usage que fait de l'huile le fidèle pour lui ou pour ses proches, l'interprétation la plus normale est bien que le fidèle peut se oindre lui-même ou oindre les autres. 11 semble donc *qu'ungendum* doive être pris dans son sens courant de 'faire l'onction'. . .

"[D'après le Concile de Trente] les ministres de l'onction décrite par saint Jacques sont ceux qui, par l'imposition des mains, ont reçu le sacerdoce; évêques et prêtres — héritiers de ce sacerdoce — demeurent les ministres propres du sacrement (ch. 3) et le concile de Trente pour le présent n'en admet pas d'autre (chap. 4). Le concile n'a pas voulu trancher la question de savoir si. dans le passé, des fidèles ont été les ministres du sacrement, mais ce qu'il faut conclure de son texte c'est que, dans l'affirmative, ils l'ont été de façon impropre et transitoire, par le fait de circonstances qui ont disparu depuis, ce qui correspond à l'exposé des faits."15

CHAVASSE: "Si l'évêque est seul à pouvoir confectionner le *sacramentum* de l'huile, il en partage au contraire l'administration avec les prêtres et les fidèles. Toutefois il n'applique lui-même Thuile d'onction' qu'exceptionnellement. Cet office est ordinairement rempli par les prêtres et les fidèles. Ces derniers, d'autre part, ne font l'onction que sur leur propre personne ou sur celle de leurs proches, mais il nous semble que cette limitation de leur action est plutôt l'expression d'un état

""Si les fidèles se faisaient eux-mêmes autrefois les onctions de l'huile sainte," *Revue du Clergé Français* 68 (1911) 726-728.

"Cf. art. 1, tom. 1, p. 120-122.

"*Ordre, Mariage, Extrême Onction* (Paris 1939) 145, 155. Idem docet in recentiori suo opere canonico: *Des Sacrements* ("Traité de droit canonique," publié par R. Naz, t. 2, Paris [1947]) 202.

de fait qu'une restriction imposée par le droit à l'exercice de leur attribution. Nous noterons ici au passage que cette faculté reconnue aux fidèles de se faire à eux-mêmes l'onction, est conforme à ce que les documents liturgiques romains nous apprennent à ce sujet. Ceux-ci n'envisagent même explicitement que l'intervention des fidèles au point que, dans l'hypothèse où nous ne posséderions pas la lettre à Decentius, nous pourrions nous demander si en fait les prêtres comme les évêques, ne s'abstenaient pas ordinairement de faire l'onction. On voit qu'il n'en est rien."[15]*

VILLIEN etiam concinit, etsi minus assertive, scribetis: "Le ministre de l'extrême-onction c'est le prêtre. . . Ce point est, à tout le moins depuis le concile de Trente, incontestable. Mais il n'est pas également incontestable que l'onction n'ait pu être faite parfois par d'autres ministres, à tout le moins occasionnels. On sait que la question du ministre a été soulevée mainte fois, même récemment."[17]

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, posset fortasse quis dubitare de plena capacitate presbyteri, arguendo a paritate sive cum sacramento Confirmationis sive ac praecipue cum benedictione olei ipsius Extremae Unctionis, quae episcopo iure reservatur; de facto tamen nemo unquam videtur tali dubitationi explicite favisse, etsi videamus quasdam antiquiores synodos ius presbyterorum in hac materia instanter inculcasse, quod forte supponit aliquam indebitam reservationem ex parte quorundam episcoporum. E regione, dubitare quis posset, ac de facto *unus vel alter inter antiquiores* videtur dubitasse, de ipso iure episcoporum eo quod in textu Iacobi soli presbyteri nominentur; quam dubitationem testatur ac refellit Innocentius I in nota sua epistola ad Decentium.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, scilicet de requisita distinctione ministri a subiecto, affirmative ac communi sententiae doctorum refragatur tum praefatus *Boudinhon* (p. 738), qui suggerit olim fideles, seu et ipsos laicos, sibimetipsis applicasse sacramentalem unctionem, tum ac signanter *J. Clericatus* (**t** 1717; Congreg. Oratorii), qui docet sacerdotem, seu proprium et exclusivum ministrum Extremae Unctionis, posse, praecipue si sit parochus, sibi hoc sacramentum ministrare in casu necessitatis seu deficiente copia alterius ministri; quod quidem potissimum deducit ex paritate sive Matrimonii, quod ostendit per se non repugnare idem esse subiectum et ministrum alicuius sacramenti, sive Eucharistiae, quam sacerdos, deficiente alio ministro, potest sibi extra Missam ministrare, cui enim licet quod est plus, licet etiam quod est minus. Quam opinionem Clericatus proposuit sive ut speculative probabiliorem sive ut practice tutam?[18]

* *Etude sur l'onction des infirmes dans l'Eglise latine du* πΓ *aut* χΓ *siècle,* I: *Du* ñi *siècle à la réforme Carolingienne* (Lyon 49) 96 sq. Cf. 50, 93 sq. in nota (cit. supra in art. 1, tom. 1, p. 238-240), 127 sq. (cit. *ibid.* p. 269 sq.), 130, 140, 170sq., 201.

''*Les sacrements. Histoire et Liturgie* (Paris 1931) 247.

" *Decisiones sacramentales,* dccis. 75.

Non intelligimus quo logico processu *Cappello,* relata hac Clericati opinione, ex una parte eam simpliciter reiciat, inquiens: "Haec opinio minime potest sustineri," et ex alia parte de contraria ac communi doctrina asserat: "Fatendum, argumenta omnino certa et peremptoria, sive intrinseca sive extrinseca, deesse.'"®

Ceterum, sententia Clericati, quod attinet saltem ad *solam validitatem* Extremae Unctionis sibimetipsi administratae, attraxit unum vel alterum modernum. Ita *Lépicier* qui scribit: "Utrum *liceat* sacerdoti hoc sacramentum sibimet ministrare? Resp. Negative, cum in omnibus sacramentis distinctionem servari oporteat ministri a recipiente: in quibusdam quidem, de *necessitate sacramenti,* ut in baptismo, confirmatione, poenitentia et ordine; *in aliis vero, ut in hoc sacramento, ex condecentia.* Nec obstat Eucharistiam sibi posse sacerdotem ministrare: hoc enim solum in missa permittitur; alias vero nonnisi ex alterius sacerdotis defectu. Quod si interdum licitum est sacerdoti, absente alio sacerdote, seipsum communicare, maxime in mortis periculo, hoc est propter divinum praeceptum Eucharistiam percipiendi: at, praeceptum de extrema unctione percipienda non ita urget sicut praeceptum de suscipiendo corpore Christi, ideoque non valet comparatio.— Attamen, si sacerdos, in letali morbo constitutus, sibi ipse bona fide extremam unctionem ministraverit, *ambigendum non est quin huius sacramenti gratiam recipiat."*20

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

1. *Solum sacerdotem,* ad exclusionem sive laici sive diaconi aut inferioris clerici, esse validum ministrum, saltem *abstrahendo sive a casu necessitatis, sive a tempore antiquo,* est certe *de fide* definita a Cone. Trid. (can. 4: "Proprium extremae unctionis minister ... est solus sacerdos").

Nunc ac de jacto, etiam considerato casu necessitatis, solum sacerdotem esse ministrum, ita ut etiam in casu necessitatis seu absentiae sacerdotis, laicus aut alius clericus invalide ministret, videtur pariter *de fide,* definita in eodem can. 4 Cone. Trid., aut saltem in ordinario Ecclesiae magisterio.

Simpliciter et absolute, seu considerato omni tempore et casu, solum sacerdotem esse ministrum, ad exclusionem laicorum ceterorumque

" *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 82 sq.

* *Tractatus de sacramento Extremae Unctionis et de sacramento Ordinis* (Romae 1928) 109.

clericorum, est *saltem theologice certum, ex* doctrina Tridentini (cap. 3 et can. 4; cf. infra, p. 743 sq., 751-753) et ex sensu Traditionis, Ecclesiae ac theologorum.

Theologi longe communius hanc ipsam tertiam assertionem dicunt esse de fide: Benedictus XIV, Berti, Pesch, Kern, Kilker, Hervé, Diekamp, Van Noort-Verhaar, Gougnard, Daffara, Lercher-Umberg, Sola. Quidam tamen distinguunt inter genericam affirmationem (Solus sacerdos est validus minister) et absolutam assertionem (Etiam in casu necessitatis solus sacerdos est validus minister) atque priori assignant notam de fide, alteri vero inferiorem notam, quae tamen, etsi non clare explicata, non videtur descendere infra notam theologicae certitudinis; ita Suarez dicit alteram assertionem esse "fere aeque certam quam primam" (quod videtur significare: "proximam fidei"), Hugon vero et Cappello loquuntur de "doctrina catholica" (quod, ex communi usu theologorum, ut minimum opponitur opinioni temerariae, et ex mente horum duorum doctorum videtur accipiendum pro "doctrina theologice certa").21

2. *Omnem sacerdotem,* sive episcopum sive presbyterum, esse validum ministrum Extremae Unctionis, est *de fide* aequivalenter definita a Cone. Trid. dicente "proprium extremae unctionis ministrum esse solum sacerdotem" (can. 4); nam ea vox utrumque episcopatus ac presbyteratus gradum complectitur, iuxta usum tum ecclesiasticum tum conciliarem (cf. cap. 3; sess. 21, cap. 1 et can. 2; sess. 23, cap. 1 et 4). Abstrahimus autem a quaestione utrum etiam presbytero id pleno iure competat ita ut commissione sive delegatione non indigeat, sicut indiget ad ministrandam Confirmationem aut ad benedicendum oleum utriusque sacramenti.

3. Sacerdotem non posse valide sibi administrare hoc sacramentum, est sola doctrina *practice tuta,* ut constat sive ex communi sensu et praxi Ecclesiae sive ex peculiari quodam responso S. C. de Propaganda Fide (cf. infra, p. 744). An inde contraria opinio etiam speculative infirmetur, ita ut possit mulctari aliqua inferiori nota temeritatis, non satis apparet. Ceterum, pauci sunt theologi qui hanc ipsam quaestionem tangunt.

u Suarez, Disp. 43, s. 1, n. 1 et 5: "Solus sacerdos est minister hujus sacramenti, neque ab alio valide confici potest. . . Conclusio . . . sic exposita [i.e. prout sacerdos includit sive presbyterum sive episcopum] de fide est. . . Ultimo dicendum est, sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita ut propter nullam causam vel defectum sacerdotis possit laicus, imo nec diaconus sacramentum hoc valide conficere. Assertionem hanc fere aeque certam quam primam esse existimo." *Hugon* (ed. 14, III 658): "Doctrina . . . catholica [de sacerdote unico ministro] nullum dubium patitur nec ullam exceptionem admittit." *Cappello (op. cit.* [supra, in p. 741], 75, 80): "De fide est, proprium huius sacramenti ministrum esse solum sacerdotem. . . Doctrina catholica est, laicos ne in casu quidem necessitatis extremam unctionem conferre posse."

Documenta Ecclcsiac.

Innocentius I, Ep. "Si instituta ecclesiastica" ad Decentium episc. Eugubinum, 19 mar. 416, citato textu lacobi, ait: "Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum. Caeterum illud superfluum esse videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur quod presbyteris licere non dubium est [scilicet Extremam Unctionem ministrare]. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Caeterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est chrisma conficere" *(Denz.* 99).

Prior pars huius textus continet notam difficultatem de unctione laicorum, quam exposuimus ac solvimus in art. 1 (tom. 1, p. 119–121); probabilius nempe agitur de ipsa unctione sacramentali (sicut in altera parte textus), non tamen a laicis conferenda sed suscipienda, ita ut verbum "ungendum" accipiendum sit passive; ceterum, non improbabilis est aliorum opinio quod agatur de unctione non sacramentali et verbum "ungendum" accipiatur active; excludenda autem est tertia quorundam eruditorum (ut supradictorum Boudinhon, De Clercq et Chavasse) interpretatio, iuxta quam agatur de ipsa unctione sacramentali a laicis eo tempore collata. Altera pars textus docet explicite omnem sacerdotem, non solum presbyterum sed etiam episcopum, esse sacramenti ministrum, expellens quorundam dubitationem de episcopali habilitate, fundatam in eo quod in textu lacobi videatur sermo esse de solis presbyteris.

Alexander III (t 1181): "Quaesivit a nobis fraternitas tua, utrum sacerdos uno clerico tantum praesente infirmum debeat inungere. . . Nos itaque tibi taliter duximus respondendum, quod sacerdos uno praesente clerico et etiam solus potest infirmum ungere."·2

Cone. Florentinum, Decr. pro Armenis: "Minister huius sacramenti est sacerdos" *{Denz.* 700).

Cone. Tridentinum, sess. 14, de Extrema Unctione, *cap. 3:* "Quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis [i.e. in textu lacobi] traditum. Nam et ostenditur illic, proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros, quo nomine eo

---

" Decretales, lib. 5, tit. 40 "De verborum significatione," cap. 14, *Corpus luris Canonici,* Pars II: *Decretalium collectiones* (ed. A. L. Richter et A. Friedberg, Lipsiae 1881) 915.

loco non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatis per 'impositionem manuum presbyterii' [1 Tim 4, 14]" *(Denz.* 910). *Can. 4:* "Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos beatus lacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: A.S." *(Denz.* 929).

Concilium reicit interpretationem Protestantium, dicentium in textu lacobi agi de aetate senioribus vel primoribus, sacerdotio destitutis, et definit solum sacerdotem esse *proprium ministrum* huius sacramenti, imo id dicit contineri in verbis lacobi. De vi doctrinae Concili cf. infra (p. 751-753).

Catechismus Cone. Trid.: "Iam vero, quis Extremae Unctionis minister sit, ab eodem Apostolo, qui Domini Legem promulgavit, didicimus. Inquit enim: 'inducat Presbyteros' quo nomine non eos significat, qui aetate provectiores sunt, quemadmodum sapienter Tridentina Synodus exponit, aut qui in populo principem locum obtinent, sed Sacerdotes, qui ab ipsis Episcopis per manuum impositionem rite ordinati sunt. Sacerdoti igitur huius Sacramenti administratio commissa est. Neque tamen ex sanctae Ecclesiae decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui iurisdictionem habeat, sive alteri cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet. Illud vero maxime animadvertendum est, Sacerdotem in ea administratione quemadmodum etiam in aliis Sacramentis fit, Christi Domini nostri et sanctae Ecclesiae eius sponsae personam sustinere" (p. 2, c. 6, q. 13).

Benedictus XIV, Constit. "Ex quo primum," 1 mar. 1756: "Quamvis, pro eo quod pertinet ad Latinam Ecclesiam, Quintaduenas (in tract. 5 de extrema unctione, singular. 11.) asseruerit, licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes oleum sanctum infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur, vel tamquam abutens sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa sacramentum extremae unctionis."[23]

S. *C. de Propaganda Fide,* 23 mar. 1844: "Inspectis ipsis divini eloquii verbis, vel facile patet Sacramentum Extremae Unctionis, etiam in casu necessitatis, absente nimirum alio Presbytero, non posse Missionarium aegrotantem sibimetipsi ministrare."[24]

13/Ida *et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Laccnsis* II (Friburgi Brisgoviae 1876) 543.

n Apud F. L. Ferraris, *Prompta Bibliotheca,* IX: *Supplementum* (ed. I. Bucceroni,

Rituale Romanum, tit. 5, c. 1, n. 6 repetit verba Codicis mox referenda.

Codex I.C.: "Can. 938. — § 1. Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos. § 2. Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, §§ 1-3, minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest."

CONCLUSIO

Conclusio 1. Solus sacerdos est minister huius sacramenti, ad exclusionem nempe sive laici sive diaconi aut alius inferioris ministri; quae quidem exclusio valet tam in ordinariis adiunctis quam in casu necessitatis seu absentiae ipsius sacerdotis.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Voce "Presbyteri," qua Iacobus designat ministrum Extremae Unctionis, significari non seniores communitatis, ut volunt Protestantes, sed sacerdotes, sufficienter ostensum est in art. 1 (tom. 1, p. 74 sq.) in expositione textus institutionis sive promulgationis huius sacramenti. Ceterum Apostolus nullam temporis aut circumstantiae limitationem indicat vel innuit, sed absolute ac simpliciter pronuntiat vocandos esse presbyteros Ecclesiae, adeoque in eo textu nullum fundamentum invenire potest peregrina illa opinio aliquorum catholicorum qui docent in casu necessitatis et absentiae sacerdotis posse, aut saltem olim potuisse, etiam laicum vel diaconum sacramentum ministrare.

Probatur 2. *EX TRADITIONE.*

Scripta doctorum, ritualia Ecclesiarum et statuta conciliorum, nonnisi sacerdotem ministrum dicunt aut ministrantem exhibent, ut constat ex multis variisque testimoniis allatis in art. 1 *(tom. 1,* p. 94 sqq.) quae refricare non vacat. Satis erit quaedam pauca recolere, quae notam exclusivam magis directe exhibere videntur, ut retundatur praedicta aliquorum opinio de antiquo aut saltem possibili iure laicorum vel diaconorum in administratione huius sacramenti.

Et imprimis ipsa constans et universalis attributio huius ministerii solis sacerdotibus, praeclarum signum est exclusivi iuris istorum et

Romae: Ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1899) 362. Hoc decretum non referunt *Collectanea S. C. de Propaganda Fide,* in neutra editione a. 1893 et a. 1907.

impossibilitatis illud ad laicos vel diaconos extendendi, quoniam inverisimile est Ecclesiam in variis convenientiae aut necessitatis casibus qui facile occurrunt, talem extensionem in actum numquam deduxisse, si, aut ex directa Christi institutione aut ex potestate sibi a Christo collata, potuisset etiam laicos vel diaconos ad administrandum hoc sacramentum advocare.

Origenes et *Chrysostomus* (cit. *ibid.*, p. 97 sq., 104 sq.) huius sacramenti administrationem ut praerogativam sacerdotum proponere videntur, praecipue cum illam referant ad effectum remissionis peccatorum qui confertur etiam per aliud sacramentum stricte sacerdotale, scilicet Poenitentiam. *Isaac Antiochenus* (circa 365–460): "Servi Christi et orthodoxi afferre solent aegrotos et infirmos ad sanctum altare, *non autem ipsi oleum conficere audent,* ne domum expiationis contemnere videantur, sed ubi sacerdos est regens plebem, observant ordinem iustitiae" *{ibid.* p. 126). *Vita S. Hypatii* (saec. 5): "Si . . . necessitas suaderet, infirmum oleo sacro inungi debere, [Hypatius] monebat abbatem, *qzii presbyter erat,* et curabat ab ipso perfici unctionem" *{ibid.* p. 134).

Quaedam documenta aequivalenter dicunt spiritualem infirmorum salutem esse pendulam a ministerio sacerdotis conferentis sacram unctionem, quod quidem vix convenienter intelligeretur si haec unctio potuisset etiam a laicis, saltem in casu necessitatis, administrari. Ita *Hincmarus Rhemensis* (f 882): "Nec reverens [Odacrus, episcopus intrusus] divinum judicium, nec pensans quantum periculum sit . . . quantis rusticanarum parochiarum in tanto tempore presbyteris defunctis, ipsarum parochiarum parvuli sine baptismo perire potuerunt, quanti viri, quantae feminae, sine reconciliatione et sacri olei unctione atque sancta communione, et sine eorum animarum per orationes solemnes commendationes de isto saeculo exierunt" *{ibid.* p. 155). *Cone. Aquisgranense* a. 836: "Si subditus infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [i.e. presbyteri] negligentiam careat" *{ibid.* p. 156).

Quamplura documenta concorditer et signanter insistunt in sacerdotali officio seu obligatione ungendi infirmos, quod pariter absque correspondente et exclusivo sacerdotali iure vix intelligi potest. *Concilium Cabillonense* a. 813: "Infirmi oleo quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent" *{ibid.,* p. 155); eundem sensum referunt statuta et dicta Bonifacii, Egberti Eboracensis, Capitularium Caroli Magni, Gerbaudi Leodiensis, Theodulphi Aurei., lonae Aurei., Rodulphi Bituricensis, Herardi Turonensis, Cone. Ticinensis *{ibid.* p. 145-156).

Supradicti adversarii, Protestantes vel catholici (cf. in p. 735-740). *haec obiciunt* ad probandum suum suppositum olim a laicis administratae ecclesiasticae unctionis, ex quo Protestantes deducunt ipsam negationem sacramenti, catholici vero tantum negationem sacerdotalis reservationis sacramenti.

1. *Vitae Sanctorum* frequentissimas exhibent unctiones a laicis administratas, ut constat ex relatis in art. 1 (tom. 1, p. 185-187).

Rcsp. Huic rationi satisfecimus ibidem. Nihil scilicet probat eam unctionem habitam fuisse ut eandem cum illa quam supradicta documenta praescribunt faciendam a solis presbyteris iuxta mandatum Iacobi, imo ex hac ipsa reservativa praescriptione identitas necessario excluditur. Ceterum multiplex aliud discrimen inter utramque unctionem observatur, ut ibidem dictum est. Ad rem breviter S. *Thomas:* "Illae unctiones non erant sacramentales; sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, et meritis unguentium vel oleum mittentium, consequebatur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non per gratiam sacramentalem" *{Suppi.,* q. 31. a. 1, ad 2).

2. Laicalem administrationem Extremae Unctionis exhibent ac permittunt praecise duo praecipui ac certiores textus qui de hoc sacramento afferuntur ex Traditione usque ad saec. 8, scilicet epistola *Innocenta I* et Commentarius *Bcdae,* quibus addi potest tertium ac satis insigne testimonium *Caesarii Arclatensis.*

Innocentius I (initio saec. 5) ait: "Sancto oleo chrismatis . . . non solum sacerdotibus, sed et *omnibus uti Christianis licet* in sua aut in suorum necessitate ungendum." *Bcda* (initio saec. 8): "Infirmanti autem vel corpore vel fide mandat [Iacobus] ut qui majorem sustinuit plagam, plurimorum se adjutorio, et hoc seniorum, curare meminerit, *neque ad juniores minusque doctos* causam suae imbecillitatis referat, ne forte quid per eos allocutionis aut consilii nocentis accipiat. 'Et orent super eum,' etc. Hoc et apostolos fecisse, in Evangelio legimus, et nunc Ecclesiae consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione sanentur. Nec solum presbyteris, sed, ut Innocentius papa scribit, etiam *omnibus Christianis uti licet* eodem oleo in sua aut suorum necessitate ungendo, quod tamen oleum, non nisi ab episcopis licet confici." *Caesarius Arclatensis* (saec. 6): "Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat: et inde corpusculum suum *ungat;* ut illud quod scriptum est impleatur in eo. Infirmatur aliquis, inducat presbyteros. . ." "Quantum rectius et salubrius erat ut ad ecclesiam currerent, corpus et sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto et se

et suos fideliter *perungerent.*" "Oleo benedicto a presbyteris deberent *perungere.*" "Ad ecclesiam recurrite, oleo vos benedicto *perungite,* eucharistiam Christi accipite."

Resp. Huic etiam rationi sufficienter satisfecimus, relatis integris illis textibus, in art. 1 *(tom.* 7, p. 116-122, circa Innocentium; 128-131, circa Caesarium; 142-145, circa Bedam). Quamvis, scilicet non improbabiliter quidam dicant in his locis agi tantum de unctionibus privatis seu non sacramentalibus, probabilius concedi debet in eis sermonem esse de ipso sacramento, ita tamen ut agatur non de illius collatione per laicos sed de susceptione a laicis, et verbum "ungendum, ungendo, ungere, perungere" accipiatur in sensu passivo, etsi proferatur in grammaticali forma activa. Cum enim administratio omnis sacramenti tandem aliquando pendeat a bona voluntate et petitione subiecti se illi subicientis, non inepte quis fidelibus commendare potest ut sibi ministrent sacramenta, ut se communicent, se absolvant, se ungant. Ceterum talem passivum sensum verbis sive Innocentii sive Bedae tribuit *Theodulphus Aurelianensis,* Bedae fere coaevus (cf. *ibid.* p. 121), eundemque elegerunt ipsi theologi tridentini ut eluderent obiectionem Protestantium arguentium negationem sacramenti ex activo sensu verborum Innocentii (cf. infra, p. 752 sq.).

3. *Hincmarus Rhcniensis* episcopus in suis statutis iubet sacerdotes per seipsos, non vero per alios seu per laicos, debere infirmis administrare Unctionem et Eucharistiam; quod quidem supponit praxim aut possibilitatem unctionis per laicos. Ait enim: "Ut chrisma et oleum consecratum sub sera recondantur. . . Ipse presbyter visitet infirmos, et inungat oleo sancto, et communicet per se, et non per quemlibet, et ille ipse communicet populum, ne tradat communionem cuiquam laico ad deferendum in domum suam causa cujuslibet infirmi."[25]

Resp. Etiam si in hoc textu ageretur de ipsa delatione olei et ministratione Extremae Unctionis per laicos, res ipsa damnatur ut abusus, adeoque inepte hic invocatur. De facto tamen, ut suadet ipsa littera, ibi videtur agi de sola delatione Eucharistiae per laicos. Nec ceteroquin improbabile est ibi agi de abusu mittendi ad infirmos oleum sacramentale ut ipsi, sive per se sive per alios laicos, applicarent privatam nec sacramentalem unctionem; qui quidem abusus refertur et damnatur etiam a *Cone. Arelatcnsi* a. 813, a *Rodidpho Bituricensi* episc. (t 868) et subinde ab ipso *Cone. Lateranensi IV* a. 1215, ut notatum est in art. 1 (tom. 1, p. 194).

[25] *Capitula quibus de rebus magistri et decani inquirere et episcopo renuntiare debent,* n. 9 sq., *ML* 119. 779.

4. Ut patet ex multis documentis, olim in casu necessitatis, seu in absentia sacerdotis, committebatur diacono ministerium infirmorum, quod attinet administrationem Viatici et reconciliationem Poenitentiae. Ergo committebatur etiam administratio Extremae Unctionis; id sequitur tum ex paritate tum ac praecipue ex intimo ligamine quo jungebantur haec tria sacramenta infirmis administrata, eo vel magis quod olim Extrema Unctio conferebatur ante Viaticum. Ita *Launoy* supra relatus (p. 737 sq.).

Resp. Antecedens est verum quoad Viaticum, falsum autem quoad sacramentum Poenitentiae; nam, ut constat ex dictis in tractatu *Dc Poenitentia* IV 646-662, numquam diaconis concessa est potestas absolvendi a peccatis, etsi quandoque ipsi ad ecclesiasticam reconciliationem in foro externo poenitentes admitterent aut etiam confessionem peccatorum susciperent, iuxta opinionem, in medio aevo a pluribus doctoribus receptam, quod in casu necessitatis et defectus copiae sacerdotis oporteret confessionem instituere apud quemlibet clericum vel etiam laicum. Consequentia vero non tenet ob disparitatem sacramentorum, nam administratio Viatici non est confectio sacramenti sicut administratio Unctionis.

Ut bene observat *Kern,* Launoy dum apparenter videtur rem suam conficere argumento Traditionis, magnam afferens copiam documentorum, revera rem evincere conatur mero argumento rationis (eoque prorsus inepto, ut ostensum est), seu ea argumentandi methodo, quam ipse, tum hic tum in aliis quaestionibus, libenter exprobrat S. Thomae aliisque doctoribus scholasticis. "Adducit quidem multa decreta antiquorum conciliorum atque episcoporum, quibus sancitur, quae officia in casu necessitatis diaconi moribundis exhibere debeant. Sed inter omnia decreta, quae proponit, nullum invenitur, quod edicat, diaconos in casu necessitatis debere aut posse infirmis s. Unctionem impertire; imo ne unum quidem vir vastae eruditionis detexit, quod saltem vituperando diaconos ob arrogatum munus sacerdotale testaretur factum, diaconos alicubi infirmos oleo consecrato inunxisse. Unde recte infertur, tam firmam quovis tempore fuisse intra Ecclesiam fidem, solos sacerdotes esse ministros Extremae Unctionis, ut hoc eorum privilegium diaconi numquam ausi sint violare. Ad quid ergo Launoi affert commemorata documenta auctoritatis ecclesiasticae?"·6

Id iam observabat *Berti,* scribens: "Ego vero, cum haec omnia in Launojo singulatim, et accurate legissem, plurimum miratus sum eruditi viri confidentiam, qui sibimet persuaserit tanta monumentorum copia insipientibus, fucum facere, crassissimumque errorem verbosissima loquacitate venditare. Enimvero in nullo ex productis a

:'Kern, *Dc sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 242.

Launojo testimoniis minima extat vocula, quae Unctionem extremam commemoret; sed omnia de communione et de viatico agunt, et quaedam de susceptione poenitentium. . . Si ergo haec omnia probarent aliquid, profecto hoc unum evincerent, posse diaconos in extrema necessitate excipere confessiones et absolutionem largiri: quod est adiicere errorem errori, et haeresim haeresi."[27]

Miranda praeterea levitate laborat etiam argumentatio qua idem eruditus conatur defendere probabilitatem ipsius opinionis, *Thomae Waldensi* adscriptae, iuxta quam ipsi laici possint in necessitate hoc sacramentum administrare. "Cum [enim] . . . Launoi nescit, 'an opponi possit aliquis ex eo numero theologorum, qui ante Waldensem floruerint', ostendit, se doctores scholasticos, quos tantopere exagitare solet, non lustrasse [ut constat vel ex superficiali lectione textuum Paludani, Durandi, Scoti, Bonaventurae et S. Thomae]. . . Recte quidem iudicat Launoi, quaestionem ex Scriptura et Traditione debere decidi. At ex utroque revelationis fonte solum adducit verba *Martini V.* in quadam epistola ad Waldensem: 'Recepimus volumen secundum de sacramentis, quod per solemnes viros videri et examinari fecimus sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum.' Tale argumentum ab infenso oppugnatore veri primatus, praesertim infallibilitatis romani Pontificis, prolatum et multis verbis exaggeratum risum provocat."[28]

Probatur 3. *EX DOCUMENTIS ECCLESIAE.*

Omnia documenta supra relata (p. 743-745) dicunt vel supponunt solum sacerdotem esse ministrum huius sacramenti, non excluso ipso documento Innocentii I, cuius partialem ambiguitatem dissipavimus supra (cf. p. 748). Attentis his documentis, et praecipue ipsa explicita littera Codicis I. C. ("Hoc sacramentum valide administrat solus sacerdos"), nemo catholicus negare potest, nunc saltem invalidam esse Extremam Unctionem collatam ab alio quolibet ministro, puta laico vel diacono, imo supradicti pauci eruditi catholici, qui nostrae ac communi Conclusioni adversantur, id videntur concedere etiam quoad tempus anterius, scilicet saltem inde a Cone. Florentino, nam, ob suum historicum praeiudicium de collata olim Extrema Unctione per laicos, unice vel praecipue contendunt per definitam ab Ecclesia (nominatim a Cone. Tridentino) doctrinam de sacerdote unico huius sacramenti ministro nequaquam praeiudicari ipsam historicam quaestionem utrum necne olim etiam laici potuerint sacramentum

~ *Op. cit.* (supra, in p. 737) 28.
n Kern, *op. cit.* 244-246.

administrare ac reipsa administraverint. Ceterum addimus hanc ipsam quaestionem historicam per ipsa documenta Ecclesiae praeiudicari, quatenus haec talem prae se ferunt sensum absolutum ut simpliciter et pro omni casu ab administratione huius sacramenti excludant quemlibet alium ministrum praeter sacerdotem. Nam:

1. Nisi ea documenta talem sensum absolutum haberent, sequeretur Ecclesiam habere potestatem mutandi sive determinandi ministrum sacramenti eaque usam esse, ita ut olim etiam non sacerdotes potuerint sacramentum valide ministrare, qui hodie et iam a pluribus saeculis non possunt. lamvero talem Ecclesiae potestatem nemo unquam theologorum asseruit, inter ipsos generosiores patronos inexhaustae illius sententiae de generica institutione sacramentorum per Christum, nec ullus eorum ausus est ad hanc sententiam tam commodum recursum arripere ut solveret historicam difficultatem de administrata olim a laicis Extrema Unctione aut explicaret sensum documenti Innocentii I quod eam praxim testari videtur.

2. Eadem documenta Ecclesiae cum exhibent solum sacerdotem ut ministrum aliorum sacramentorum, puta Confirmationis et Poenitentiae, accipiuntur in sensu exclusivo et absoluto; ergo in eodem sensu accipienda sunt cum docent solum sacerdotem esse ministrum Extremae Unctionis, ita nempe ut numquam alius fuerit aut esse potuerit.

3. *Cone. Tridcntinum* signanter docet sacerdotem esse *"proprium ministrum"* huius sacramenti, qua voce emphatice indicat rei ipsius veritatem et proprietatem, imo addit id non obscure significari in ipso textu lacobi. Unde Concilium docet ex ipsa divina institutione, a lacobo promulgata, solum sacerdotem esse proprium seu aptum ministrum sacramenti, ita ut quilibet alius inepte seu invalide administret, in qualibet circumstantia vel casu.

De Clereq supra citatus (p. 739) putat ex ipsa appositione *"Proprius"* sequi Concilium definisse tantummodo quod sacerdos sit minister veluti de iure speciali ac ordinario, adeoque non decidisse quaestionem utrum necne in antiqua aetate ac veluti modo transitorio et extraordinario etiam laici fuerint ministri huius sacramenti. At cl. auctor in sua interpretatione non leviter decipi videtur, cum revera sensus illius incisi "Proprius" non alius sit quam "Proprie dictus, verus, legitimus, competens," ita ut additum sit ad meram emphaticam expressionem eius quod continetur in verbis "Solus sacerdos est minister huius sacramenti" (Solus sacerdos est proprius minister = Solus sacerdos est verus et proprie dictus minister). Nam, imprimis, numquam Concilium ea voce "Proprius" utitur in sensu aliquo di-

minutivo, seu alterius ministri non exclusivo, quinimo ad hoc significandum utitur appositione "Ordinarius," ubi agit de ministro Confirmationis (sess. 7, can. 3: "Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: A.S.," *Dcnz.* 873), quemadmodum Cone. Florentinum utitur simili appositione "Ex officio" loquens de ministro Baptismi ("Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest," *Denz.* 696).

Praeterea, Acta Conciliaria, seu discussiones Patrum et theologorum quae praecesserunt finalis schematis redactionem, ostendunt mentem illorum doctorum fuisse solum sacerdotem esse, necessario ac simpliciter, ministrum huius sacramenti. Inde quidam (ut Ravesteyn et Phaedrius) signanter notarunt in omni lege fuisse distinctionem inter laicos et sacerdotes quibus sacra reservarentur; ex eodem principio processit diversa interpretatio textus Marci de unctione ab apostolis administrata ante passionem, ita ut quidam (ut Solonensis) in eo legerent ipsam sacramenti institutionem eo quod affirmarent apostolos iam eo tempore fuisse sacerdotes, alii vero (ut Ravesteyn) legerent solam figuram sacramenti postmodum instituti eo quod dicerent apostolos tunc nondum fuisse sacerdotes; pariter ex eodem communi principio processit quaedam diversitas in interpretatione textus Innocentii I de unctione laicorum, nam Chaves O.P. concessit illum textum ita intelligi posse ut permittatur laico in absentia sacerdotis ministrare unctionem quae tamen non sit sacramentalis sicut nec confessio facta laico in casu necessitatis, Contreras O.F.M. vero hanc concessionem impugnavit dicens in eo textu non permitti laico ut ministret sed ut suscipiat unctionem (cui quidem interpretationi et alii subscripserunt).

Sint quaedam testimonia. *Iodocus Ravesteyn:* "Quae tamen unctio [de qua in *Mare.* 6. 13] praefigurabat hoc sacramentum, quod postea institutum est, de quo Jac. V. . . . quia apostoli eo tempore non erant sacerdotes, qui soli ministri sunt hujus sacramenti. . . Jacobus [vocem 'Presbyteri'] de sacerdotibus intellexit, et semper in ecclesia fuerunt distincti sacerdotes a laicis, tam in lege veteri, quam nova."[20] *S/ghmundus Phaedrius* O.F.M. Conv.: "Soli presbyteri sunt ministri huius sacramenti, et in omni lege semper presbyteri a laicis distincti sunt."[21] *Solonensis* (pater conciliaris): "[Extrema Unctio] Marci VI. instituta est, quia apostoli etiam ante Passionem non erant simplices laici.

[20] Apud Theixer, *Acta genuina ss. oecunienici Concilii Tridcntini* (Zagabriae in Croatia [1874]) I 541.

[21] *Ibid.* 543.

ut aliqui dixerunt, cum mysteria divina administrarent, ut baptismum, praedicationem, quae ad laicos non pertinent. . . Gratia sanitatum ab hoc sacramento differt, quia . . . illa ab omnibus Christianis [confertur], hoc a sacerdotibus solum."[31] *Monopolitanus* (pater conciliaris): "Innoc. episto. ad Decentium, solos presbyteros esse ministros huius sacramenti docet.'"[32] *Didacus Chaves* O.P.: "De ministro, contra quem adducit Lutherus ep. Innocentii I. ad Decentium, qui videtur dicere, quod cuilibet christiano liceat inungere: respondit id licere in casu necessitatis, et tunc ea unctio non esset sacramentum, prout neque confessio facta laico in eodem casu necessitatis, ut clarum est.'"[33] *Alphonsus Contreras* O.F.M.: "Quo vero ad extremam unctionem, et IV. art. [Protestantium] de ministro, reprobavit dicta per patrem Chiaves hoc mane super epist. Innocentii I ad Decentium, quia ipse Innocentius non dat licentiam, quod hoc sacramentum conferatur ab omnibus Christianis; sed quod omnibus christianis liceat recipere hoc sacramentum per legitimum tamen ministrum dispensatum, ut verba ipsa Innocentii clare sonant, cum ait: Omnibus Christianis uti licet."[34]

4. In eundem sensum collimant alia Ecclesiae documenta. *Benedictus XIV* (cit. in p. 744) asserit parochum mittentem ad aegrotos oleum Extremae Unctionis ut ipsi se liniant, esse gravibus poenis plectendum "tanquam suspectum non rectae fidei circa sacramentum extremae unctionis"; quod quidem, sic absolute prolatum, supponit de fide esse quod solus sacerdos sit minister huius sacramenti, simpliciter et in omni casu. Mens ceteroquin Benedicti non inepte illustrari potest ex his quae, licet ut doctor privatus, scripsit in suo opere *Dc synodo dioecesana,* ubi, postquam asseruit Cone. Trid. definisse ministros huius sacramenti esse solos sacerdotes, circa difficultatem exortam ex textu Innocentii I ait: "Ab Innocentii mente perquam longe aberrant, qui eum hoc loco omnes Christianos Sacramenti extremae Unctionis ministros facere arbitrantur. . . Cuinam . . . in mentem veniat potuisse Innocentium omnibus Christianis potestatem tribuere, quam plerique, per eam aetatem ex verbis Jacobi inferebant, adeo propriam esse presbyterorum ut eam etiam episcopis abjudicarent?"[35] *Catechismus Cone. Trid.* (cit. in p. 744) ait quod quamvis huius sacramenti administratio commissa sit sacerdoti, tamen "ex Ecclesiae decreto" non omni sacerdoti sed solis pastoribus ea licita est. Oppositio inter commissionem factam omni et soli sacerdoti

[31] *Ibid.* 573.
[32] *Ibid.* 574.
[33] *Ibid.* 555.
[34] *Loc. cit.*
[35] *Dc synodo dioecesana,* l. 8, c. 4, n. 1, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1093.

et decretum Ecclesiae reservans licitum usum pastoribus, obvie ostendit Catechismum loqui de divina commissione sive institutione (cf. p. 3, c. 3, q. 13, ubi agit de ministro Confirmationis), ex qua necessario sequitur alios simpliciter et in omni casu excludi ab hoc ministerio.

Probatur 4. *EX RATIONE, seu cx ipsa indole sacramentali tam generica quam specifica.*

Generaliter loquendo, determinata Christi deputatio, quae, ut dictum est in tractatu *De sacr. in genere* 437, est necessaria ad administrationem sacramentorum, per se alligata est ordini sacerdotali, ut patet ex ipso fine institutionis sacramenti Ordinis et ex ipsa natura et fine sacramentorum. Ordo enim institutus est ut per ipsum eligantur ac constituantur ministri sacrorum, qui nempe sint quasi mediatores, offerentes Deo sacrificium plebis christianae et vicissim transferentes in hanc plebem dona Dei seu media sanctificationis; praecipua autem sanctificationis media sunt sacramenta, quippe quae sanctificant ex opere operato; unde, per se ac veluti nativo iure omnis sacramentorum administratio alligatur ordini sacerdotali tanquam proprio subiecto operanti, nisi aliunde aut ex positiva Christi institutione aut ex ipsa rei natura, conditionante ipsum modum divinae institutionis, intelligatur aliquod particulare sacramentum per accidens solvi a praedicta sacerdotali reservatione ac sibi vindicare diversum aut generaliorem ministrum.

Hoc autem accidit tantummodo quoad Baptismum, ratione absolutae et universalis eius necessitatis, prout scimus ex certis signis positivae revelationis, ab Ecclesiae praxi et doctrina propositis, et quoad sacramentum *Matrimonii* quod, cum consistat essentialiter in contractu, nonnisi ab ipsis contrahentibus effici adeoque ministrari potest. Quoad *Extremam vero Unctionem* neutra ratio invocari potest, cum nec sit absolutae necessitatis (imo sit minoris necessitatis quam Poenitentia et probabilius nulla gaudeat stricta necessitate, etiam praecepti) nec consistat in aliqua actione ipsius subiecti, sed tota ab extrinseco ei applicetur, sicut sacramentum Confirmationis. Imo peculiaris indoles sacramenti Extremae Unctionis, fortiori quadam ratione sacerdotalem reservationem appellat; nam ex una parte ipsum, secus ac Baptismus, consistit in applicatione alicuius materiae a solo sacerdote praevie consecratae, adeoque sicut exigit sacerdotem suam materiam consecrantem ita et sacerdotem eam subinde applicantem, ex alia vero parte ipsum ordinatur ad perficiendum opus incoeptum a sacramento Poenitentiae, i.e. ad tollendas reliquias peccati necnon secundarie ad

remittenda ipsa peccata, adeoque connaturaliter sibi petit eundem ministrum qui tale opus per ipsam Poenitentiam inchoavit.

Inde concidit paritas cum Baptismo, a quibusdam adversariis, ut *Boudinhon,* invocata (cf. supra, p. 738). Altera vero paritas cum Eucharistia a laico ministrata, quam invocat idem auctor, ineptior est, quoniam sacramentum Eucharistiae consistit essentialiter in ipsa praevia consecratione materiae, non vero in applicatione consecratae materiae, ut sacramentum Extremae Unctionis. Unde ea paritas et obiectio vagat extra quaestionem, nisi forte, contra communem et theologice certam sententiam (cf. art. 4, tom. 1, p. 399), ille auctor putet ipsum oleum consecratum esse sacramentum aut taliter olim ab Ecclesia consideratum esse, quod quidem non videtur alienum a mente unius vel alterius moderni eruditi.[30]

Conclusio 2. Omnis sacerdos est validi sacramenti minister, seu sive presbyter sive episcopus, et quidem pari iure, ita ut presbyter nulla indigeat commissione aut delegatione, qualiter indiget ad benedicendum oleum seu materiam sacramenti.

Probatur.

1. *Ex Scriptura,* seu ex voce "Presbyteri" in textu Iacobi. nihil deduci potest in favorem exclusivi iuris episcopi aut presbyteri. Nam illa vox in Scriptura promiscue adhibetur de utroque ordine sacerdotali, ut ostendetur in tractatu *Dc Ordine,* ubi de biblicis presbyteris. Ceterum, etiam si acciperetur exclusive pro secundo ordine sacerdotali, (sicut probabiliter accipitur in 1 *Tini.* 5. 19): "Adversus presbyterum accusationem noli [tu, Timothee episcope] recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus"), nihil inde de episcopali iure detraheretur, ut patet ex ipsa natura seu praeeminentia officii episcopi in divino ministerio, quod enim potest minor a fortiori potest et maior; unde nominatio presbyterorum intelligeretur ab Apostolo apposita ad designandum non proprium et exclusivum ministrum, sed tantum inferiorem, aut forte tunc communiorem, in cuius designatione a fortiori mentio superioris includitur. Quam interpretationem ipse *Innocentius I* supra relatus (p. 743) ut prorsus connaturalem assumit, quorundam dubitationem superfluam appellans: "Illud superfluum videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est [a Iacobo], quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt."

[30] Cf. verba ipsius *Boudinhon* supra cit. (p. 738) necnon *Chavasse* cit. in art. 4 (tom. 1, p. 409).

2. In tota *Traditione* utriusque sacerdotis ius et ministerium ostenditur, quamvis unius vel alterius praerogativa vario modo pro variis locis et temporibus urgeatur. Connaturale enim fuit ut in prioribus temporibus frequentius episcopi hoc sacramentum per seipsos ministrarent, prout graviora sua officia id sibi permitterent; unde in *Canonibus Hippolyti* (cit. in art. 1, tom. 1, p. 110) inducitur ipse episcopus infirmos visitans et "super eos orans." Maturius tamen tale ministerium presbyteris relictum est, ut patet ex relatis verbis epistolae *Innocentii I*, initio saec. 5 exaratae. Nullatenus tamen episcopale ministerium simpliciter intermissum fuit, ut constat praecipue ex *agiographicis documentis* (cf. v.g. Vitas S. Leobini, S. Cuthberti et S. Eutychii, citatas in art. 1, tom. 1, p. 133-135), peculiariter in regionibus Galliarum, imo in his ministerium presbyterorum plus aequo aliquando coarctatum esse, probabile facit insistentia qua plura *concilia particularia* inculcant presbyteros debere Extremam Unctionem ministrare, oleo ab episcopis confecto (cf. Concilia Cabillonense, Aquisgranense, Moguntinum et Ticinense, cit. in art. 1, tom. 1, p. 156).

Maiora *Ecclesiae documenta,* supra relata (p. 743-745), sensum et praxim Traditionis doctrinaliter declarant. Quod quidem iam explicite edicebat *Innocentius I,* solemni hac expressione formulatur a *Cone. Flor.:* "Minister huius sacramenti est sacerdos," facta subinde a *Cone. Trid.* distinctione: "Aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis ordinati," quae a *Codice I. C.* resumitur in universali formula: "Hoc sacramentum valide administrat omnis sacerdos."

3. *Ratio quoque theologica* rei convenientiam ostendit. Quod enim hoc sacramentum non esset reservandum presbyteris, patet tum ex analogia ceterorum sacramentorum, quorum nullum est eis reservatum ad exclusionem episcoporum, tum ac praecipue ex ipsa indole episcopalis potestatis, in qua colligitur apex sacerdotii, cuique proinde necessario competit quidquid pertinet ad sacerdotale officium et ministerium.

Quod autem nec ipsi episcopo hoc sacramentum convenienter reservaretur, patet tum ex fine sacramenti quatenus est in auxilium periclitantium, qui quidem, data tali reservatione, partialiter frustraretur, cum "episcopus non possit accedere ad omnes infirmos suae dioecesis" *{Suppi.,* q. 31, a. 3, Sed contra), tum ac praecipue ex indole effectus huius sacramenti qui non importat aliquam "excellentiam status" (C. *Gent.* 4. 73), nec "suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponit" *{Suppi.,* q. 31, a. 3), episcopo enim, utpote qui gaudet fastigio et apice sacerdotalis ministerii, nonnisi ea sacramenta dis-

pensanda reservantur quae, uti Confirmatio et Ordo, ratione praecipue characteris participantis sacerdotium Christi, suscipientem in peculiari statu perfectionis et excellentiae relate ad ceteros fideles constituunt.

obstat quod hoc sacramentum, utpote *complementum Poenitentiae,* conferat quandam excellentem gratiam.

Nam ex una parte haec excellentia est tantum relativa, respectu nempe gratiae collatae per Poenitentiam, non vero absoluta, sicut est excellentia gratiae Confirmationis, et ex alia parte excellentia de qua hic agitur est eminentia non tam ipsius gratiae ut sic, sed quaedam eminentia, ita resultans ex utroque sacramentorum effectu, scilicet gratia et charactere, ut constituat suscipientem in quodam statu perfectionis relate ad alios. Quod quidem nec in ipsis maximis sacramentis Eucharistiae et Baptismi verificatur, non obstante excellenti utriusque gratia, cum in Eucharistia desit character, in Baptismo vero ipse character importet communem statum civis in Christiana societate. Per Confirmationem vero homo constituitur in statu plenitudinis vitae christianae necnon in ampliori quodam gradu ecclesiasticae ac sacerdotalis dignitatis, utpote miles Ecclesiae; per Ordinem tandem evehitur ad superiorem gradum ipsius sacerdotalis auctoritatis, qua ipsa societas regitur et guberbatur *{Suppi.,* q. 31, a. 3, ad 1).

Nec etiam obstat quod episcopo reservetur confectio seu benedictio materiae huius sacramenti, non secus ac Confirmationis, ex quo videretur sequi a fortiori ipsum totum sacramentum, quod in illius materiae applicatione consistit, eidem reservandum fore.

Nani, ut iam notavimus in art. 3 (tom. 1, p. 370) agentes de materia sacramenti, haec illatio non valet, utpote laborans falso supposito, quod nempe applicatio materiae, seu sacramenti administratio, sit excellentius opus quam ipsa confectio seu consecratio materiae, cum revera in ordine sacramentali oppositum contingat. Nam "materia sacramenti non est talis materia ut in qua fiat aliquid per eum qui ea utitur, sicut est in artibus mechanicis; sed ut cuius virtute aliquid fiat, et sic percipiat aliquid de ratione causae agentis, inquantum est instrumentum quoddam divinae operationis. Et ideo oportet quod a superiori arte vel potestate talis virtus materiae acquiratur. Quia in causis agentibus, quanto aliquod agens est prius, tanto est perfectius; in causis autem pure materialibus, quanto materia est prior, tanto imperfectior" *{Suppi.,* q. 29, a. 6, ad 2). Nec refert quod confectio materiae ordinetur ad eius usum seu applicationem, tanquam ad finem, ac ideo ex hac parte sit quid inferius, nam "quamvis in genere causae finalis usus materiae sanctificatae sit potior quam sanctificatio mate-

riae, tamen in genere causae efficientis sanctificatio materiae est potior, quia ab eodem pendet usus sicut ab activa causa. Et ideo sanctificatio requirit altiorem virtutem activam quam usus" *(ibid.* q. 31, a. 3, ad 2).

Quod autem, ut assertum est in secunda parte Conclusionis, ad valide administrandum hoc sacramentum presbyter pari iure gaudeat ac episcopus, nec ulla indigeat commissione aut delegatione, de genere illius qua indiget ad administrandam Confirmationem vel ad consecrandum oleum utriusque sacramenti, patet ex iisdem argumentis.

Ex textu enim Iacobi nihil deduci potest in favorem huiusmodi partialis reservationis aut excellentioris iuris episcoporum, quinimo prima fronte ille textus videretur potius favere iuri presbyterorum, cum ipsi soli videantur directe designari, ob quam rationem quidam olim inducti sunt ad dubitandum de ipso iure episcoporum, ut constat ex verbis Innocentii I. Pariter in *Traditione* nullum habetur indicium alicuius episcopalis praeeminentiae aut reservationis relate ad administrationem huius sacramenti, sicut relate ad administrationem Confirmationis vel ad benedictionem olei in utroque sacramento, sed potius contrarium indicatur in scriptis doctorum et praxi ecclesiarum. *Documenta universalis magisterii* simpliciter asserunt ministrum huius sacramenti esse sacerdotem (Cone. Flor.), imo "aut episcopos aut sacerdotes" (Cone. Trid.), imo distincte "Omnem sacerdotem" (Codex I. C.), dum, cum agitur de ministro Confirmationis aut benedictionis materiae utriusque sacramenti, principalitas et discrimen iuris episcopalis a iure sacerdotali distincte proponitur, facta quandoque ipsa explicita distinctione inter ministrum ordinarium et ministrum extraordinarium (cf. art. 3, tom. 1, p. 322 sq., 366 sq.; tractatum *De Baptismo et Confirmatione* 316 et 394), quod si haec distinctio fit a Codice I. C. etiam quoad ministrum Extremae Unctionis, ipsa non respicit validitatem sed solam liceitatem nec fit praecise inter episcopum et alios sacerdotes, sed inter sacerdotem habentem curam animarum, noniinatim parochum, et alios sacerdotes. Tandem supradicta *ratio theologica,* deducta ex fine et effectu sacramenti, excludit etiam huiusmodi partialem reservationem episcopalem, ut conferenti patet; nec aliunde limitatio iuris presbyteralis deduci posset ex remissiva indole huius sacramenti, nam Extrema Unctio remittit peccata non per modum absolutionis sive sententiae iudicialis, quemadmodum Poenitentia, sed tantum per modum curationis, sicut Baptismus per modum ablutionis, nec ideo eius exercitium alligatur alicui iurisdictioni quae pendeat ab ulteriori Ecclesiae concessione, sed totum fundatur ac procedit ex sola potestate ordinis, quam presbyter consequitur in ipsa ordinatione.

Conclusio 3. Minister huius sacramenti debet esse distinctus a subiecto, ita ut nequeat ipse sacerdos sibi sacramentum administrare.

Probatur.

Hanc distinctionem inculcatam in ipsis verbis *Iacobi* "Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum," quae ad omnes indiscriminatim tam laicos quam sacerdotes diriguntur, clare demonstrat ipse sensus et praxis totius *Traditionis*. Etenim ne minimum quidem indicium habetur aliquem unquam antiquorum de hac re aliter sensisse aut dubitasse, nec ullum prorsus afferri potest exemplum alicuius presbyteri aut episcopi sibimetipsi hoc sacramentum administrantis, (cf. Vitas SS. Tresani, Leobini, Eugenii et Adalhardi, cit. in art. 1. tom. 1, p. 133 sq., 154), quamvis tot variaeque occurrere potuerint circumstantiae, quae, praecipue ob defectum vel moram alterius sacerdotis, talem administrationem suadere potuissent. Res indirecte confirmari potest ex ritu impositionis manus, qui, ut ostensum est in art. 4 (tom. 1, p. 434–441), inde a prioribus temporibus consociabatur unctioni infirmorum; ille enim ritus vivide ostendit distinctionem ministri a subiecto sacramenti.

Huic Traditionis argumento suam confirmationem addidit supra citatum decretum *S.C. de Prop. Fide, ex* "ipsis divini eloquii verbis" deducens non posse sacerdotem etiam in casu necessitatis sibi administrare Extremam Unctionem; quod autem plura aut fortiora desiderentur Ecclesiae documenta, mirum non est, cum agatur de re tam obvia de qua numquam dubitarunt theologi, donec in contrarium occurrerit supradictus Clericatus, cuius peregrina opinio vix commemoratur a coaevis ipsis doctoribus.

Inepte autem hic iterum obicierentur cum *Boudinhon* (cf. supra, p. 739) textus Innocentii I, Bedae et Caesarii Arelatensis de fidelibus semetipsos ungentibus, nam, ut dictum est in Conci. 1, in eis non agitur de ungentibus sed de suscipientibus unctionem a legitimis ministris, vel, iuxta alios, de ungentibus seipsos unctione privata nec sacramentali; ceterum praefatus Boudinhon supponit in illis textibus agi de unctione *ab ipsis laids* sibi administrata, quod refutatum est in Conci. 1.

Praeterea, haec Conclusio valide deducitur ex ipsa *ratione theologica*. seu ex ipsa indole sive sacramenti in genere sive huius specifici sacramenti. Cum enim sacramentum sit causa gratiae, seu ordinetur ad sanctificandum aliquod subiectum per influxum efficientem, ipsa ratio ministri, qui est agens in sacramenti applicatione, petit eius

distinctionem a subiecto quod se habet ut patiens, idem enim nequit esse simul agens et patiens, dans et accipiens. Nec valet opponere utrumque posse in eodem secundum diversa verificari; nam sive minister sive subiectum respiciuntur a sacramento modo indivisibili, non enim minister agit per unam sui partem, puta per corpus, ut possit sanctificari, tanquam subiectum, in alia sui parte seu in anima, sed totus homo, ut praeditus corpore, anima, actu cognitionis, et, pro casu, sacramentali charactere, assumitur ut divinum instrumentum, et pariter totum subiectum, ad modum unius, suscipit influxum sacramentalem, etsi signum exterius directe applicetur corpori, eius vero spiritualis effectus principaliter imprimatur in anima.

Cuius rationis validitas vividius apparet considerando propriam indolem huius sacramenti. Eius enim specificus effectus est spiritualis curatio, nemo autem proprie seipsum curat; eius valida forma est "Indulgeat tibi Deus" vel alia huic aequivalens, quae quidem sacramentalis allocutio distinctionem petit seu alteritatem; nec valet opponere indolem deprecativam huius formae, nam agitur de deprecatione sacramentali seu effectiva, cui obstat identitas deprecantis et subiecti pro quo fit deprecatio.

Confirmatur a paritate cum ceteris sacramentis. In nullo enim verificatur identitas ministri cum subiecto, non obstante extrema necessitate aliquorum, seu Baptismi et Poenitentiae, quae eam identitatem in quibusdam circumstantiis maxime postularet, si possibilis esset. Nemo quippe potest se baptizare seu spiritualiter generare, nemo potest se confirmare seu spiritualiter perficere, nemo potest se absolvere seu a vinculis peccatorum iudicialiter liberare, nemo potest se ordinare seu spiritualem potestatem sibi conferre, nemo etiam potest proprie ac directe se coniungere in *Matrimonium* seu contractualiter ligare, sed potius, iuxta propriam indolem contractus, unus contrahens alium ligat per suam ipsius concessionem, exigitivam concessionis alterius, ac propterea, ut notavimus in tractatu *De sacr. in genere* 432 et 435, nec in sacramento Matrimonii proprie verificatur identitas ministri et subiecti, cum unus contrahens sit minister non relate ad seipsum sed relate ad alterum quod se habet ut subiectum. Inde diluta manet una ratio invocata a Clericato ex paritate cum Matrimonio. Altera vero, deducta a paritate cum administratione Eucharistiae, prorsus inepta est, quoniam hoc sacramentum, utpote consistens non in usu seu receptione, sed in re, seu in ipsa materiae consecratione, duplicem habet ministrum, alterum confectionis seu ipsius sacramenti, alterum distributionis, quem quidem non repugnat esse idem cum subiecto, quia haec distributio sive administratio non consistit in actione sacramentali

ex parte ministri et in passione sacramentali ex parte subiecti, sed est mera materialis applicatio sacramenti iam confecti.

ART. 35. Utrum Hoc Sacramentum Possit Sive Ab Uno Sive A Pluribus Sacerdotibus Valide Ministrari *(Suppi.,* q. 29, a. 2, ad 3; C. *Gent.* 4. 73; Apocryphum opusculum S. Thomae *De officio sacerdotis;* cf. 3 p., q. 67, a. 6; q. 82, a. 2, ubi de concelebratione in Baptismo et Eucharistia).[37]

STATUS QUAESTIONIS

Haec quaestio peculiare habet momentum tam positivum quam dogmaticum, qua parte respicit *concelebrationem sacramentalem,* iam a multis saeculis in constanti ac communi usu in ecclesia orientali, cuius validitas et modus explicatione indigent.

Iam in praecedentibus tractatibus hanc sacramentalem concelebrationem distincte consideravimus, probantes eius validitatem in Baptismo, Eucharistia et Poenitentia (idem ceteroquin subintelligentes de Confirmatione), liceitatem vero in sola Eucharistia.[38] Quoad Extremam Unctionem, hic modus sacramentum conficiendi idem fere momentum ac difficultatem ostendit ac in consecratione eucharistica, tum ob communem praxim orientalium tum ob peculiarem indolem huius sacramenti prout ministratur in pluribus unctionibus pluribusque formis,

Il Benedictus XIV, *Dc synodo dioecesana,* l. 8, c. 4, n. 4-6 et 8, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1094-1097.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *Dc Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 83-87.

De Sainte-Beuve, J., *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 6, a. 3, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 114-116.

Goar, J., Ευχολόγιου *sive Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 438-440.

Goucnard, A., *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mechliniae 1938) 49-52.

Jaquemier, G., "L'Extrême Onction chez les Grecs," *Echos d'Orient* 2 (oct. 1898-oct. 1899) 196-198.

Jugie, M., *Theologia dogmatica Christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* III (Parisiis 1930) 483 sq.; V (Parisiis 1935) 740.

Kern, J., *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonae 1907) 251-266.

Kilker, A., *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 85-92.

Launoy, J., *De sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae traditio circa ministrum sacramenti,* c. 2, observatio 1, *Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 568 sq.

Martène, E., *Dc antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 3, n. 2-6 (Rotomagi 1700) 112-114.

Spâ6il, Tn., *Doctrina theologiae Orientis separati de Sacra Infirmorum Unctione* ("Orientalia Christiana," n. 74, Romae 1931) 76-79.

Suarez, In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 43, s. 2, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 859-863.

Verhamme, A., "De ministro Extremae Unctionis," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 189-192.

[37] Cf. *De Baptismo et Confirmatione* 177-180; *De Eucharistia* I 754-769; *De Poenitentia* IV 773-784.

quae possunt multipliciter confici aut distribui inter plures ministros. Nec deest huic quaestioni suum momentum polemicum, nam, ob discrepantem utriusque ecclesiae praxim, contigit ut quidam doctores, sive inter schismaticos sive inter catholicos, alienae ecclesiae praxim, invalidam aut ineptam iudicaverint.

Hinc tria quaeruntur:

1. Utrum hoc sacramentum valide administretur ab uno sacerdote.
2. Utrum valide administretur a pluribus sacerdotibus.
3. Utrum ad validam hanc plurium concelebrationem requiratur ut omnes et singuli ministri ponant sive materiam sive formam, saltem partialiter, et cum simultate saltem morali.

PARS AFFIRMATIVA et PARS NEGATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, sufficientia unius ministri in collatione huius sacramenti est *saltem theologice certa.*

Haec nota theologica fundatur sive in constanti praxi infallibilis Ecclesiae Romanae, sive generaliter in documentis Ecclesiae relatis in art. praec. (p. 743-745) quae absque restrictione definiunt omnem sacerdotem esse validum ministrum huius sacramenti, sive peculiariter in duobus documentis *Alexandri III,* distincte declarantis (supra, p. 743) "sacerdotem etiam solum posse infirmum ungere," et *Benedicti XIV,* exigentis a Graecis ut "credant et asserant illud sacramentum ab uno presbytero valide et licite confici" (cf. in p. 774). Imo, his consideratis, non improbabiliter quis dicet id esse *proximum fidei,* aut etiam de fide, attento saltem ordinario Ecclesiae magisterio. De facto Suarez explicite ait: "Hoc est de fide certum" (Disp. 43, s. 2, η. 1). Plures theologi generaliter dicunt id esse "certum" (Tanquerey, Cappello) vel esse "constantem doctrinam Ecclesiae" (Priimmer), sed hanc notam ulterius non explicant. Prorsus autem peregrine Diekamp contentus est hac ambigua et exsangui nota: "Sententia communis."

Hanc Ecclesiae doctrinam et praxim diserte impugnarunt quidam, sive inter Protestantes sive inter Schismaticos Orientales, ex diverso tamen praejudicio ac fundamento.

Protestantes, ex fine abiciendi ipsum sacramentum atque ostendendi "ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae beati lacobi Apostoli" (Cone. Trid., sess. 14, can. 3) docent inepte in unctione unicum ministrum adhiberi contra praeceptum Apostoli advocandi "presbyteros Ecclesiae." Ita signanter ipsi *Lutherus* et *Calvinus,* citati in art. praec. (p. 735 sq.). Quam sollicitudinem haereticorum, negantium ex una parte sacramentale momentum Une-

tionis ab Apostolo praeceptae et scrupulose ex alia parte exigentium pluralem numerum ministrorum, ridiculam appellat Drouin.30

Inter *Schismaticos Orientales,* plures antiquiores, ut *Simeon Thessalonicensis* (t 1429), *Gregorius Chiensis* 0 *Athanasius Pariensis,*4' .-I. *Commcnos,* 2 *Theophilus Campanias* et *Daniel Georgopulos,*4* dixerunt non sufficere unum ministrum, provocantes ad verba lacobi (Simeon Thess. et alii), ad antiquam traditionem suae ecclesiae (Simeon Thess. et alii), et ad rationem sive non necessitatis huius sacramenti (Pariensis, Georgopulos) sive consecrationis nam neque episcopi consecratio ab unico ministro perficitur (Simeon Thess.). Attamen, etsi isti peremptorie loqui videantur, non satis apparet utrum administrationem per unicum ministrum reputent invalidam, an tantum illicitam; hoc tamen ultimum probabilius videtur, secus difficile explicaretur tanta illorum discrepantia a modernis doctoribus schismaticis qui concorditer docent unum ministrum sufficere eo quod non oporteat ob penuriam sacerdotum fideles fructu sacramenti defraudari et aliunde cetera etiam sacramenta conferantur ab uno ministro nec lacobus plures requirat ministros nisi in casu quo praesto sint (ita, inter alios, Metrophanes Critopulus, Ignatius archiepiscopus, Macarius Bulgakov, Pidalion, Mesoloras, Rallis, Knitis, Firmilijan, Archangelskij45).

SIMEON THESSALONICENSIS: "Frater [Domini, lacobus] quidem presbyterorum non dicit numerum, consuetudo autem septem advocari edocuit, quod ego fieri censeo propter septem apud *Isaiam* numerata Spiritus dona, vel propter septem illos veteris legis sacerdotes qui Dei jussu septies circa Jericho tuba cecinerunt et moenia everterunt, quemadmodum illi iniquam civitatem et ardua elationum peccati moenia destruunt: vel cum mortua sit anima, ad imitationem prophetae puerum illius Sunamitidis ad vitam revocantis, sacerdotes septies deprecati illam resuscitant, quemadmodum Elisaeus puerum septies in eum incurvatus et septies deprecatus; vel perinde ac Elias septies precatus coelum quod propter peccata clauserat, rursum aperuit, et inde pluviam eduxit, ita isti septies deprecati solvunt quidem peccati siccitatem, coelum vero aperiunt more Petri elavem gratiae gestantes. et misericordiam a Deo remissionis ut pluviam educunt. Haec est ratio, ut mihi videtur, de septem sacerdotibus.

"Quidam vero, ubi est sacerdotum penuria, tres tantum advocant, et hoc culpa caret. Fit enim primum quidem propter virtutem Trinitatis, deinde vero propter illud ab Elia in testimonium et praedicationem Trinitatis rursus factum, quando mortuum Sarephthenae filium resuscitavit, ter deprecatus, terque in eum incurvatus. Quidam autem plures quam septem congregant in signum majoris fidei et voluntatis. *Sed non oportet dc numero disceptare, cum numerus scriptus non sit.* Attamen, etsi scriptus non fuerit, necesse est antiquam servare traditionem: *adsint quidem septem secundum antiquum morem; at, si necesse fuerit, ad minimum tres,* et

" *De re sacramentaria,* 1. 7, q. 4, c. 2.
*°*Σννοψιν τών Oeluv και lepûv* τήι *Εκκλησίαν* δογμάτων, . 4, Vcnetiis 1635.
" Επίτομη των *Selon· την irlareuv* δογμάτων, p, 384.
° *'Ορθόδοξον διδασκαλία,* ρ. 258.
° *Tapeion· 'Ορθοδοξίαν,* c. 28. Vcnetiis 1788.
°'Iepà *άι·θολο-γία* . . , (Athenis 1864) 69.
*' Cf. infra, p. 772 sq.

omnia dicant quaecumque dicere traditum est, quoniam a Spiritu sunt omnia quae ex Patribus excepta sunt. *Unus autem presbyter non conficiat euchelaeum,* quoniam quemadmodum de episcopo scriptum est ne ab uno ordinetur, ita et de euchelaeo, ne ab uno presbytero conficiatur: 'Inducat, inquit, presbyteros Ecclesiae (et non unum presbyterum), et orent super eum, ungentes eum oleo.'"[46]

"Num ab uno presbytero possit oleum sanctum confici? Uni sacerdoti non licet oleum sanctum conficere, juxta illud: 'Inducant presbyteros Ecclesiae,' non vero unum presbyterum: et oportet ut servetur norma. Sicut ergo unus episcopus alium episcopum non consecrat, ita nec unus presbyter oleum sanctum conficit."[47]

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, omnes theologi *validitatem concelebrationis* admittunt, etsi quidam impugnaverint concelebrationem in usu apud Orientales, dicentes in ritu orientali haberi quidem validam celebrationem sacramenti per primum ministrum, non tamen concelebrationem, cum ceteri ministri non conficiant sacramentum. Ipsi antiqui *Waldenses,* qui "sacramentum Unctionis reprobarunt propter plures sacerdotes ibi necessarios",[48] nequaquam reiciebant concelebrationis validitatem aut etiam liceitatem, sed tantum abusum quem, ut ipsi aiebant, pluralitas sacerdotum generabat, quatenus, ob magnum pretium a tot ministris exactum, "sacramentum Unctionis tantum divitibus dabatur."

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, scilicet de modo quo talis concelebratio valide fieri possit, et consequenter etiam de iudicanda praxi Orientalium, non prorsus conveniunt theologi. Quadruplex procedendi modus distingui potest:

1. *Primus modus* est ut unus minister (vel una pars ministrorum) ponat *solam materiam* seu faciat unctionem aut unctiones, et alter minister (vel altera pars ministrorum) ponat *solam jormam* seu pronuntiet formulam deprecativam.

Hic modus communiter a theologis habetur ut invalidus, ut in quaestione de Baptismo; sic sentiunt, inter alios, *Suarez, Gonet, Billuart, S. Alphonsus, Pesch, Hugon,* quibus adnumerari debent quotquot, inde a S. *Thoma* (3 p., q. 67, a. 6), docent talem modum esse invalidum in Baptismo. Refragantur tamen quidam pauci, ut *Kern* cui favent *Kilker'* et *Cappello,*[™] distinguentes inter formas quae significant ipsum proferentem ungere seu materiam adhibere (v.g. "Ungo te de oleo sancto ut saneris") et alias quae id nullatenus indicant (v.g. forma latina: "Indulgeat tibi Dominus . . ."), ac di-

** *Dialogus in Chrislo adversus omnes haereses* i De Sacramentis, — De sacro ritu Sancti Olei sive Euchaelaei], c. 283, *MG* 1S5. 515–518.

47 *Responsa ad Gabrielem Pentapolitanum,* q. 48, *MG* 155. 894.

" Cf. Reynerium, *Liber de Waldensibus,* supra cit., in p. 657.

** *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 90 sq.

w *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 89. Indirecte favent etiam *Menardus* ct *De Clercq* infra referendi (p. 777).

centes in priori casu invalide alium ministrum materiam adhibere, in altero vero valide, quia, ob moralem unitatem qua plures ministri efficiunt unum Christi instrumentum, non repugnat rationi sacramenti ut praedicto modo a pluribus ministretur.

Ad rem *Kern:* "Prior modus [concelebrationis] a Benedicto XIV. in Constitutione 'Etsi pastoralis' est interdictus. . . Theologi plerique censent, Extremam Unctionem collatam modo a Benedicto XIV. vetito esse invalidam. Videtur tamen distinguendum esse. Sunt formae quaedam, e.gr. ea, quae sola ex longo tempore adhibetur in ecclesia latina, quae nulla ratione exprimunt, deprecantem infirmo etiam materiam adhibere. Cum ministri plures constituant unam personam moralem nomine et auctoritate Christi et Ecclesiae perficientem munus sacrum, cumque ex supposito forma ideo, quod pronuntians eam non applicat materiam, non trahatur in sensum falsum, vix demonstrabitur, sacramentum ita collatum non valere. Unde si in casu necessitatis non essent praesto nisi duo sacerdotes, alter usu manuum, alter usu linguae privatus, non videtur prohiberi, quominus saltem sub conditione s. Unctionem conferrent.

"Sunt aliae olim inter ungendum adhibitae orationes, quae exprimunt, ipsum deprecantem materiam applicare; e.gr. oratio sacramentarii Gregoriani a Menardo editi: 'Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non lateat in te spiritus immundus etc.' Jam vero dictum sacramentarium ritum inunctionis ordinat verbis: 'Et sic perungat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo et gutture et inter scapulas; et in pectore seu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur; et supplicando, dum ungitur infirmus, dicat *unus* ex sacerdotibus hanc orationem: Inungo te etc.' Ad haec advertit *Mcnardus:* 'Notandum, ungente sacerdote formam ab alio proferri; quod favet eorum opinioni, qui dicunt, hunc validum esse baptismum, si uno verba proferente alter mergat aut aquam infundat.' "[51]

2. *Secundus modus* est ut unus minister ponat tantum *unam partialem unctionem cum propria particulari forma* et alius ponat tantum reliquam partialem aut partiales unctiones iterum cum propria particulari forma. Patet autem id multipliciter fieri posse; potest enim unus minister ministrare unam vel duas vel tres vel quatuor unctiones, et alius reliquam vel reliquas; si vero ministri sint plures quam duo. vario modo inter se numerum unctionum distribuere possunt, quod si sint quinque vel sex, necessario unica unctio unicuique tribuetur in praxi latina.

[51] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 264

Circa validitatem huiusmodi concelebrationis omnes theologi consentiunt inde a S. Thoma *(Suppi.,* q. 29, a. 2, ad 3), quia nihil obstat sive ex parte sacramenti, quod essentialiter coalescit ex partialibus unctionibus, sive ex parte ministrorum, quorum unusquisque ponit simul materiam et formam, etsi partialiter tantum, et omnes aliunde unificantur in ratione unius instrumenti Christi.

3. *Tertius modus* est ut omnes et singuli ministri ponant *integram materiam et jormam,* seu unusquisque faciat omnes unctiones et proferat omnes formas partiales (vel, in casu saltem necessitatis, unam unctionem cum forma generali), ita tamen ut omnes *simul sacramentum absolvant.*

Hic etiam modus communissime a theologis dicitur validus, sicut in quaestione de Baptismo et Eucharistia.

4. *Quartus modus* est ut omnes et singuli ministri ponant quidem integram materiam et formam, sed *successive,* ita nempe ut unus post alium sacramentum absolvat, prout communiter fit apud Orientales Schismaticos.

Quidam, ut *Matthaeus Galenus, Petrus Arcudius, Straub, Quinn, Mac Donald, Kilker, Van Noort-Verhaar, Spdcil, Boyer,*[52] *Cappello*[55] *Pcsch*[5'] *Hugon, Otten, Rath, Gougnard,* dicunt in tali modo administrandi nonnisi primum ritum quem unus minister ante alios absolvit esse sacramentalem totumque sacramentum constituere, ceteros vero esse mere caeremoniales et, in casu quo fierent cum intentione sacramentali (ut fit apud Orientales), esse damnandos abusus. In qua sententia, ut patet, negatur tali modo posse fieri concelebrationem. etsi generatim praefati auctores de hac re loquantur in quaestione de initerabilitate sacramenti, supra agitata in art. 24.

Alii, ut *Menardus, Launoy, Martène, Schanz, Kcrn* aliique plures, citati in eodem art. 24 (p. 292 sq.), dicunt in eo casu omnes et singulos ministros conficere sacramentum ita ut hoc pluries ac successive repetatur, et ex praefata orientali praxi confirmant suam thesim de iterabilitate Extremae Unctionis in eodem periculo mortis. In qua explicatione, ut patet, iterum negatur proprie dicta concelebratio, cum non amplius agatur de celebratione eiusdem individui sacramenti per plures ministros, sed de fere simultanea, seu potius successiva iteratione sacramenti per plures ministros intra breve tempus. Unde inepte quidam, ut Kern et Kilker. referunt hunc modum administrationis inter varios modos quibus plures ministri possunt idem sacramentum

[52] Omnes in *locis citatis* in art. 24. p. 310, 315.
[55] *Loc. cit.* (supra in p. 764).
[5'] *Praelectiones dogmaticae* (ed 4 et 5, Friburgi Brisgoviae 1920) VII 283.

administrare, ac si in eo habeatur quaedam vera ratio concelebrationis.

Quidam tandem, ut *Goar, Gotti, Schmid, Gutberlet, W. McDonald, Straub, Boyer,* et quidam alii, citati in eodem art. 24 (p. 310), dicunt vel supponunt per praefatum modum administrationis omnes sacerdotes conficere unum atque individuum sacramentum adeoque vere et proprie concelebrare, quia deprecativa indoles Extremae Unctionis permittit ut unum sacramentum coalescat non solum ex partialibus sed etiam ex totalibus materiis et formis, pluries repetitis. Quam opinionem probabilem diximus et amplius explicavimus in eodem art. 24 (p. 310-315), utpote convenientem ad componendam praefatam praxim orientalem cum doctrina de initerabilitate sacramenti in eodem periculo mortis.

Ceterum, ut constat ex ibidem dictis, nequaquam simpliciter subscribimus modo quo Goar,[53] praecipuus patronus huius sententiae, eam explicat, vel argumentis quibus eam sustentat, quaeque sic perstringit et approbat *Jugic:* "In hanc septenariam repetitionem sacramenti [qualiter in usu est apud Schismaticos Orientales] invehitur Arcudius tanquam in gravem abusum. Goarius, e contra, eam in bonam partem accipit, et optime explicat quatuor rationibus; quarum prima petitur ex paritate plurium sacerdotum ad unum consecrationis opus, sive ad unum Eucharistiae mysterium perficiendum unanimi consensu concurrentium; secunda, ex iterata accusatione ejusdem peccati in foro poenitentiae; tertia, ex repetitione formae sacramenti Confirmationis in unaquaque unctione, ad normam euchologii byzantini; quarta demum, ex praxi simili olim in quibusdam Ecclesiis Occidentis recepta."[38]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Hoc sacramentum valide administratur ab uno sacerdote.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Ex textu Iacobi nequit deduci necessitas plurium ministrorum. Non quidem ex ipsa plurali voce "Presbyteri," nam, iuxta ipsum communem usum, vox pluralis multipliciter accipi potest, sive nempe in sensu plurali circumstantial! seu accidentali, sive in sensu singulari expresso per plurale maiestatis aut categoriae, sive in sensu indefinito abstrahente a singularitate vel pluralitate; neque ex appositione "Ecclesiae" ("Presbyteri Ecclesiae"), nam ex una parte inepte diceretur

[53] Ευχολόγιο? *sive* ***Rituale*** *Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 438-440.
[38] *Theologia dogmatica Christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* III (Parisiis 1930) 484.

Apostolum velle ut advocentur omnes presbyteri totius Ecclesiae universalis et ex alia parte non necessario in unaquaque particulari ecclesia temporis apostolici fuerunt, inde a primo suo initio, plures sacerdotes, aut, ubi fuerint, facile potuerunt omnes simul ad quemlibet infirmum convocari; neque ex natura ritus conficiendi iuxta praeceptum Apostoli, scilicet orationis et unctionis infirmi, nam hic ritus potest sive ab uno sive a pluribus perfici.

Catholici exegetae ac theologi plurale illud "Presbyteri" variis modis explicant, qui ad sequentes quatuor commode reduci possunt:

1. Agitur de plurali *maiestatis,* habente *sensum singularem.* Ponitur nempe "Presbyteri" pro "Presbyter," per figuram quam enallagen (ἀ/αλλαγ^υ) seu permutationem vocant, quaeque non raro occurrit in ipsa Scriptura. Ita *Mat.* 2. 20: "Defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri" (agitur de solo Herode); 9. 8: "Glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus" (agitur de solo Christo miracula patrante); 27. 44: "Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant" (agitur tantum de uno ex duobus latronibus, ut constat ex *Luc.* 23. 39); *Luc.* 23. 36: "Illudebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes ei" (quod quidem ab uno milite factum esse testantur *Mat.* 27. 48 et *Mare.* 15. 36).[57] Ita *Suarez, Estius, Berti, Billuart.*

2. Agitur de plurali *categoriae,* habente *sensum singularem,* quo nempe significatur unus de determinata hominum classe (Inducat unum ex ordine presbyterorum), ut cum dicimus alicui infirmo ut ad medicos recurrat, vel parentibus ut infantem deferant ad sacerdotes baptizandum. Cuius acceptionis exemplum profertur in *Luc.* 17. 14: "Ite, ostendite vos sacerdotibus" (i.e. uni vel alteri ex sacerdotibus, cui leprosi se sistere debebant); item apud *Augustinum,* Serm. 324 (alias: 33 De diversis): "Continuo tulit illum [infantem] ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est" *{ML* 38. 1447). Ita *Pesch, Bord, Chaîne, Hugon, Diekamp, Spàcil,* aliique communius.

3. Agitur de plurali *comprehensivo* (i.e. quo sive pluralis sive singularis sensus comprehenditur), habente *disiunctivum sensum determinatum* iuxta casus seu iuxta diversitatem ecclesiarum, ita ut sensus sit: Inducat presbyteros propriae ecclesiae, quotquot sint qui in ea particulari ecclesia huic ministerio adhibentur, sive unus sive plures. Quae interpretatio fundatur in appositione "Ecclesiae," ita ut verba "Presbyteri ecclesiae" significent "Presbyteri propriae uniuscuiusque

[57] Cf. alia exempla apud Augustinum, De *consensu evangelistarunj* 3. 16, *ML* 34. 1190sq., qui ostendit quam saepe in Scriptura singulare "usitato locutionis modo per pluralem numerum significetur."

infirmi ecclesiae." Ita *Kilkcr* et *Cappello* post *Kern* qui, rejecta prima illa expositione pluralis majestatis, scribit: "Quinam sacerdotes designantur per terminum: οἱ *πρεαβvrepot τή ἱκκλησία ?* Sane non omnes sacerdotes totius Ecclesiae catholicae per orbem diffusae. Sed neque omnes sacerdotes, quos *quovis tempore* una aliqua ecclesia particularis vel una aliqua urbs numerat. S. *Cornelius* papa in epistola quadam ad Fabium, episcopum Antiochenum, narrat, suo tempore (saec. III.) in ecclesia romana esse presbyteros quadraginta sex. Nemo affirmabit, ex praescripto s. Jacobi necesse fuisse, ut omnes hi 46 presbyteri ad singulos aegrotos convenirent eosque s. oleo ungerent. Apostolus proxime loquitur ad homines sui aevi. Multa quidem sunt obscura, quod attinet statum ecclesiarum tempore apostolico. Sed res ipsa secum ferebat, ut in parvis oppidis, in quibus nondum multi christiani numerabantur, solus episcopus vel etiam unicus presbyter omnia officia sacerdotalia obiret, dum in aliis civitatibus e.gr. Jerosolymis, Antiochiae, Corinthi iam complures presbyteri episcopum adiuvabant. Cum igitur S. JaCOblIS aegrotOS monet, Ut VOCent τοὐ *πρίσβυτίρου τή ἱκκλησία* , per se patet eum velle, ut vocent presbyteros, quos in propria ecclesia habent: vel solum episcopum vel tantum unicum presbyterum stricte sic dictum, vel episcopum cum presbyteris. Revera si quis audiret consilium: Infirmatur quis in vobis? Inducat medicos (του ἰατρού) loci, continuo intelligeret, commendari usum artis medicae ideoque suaderi, ut pro circumstantiis loci unus vel complures medici adsciscantur. Eodem modo intelligendum est praeceptum apostolicum."[58]

4. Agitur de plurali *circumstantial!,* seu exprimente quidem *sensum pluralem* sed ratione accidentalis circumstantiae, quia nempe de facto, tempore apostolico, ob singularum ecclesiarum seu communitatum exiguitatem, omnes sacerdotes locales simul ad infirmum accedebant. *ItaSpdcil* et *Chaîne* qui scribit: "Jac. parle des prêtres au pluriel, soit qu'il s'agisse d'un pluriel de catégorie (cf. Le. xvii, 14), soit que. la communauté étant petite, les prêtres de l'endroit viennent ensemble chez le malade."[50]

Nobis praeferenda est secunda expositio, si tamen ei addatur sequens determinatio, quae ceteroquin videtur de mente praefatorum doctorum. Agitur nempe de plurali *categoriae,* accepta tamen non proprie in sensu singulari (Unus de ordine sacerdotum) sed in *sensu collectivo et indefinito* (Ordo seu classis sacerdotalis) ac pro tanto disiunctivo, ita ut vox concreta "Presbyteri" stet pro voce magis

u Dc. sacramento Extremae Unctionis (Ratisbonae 1907) 256.
" L'ipitre de Saint Jacques (Paris 1927) 127.

abstracta scu collectiva 'Ordo presbyteralis" et haec vicissim stet pro expressione indefinita et disiunctiva "Unus vel alter ex ordine presbyterali, abstrahendo a qualitate vel numero." Quem indefinitum sensum ceteroquin verba Apostoli retinerent, etiam si ferrent singularem vocem "Presbyter" (Inducat presbyterum Ecclesiae), nam pariter haec vox nequaquam singularem sensum haberet (Inducat unum presbyterum), sed abstractum et collectivum (Inducat aliquem vel aliquos de ordine presbyterali), sicut indifferenter et in eodem prorsus sensu quis potest alicui infirmo dicere: Voca medicum, vel Voca medicos.

Prima autem expositio, necnon, ut videtur, quidam patroni secundae, tribuentes verbis Apostoli sensum singularem pro plurali, videntur peccare per excessum, ac praeterea, dum ex una parte solvunt unam difficultatem, quomodo scilicet praxis latina administrandi per unum sacerdotem concordet cum plurali forma verborum Apostoli, ex alia parte impingunt in aliam difficultatem, quam ipsi creant, quomodo nempe praxis orientalis administrandi per plures sacerdotes concordet cum asserto singulari sensu eorundem verborum. Tertia expositio laborat defectu voluntariae restrictionis vocis ecclesiae ex universali ac solemni sensu totius Ecclesiasticae Societatis, cuius communem ritum conferunt advocati presbyteri tamquam proprii eius ministri, ad particularem ac materialem sensum individuae illius communitatis cui pertinet unusquisque infirmus. Quarta pariter expositio videtur defectu laborare, introducens circumstantialem quendam et omnino accidentalem sensum in ea momentosa verba quibus hoc sacramentum pro tota Ecclesia in perpetuum promulgatum est et in quibus, ut ait Cone. Trid., "quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere et administrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam . . . traditum" *(Dcnz.* 910); si quis posset facile talem accidentalem sensum pluralitati sacerdotum conferre, posset pariter cum quibusdam Protestantibus ipsam sacerdotalem designationem ad eundem sensum detrudere, dicendo Apostolum verbo "Presbyteri" loqui quidem de sacerdotibus, sed circumstantialiter tantum, eo quod tunc de facto unctio administraretur a senioribus seu provectioribus qui erant sacerdotes, etsi de iure possit a quibuslibet senioribus ministrari.

Probatur 2. *EX TRADITIONE.*

Sensus et praxis priorum ipsorum saeculorum, prout exhibentur in documentis allatis in art. 1 *{tom. I,* P· 94 sqq.), sufficientiam unius ministri manifeste ostendunt, imo nullum ex aetate Patrum documen-

tum afferri potest, quod administratam a pluribus sacerdotibus Extremam Unctionem prodat, ut constabit ex Conci, seq.

Quoad sensum et mentem Patrum.

Origenes ait quod in remissione peccatorum "cum [homo] non erubescit *sacerdoti* Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam . . . impletur et illud, quod Iacobus apostolus dicit: 'Si quis autem infirmatur . . .' " (cit. *ibid.* p. 98). *Innocentius I* de singulis episcopis, secluso ministerio ipsorum presbyterorum, signanter ait: "Idcirco presbyteris dictum est [ut ungant infirmos], quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Caeterum si *episcopus* aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest" (cit. *ibid.* p. 116). *Isaac Antiochenus: "Sacerdotem visitatorem* non probatum habent stultae [mulieres] ideoque signationem eius contemnunt. . . At potius, o mulier, donum quidem tribue recluso [i.e. monacho], sed signationem a *sacerdote* tuo accipe. . . Servi Christi et orthodoxi afferre solent aegrotos et infirmos ad sanctum altare, non autem ipsi oleum conficere audent, ne domum expiationis contemnere videantur, sed ubi *sacerdos* est regens plebem, observant ordines iustitiae" (cit. *ibid.* p. 126). *Cassiodorus* sic ad mentem citat textum Iacobi, substituens vocem singularem "Presbyterum" pro plurali: "Si quis alterius praegravatur injuria vel corporis imbecillitate quassatur, [Iacobus] *presbyterum* dicit adhibendum, qui oratione fideli et olei sancti perunctione concessa salvet eum qui videtur afflictus" (cit. *ibid.* p. 131).

Quoad praxim, indicatam in scriptis Patrum, in Vitis Sanctorum, in statutis ecclesiarum et Conciliorum, et in Sacramentariis et Ordinibus.

Canones Hippolyti unum episcopum hoc sacramentum ministrantem inducunt: "Magna enim res est infirmo a principe sacerdotum visitari: reconvalescit a morbo quando *episcopus* ad eum venit, imprimis si super eum orat, quia umbra Petri sanavit infirmum" (cit. *ibid.* p. 110). *Athanasius* ait ratione persecutionis accidere ut, ob defectum sacerdotum, aegroti "a *nullo* invisantur" (cit. *ibid.* p. 103), quod quidem supponit sufficere ab uno ministro visitari.

Vitae Sanctorum frequentissime unicum ministrum exhibent; cf. Vitas SS. Launomari, Leobini, Hypatii, Marii, Cuthberti, Mennae (cit. *ibid.*, p. 133 sq.). *Vita S. Augustini,* a Possidio conscripta, ostendit sanctum doctorem, iuxta "modum ab apostolo [Iacobo] definitum" accurrentem ad infirmos eisque manus imponentem (cit. *ibid.* p. 123). *Vita S. Hypatii:* "Si . . . necessitas suaderet, infirmum oleo sacro inungi debere, monebat *abbatem, qui presbyter erat,* et curabat ab

ipso perfici unctionem" (cit. *ibid.*, p. 134). *Vita S. Eutychii:* "Sic enim solebat facere cunctis aegrotantibus, qui ad se accedebant; quemadmodum et divus Jacobus praecipit: 'Infirmatur . . . aliquis ex vobis . . (cit. *ibid.* p. 135).

Statuta Sonnatii: "Extrema unctio deferatur laboranti et petenti, eumque *pastor* in propria saepius invisat, et pie visitet, eum ad futuram gloriam animando, et debite praeparando" (cit. *ibid.* p. 131). Sufficientiam unius ministri manifeste exhibent vel supponunt pariter *Statuta Bonijacii, Hincmarus Rhemensis, Capitularia Caroli Magni, Regino Prumensis, Aefricus* (cf. *ibid.* p. 145, 147, 155, 157). Burchardus refert sequens antiquum, utut apocryphum, decretum *Eusebio Papae* tributum: "Si quis poenitentiam petens, dum sacerdos veniret, fuerit officio linguae privatus, constitutum est ut, si idonea testimonia habuerit quod ipse poenitentiam petiisset, et ipse per motus aliquos suae voluntatis aliquod signum facere potest, *sacerdos* impleat omnia, sicut supra circa aegrotantem poenitentem scriptum est, id est, orationes dicat, et ungat eum sancto oleo, et Eucharistiam ei donet" (cit. *ibid.* p. 157). *Cone. Aquisgranense* a. 836: "Si subditus infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [i.e. presbyteri] negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo more sacerdotali cum acceptione s. Communionis" (cit. *ibid.* p. 156). *Parvum rituale Theodulphi Aurelianensis* a. 782 unicum sacerdotem ungentem exhibet, etsi tres presbyteros praesentes inducat (cit. *ibid.* p. 147 sq.).

Etsi iam eo tempore plura indicia alicuius concelebrationis appareant in Sacramentario Gregoriano et in Codicibus Rhemensi ac Tiliano, ut ostendetur in Conci, seq., tamen longe communior praxis in Ecclesia latina iugiter fuit administratio per unum sacerdotem, ut constat ex Ordinibus, a Martène editis, quorum nonnisi pauci aliquam concelebrationem referunt (cf. infra, p. 778 sq.).

Argumentum roboratur *ex consensu ipsorum Orientalium Schismaticorum,* quorum plures, praecipue inter modernos, non obstante contraria praxi suae ecclesiae celebrandi per plures ministros, confitentur validitatem, imo, in frequenti casu necessitatis, etiam liceitatem administrandi per unum sacerdotem.

Ita *Metrophanes Critopidus* metropolita Alexandrinus (circa 1630-1641) in sua *Confessione fidei,* c. 13: "Aegrotante quopiam fidelium a familiaribus ipsius septem presbyteri advocantur. Potest etiam fieri, ut pauciores sint quam septem, atque ut aliis absentibus numerus ad unum contrahatur." *Ignatius* archiepiscopus russus: "Numerus,

quot nempe debeant adesse presbyteri in olei benedictione non indicatur [in verbis Iacobi], solum generatim commemoratur: *inducat presbyteros Ecclesiae;* quod quidem ita intelligi potest, quasi dictum sit: vel quemlibet ex presbyteris vel neminem alium nisi presbyteros. Quamobrem sancta Ecclesia optat, ut euchelaeo conficiendo adsit coetus presbyterorum plenus: septem (totidem lectiones, orationes, unctiones), vel ut adsint saltem tres, duo presbyteri secundum Matth. XVIII, 19 sq. Ceterum in casu insuperabilis impossibilitatis congregandi personaliter complures presbyteros, ex consuetudine non habetur impossibilis collatio sacramenti per unum presbyterum, dummodo conficiat illud nomine Ecclesiae, nomine coetus presbyterorum, pro quo et omnes offert orationes, quot pro coetu positae sunt. Quod appellatur spiritualis praesentia ministrorum juxta ep. ad Cor. V. 4.'60 *Macarius Bulgakov* metropolita: "Numerus presbyterorum ad administrandam sanctam Unctionem secundum antiquam orthodoxae ecclesiae consuetudinem communiter est septenarius. . . At cum hic numerus non sit determinatus ab apostolo, et non requiratur ad essentiam sacramenti, ideo interdum pro circumstantiis administrabatur et a maiore numero sacerdotum et a minore, etiam a tribus et ab uno."01 Idem docent, inter alios, *Pidalion, Mesoloras, Rallis, Knitis, Firmilijan,* imo unus vel alius (ut Knitis) in ipsa definitione sacramenti ministrum in singulari (ὕρα-) ponit. Imo *Archangelskij* refert in Russia laicos communiter ab uno ministro inungi, servato septenario ministro pro infirmis monachis vel clericis.02

Probatur 3. *EX DOCUMENTIS ECCLESIAE.*

Antiquissimum documentum *Innocenta I* retulimus supra (p. 771). *Alexander* ***III*** distincte docet: "Sacerdos uno praesente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere" (supra, p. 743). Cetera documenta relata in art. praec. (p. 743-745), i.e. *Cone. Flor., Cone. Trid., Catechismus C. Trid., Benedictus XIV, S. C. de Prop. Fide, Rituale Romanum* et *Codex I.C.,* clare dicunt vel supponunt unum ministrum sufficere ad validitatem; imo praxis latina, fundata in his documentis, liceitatem ipsius concelebrationis excludit, excepto rariori aliquo casu necessitatis, ut infra dicetur. Praeterea, *Benedictus XIV* in Constit. "Etsi Pastoralis" (infra cit., p. 788), distincte docet "non referre, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures presbyteros fiat,

w *De sacramentis unius sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae* Irussice] (Petropoli 1863) 774. Apud Kern, *op. cit.* (supra, in p. 769) 261 sq.

" *Orthodoxo-dogniatica theologia* [russicc] II (ed. 5, Petropoli 1895), §231 Apud Kern, *ibid.* 262.

° *Inquisitio de historica evolutione ritus Benedictionis Olei* [i.e. Extremae Unctionis] [russicc] (Petropoli 1895) 47 sq.

ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo [Italo-Graeci] credant et asserant, illud sacramentum, servata debita materia et forma, ab uno presbytero valide et licite confici."

Probatur 4. *EX RATIONE.*

Ipsa ratio ministri et ipsa indoles tum sacramenti in genere, tum huius sacramenti Unctionis, suadent sufficientiam unius ministri. Omnis enim sacerdos habet per Ordinis characterem completam potestatem seu aptitudinem ut assumatur ut instrumentum Christi in hoc sicut in ceteris sacramentis. Hoc sacramentum, sicut cetera, ordinatur ad causandam gratiam, quae quidem causalitas abstrahit ab unitate vel pluralitate instrumentorum unius agentis principalis, nec ceteroquin specialis gratia spiritualis curationis, quae per hoc sacramentum confertur, ullam importat peculiarem exigentiam plurium instrumentorum seu ministrorum. Nec praeterea haec sequitur ex ipsa deprecativa indole sacramenti, per ipsam suam formam manifestata; nam deprecatio aeque ab uno ac a pluribus fieri potest, idque praecipue si agatur de deprecatione obiectiva et sacramentali cuius tota vis provenit ex solo opere operato; ceterum, ut notat S. *Thomas,* neque in hac sacramentali unius ministri deprecatione prorsus deest pluralitas deprecantium, nam "si . . . unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae [deprecantis], cuius minister existit, et cuius personam gerit" (C. *Gent.* 4. 73).

Praeterea, conclusio *confirmatur* tum ex analogia ceterorum sacramentorum, quibus sufficit unus minister et a quorum consortio in hac re non convenit Extremam Unctionem separari, tum ex peculiari necessitate, utut non stricta, quae competit huic sacramento in utilitatem periclitantium instituto, cuique saepe obstaret difficultas plures ministros congregandi.

Conclusio 2. Hoc sacramentum valide administratur a pluribus sacerdotibus.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Ex textu Iacobi, quomodolibet accipiatur iuxta quatuor sensus supra relatos (p. 768 sq.), nihil potest deduci contra validitatem huiusmodi concelebrationis, quinimmo prima fronte haec tantopere commendari videtur ut inde originem habuerit, praecipue apud Orientales, mos conficiendi per plures ministros et quidam Schismatici suam persuasionem deduxerint de invaliditate unctionis ab unico sacerdote adminis-

tratae. In priori ex supradictis sensibus, quo vox "Presbyteri" intelligitur de plurali maiestatis, validitas concelebrationis nec suadetur nec reprobatur; ex secundo sensu pluralis categoriae, modo quo illum determinavimus, ipsa facile deducitur, quoniam vox "Presbyteri" stat indefinite pro aliquo de ordine sacerdotali, abstrahendo a determinatione numeri non minus quam a determinatione qualitatis; a fortiori ipsa deducitur ex tertio sensu pluralis comprehensivi; in quarto tandem sensu pluralis circumstantialis, ipsa non solum probatur sed ex ipsa apostolica praxi directe, prae contraria consuetudine, commendatur.

Probatur 2. *EX TRADITIONE.*

Ex aetate patristica, usque saltem ad saec. 8, nulla confirmatio pro nostra Conclusione peti potest seu nullum testimonium afferri potest quod concelebrationem indicet. Ex posteriori aetate, in ecclesia latina parum admodum invenitur quod veram et proprie dictam concelebrationem indicare videatur. Tota ergo vis huius argumenti provenit ex antiqua praxi ecclesiae orientalis, etiam catholicae, quae videtur ascendere saltem ad saec. 9.

I. QUOAD ECCLESIAM LATINAM.

Beda (f 735), explanans textum Iacobi, ait: "Infirmanti autem vel corpore vel fide [Iacobus] mandat ut qui majorem sustinuit plagam, plurimorum se adjutorio, et hoc seniorum, curare meminerit, neque ad juniores minusque doctos causam suae imbecillitatis referat, ne forte quid per eos allocutionis aut consilii nocentis accipiat" (cit. in art. 1, *tom. 1,* p. 142). Agitur de assistentia plurium ministrorum eorumque morali influxu per allocutionem et consilium, sed de sacramentali plurium participatione in ipsa unctione nihil dicitur. *Chavasse* ex hoc ipso concursu plurium ministrorum, conatur confirmare suam thesim de administrata a laicis Unctione Infirmorum: "L'attention de Bède se fixe plus particulièrement sur le pluriel *presbyteros* et sur le sens étymologique de ce mot, car il veut en tirer une règle de conduite. Notre impression est que ces réflexions auraient quelque chose d'étrange dans l'hypothèse où, du temps de Bède, les prêtres seuls eussent pu appliquer aux malades l'huile bénite. Cette défiance de Bède à l'égard du jeune clergé de son temps nous étonnerait à bon droit. D'autre part, les fidèles ne devait pas avoir communément le choix entre plusieurs prêtres d'âge différent: le temps des collèges presbytéraux est passé et les paroisses rurales n'ont qu'un prêtre à leur tête. Le choix à faire de personnes mûries par l'âge et l'expérience

ne se comprend bien que dans l'hypothèse où de simples fidèles étaient appelés à faire l'onction."[63] Attamen, quidquid sit de variis ambiguitatibus textus Bedae, praedictam illationem non tenere ostendunt mox referenda testimonia saeculi sequentis de pluribus sacerdotibus assistentibus in administratione unctionis.

Vita Tresani· (pii viri saec. 6), exarata saec. 9: "Tresanus infirmitate corporis praegravatus . . . convocat sacerdotes et ordinis ministros. . . Blanda a ministris consolatione suscepta oleum sanctae reconciliationis excepit" (cit. *ibid.* p. 133). Non dicitur omnes ministros, consolationem praebentes, etiam unctionem simul ministrasse.

Vita S. Eugenii episcopi hiberni (circa a. 500), exarata circa initium saec. 9: "Omne monachorum agmen convocatur ac venerabile corpus sacro oleo ungitur" (cit. *ibid.* p. 134). Hic manifeste agitur de sola plurali assistentia, cum agatur de agmine seu magno numero monachorum, inter quos praeterea plures, ut de more, non erant sacerdotes.

Poenitcntialc Egberti Eboracensis (t 764), saec. 9 confectum: "Notat sanctus Jacobus: quod si quis infirmatus sit, ut invitet ad se sacerdotem suum, et alios Dei ministros, ut eum admoneant, et infirmus necessitatem suam ipsi indicet, et illum ungant in Dei nomine sancto oleo, et per fidelium preces, ac per unctionem conservari potest, et Dominus ipsum erigit" (cit. *ibid.* p. 146). Plurale "ungant" concelebrationem indicat; tamen singulare "ipsi indicet" videtur logice appellare singulare "ungat" quod pariter referatur ad solum "sacerdotem suum," ita ut agatur de unctione per solum pastorem, aliis sacerdotibus assistentibus per monitiones et preces. Idque consonaret aliis documentis eiusdem aetatis. Ceterum ambiguitas textus potest explicari vel ex mendosa lectione vel potius ex imperfecta grammaticali constructione.

Theodulphus Aurelianensis in suis *Capitulis ad presbyteros parochiae suae,* a. 789, quae sunt valde probabiliter anteriora praefatis tribus documentis, tres ministros assistentes et benedicentes inducit, unicum tamen ungentem: "Cum venerint ad eum, videlicet tres presbyteri, dicant capitulum: Tax huic domui et omnibus habitantibus in ea'. . . Deinde fundat sacerdos de oleo sacrato in aquam benedictam, et aspergat eam. . . Post litaniam dicta oratione incipiat unctionem canentibus caeteris psalmos et antiphonas congruentes, et faciat de oleo super eum duodecim signa crucis . . ." (cit. *ibid.* p. 147 sq.).

Cone. Ticinense a. 850: "Quia frequenter contingit ut aegrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi

[63] *"Etude sur l'onction des infirmes dans l'Eglise latine du* 11Γ *au* ✱*i siècle,* I: *Du* in' *siècle* à *la réforme carolingienne* (Lyon 1942) 127 sq.

violentia obliviscatur, debet eum loci presbyter congruenter admonere, quatenus ad hanc spiritualem curam secundum propriae possibilitatis vires vicinos quoque presbyteros invitet" (cit. *ibid.*,*p,* 156). Hic pariter non dicitur ad quid alii presbyteri invitentur, utrum ad propriam concelebrationem, an ad meram assistentiam; hoc tamen probabile facit conformitas cum praecedentibus documentis.

Sacramentarium Gregorianum, in ritu unctionis infirmorum (addito probabiliter saec. 9-10): "In primis faciant sacerdotes asperso sale aquam benedictam, et aspergant eam cum Antiphona et Orationibus super ipsum infirmum, et super domum ejus. . . Deinde a sacerdote dicatur haec Oratio: Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es. . . Et sic *perungat infirmum* de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo et gutture, et inter scapulas, et in pectore, seu in loco ubi plus dolor imminet amplius perungatur; et supplicando, dum ungitur infirmus, dicat *unus ex sacerdotibus* hanc Orationem: . . . Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut non lateat in te spiritus immundus. . . Deinde communicet eum corpore et sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam [de] communione quam et de alio officio" (cit. *ibid.* p. 140). Hic videtur haberi peregrina quaedam concelebratio, scilicet unctio per unum sacerdotem et prolatio formae per alium, nisi dicatur omnes sacerdotes perungere sed unum ex ungentibus proferre formam (accipiendo "Perungat" pro "Perungant," vel referendo "Unus ex sacerdotibus" ad illum ipsum de quo prius dicitur: "Perungat infirmum"), ut probabile facit ipsa conformitas cum Codicibus Rhemensi et Tiliano (cf. infra, p. 792). Unde nequaquam cogens videtur sequens commentum *Menardi* in hunc locum: "Notandum ungente sacerdote formam ab alio proferri; quod favet eorum opinioni qui dicunt hunc validum esse baptismum, si uno verbo proferente alter mergat, aut aquam infundat."[84] Solent hic a pluribus auctoribus citari praecipue verba eiusdem Sacramentarii: "Multi enim sacerdotum infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis" (cit. *ibid.,* p. 141), quae tamen nullatenus ad rem faciunt, cum in eis non agatur de multitudine sacerdotum ungentium sed de consuetudine apud multos ungendi quinque sensus corporis, ut patet etiam ex ultimis verbis eiusdem loci: "Hoc enim faciunt, ut si in quinque sensus mentis et corporis aliqua macula inhaesit, hac medicina Dei sanetur."

Codex Rhemcnsis (exaratus probabiliter circa a. 800): "Unguatur

[84] *"Nolae et observationes in S. Gregorii Magni Librum Sacramentorum, ML* 78. 521. Simile commentum protulit recentius C. De Clercq, "Ordines unctionis infirmi' des ıx ct x siècles," *Ephemerides Liturgicae* 44 (1930) 112; *Ordre, Mariage, Extrême Onction* (Parisiis 1939] 158.

[infirmus] *a sacerdote, vel pluribus sacerdotibus* de oleo sanctificato, facientibus cruces singulis in dextro tempore et sinistro, non in fronte, nec in vertice *dicendo:* 'Ungo caput tuum de oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut, more militis uncti, praeparatus ad luctamen, possis aerias superare catervas" (cit. *ibid.* p. 167). Hic omnes sacerdotes dicuntur ungere; videntur pariter omnes pronuntiare formam, sed hoc explicite non significatur, imo collatis Sacramentario Gregoriano et Codice Tiliano, probabile est omnes sacerdotes unxisse sed unum tantum formam sacramentalem pronuntiasse (ut clarius constare videtur ex Codice Tiliano); in quo casu negari potest agi de concelebratione, iuxta dicenda in Conci. 3, nam sola unctio illius sacerdotis qui formam pronuntiabat, erat sacramentum, ceterae vero unctiones erant merae caeremoniae concelebrativae, additae ad solemnitatem ritus extollendam.

Codex Tilianus (exaratus saec. 9 vel 11): "Imponant manus super infirmum omnes sacerdotes, jubente, vel tantum permittente episcopo [Sequitur oratio]. . . Et sic *perungant singuli sacerdotes* infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo, et gutture, et pectore. . . Dum igitur *sacerdos* unguit infirmum, *dicat* hanc Orationem morosius *inungendo:* . . . Ungo caput tuum oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti praeparatus ad luctam, superare possis aerias catervas" (cit. *ibid.* p. 169 sq.).

Inter 29 *Ordines* latinos, a Martène editos[05] (nam 30us Ordo est ipsum Euchologium Graecorum), non pauci sunt (Ordines 1, 3, 9, 16, 23, 24) qui plures sacerdotes, ut mere assistentes seu benedicentes, orantes, psallentes, vel etiam manus imponentes, inducunt; unus vel alter hunc finem, mere assistentialem, etiam signate proponit, ita *Ordo 1:* "Dum invitati sacerdotes ad infirmum fuerint visitandi ungendique causa, qui eorum ad illud officium dignus jure censetur, induat se super humerali, alba et stola";[00] *Ordo 9* distinguit inter orationes quae dicuntur a sacerdote ungente, "aliam ab alio sacerdote dicendam" et "orationes [quae] dicuntur a singulis sacerdotibus."[07] Quinque tamen Ordines (4, 11, 12, 19, 22) referunt etiam cooperationem in ipsa unctione, repetentes supradicta verba Sacramentarii Gregoriani et Codicis Tiliani; *Ordo 4* (Turonensis, ante saec. 10 exaratus) repetit Sacramentarium Gregorianum;[08] *Ordo 11* (ex vetusto Codice Bibliothecae Regiae, circa a. 1000 exarato) refert duplicem ritum: in priori repetit Codicem Tilianum, in altero Sacramentarium Gregorianum;[09] *Ordo 12* (Salisburgensis, circa a. 1000)

"De *antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, pars 2, c. 7, a. 4 (Rotomagi 1700) 116sqq.
" *Ibid.* 116. " *Ibid.* 132.
"*Ibid.* 146, ISOsq. * *Ibid.* 157 sq., 160.

repetit Codicem Tilianum;[70] *Ordo 19* (Ex Codice Victorino, circa a. 1200) repetit eundem Codicem Tilianum;[71] *Ordo 22* (monasterii B. Mariae de Pontelevio, circa a. 1200) aliquid peculiare videtur habere, i.e. circa initium ritus refert aliquam praeviam unctionem factam a duobus vel tribus sacerdotibus ("Canantur septem psalmi cum antiphonis, duobus sacerdotibus vel tribus inungentibus infirmum"), subinde, post litanias et multas orationes, refert unctionem factam ab uno sacerdote cum hodierna forma sacramentali.[72]

Alexander ***III*** circa a. 1175 in suo responso supra citato (p. 743) declaravit "sacerdotem uno praesente clerico et etiam solum posse infirmum ungere." Ut patet ibi non agitur directe de non necessitate concelebrationis, sed generaliter de non necessitate assistentiae aliorum clericorum. Unde hoc responsum nequit assumi ut indirectum testimonium de proprie dicta concelebratione.

Waldenses (saec. 12), "sacramentum Unctionis reprobarunt . . . propter plures sacerdotes ibi necessarios" (cf. supra, p. 764 et 657). Attamen, haec impugnatio non est necessarium testimonium concelebrationis, sed potest referri ad solam assistentiam plurium sacerdotum, aliquod stipendium exigentium[73] de quo praecipue conquerebantur Waldenses, dicentes inde hoc sacramentum "tantum divitibus dari."

Constitutiones Odonis de Sully, episcopi parisiensis (a. 1196-1208): "Cum reverentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, et eos ungant sacerdotes cum magno honore et orationum celebritate quae ad hoc sunt ordinatae, et nihil penitus exigatur, sive a paupere, sive a divite: sed si quid gratis datum fuerit, gratis accipiant" *{ML* 212. 62). Inde ad summum deduci potest plures sacerdotes unctionem fecisse, non vero ipsam quoque formam pronuntiasse, seu sacramentum concelebrasse; praeterea haec verba, dicta pluraliter de omnibus sacerdotibus accurrentibus, intelligi possunt etiam distributive, ita nempe quod unus ungeret et alii aliquas ex orationibus recitarent; tandem, eadem verba intelligi etiam possunt in sensu singulari ac distributivo, ita ut significent modum quo unusquique sacerdos in genere gerere se debeat in administrando hoc sacramento, quo quidem ab eis excluditur omnis sensus concelebrationis aut concursus plurium sacerdotum.

S. *Thomas* observat: "Quia . . . hoc sacramentum perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint, et quod oratio totius ecclesiae ad effectum huius sacramenti coadiuvet. Unde lacobus dicit:

[70] *Ibid.* 167. [71] *Ibid.* 197. [72] *Ibid.* 210, 214.
[73] Cf. *Cone. Ticinense,* supra, p. 776 sq. et 6S6.

‘Inducat presbyteros Ecclesiae, et oratio fidei sanabit infirmum’. Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cuius minister existit, et cuius personam gerit” *(C. Gent.* 4. 73). Quidam, ut Martène, putant S. Doctorem loqui de concelebratione, in quo casu haec verba possent assumi ut indirectum illius testimonium; attamen, quamvis ipsa sint aliquatenus ambigua, probabilius est quod ait Billuart, S. Doctorem loqui de mera assistentia aliorum sacerdotum, ut suadet verbum “intersint,” ita ut sensus sit: Convenit ut plures deprecantes assistant, ut ita communis oratio coadiuvet ex opere operantis ad effectum quem unus solus sacerdos confert ex opere operato; si tamen unus solus adsit sacerdos, communis Ecclesiae oratio adhuc verificatur, etsi tantummodo in sola ipsa deprecativa forma sacramentali, quae influit ex opere operato, quamque sacerdos recitat in persona totius Ecclesiae. Qui sensus confirmatur ex sequenti opusculo S. Thomae olim tributo.

Opusculum apocryphum S. Thomae De Officio Sacerdotis, § De Sacramento Unctionis, explicite refert et reprobat attentatam a quibusdam concelebrationem per unctionem factam ab uno sacerdote et formam pronuntiatam ab alio: “Ille sacerdos qui inungit, debet super infirmum fundere orationem: non enim unus debet inungere et alius orationem dicere, *sicut quidam fatui sacerdotes facere consueverunt,* ut non sit divisio sacramenti, ut XXIII dist.: ‘Quorumdam’. Possunt tamen alii sacerdotes simul cum ipso sacerdote inungente et orante orare. Et debent etiam plures sacerdotes adhiberi in collatione hujus sacramenti, si fieri potest nec hic est taxatus numerus quot sacerdotes debeant interesse; quia sufficiunt duo, si plures haberi non possunt: possunt etiam communicare centum si volunt; sed quando non possunt esse plures sacerdotes, potest unus sacerdos cum scholare suo, et ex causa potest solus sacerdos illud sacramentum conferre infirmo, ut *Extra,* de verborum significatione [i.e. prefatum decretum Alexandri III].”

Exinde patet non leviter exaggerare *Menardum* et *Martène,* necnon *De Sainte-Beuve, Benedictus XIV, Kern* aliique post illos, cum simpliciter asserunt olim etiam in ecclesia latina concelebrationem fuisse in communi usu; ita Martène: “Neque vero id Orientali ecclesiae singulare extitit: Nam in Occidentali id communi usu receptum fuisse probant non solum varia Ritualia [i.e. Ordines] a nobis mox edenda et alia a Menardo vulgata [ut Codices Rhemensis et Tilianus]: sed etiam plura Sanctorum Acta”;[74] item *Kern:* “Certa extant argu-

[74] *Op. cit.* (supra, in p. 778). a. 3, n. 3, p. 113.

menta, satis antiquis temporibus multis in locis fuisse praxim, ut plures sacerdotes non solum precibus suis aegrotum adiuvarent ad obtinendum plenum effectum divini remedii, sed ut etiam simul conferrent ipsum sacramentum."[75] Ex Sacramentariis enim atque Ordinibus supra relatis (et a fortiori ex aliis testimoniis) ne unum quidem certum exemplum afferri potest unctionis simul et formae sacramentalis a pluribus pariter sacerdotibus administratae (in quo praecise propria concelebratio sacramenti consistit), etsi unctio ipsa dicatur a pluribus facta; imo, ut diximus supra (p. 778), collatis simul Sacramentario Gregoriano, Codice Rhemensi et Codice Tiliano, potius apparet unum tantum sacerdotem formam pronuntiasse eiusque proinde solam unctionem consideratam fuisse ut praecipuam ac sacramentalem, ceteras vero potius ut accessorias et mere caeremoniales. Apocryphum quidem S. Thomae testatur quorundam praxim attentandi propriam concelebrationem sacramenti ita ut unus minister poneret materiam et alius formam, sed eam transeunter despicit ut ineptam "quorundam fatuorum sacerdotum consuetudinem," quod non tam leviter dixisset si ageretur de quadam praxi consignata vel fundata in ipsis Sacramentariis et Ordinibus ecclesiarum.

Quapropter dici potest in ecclesia latina, inde ab antiquo, satis frequenter invaluisse usum ut plures sacerdotes collaborarent cum principali sacerdote (episcopo vel parocho) in administratione huius sacramenti, collaboratione nempe mere assistentiali et deprecatoria, quippe quae videbatur commendari in ipsis verbis Iacobi. Subinde vero, praecipue cum ritualis administratio per ipsos libros liturgicos determinata fuit, ad intimiorem collaborationem assistentes sacerdotes vocati sunt, ita ut non tantum communibus precibus et benedictionibus concurrerent, sed etiam quasdam orationes inter ungendum prolatas funderent, manus infirmo imponerent, imo ipsas quoque unctiones peragerent, salva tamen principalitate unctionis a praecipuo sacerdote una cum sacramentali forma peracta, qui proinde solus censebatur ipsum sacramentum conferre, non secus ac sacramentalem absolutionem et Viaticum quae simpliciter ipsi reservabantur. Ceterum facile inde, in quibusdam casibus vel locis, potuit aliquis abusus irrepere, de genere illius quem refert Apocryphum S. Thomae quique fundatur fortasse in ambiguitate verborum Sacramentarii Gregoriani (cf. supra, p. 777).

Quidquid sit de indole praefatae collaborationis, certum est eam a multis iam saeculis in ecclesia latina totaliter obsolevisse idque praecipue ex practicis rationibus, ut interim omittamus ipsam difficul-

[75] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 259.

tatem hoc sacramentum per plures ministros valide conficiendi ac consequens periculum illud nullitati exponendi, iuxta dicenda in sequenti Conci.

Benedictus XIV sequentem historicam rationem assignat: "Si porro causam investigemus cur Ecclesia Latina, quamvis etiamnum plures adesse cupiat, per unicum tamen sacerdotem velit Sacramentum administrari, quamtum ex conjecturis assequi licet, non aliam nisi hanc fuisse suspicamur: cum plures simul sacerdotes ad infirmum inungendum advocabantur, quilibet pro sua opera haud exiguam exposcebant mercedem; cui solvendae cum pauperum vires non sufficerent, ii sine extrema Unctione decedebant. Quamobrem haeretici Waldenses, seu pauperes de Lugduno, uti narrat Reinerus, ordinis Praedicatorum in opere contra eosdem circa annum 1254 exarato, inter ceteras falsas rationes propter quas Sacramentum extremae Unctionis reprobabant, hanc etiam adducebant, quia tantum divitibus datur. Curaverunt sane ecclesiarum praesules praedictam turpem sacerdotum avaritiam reprimere, severisque sanctionibus interdixerant pro sacramentali Unctione quidquam exigere. . . Verum, cum haec repagula haud sufficientia comperta sint ad compescendam sacerdotum petulantiam, visum est deliberandum ut deinceps extrema Unctio, nulla petita mercede, a solo conferretur aegrotantis parocho."[76]

Kern, citata nec probata hac Benedicti conjectura, cui tamen relativus valor negandus non est, aliam addit convenientiorem explicationem, scribens: "Verum haec conjectura [Benedicti XIV] nullis documentis historicis confirmari videtur. Videbimus quidem, sacrilega avaritia parochorum, qua sacramentum enormi pretio vendebant, factum esse, ut saeculis posterioribus medii aevi in multis regionibus Extremam Unctionem sibi comparare pauperes nequiverint, divites nisi omni spe vitae amissa noluerint. At hanc immanem impietatem sacerdotum iam illo tempore et illis in locis grassatam esse, ubi plures simul sacramentali officio fungebantur, fontes historici non produnt nec documenta, ad quae auctor operis de synodo dioecesana remittit, innuunt. Videtur potius dicendum esse, in ecclesia latina ex rationibus practicis nunquam valde diffusum fuisse morem, ut plures sacerdotes simul infirmo s. officium impertirent. Inter 32 antiquos Ordines', quos Martène collegit, tantum tres inveniuntur, qui non solum praesentiam, sed etiam sacramentalem cooperationem plurium presbyterorum prodant. Pauca etiam ab antiquis referuntur exempla administratae Extremae Unctionis per plures sacerdotes. Quare illae

76 l. 8. c. 4, n. 6, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1095 sq.

ecclesiae particulares, quae talem disciplinam observabant, vix nimium momentum ei tribuebant; in multis locis, e. gr. ruri ob defectum sacerdotum non poterat servari; casus necessitatis per se postulabant exceptiones; sacerdotes saepe aliis occupationibus fuisse impeditos, forte interdum ex defectu fervoris impedimenta praetexuisse, facile conicimus; uniformitas erga omnes aegrotos desiderabatur etc. Hinc poterat sensim praxis pluralitatis ministrorum evanescere. Quae explicatio etiam ex eo commendatur, quod nullum decretum auctoritatis ecclesiasticae extat, neque universale neque particulare, quo dicta disciplina abrogetur."[77]

Unicus certus casus concelebrationis in Ecclesia latina est casus unius sacerdotis complentis unctiones incoeptas ab altero qui in ministrando defecerit, puta paralysi vel morte correptus. Hanc praxim indirecte testatur ipsa doctrina moralistarum, eam ut validam et licitam proponens. Iam S. *Thomas* sibi proponebat sequentem obiectionem: "Unum sacramentum ab uno ministro perfici debet. Sed in aliquo casu extrema unctio non potest perfici ab uno ministro, sicut si post primam unctionem factam sacerdos moriatur; tunc enim *alius sacerdos debet ulterius procedere.* Ergo extrema unctio non est sacramentum unum." Cui respondet: "Dicendum quod quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos possit procedere ad consecrationem vini, incipiens ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam: tamen in extrema unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere, quia unctio in eadem parte facta tantum valet ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est. Nec tamen *ministrorum pluralitas* tollit unitatem huius sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri" *(Suppi.,* q. 29, a. 2, ob. 3 et ad 3). De hoc casu iterum recurret sermo infra, p. 790 sq., 795 sq.

//. QUOAD ECCLESIAM ORIENTALEM.

Apud Orientales, tam schismaticos quam catholicos, antiqua consuetudo fert ut hoc sacramentum per plures sacerdotes administretur, imo. inde a medio aevo, ipse ritualis numerus septem ministrorum adhibeatur, ex quo sacramentum nomen *ΙτταπάταΖον* derivavit. Hujusmodi concelebratio consistit non in distributione partialium unctionum inter ministros, nec in simultanea unctione et prolatione formae ab omnibus ministris, sed in successiva iteratione totius ritus per singulos

[77] *De sacramento Extremae Unctionis* (Ratisbonac 1907) 254.

(septem vel, iuxta casus, tres aut duos) ministros, ita ut unus post alium peragat omnes unctiones et pronuntiet formam ipsam sacramentalem "Pater sancte."

In *Euchologio Graecorum,* a Goar edito a. 1647, in quo exhibetur evolutus iam ac determinatus ritus quem ecclesiae orientales sequuntur saltem inde a saec. 17, tota caeremonia sive benedictionis olei (quae immediate praecedit unctionem) sive ipsius unctionis, sic describitur: "Officium Sancti Olei decantatum a septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia, aut domo." Post hunc titulum, praecedunt plurimae invocationes, orationes et cantica. "Mox primus Sacerdotum Olei benedictionem recitat coram lucerna. Sciendum in magna Ecclesia, vice aquae, vinum in lucernam oleum benedictum continentem infundi." Sequuntur varia cantica et orationes, quarum ultima effectum huius sacramenti magnifice extollit. "Et post Orationem accipit Sacerdos sanctum Oleum, et extremam unctionem suscipientem ungit, sequentem Orationem [quae est forma ipsa sacramentalis] dicens: Pater sancte. . . Haec Oratio dicitur ab unoquoque Sacerdotum postquam dixerit Evangelium et Orationem, cum videlicet infirmum oleo perungit." Sequuntur epistolae, evangelia, variae acclamationes, distributae inter septem sacerdotes. "Tum vero in medium Sacerdotum ingreditur, qui extremam unctionem suscipit, et acceptum sanctum Evangelium ponit super caput Sacerdotum praecipuus, et manus illi Sacerdotes alii imponunt: ille autem Sacerdotum praeses hanc Orationem elata voce pronunciat. . ."[78]

Quo praeciso tempore huiusmodi consuetudo ortum habuerit, non satis constat. Saltem ad saec. 9 ipsa ascendit, cum referatur in ipso antiquissimo Euchologio *Codicis Barberini* graeci 336 (saltem saec. 9, probabilius saec. 8), in quo ritus Euchelaei sic describitur, iuxta excerptum editum ab eodem Goar una cum supradicto Euchologio Graecorum: "Ordo servandus, cum pro aegrotis septem Sacerdotes advocantibus oleum sanctum vespere faciendum est. Lavatur vitrea lampas; et capacissima lampas septem libras continens impletur oleo. Et Sacerdotum unusquisque privatim sibi myxon cum Ellychnio accendendo praeparat: et vestes sacras sumit, et incipit." Sequuntur quinque orationes, ad benedicendum oleum, intra quas rubrica notat: "Et dum orationem dicit, proprium sibi ellychnium [sacerdos] accendit et signum crucis facit. . . Uno verbo unoquoque Sacerdote ita faciente, cruces tres ellychnio format, et accendit illud. . . Denique postquam singuli Sacerdotes suas orationes ordine recitaverint, terminantur

[78] Apud Goar, Εὐχολόγιο»- *sive rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 408. 413, 417. 427. Idem cuchoiogium exscribit Martène inter suos Ordines (Ordo 30), *op. cit.* (supra in p. 778) 241-256.

vigiliae sive nocturnum officium, et dicunt singuli Orationem." Ad finem huius orationis sequitur deprecatio seu forma sacramentalis "Pater sancte." Subinde brevissime describitur missa dicenda die sequenti ante ipsam unctionem infirmi. "Cuncta ordine suo peraguntur: et finitur Missa. Atque ita accedit infirmus: et incipiunt psallere modulum 'Miserere nostri, Domine, miserere'. Et ex positis superius orationibus quisque suam recitat: et ungit frontem, et aures, et manus infirmi, et singuli ellychnium, ut praemissum est, extinguunt. Post haec totam domum perungunt, signo crucis inter ungendum expresso, et canunt. 'Qui habitat in adiutorio altissimi'. et hoc pacto Missa finitur."[70]

Quidam Codices, ut *Codex graec. bibliot. Parisiensis N. 213* (Coislin), anni 1027, et *Codex Sinaiticus N. 960,* saec. 13, videntur supponere praxim iterationis Euchaelaei per septem continuos dies (cf. supra, art. 24, p. 307). *Codex Sinaiticus* .V. *973,* anni 1153, permittit ut, ob inopiam sacerdotum, duo vel tres tantum ministrent, dummodo integer ritus ab his perficiatur; ministratio tamen per unicum sacerdotem prorsus excluditur.[80] Explicita tamen lex, determinans *numerum septenarium ministrorum,* dicitur primo lata saec. 13 ab *Arsenio,* patriarcha constantinopolitano; nam *Nicephorus* II (t 1261), qui eandem sedem obtinuit inter duos Arsenii patriarchatus (1255-1260 et 1261-1267), scribit: "Pater noster, Arsenium dico Constantini egregiae urbis patriarcham, caeremoniam hanc per septem ministros fieri iussit etiamsi episcopi sint vel metropolitae; ideo preces ipse aliquando praestitit."[81] *Joannes Veccus* patriarcha, in sua fidei professione a. 1277 ad loannem XXI R.P. missa, profitetur "Extremam Unctionem, sicut et alia sacramenta; quae apud nos ἀτταπάπαδον VOCatUC."[82]

Simeon Thessalonicensis (t 1429) in suo opere *De sacro ritu Sancti Olei sive Euchelaei* (supra cit., p. 763) huius septenarii numeri momentum emphatice proposuit, assignans mysticas illius rationes, atque administrationem per unicum sacerdotem tam asseveranter exclusit ut visus sit negare ipsam illius validitatem. Cuius auctoritate commoti, idem subinde sustinere visi sunt quidam antiquiores schismatici, i.e. *Gregorius Chicnsis, Athanasius Paricnsis, A. Commcnos,*

"Apud Goar, *ibid.* 428-430. Pariter apud Martène, *ibid.* 256 sq.

v'Apud A. Dmitrievskij, *Descriptio liturgicorum manuscriptorum quae asservantur in bibliothecis Orientis separati* Irussicel, II Ευχολόγια (Kijcv 1901) 103, 517.

" Cf. itegrum textum supra in art. 1, tom. 1, p. 189. Item. Jaquemier, "L'Extrême Onction chez les Grecs," *Echos d'Oricnt* 2 (oct. 1898-oct. 1899) 197, in nota; Jugie, *Theologia dogmatica Christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* III (Parisiis 1930) 497, in nota.

wApud A. Theiner et J Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum* (Vindobonae 1872) 10.

Th. Campanias et *D. Georgopulos,* supra relati (p. 763). Ceterum, ipse Simeon Thessalonicensis notavit quaestionem de numero non esse essentialem ("Non oportet de numero disceptare, cum numerus scriptus non sit"), etsi oporteat sequi traditionem ac ideo ordinarie adhibere septem presbyteros, et in casu necessitatis, saltem tres. Idemque praescripsit *Petrus Moghila* metropolita (1633-1646) in synodo Kievensi a. 1640, etsi nihil de numero ministrorum dicat sive in suo parvo Catechismo sive in sua *Confessione Orthodoxa* Ceterum, ut dictum est supra (p. 772 sq.), maxima pars modernorum schismaticorum, post ipsos insigniores tres archiepiscopos *Metrophanem Critopulum, Ignatium* et *Macarium Bulgakov,* utut exigentes numerum septenarium pro ordinaria sacramenti administratione, explicite docent, in casu necessitatis seu inopiae sacerdotum, unum ministrum sufficere.

Ea septenaria administratio a schismaticis habetur ut vera concelebratio, ita ut ceteri ministri nequaquam habeantur ut mere caeremonialiter assistentes primo ac principali sacerdoti, sed ut vere sacramentum ipsum conficientes; imo, in casu quo unus sacerdos aut pauciores quam septem ministrant, debent explere totum ritum pariter ac si septem adessent sacerdotes, adeoque si unus ministrat, septies ungit et septies formam sacramentalem aliasque orationes profert.

Eundem ritum assumpserunt etiam alii Orientales ab Ecclesia separati, scilicet *Nestoriani* et *Monophysitae,* quod quidem ostendit illius antiquitatem. *Denzinger,* qui istorum varios ritus describit, testatur: 'Orientales septem sacerdotes regulariter huic officio impendere solent vel, si non adsint, quinque vel tres, vel si opus sit, etiam unum."[84] Item *Jugic:* "Solemnis administratio hujus sacramenti apud Monophysitas, sicut et apud Graeco-Russos, septem presbyteros requirit. Attamen, apud Coptos, unus presbyter, quando plures non adsunt, hoc sacramentum conferre potest. Apud Syros septem, aut iis deficientibus, saltem tres sacerdotes adhibendos esse praecipitur in codice Florentino a S. Evodio Assemano descripto.[85]"[80]

Eandem pariter consuetudinem servarunt ipsi *Catholici Orientales,* sive ritus graeci sive alius ritus byzantini, etsi recentius quidam, signanter Maronitae et Syri, praxim latinam adoptaverint.

u CI. A. Malvy et M. Viixer, *La Confession Orthodoxe de Pierre Moghila. Text lathi inédit* ("Orientalia Christiana," n. 39, Romae 1927), p. cxxvn.

" *Ritus Orientalium, Coptarum, Syrorum et Armenorum* I (Wirceburgi 1863) 188.

M *Ibid.* 187 sq

Theologia dogmatica Christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium \ (Parisiis 1935) 740.

Synodus Zaniostcna (Rhuthenorum) a. 1720 (tit. 3, §6): "Quamquam in Graeca Ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut septem sacerdotes, iisque deficientibus, tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc sacramentum, iique omnes et materiam subministrarent et formam proferrent, sciant autem [lege: tamen] pastores plures ea de causa adhiberi solitos sacerdotes, tum ob reverentiam ejusdem ac gratiae copiam, quam confert, tum [ut] plurium sacerdotum preces effectum sacramenti coadiuvent. Qua de causa Sancta Synodus statuendum censet, ut si septem aut tres sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiae personam gerit, ex cuius virtute hoc sacramentum perficit, illud conferat ac infirmo ministret."[87]

Synodus Libanensis (Maronitarum) a. 1736 (pars 2, cap. 8, n. 8): "Quamquam in Ecclesia Orientali receptum sit, ut septem sacerdotes iisque deficientibus tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc sacramentum, iique omnes et infirmum ungerent et verba simul proferrent, aut (quod etiam frequentius fit) unus illorum dumtaxat ungeret formamque pronuntiaret; declarandum tamen omnibus censuimus, de necessitate hujus sacramenti non requiri nisi unum sacerdotem; ubi autem plures adesse contigerit, districte praecipimus et mandamus, ut unus dumtaxat illorum inungat infirmum et verba illa, quae formae vim habent, pronuntiet; ceteri sacerdotes reliquas preces, quae ante vel post unctionem praescribuntur, inter se recitandas de more distribuant."[88]

Synodus Alba Iuliensis et Fogarasiensis (Rumenorum) a. 1872 (tit. 5, cap. 6): "Quod ministrum huiusce sacramenti attinet, Ecclesia nostra S. Apostoli lacobi verbis innixa habet in more, ut hocce sacramentum de regula per plures, nimirum per septem sacerdotes administretur, quolibet eorum formam praescriptam pronunciante atque infirmum ad normam Euchologii inungente. Hae septem successivae unctiones a pluribus, in necessitate vero etiam ab uno sacerdote peractae, non sunt sacramenti iteratio, sed ad unum eundemque finem ordinatae, moraliter tamquam unius integri partes spectantur, quae extremae unctionis sacramentum efficiunt."[89]

Synodus Sciarfensis (Syrorum) a. 1888 (cap. 5, a. 8, n. 3): "Quoad ministrum autem huius sacramenti, iuxta consuetudinem Ecclesiae orientalis in epistula lacobi apostoli innixam, quaeque apud nos

[87] *Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis* II (Friburgi Brisgoviae 1876) 37.

[88] *Ibid.* 152.

[89] S. *Congregazione Orientale. Codificazione Canonica Orientale. Fonti* [Serie I], Fascicolo X: *Disciplina Bizanlina. Rumeni,* n. 602 (Tipografia Poliglotta Vaticana 1933)

antiquitus vigebat, plures presbyteri illud conferunt, adhibendo ritum qui dicitur ordo Candelae seu lampadis. Sed hodie longo abhinc tempore apud nos mos invaluit ut hoc sacramentum conferat unus presbyter oleo ab Episcopo benedicto. Nos hunc morem in Ecclesia nostra confirmamus, utpote spiritui ritus nostri conformem."[90]

Synodus nationalis Arnienoruni a. 1911 (tit. 3, cap. 8, n. 499sq.): "Pro validitate extremam unctionem ministrat solus et quilibet sacerdos. . . Quod si plures adhibeantur ministri, solemnis verborum precatio, quibus forma continetur, simul cum unctione ab uno eodemque proferatur: neque enim unus debet ungere, alter verba proferre."[91]

Synodus Alexandrina Coptorum a. 1898 (sect. 2, c. 3, a. 6): "In ritu alexandrino septem sacerdotes dicuntur benedicere oleum infirmorum et ungere infirmum. Porro declaramus mentem patrum nostrorum non fuisse ut hic septenarius numerus sacerdotum requiratur ad validitatem ministrationis huius sacramenti, sed ad convenientiorem benedictionem olei."[92]

S. *Sedes* hanc orientalium praxim nunquam reprobavit, quinimmo per recentiora quaedam documenta eam confirmavit. *Benedictus XIII* in Constitutione "Apostolatus Officium" approbavit in forma specifica praefatam Synodum Zamostenam Ruthenorum quoad "omnia et singula in ea edita statuta, ordinationes et decreta."[03] *Benedictus XIV,* Constit. "Etsi Pastoralis," 26 maii 1742, de dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis servandis, eandem consuetudinem, pro locis ubi viget, approbavit, tantum prohibens ne unus minister ponat materiam et alius formam: "Infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema. Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo credant et asserant, illud sacramentum, servata debita materia et forma, ab uno presbytero valide et licite confici. Idem sacerdos materiam adhibere formamque pronuntiare respective debet; ac propterea qui ungit, idem dicat formam respondentem; ne alius ungat et alius formam pronuntiet."[04]

Concludendo hoc Traditionis argumentum illudque paucis constringendo, haec constant: In *ecclesia latina,* unicus certus casus concelebrationis, quem ceteroquin potius supponunt quam in factis

Synodus Sciarfensis Syrorum in Monte Libano celebrata a. 18S8 (Romae: Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1896) 123.

*' *Acta et decreta Concilii Nationalis Armenorum Romae habiti a. 1911* (Romae: Typis Polyglottis Vaticanis 1913) 249.

*n *Synodus Alexandrina Coptorum habita Cairi in Aegypto a. 1898* (Romae: Ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1899) 128.

" *Cf. Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis* II (Friburgi Brisgoviae 1876) 2 sq.

" *Ibid.* Sil.

ostendant doctores, est casus unius sacerdotis complentis unctiones inceptas ab altero qui in ministrando defecerit; quaedam antiqua ritualia (signanter Sacramentarium Gregorianum et Codices Rhemensis ac Tilianus, a quibus ceteri Ordines dependent) produnt quandam plurium sacerdotum cooperationem in ipsam materiam aut formam sacramenti, sed non certo constat eam fuisse plenam (quoad materiam simul et formam) aut importasse intentionem sacramentalis cooperationis. E converso in *ecclesia orientali,* tam dissidente quam catholica, fuit et est plena cooperatio plurium in materiam et formam, facta cum intentione sacramentali, sed tamen modo successivo, ita nempe ut unus minister post alium ponat totam materiam et totam formam; quam quidem concelebrationem S. Sedes, indirecte saltem, prout ab Orientalibus fit et intenditur, approbavit.

Totum ceteroquin hoc Traditionis argumentum satis confirmat validitatem concelebrationis, saltem generice spectatae, nam de praeciso modo quo talis concelebratio valide fieri possit aut proprie intelligi debeat, dicetur in Conci, seq.

Probatur 3. *EX RATIONE.*

Possibilitas concelebrationis sequitur ex eo quod ex una parte non repugnat quod plures sacerdotes ponant simul materiam et formam, seu duo elementa quibus sacramentum constituitur, atque intendant idem conficere sacramentum, et ex alia parte haec copulata plurium actio et intentio non opponitur unitati sacramenti, prout est causa efficax, nam haec unitas desumitur ex unitate actionis causae principalis, seu Christi, cui accidit quod per unum vel plura instrumenta seu ministros operetur, sicut pluralitas aut mutatio martellorum non tollit unitatem operationis fabri (cf. 3 p., q. 67, a. 6; q. 82, a. 2, ad 2 et 3; *Suppi.,* q. 29, a. 2, ad 3); nec praeterea opponitur ipsi significationi huius sacramenti, prout est signum spiritualis curationis per unctionem et formam deprecatoriam, nam curatio potest fieri per multos, et pariter unctio, maxime cum agatur de multiplici ac divisibili unctione, et a fortiori deprecatio, cuius vis magnifice extollitur per concursum deprecantium. Res ceteroquin confirmatur ex ipsa possibilitate concelebrationis in aliis sacramentis, ut vidimus in tractatu *De Baptismo et Confirmatione* 177-180, *De Eucharistia* I 754-769, et *De Poenitentia* IV 773-784.

Convenientia quoque concelebrationis ex iisdem radicibus consequitur, etsi aliunde diversae rationes, indolis praesertim practicae, eam limitare, et, accedente contraria consuetudine aut lege Ecclesiae, extinguere queant, saltem secluso casu necessitatis. Concelebratio quippe

convenit tum generali rationi sacramenti stricte sacerdotalis (cuius nempe minister nequit esse laicus), cum per eam apte ostendatur unitas ministrorum in sacerdotio Christi, tum peculiari rationi huius sacramenti quod, secus ac alia, admittit in sua materia pluralitatem distinctarum unctionum, inter plures ministros convenienter separabilium, et exigit in sua forma characterem deprecativum, per plurium concursum vividius significatum.

Potest etiam addi ratio specifici effectus huius sacramenti, ab ipso S. Thoma indirecte indicata, "quia [nempe] . . . hoc sacramentum perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, [ac ideo] competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint, et quod oratio totius ecclesiae ad effectum huius sacramenti coadiuvet" (C. *Gent.* 4. 73). Rationes autem symbolicae additae a quibusdam Orientalibus, signanter a Simeone Thessalonicensi (cf. supra, p. 763), ad ostendendam convenientiam ipsius numeri septenarii aut ternarii, videntur satis voluntarie confictae nec habent sacramentale fundamentum, si excipiatur ratio septenariae unctionis, a quibusdam allata, quae correspondentis numeri ministrorum convenientiam ostendit.

Ceterum, ob rationes praesertim indolis practicae quas supra probabiliter cum Kern assignavimus (p. 782), haec concelebratio, in *Ecclesia latina ac romana,* quae est arbiter convenientiae et doctor veritatis, vix unquam felicem sortem invenit aut certe numquam vim consuetudinis obtinuit, et, qua talis, per se et extra casum necessitatis, illicita[95] nunc a theologis reputatur, iuxta verba *Benedicti XIV* (Const. "Etsi Pastoralis" supra cit., p. 788) eam tantummodo permittentis "ubi huiusmodi viget consuetudo" necnon *Ritualis Romani* unicum ministrum exhibentis, etsi nulla directa lege explicite prohibita fuerit. Ceterum, etiam in *ecclesia orientali,* ipsa suum momentum amisit, cum, ob frequentem casum penuriae sacerdotum, soleat hoc sacramentum frequenter per unicum sacerdotem administrari, sive apud Schismaticos,[96] sive ac praecipue apud catholicos, quorum quidam (ut Syri et Maronitae) ordinariam praxim latinam sponte adoptarunt, aliis vero licet utram praxim adhibere.

Praefatus *casus necessitatis,* in quo apud Latinos licita est concelebratio (non tamen iuxta praedictam formam orientalem), duplex a doctoribus proponitur. Prior est incapacitas *ex parte ministri,* si nempe sacerdos in ministrando repente deficiat, puta morte vel paralysi; tunc enim alter minister ei sufficitur ad complendas reliquas unctiones ac ideo ad perficiendum idem sacramentum (cf. infra, p. 795; S.

"Probabilius sub gravi. Cf. Cappello, *op. cit.* (supra in p. 764) 87, qui addit non improbabiliter a quibusdam dici sub levi; cui consentit *Conte a Coronata.*

" Cf. Archangelskij, supra relatum in p. 764-773.

Thomas, cit. in p. 783, Suarez, Disp. 43, s. 2, n. 4 7, S. Carolus Borromeo, Busenbauni, Bonacina, Tanner, Praepositus, Maseratius, S. Alphonsus, Tanquerey, Van Noort-Verhaar, Hervé, Gougnard97). Alter est periculum *ex parte subiecti,* si nempe timetur ne ipse moriatur antequam omnes unctiones perfici queant; tunc enim possunt plures ministri adhiberi inter quos variae unctiones cum propriis particularibus formis distribuantur ac simultanée fiant (Suarez,08 Busenbaum, Bonacina, Salmanticenses, Palaus, Coninck, Sporer, Billuart, S. Alphonsus, Tanquerey, Kilker). Qui casus, etsi minus practicus sit, cum sacramentum tunc in unica unctione celerius ac omnino licite ministrari queat, non tamen impracticabilis aut inconveniens dici potest, cum unica unctio permittatur quidem sed non praescribatur (cf. Rituale Romanum, tit. 5, c. 1, n. 21) nisi pro quanto id exigat certior sacramenti collatio.

Conclusio 3. Ad proprie dictam et validam concelebrationem requiritur ut omnes et singuli ministri ponant sive materiam sive formam, saltem partialiter ct simultate saltem morali.

Probatur.

Ut dictum est supra (p. 764-767), quadruplex fingi potest concelebrationis modus. Ostendendum est primum modum esse invalidum, ac ideo non solum concelebrationem sed ipsam celebrationem sacramenti ab eo excludi, ceteros vero tres modos verificare veram et proprie dictam concelebrationem unius sacramenti, si tamen recte intelligantur.

PRIMUS MODUS, quo nempe unus minister (vel una pars ministrorum) ponat *solam materiam,* seu faciat unctionem, et alius minister (vel altera pars ministrorum) ponat *solam formam* seu recitet

"Quidam tamen pauci, ut Tanner, Praepositus et Maseratius (apud Diana), dicunt licere etiam iterare unctiones iam factas, ac si prior sacerdos nihil prorsus fecerit. Al i vero communiter (S. Carolus Borromeo, S. Alphonsus, Tanquerey, Van Noort-Verhaar. Hervé) dicunt oportere solas reliquas unctiones supplere, nisi iam amplius nequeat servari unio moralis cum unctionibus iam factis (puta si tempus unius quadrantis elapsum fuerit), in quo casu priores unctiones repetendae sunt ad sacramenti securitatem et complementum.

"“Potest hoc sacramentum a pluribus sacerdotibus simul confici; si unus ungit aures, dum alius ungit oculos, et sic de aliis . . . quia non est de essentia hujus sacramenti, quod illae unctiones successive fiant, nulla enim ratione probabili id ostendi potest. Sicut enim supra dicebamus ordinem unctionum non esse de essentia, ita videtur manifestum successionem non esse essentialem, nam par est ratio; sed unitas personae non est etiam essentialis; ergo, si illo modo ministretur sacramentum, nihil essentiale deest; erit ergo validum. Imo, si necessitas urgeat, ct mors infirmi timeatur, non videtur illicitum sic ungere, quia propter necessitatem omnia haec accidentalia praetermitti possunt. Item, quia si ob necessitatem ex parte ministri licitum est hoc sacramentum ministrari a pluribus personis, cur non ob necessitatem suscipientis, et timorem, ne subjectum et tempus deficiant?” (Disp. 43, s. 2, n. 8, *Opera omnia* XXII [ed. C. Berton, Parisiis 1866] 862.)

formulam deprecatoriam, dicendus est invalidus, adeoque nec concelebratio nec etiam celebratio sacramenti.

Primo enim, id suadent ipsa *verba Iacobi:* "Orent super eum ungentes eum"; eidem enim ministro, etiamsi pluraliter ac collective accipiatur, dicitur ut oret et ungat, seu formam et materiam applicet, imo ut oret ungendo sive ungat orando. Nec ceteroquin ulla est ratio suadens sensum distributivum.

Secundo, talis modus nullum habet fundamentum aut vestigium in *Traditione sive praxi* utriusque ecclesiae, cum tamen esset secundum se valde facilis ac practicus modus ritum ministrandi. Aliqua quidem ambiguitas invenitur in verbis Sacramentarii Gregoriani, repetitis ab Ordinibus 4 et 11 (cf. supra, p. 777, 778), quae tamen expellitur ex analogia sive conformitate cum Codicibus Rhemensi et Tiliano; ceterum, ibi non dicitur "Dum ungitur infirmus [ab uno sacerdote], dicat unus ex aliis sacerdotibus Orationem," sed "Dum ungitur infirmus, dicat unus ex sacerdotibus Orationem," adeoque ad summum sequitur omnes unxisse et nonnisi unum formam protulisse, ex quo non probatur ceteros sacerdotes, ungentes sine formae prolatione, id fecisse ex intentione conficiendi sacramentum potiusquam ex mera assistentia caeremoniali, rem ceteroquin exequentes iuxta ritum et intentionem Ecclesiae. *Apocryphum Opusculum S. Thomae* (supra cit., p. 780) refert quidem "quosdam fatuos sacerdotes consuevisse" ita ministrare ut unus inungeret et alius formam proferret, sed ex hoc ipso despectu ostendit quae esset mens sacerdotum qui traditionalem sensum intelligebant et applicabant.

Tertio, Benedictus XIV in Constit. "Etsi Pastoralis" (supra cit., 788) explicite talem modum conficiendi reprobat. Nec dici potest S. Pontificem excludere solam rei liceitatem, nam totus contextus videtur implicare ipsam quoque invaliditatem; dicitur enim non referre utrum sacramentum per unum an plures ministros conferatur dummodo "servetur debita materia et forma," et, veluti ad hoc explicandum, immediate subiungitur eundem sacerdotem debere materiam et formam applicare nec "alium ungere et alium formam pronuntiare." Idem confirmatur ex suprarelatis (p. 787 sq.) synodis orientalibus *Zamostena, Libanensi, Alba Juliensi* et *Armena* (quarum communem praxim in Constit. "Etsi Pastoralis," ad Italo-Graecos directa, Benedictus XIV confirmat); manifeste enim dicunt vel supponunt materiam et formam ab eodem ministro poni debere.

Quarto, id confirmatur ex longe communiori *consensu theologorum* qui, inde a S. *Thoma* (3 p., q. 67, a. 6), talem modum conficiendi ab

omni sacramento generaliter excludunt. Praefatum *Apocryphum S. Thomae* contrarie sentientes "fatuos" appellat. *Suarez,* obiectis sibi praecipuis rationibus quae pro contraria sententia, praecipue quod attinet ad hoc sacramentum, adduci possunt, eas vocat "conjecturas nullius momenti."

Quinto, ex ipsa *ratione theologica* res ostenditur.

Et primo *ex unitate sacramenti.* Nam omne sacramentum est formaliter unum, adeoque formaliter una actio, etsi materialiter coalescat ex materia et forma vel, si placet, ex duabus actionibus, puta ex unctione et prolatione verborum. lamvero una actio nequit poni a pluribus agentibus, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium. Ergo omne sacramentum nequit poni nisi ab uno agente seu ministro, applicante sive materiam sive formam ad modum unius, ita ut si unus poneret materiam et alter formam, neuter poneret sacramentum; unus quidem poneret actionem ablutivam et alter actionem pronunciativam formulae Trinitariae, sed neuter poneret actionem sacramentalem baptizativam seu sacramentum Baptismi, unus quidem poneret actionem unctivam et alter actionem deprecativam, sed neuter poneret actionem sacramentalem in qua Extrema Unctio consistit. Ad rem S. *Thomas:* "Integritas baptismi consistit in forma verborum et in usu materiae. Et ideo neque ille qui tantum verba profert baptizat, neque ille qui immergit. Et ideo si unus verba proferat et alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens" (3 p., q. 67, a. 6, ad 3). "Plures simul non possunt unum baptizare, quia actus multiplicantur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic si convenirent duo quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, et alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba et alio exercente actum" (3 p., q. 66, a. 5, ad 4).

Nec valet opponere exemplum sive *Poenitentiae,* cuius materia ponitur a subiecto, forma vero a ministro, sive *Matrimonii,* cuius materia et forma, partialiter saltem, ponuntur a diversis. Nam, praetermissa peculiari natura horum sacramentorum quae non proprie consistunt in usu alicuius extrinsecae materiae subiecto applicatae, sed in ipsis humanis actibus subiecti seu in horum veluti sacramentali tractatione et elevatione per actum ministri proferentis formam, adhuc in eis essentialiter verificatur unitas ministri, seu agentis ponentis sive formam sive etiam materiam. Nam actus poenitentis sunt materia sacramenti non prout formaliter procedunt a poenitente sed prout, postquam ordine naturae processerunt a poenitente, veluti tractantur a sacerdote et elevantur ad rationem sacramentalem per

verborum absolutionis informationem, ac propterea nemo dicet subiectum esse partialiter ministrum huius sacramenti;00 pariter in Matrimonio formaliter loquendo sive materia sive forma ponitur ab uno ministro, qui, iuxta propriam indolem contractus, est uterque contrahens prout coalescit in unum agens, ponens unam bilateralem acceptationem, qua tractatur, informatur, et ad sacramentalem rationem elevatur, bilateralis utriusque traditio in qua ipsa materia sive contractus sive sacramenti consistit.

Secundo, id sequitur *ex ipsa significatione sacramenti* quae in verbis formae manifestatur. Veritas enim formae sacramentalis non salvaretur si minister qui eam pronuntiat, ipsam materiam non applicaret. Etenim omnis forma sacramentalis (praeter formam sacramenti Eucharistiae quod non consistit in usu sed in re permanenti) significat, formaliter vel aequivalenter, applicationem materiae fieri ab ipso dicente, nam qui ponit formam, ipse est qui ponit sacramentum a forma specificatum, et sacramentum nihil aliud est quam ipsa applicatio materiae sub forma verborum. Id autem formaliter significatur in formis indicativis: Ego te baptizo, Ego te ungo, quarum veritas manifeste non salvatur si alius abluit vel ungit (cf. 3 p., q. 67, a. 6 ad 3), aequivalenter vero significatur in formis deprecativis: Baptizetur servus Dei, Ungaris, Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quae aequivalent istis: Baptizetur a me, Ungaris a me, Per istam meam unctionem indulgeat tibi Dominus.

Ex quo manet solutus scrupulus paucorum illorum modernorum (cf. supra p. 764 sq.), qui distinguunt inter formas indicativas et formas deprecativas, dicentes quod si adhibeatur forma indicativa, nequit alius minister facere unctionem, potest vero si proferatur forma deprecativa. Cuius distinctionis ineptitude patet etiam ex eo quod inde sequeretur tum formam eiusdem sacramenti posse assumere duplicem diversum sensum, cum tamen unius sacramenti unam et eandem semper formam esse oporteat, tum Baptismum quoque posse sub forma deprecativa ita administrari ut alter minister ponat materiam.

SECUNDUS MODUS concelcbrationis, quo nempe *unus minister ponat tantum unam partialem unctionem* cum propria particulari forma et alter minister ponat tantum aliam partialem unctionem cum propria forma particulari (qui quidem modus multipliciter cogitari potest iuxta numerum unctionum et ministrorum, ut dictum est supra, p. 765, dummodo unusquisque minister ponat simul materiam et correspondentem formam), certe validus est, nemine ceteroquin

* Cf. tractatum *De Poenitentia* I 195–197.

refragante, ct veram concelebrationem constituit, etsi tantum diminutam ac partialem, cum unusquisque minister, singillatim consideratus, non ponat sacramentum nisi partialiter. Quae quidem *partialis (oncelebratio* est propria et singularis huic sacramento, ratione peculiaris eius essentiae, quae in multiplicitate partium consistere potest, etsi unaquaeque non sit proprie partiale sacramentum nec particularem habeat efficaciam et effectum, ut accidit e contrario duabus partialibus ac distinctis speciebus in sacramento Eucharistiae.

Res ostenditur imprimis *ex ipsa ratione sacramenti* eiusque significationis per formam expressae. Nam unusquisque minister ponit sive materiam sive formam sacramenti, et significatio formae in unoquoque verificatur. Nec obstat quod id fiat tantum partialiter ab unoquoque; nam est de propria ac peculiari natura huius sacramenti quod per partiales unctiones et formas constitui ac significari possit, et ceteroquin omnes ministri constituunt formaliter unum totalem ministrum, quemadmodum et ipsae partiales unctiones et formae constituunt formaliter unam totalem unctionem et formam sacramentalem, seu unum sacramentum. Exinde evacuatur una difficultas quae contra possibilitatem concelebrationis in genere afferri solet, ex pluralitate scilicet causarum concurrentium in eundem effectum: nam hic non solum agitur de causis instrumentalibus, agentibus sub unica causa principali (quod sufficit ad diluendam illam difficultatem), sed etiam de instrumentis partialibus ex quibus unicum instrumentum resultat. Pariter altera difficultas, quae contra concelebrationem petitur ex practica impossibilitate simul absolvendi sacramentum per plures ministros, hic totaliter eliminatur, dempto ipso supposito; nam in hoc celebrandi modo nequaquam requiritur ut ministri simul ponant et absolvant particulares unctiones et formas, cum sacramentum necessario absolvatur ac perficiatur per ultimam particularem unctionem et formam, positam ab uno solo ministro.

Praeterea, res ostenditur *ex necessitate perficiendi per alium ministrum reliquas unctiones* in casu quo sacerdos, qui solus sacramentum incoeperit, deficiat, puta per mortem vel paralysim. In hoc enim casu confectio sacramenti nequit explicari nisi per praedictam partialem concelebrationem, ex quo sequitur hanc esse validam etiam extra casum necessitatis, cum necessitas nequeat naturam rei immutare aut esse conditionem validitatis. Praedicta autem necessitas complendi unctiones admittitur communiter a theologis post S. Thomam, Suaresium et S. Alphonsum (cf. supra, p. 790 sq.), et probatur ex eo ipso quod in prima unctione iam incoeptum est sacramentum quod

propterea indiget compleri, sicut oportet alium sacerdotem complere sacramentum Eucharistiae per secundam consecrationem, si celebrans deficiat post primam.

Nec valet in contrarium arguere a disparitate inter utrumque sacramentum, quia nempe prima consecratio aliquem effectum habet transubstantiando propriam materiam panis ante secundam consecrationem, dum prima unctio nullum confert sacramentalem effectum antequam omnes unctiones perficiantur. Nam, concessa hac disparitate, manet paritas in eo quod etiam in prima unctione vere inchoatum est sacramentum (ut patet ex eo quod si primus sacerdos reliquas unctiones consummasset, sacramentum compleretur ac constitueretur etiam ex prima unctione, quae proinde secundum seipsam est valida pars sacramenti), vere incoepta est significatio sacramentalis per signum sensibile exprimi et vere ipsum subiectum coeptum est per sacramentum veluti consecrari et disponi ad suscipiendum effectum sacramenti, quamvis hunc ipsum nequidem partialiter susceperit, quippe qui nonnisi indivisibiliter et instantanée ab ipso sacramento, in esse perfecto ac constituto, conferri queat; propterea, ut ait S. Thomas, sacerdos supplens defectum alterius in Extrema Unctione "non potest a capite incipere, sed debet semper procedere, quia unctio in eadem parte facta tantum valet ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est" *(Szippl.,* q. 29, a. 2, ad 3).

Nec etiam valet obicere a paritate cum verbis unius consecrationis (puta sanguinis) quae, si abrumpantur per mortem celebrantis, nequaquam indigent aut possunt compleri per alium sacerdotem qui e converso debet totam formam repetere. Etenim, ut notat *Suarez,* "non est simile; nam illa verba inchoata non habent completam significationem, etiam partialem, unde etiam in fieri nondum conficiunt partiale sacramentum, nec aliquid confectum relinquunt; in praesenti autem partialis unctio cum sua forma jam habent suam integritatem suumque complementum in esse sacramenti partialis, quia jam habent suam significationem completam, et ideo quoad illam partem vere relinquunt sacramentum confectum;[1] similitudo autem procederet, si sacerdos inchoasset, vel fecisset aliquam unctionem, non tamen perfecisset formam ad illam pertinentem; tunc enim talis unctio et forma ejus omnino iteranda esset, quia perfecta non fuit."[2]

TERTIUS MODUS concelebrationis, quo nempe omnes et singuli ministri ponant *integram materiam ct jortnam,* faciendo omnes unc-

[1] Haec tamen intcllige ad tramitem dictorum supra in art. 5, tom. 1, p. 467 sq., 471-473; cf. art. 19, hic, p. 245.

[2] In 3 p., q. 84 sqq., disp. 43, s. 2, n. 7, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis; Vivès 1866) 862.

tiones et proferendo formas correspondentes, et ita quidem ut omnes *simul sacramentum absolvant,* pariter validus est, non secus ac in Baptismo, Eucharistia et Poenitentia.[3]

Id patet ex eo quod ex una parte nihil desideratur ex requisitis ad validitatem sacramenti in unoquoque ministro, cum unusquisque ponat sive materiam sive formam, sive intentionem conficiendi, et ex alia parte omnes simul absolvunt ritum sacramentalem, qui proinde nec dici potest ab uno potius quam ab alio confici, nec e converso dicit potest multiplicari iuxta numerum ministrorum (ex quo excluderetur proprie dicta concelebratio, seu eiusdem individui sacramenti celebratio per plures ministros), nam, praetermisso quod de facto hoc sacramentum non potest multiplicari seu iterari in eodem subiecto durante eodem periculo mortis, omnes unctiones et formae, etsi materialiter plures, unificantur in eodem subiecto quod ungitur et concurrunt in unicam significationem et causalitatem, seu in unum signum gratiae actualiter collatae et in unum totale instrumentum gratiae, resultans ex pluribus partialibus instrumentis, per quae operatur unica virtus Christi agentis principalis, adeoque in unum sacramentum, quod nihil aliud est quam signum et causa gratiae.

Si quid huic concelebrationi obstaret, esset vel speculativa impossibilitas eiusdem effectus causati a pluribus causis, at haec impossibilitas excluditur a ratione causae instrumentalis, nam non repugnat plures causas instrumentales concurrere ad eundem effectum sub unica causa principali, cum non operentur nisi ex virtute istius, ut supra dictum est (p. 789); vel practica impossibilitas ut plures ministri absolvant sacramentum sive formam sacramentalem in eodem prorsus instanti (cum sacramentum in instanti constituatur et instantanée operetur), nam id, etsi non tam facile, tamen impossibile non est, praecipue si agatur de duobus vel paucis ministris et si sacramentum in unica unctione aut simpliciori ritu conferatur.

Ceterum, in hoc sacramento ea difficultas, proveniens ex pluralitate ministrorum, non multum augetur ex pluralitate unctionum quae ipsi est propria. Varii enim modi huiusmodi concelebrationis cogitari queunt: Possunt enim omnes ministri simul facere unicam unctionem et simul dicere ac absolvere unicam formam generalem ("Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti"); item, possunt eandem unicam unctionem facere successive et postea omnes simul dicere eandem generalem formam; item possunt omnes et singuli simul aut successive facere omnes et singulas unctiones particulares, ita tamen ut simul absolvant formam particularem in unaquaque unctione.

[3] Cf. tractatus *Dr Baptismo et Confirmatione* 178 sq.; *De Eucharistia* I 759, 768 sq.; *De Poenitentia* IV 775-782.

QUARTUS MODUS concelebrationis, consistit in eo quod omnes et singuli ministri ponant quidem *integram materiam et formam* (seu omnes unctiones cum suis formis partialibus, vel, puta in casu necessitatis, unicam unctionem cum forma generali) sed *successive,* ita nempe ut, unus post alium, totum ritum ponat vel saltem absolvat, ut de facto fit apud Orientales, apud quos unus minister incipit et absolvit totum ritum seu omnes unctiones, postquam alius illuni posuit et absolvit.[4]

Ut dictum est supra, hic modus concelebrationis negatur a pluribus theologis, vel quia dicunt solam celebrationem primi ministri esse validam ac sacramentalem (adeoque ceteros non concelebrare quia non celebrant), vel quia sustinent singulos ministros celebrare distinctum sacramentum (adeoque eos celebrare, non tamen proprie concelebrare, sed potius sacramentum intra breve tempus pluries iterare). Haec secunda opinio excluditur ex ipsa initerabilitate huius sacramenti in eodem periculo mortis, quam probavimus in art. 24. Prior vero opinio satis dura et minus probabilis videtur, nam ipsae supracitatae (p. 787 sq.) synodi catholicorum Orientalium. *Zamostena* nempe, *Libanensis, Alba Julicnsis, Sciarfensis* et *Armena,* quarum duae priores sub forma specifica a S. Sede approbatae sunt, necnon ipse *Benedictus XIV* (cit. in p. 788), clare significant omnes et singulos ministros concurrere sacramentaliter, seu ponere ipsam materiam et formam sacramentalem, adeoque sacramentum vere concelebrare.

Relinquitur ergo ut possibilitas talis modi concelebrationis tanquam probabilior affirmetur. Quod autem attinet ad eius explicationem, duplex via aperta manet: Vel nempe dicendum est singulos *ministros habere intentionem* ut sacramentum tunc secundum se absolvatur et operetur cum omnes ministri suum ritum absolverint: attamen, hanc explicationem, allatam a quibusdam in quaestione de concelebratione eucharistica et ceteroquin applicabilem omnibus sacramentis, reiecimus in tractatu *De Eucharistia I* 763-766, quoniam, cum verba sacramentalia sint essentialiter practica, nequeunt sacramentum non complere et effectum significatum non producere, statim ac proferuntur, nec ideo valet intentio ministri id ullatenus impedire aut suspendere. Vel dicendum est id esse huic sacramento proprium ac singulare ut *possit coalescere non solum ex partialibus sed etiam cx totalibus materiis ct formis, pluries repetitis, idque provenire ex ipsa peculiari deprecativa indole hujus sacramenti,* in ipsa eius forma

[4] Diximus "vel saltem absolvat" quia res ita etiam disponi possent ut unus post alium ministri faciant primam unctionem cum forma, deinde eodem modo faciant secundam unctionem, deinde tertiam et ita porro.

expressa, quoniam congruit naturae deprecationis ut, sicut per plures orantes, sic etiam pluries fiat aut per plures actiones et momenta protrahatur. Ex quo datur intelligi plures deprecativas unctiones, utut totali ritu administratas, posse coalescere in unam specifice ac integram unctionem, cuius materia sit ipsa unctio ut pluries repetita, et forma sit ipsa formula deprecatoria pariter ut pluries repetita, ad modum unius protractae deprecationis. Quam explicationem amplius illustravimus in art. 24 (p. 310-315).

ART. 36. Quomodo Hoc Sacramentum Licite Ac Rite Administretur.·'|

Exponitur.

Speciali consideratione digna videntur plura quae ad licitam et rectam huius sacramenti administrationem referuntur, quaeque sub triplici capite colligi possunt, scilicet: de ministro licito, de obligatione ministrandi, de modo ministrandi.

'Huc facit bibliographia relata in variis locis huius tractatus ad quos remittimus infra, in p. 810sq., peculiariter ca quae refertur ad apparenter mortuos (p. 451 sq.), infirmos (p. 532 sq., 578 sq.) et indignos seu impoenitentes ct acatholicos (695). Unde dabimus hic brevem tantum elenchum operum, praecipue eorum quae magis proxime ad hunc articulum referuntur.

Alphonsus Liguori, *Theologia moralis* (ed. L. Gaude, Romae 1909) III 734 sq., 738 sq
Anonymus, "L'administration de l'Extrême-Onction," *L'Ami du Clergé* 54 (1937) 241-246.
Barry, R. D., "The Case of Those Who Are Unconscious," *The Clergy Review* (1932) 206-218.
Benedictus XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 4, n. 7; I. 13, c. 19, n. 8-11, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXV (Parisiis 1841) 1096, 1522–1524.
Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 193-199.
Gënicot, E.-Salsmans, I., *Institutiones theologiae moralis* (cd. 10, post Codicem 3, Bruxellis 1922) 21, 109, 390.
Gougnard, A., *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mcchliniac 1938) 52-58, 74-77.
Janssens de Bisthoven, B., *"Ordo ministrandi sacramentum extremae unctionis," Collationes Brugenses* 48 (1952) 119-121.
Kilker, A. J., *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 92-119, 284-297.
Koerperich, G., "De ministro Extremae Unctionis," *Collationes Namurcenses* 29 (1935) 354-357.
Michaud, IL, "La mort apparente ct l'administration des sacrements," *Revue Apologétique* 63 (1936) 280-297.
Noldin, H.-Schmitt, A., *Summa theologiae moralis* (cd. 26, Oeniponte 1940) 29-31, 454-156.
Statkus, F. J., *The Minister of the Last Sacraments,* Washington 1951.
Suarez, In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 44, s. 2 sq., *Opera omnia* XXII (cd. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 868–878.
Van Grinsven, M., "Tocdicning der sacramentcm bij een autoongeluk," *Nederlandsch Kalholicke Stemmen* 27 (1927) 119-122.
Verhamme, A., "De ministro Extremae Unctionis," *Collationes Brugenses* 46 (1950) 192-194; "De obligatione ministrandi Extremam Unctionem," *ibid.* 47 (1951) 67-72.

I. DE MINISTRO LICITO.

1. *Ante saec. 13 mdla erat proprie dicta reservatio* administrationis huius sacramenti, etsi frequenter urgeretur obligatio pastorum illud suis subditis procurandi, ut constat ex frequentibus statutis episcoporum et synodorum citatis in art. 1, tom. 1 (p. 131 sqq.), nominatim Statutis S. Sonnatii (p. 131), Statutis S. Bonifacii (p. 145), Poenitentiali Egberti Eboracensis (p. 146), Capitularibus Caroli Magni (p. 147), Capitulis Gerbaudi Leodiensis, Rodulphi Bituricensis, Hincmari Rhemensis et Herardi Turonensis (p. 147, 154, 155), Conciliis Aquisgranense et Ticinense (p. 156).

Saec. 13 fieri coepit in variis dioecesibus reservatio huius sacramenti pastori sive parocho infirmi, nulla tamen interveniente universali Ecclesiae lege, de genere illius qua Cone. Lateranense IV reservavit annuam confessionem "proprio sacerdoti" *(Denz.* 437). Subinde tamen, generalis ipsa consuetudo, pedetemptim introducta et particularibus decretis confirmata, vim universalis legis obtinuit quam tardius confirmarunt *Leo X* in Cone. Later. V (Const. "Dum intra" 19 dec. 1516) et *Innocentius X* (Constit. "Cum sicut" 14 maii 1648), urgentes iura parochorum. Hinc *Catechismus Cone. Trid.* de generali Ecclesiae decreto, tanquam de re certa et omnibus nota, loquitur, asserens: "Neque tamen ex sanctae Ecclesiae decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui jurisdictionem habeat, sive alteri cui ille ejus muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet" (p. 2, c. 6, q. 13). Praeterea, ad vindicandum ius parochorum contra indebitas religiosorum usurpationes, olim statuta fuit excommunicatio latae sententiae, S. Pontifici simpliciter reservata, contra religiosos* praesumentes clericos aut laicos inungere extra casum necessitatis absque parochi licentia (cf. Clementinam, Religiosi 1, de privilegiis, § 1), quam subinde confirmavit Pius IX in sua Constitutione "Apostolicae Sedis" 12 oct. 1869, sed novus Codex I. C. abstulit.

Caeterum, ius parochorum duplici modo, pro utilitate infirmorum, limitari intelligebatur: Primo nempe, in casu necessitatis, cum pastor absit vel rogatus deneget licentiam irrationabiliter; in quo casu, si absit pastor, alius sacerdos rationabiliter licentiam praesumit, si vero pastor nolit, sacerdos excusatur ab obligatione petendi licentiam vel praesumit licentiam episcopi aut saltem R. Pontificis, quia, ut ait Suarez, "non est verisimile velle Ecclesiam in eo casu privare infirmum tam utili remedio, nec favere iniquitati et iniuriae proprii pastoris,

* Suarez (Disp. 44, s. 2, n. 4) recte contra Soto et alios ostendit eam excommunicationem latam fuisse in solos religiosos, non vero in omnes sacerdotes non parochos.

aut tam rigorosum ius ei tribuere contra spiritualem salutem fidelium."[7] Secundo, in causa religiosorum quorum superiores censebantur posse suis subditis sacramenta necessitatis, Viaticum nempe et Extremam Unctionem, ministrare.[8]

Haec doctorum interpretatio fundabatur etiam in quibusdam explicitis concessionibus in favorem aliquorum religiosorum ordinum; notabile est privilegium a Pio V a. 1567 concessum Theatinis ut non modo sodalibus sed etiam operariis et hospitibus eiusdem congregationis, possent hoc sacramentum conferre; quod tamen privilegium ad solos sodales subinde coarctavit Gregorius XIII a. 1573 et 1580.

De limitatione huius iuris religiosorum usque ad Codicem, scribit *Cappello:* "Ante Codicem solus Praelatus regularis et Superior congregationis clericalis exemptae suis subditis sacramentum hoc ministrare poterat, et quidem in propria domo religiosa dumtaxat; extra eandem, proprio aegrotantis Superiori non licebat ministrare subdito sacramentum sine licentia illius qui in loco habebat iurisdictionem, scii, vel parochi, si in domo privata aut congregationis non exemptae infirmus degebat, vel Superioris si in altero monasterio. Sodales religionis clericalis non exemptae itemque religionis cuiuslibet laicalis. salvo peculiari privilegio, iuri communi fidelium obnoxii erant quoad extremam unctionem et Viaticum.0"[10]

Codex I. C. praecedentem praxim et decreta Ecclesiae, sequenti modo sancivit ac determinavit. *Can. 938, § 2* (quem reproducit Rituale Romanum, tit. 5, c. 1, n. 6): "Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514. §§ 1-3, minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest." Canones 397 et 514, qui hic referuntur, agunt de peculiari facultate dignitatum capitularium et religiosorum. *Can. 397, n. 3:* "Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est . . . [episcopo] decumbenti ministrare Sacramenta; defuncto iusta funebria persolvere." *Can. 514, §§ 1-3:* "In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae

[7] *Ibid.,* n. 3. Cf. Benedictum XIV, *De synodo dioecesana,* l. 8, c. 4, n. 7; S. Alphonsum. n. 722 sq. qui notat: "Sixtus IV (apud Pittonium) concessit regularibus dare Eucharistiam et Extremam Unctionem suis pocnitcntibus, si parochus injuste ea negaverit vel malitiose distulerit."

[8] Cf. *Busenbaum* apud S. Alphonsum, *loc. cit.*

[9] Cf. Vermeersch, *De religiosis institutis et personis,* I, nn. 462 ss., 485.

[10] *Tractatus canonico-inoralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (ed. 2, Taurini 1942) 82.

valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi. In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit. In alia religione laicali hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam can. 464, § 2." Praeterea, can. 1368, generaliter devolvit "parochi officium. . . Seminarii rectori ciusve delegato," cui proinde competit hoc sacramentum omnibus qui in Seminario degunt, ministrare.[11]

Apud *Orientales* idem ius viget, generaliter loquendo, quod attinet ad ordinarium ministrum huius sacramenti. Talis nempe est solus pastor animarum in sua quisque paroecia sive limite iurisdictionis (nam notio paroeciae in ecclesia orientali differt ab ea quae viget in ecclesia latina); ceteri vero sacerdotes ministrare possunt ex expressa vel tacita licentia pastoris, seu Ordinarii loci vel parochi. Ita disponunt varia concilia provincialia, vel nationalia, uti Synodus Libanensis Maronitarum a. 1736 et Concilium nationale Armenorum a. 1911, de quibus supra (p. 787 sq.).

2. *Circa gravitatem transgrediendi talem reservationem,* seu sacramentum absque debita licentia ministrandi, non concordant theologi morales; quidam, ut Kilker, dicunt id esse grave peccatum, utpote laesionem iuris pastoris in re gravi, quod etiam indirecte suaderi potest ex olim lata in transgressores religiosos gravi excommunicatione, S. Sedi reservata; alii vero putant id esse leve, ita *Cappello* scribens: "Sententia, quae tenet leviter peccare sacerdotem qui, secluso scandalo aut contemptu, una aliave vice conferat extremam unctionem sine debita licentia, probabilior est."[12]

3. *De illiceitate concelebrationis,* seu administrationis per plures ministros, in ecclesia latina et extra casum necessitatis, dictum est supra, p. 790 sq., 795 sq.

4. *Quoad liceitatem,* vel secus, sacramentum ministrandi *fidelibus diversi ritus* (scilicet latini vel orientalis) nulla est peculiaris difficultas. Extra casum nempe necessitatis illicitum est (etsi validum, ut diximus in art. 3, tom. 1, p. 385), in casu vero necessitatis non solum licet sed oportet: debet tamen sacerdos uti proprio oleo et proprio ritu; nisi iterum ratio necessitatis aliud exigat.

[10] Horum canonum commentarium vide apud Canonistas et Moralistas, v.R. Cappello, *ibid.* 90-92; Kilker, *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 92-191; quoad religiosos vero, T Schaefer, *De Religiosis* (ed. 4, Romae 1947) 285-289.

[11] Cappello, *ibid.* 92.

II DE OBLIGATIONE MINISTRANDI.

1. *SUBIECTUM ET SPECIES OBLIGATIONIS.*

Ipse *Codex I. C.*, can. 939 (quem repetit *Rituale Romanum,* tit. 5, c. 1, n. 7), colligens sensum decretorum S. Sedis[13] necnon communem et constantem theologorum sententiam, sive subiectum sive species huius obligationis concinne tradit: "Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex charitate quilibet sacerdos."

"Minister ordinarius," quem haec obligatio constringit, est omnis qui ex officio curam animarum gerit, adeoque episcopus, parochus (can. 938, n. 2) et omnis qui in ea cura parocho aequiparatur vel accensetur ab ipso Codice, scilicet dignior inter capitulares in casu episcopi aegrotantis (can. 397, n. 3), superior religionis clericalis (can. 514, § 1), ordinarius confessarius monialium vel eius vices gerens (can. 514, §2), rector Seminarii (can. 1368), rector aut cappellanus cuiuslibet domus seu communitatis (domus religiosae, domus piae societatis, collegii, hospitalis) quae ab episcopo, et a fortiori a S. Sede, fuerit a iurisdictione parochi exempta (ad normam can. 464, § 2). Etiam vicarii parochorum in hac re parochis assimilantur, si agatur de vicario actuali (cf. can. 471), vicario oeconomo, vicario substituto, et vicario adiutore qui forte in omnibus suppleat parochi vicem (ad normam c. 472, n. 2, vel. can. 475, § 2). De ceteris vicariis adiutoribus disputatur, resque ceteroquin pendere videtur a modo quo huiusmodi vicarius in variis casibus vel locis constituitur, nam "ejus iura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione desumuntur" (can. 476, §6).

"Ex iustitia tenetur" ordinarius minister, quia eius obligatio fundatur in officio; ex hoc enim oriuntur iura et correspondentes obligationes eiusdem ordinis iustitiae. Nec valet obicere pastorem non teneri ad ministranda omnia media utilia ad salutem, qualis est Extrema Unctio, sed tantum necessaria, secus intolerabile onus ei imponeretur; nam pastor tenetur praebere omnia media ordinaria (ex quo excluditur ratio intolerabilis oneris), sive sint necessaria, sive mere utilia, et ceteroquin hoc sacramentum est necessarium ad salutem, etsi non stricte sed moraliter tantum.

"Per seipsum vel per alium administrare" tenetur minister ordinarius. Quidam dicunt parochum teneri per seipsum sacramentum ministrare "si aegrotus postulet ministerium ipsius parochi ob peculiares rationes" (ita *Cappello),* "nisi gravioribus negotiis impediatur"

[13] Cf. notam ad hunc canonem in ipso Codice.

(addit *Noldin-Schmitt).* Alii vero, ut *Génicot-Salsmans, Ferreres, Kilker,* talem obligationem negant cum nec contineatur in littera Codicis ("Per seipsum vel per alium") nec sequatur ex ipsa natura officii, quod quidem iam advertebat *Suarez,* scribens: "Parochus si habeat vicarium sufficientem, non tenetur per seipsum ministrare sacramenta; quia satis est tunc sufficienter succurrere necessitati ovium. Unde etiam cogendus non est in conscientia, ut personaliter sit intra locum peste infectum, si revera habet ibi sufficientem vicarium, quamvis absolute non possit curam suae parochiae deserere, sed debeat proxime adesse et animo ac sollicitudine nunquam deesse ovibus."[14]

"In casu necessitatis ex charitate quilibet sacerdos" tenetur. Casus necessitatis est absentia ministri ordinarii, copulata cum ipsa magna utilitate seu morali necessitate huius sacramenti. Obligatio non est ex iustitia, quia non fundatur in aliquo officio seu iuridico ligamine sacerdotis cum aegroto, sed ex charitate, quia haec virtus obligat quemquam ad succurrendum proximo in gravi necessitate constituto.

De obligatione tamen conferendi sacramentum ubi sit dubium de existentia periculi mortis, vel ubi agatur de acatholicis et impoenitentibus, non constat, etsi liceat sacramentum sub conditione conferre, ut dictum est in p. 673 sq., 710-712, 730-732.

2. *GRAVITAS OBLIGATIONIS.*

Obligatio iustitiae in ministro ordinario urget *sub gravi,* saltem per se, i.e. nisi excuset iusta et gravis causa seu grave incommodum, nam agitur de materia gravi, i.e. de bono valde utili et moraliter necessario ad salutem, ad quod aegrotus ius habet. De hoc nulla est disputatio inter doctores.

Controvertitur vero an haec gravis obligatio urgeat non solum per se sed etiam simpliciter et in omni casu, ita ut pastor teneatur hoc sacramentum ministrare etiam *cum periculo mortis* (puta in casu morbi contagiosi, qui importet pro ministro probabile periculum mortis), sicut, iuxta communiorem saltem sententiam, tenetur administrare duo sacramenta strictae necessitatis, scilicet Baptismum et Poenitentiam.[15]

Quidam praesertim inter antiquiores simpliciter *affirmant,* nullam distinctionem afferentes inter praedicta necessitatis sacramenta (Baptismum et Poenitentiam) et caetera (nominatim Viaticum et Extremam

[14] In 3 p., q. 84 sqq., Disp. 44, s. 3, n. 12, *Opera omnia* XXII (ed. C. Berton, Parisiis: Vivès 1866) 874.

[15] Ceterum etiam de his sacramentis disputatur, excepto casu quo moraliter timetur aeterna damnatio proximi, si absque his sacramentis moriatur. Cf. apud Suarez, *ibid.,* n. 1-6, et n. 13–IS, p. 870-872 et 874-876.

Unctionem). Ita signanter *Benedictus* A7K.16 *Suarez* citat *G. Biel, Ioannem Echium* et *Claudium Espencaeum,* atque pro hac sententia, quam dicit aliquando etiam sibi placuisse, sequentes rationes adducit:

"Fundamentum esse potest, quia parochus non solum ex charitate, sed etiam ex justitia tenetur omnia haec sacramenta subditis ministrare; ergo haec obligatio urget etiam tempore pestis, et cum periculo contagionis. Probatur consequentia, *primo,* quia ad aliquid amplius tenetur parochus in eo casu, quam alius qui non est parochus. *Secundo,* quia propterea per totum annum alitur, et stipendium accipit, ut temporibus maxime necessariis, et quando ab aliis oves deseruntur, ipse subveniat, et se exponat alicui periculo propter illas. Haec enim justa conditio tacite videtur inclusa in pacto inter parochum et subditos. *Tertio,* quia alias tempore pestis totus populus esset destitutus ministris, qui ex obligatione teneantur hoc sacramentum ministrare, quod absurdum videtur, et contra commune bonum. *Quarto,* quia dux, vel miles in temporali militia saepe obligatur exponere vitam suam corporalem majoribus periculis propter necessitatem, etiamsi non sit extrema, sed ordinaria pertinens ad munus suum, ut est vigilare, aut servare insidias debito loco et tempore: cur ergo non tenebitur etiam parochus, ut suum munus exerceat circa subditum, eo tempore quo spiritualis pugna maxime erga illum exercetur, tunc se exponere periculo vitae corporalis, ministrando ei sacramentum unctionis, quod opportunissimum est ad disponendum animam perfecte ad beatitudinis consecutionem? *Et in hanc ultimam sententiam ego fui aliquando valde propensus, nunc autem illam esse moderandam censeo."*17

Alii simpliciter negant, eo quod Extrema Unctio non sit, sicut Baptismus et Poenitentia, stricte necessaria, nec pastor teneatur cum tanto incommodo administrare nisi sacramenta necessitatis. Ita praecipue *Suarez.*

Scribit: "Assero, parochos seu pastores proprios animarum teneri ministrare sacramentum extremae unctionis in tempore pestis, si id facere possint sine morali periculo vitae, et ad hoc periculum vitandum tenentur adhibere convenientia remedia prudentium medicorum arbitrio, ut sine illo possint huic operi vacare: absolute tamen non tenentur ministrare hoc sacramentum cum morali periculo vitae corporalis . . . [Nam] hoc sacramentum neque est medium necessarium ad salutem, neque ex divino praecepto: et praeterea supponit jam, per se loquendo, duo alia sacramenta, quibus sufficienter subvenitur necessitati subditi, et ideo si periculum revera ita immineat, ut hic et nunc vitari non possit, non sunt obligandi pastores hoc sacramentum ministrare. Nihilominus tamen, quia hoc etiam sacramentum est magnae utilitatis, et per se spectat ad ministerium et obligationem parochorum, tenentur praevenire periculum, si commode possunt, et tentare remedia convenientia, ut illud sine periculo probabili administrent. Partim anticipando collationem hujus sacramenti statim in principio talis aegritudinis, priusquam multum inficere possit, quia, cum haec aegritudo sit per se lethalis, et alias sit adeo noxia et contagiosa, non oportet aliquem terminum ejus expectare ut hoc sacramentum detur, sed statim a principio dari potest. Partim procurando, ut loco puro et libero aeger constituatur, sine vestibus quoad fieri possit, ut minus sit contagii periculum. Partim utendo virgula aliqua argentea oblongiori ad ungendum a distantiori loco. Partim adhibendo ea quae pure essentialia sunt, et brevissima mora, quoad fieri possit. Denique sumendo alia antidota ac praeservativa, quae ad hoc conferre possunt. Nam si his omnibus adhibitis remediis, judicio peritorum medicorum non sit morale periculum contagii, non sunt excusandi parochi ab hoc

17 *De synodo dioeccsana,* l. 13, c. 19, n. 8-11; cf. peculiariter n. 11.
16 *Op. cit.* (supra, in p. 804), n. 6, p. 872.

munere, etiamsi fortasse sit aliquod dubium, quod saepe nascitur potius ex nimio timore quam ex re ipsa. Atque hoc observatum est in usu inter viros prudentes ac timoratos; et hoc suadent etiam omnia quae hactenus dicta sunt."[18]

Alii distinguunt, et quidem rectius, dicentes pastorem *per sc non teneri* cum tanto incommodo, *per accidens vero teneri,* quando moraliter certum est, aut saltem probabile, Extremam Unctionem esse pro hoc particulari infirmo, unicum medium necessarium ad salutem, quod maxime contingit cum ipse est sensibus destitutus et aliunde scitur, saltem probabiliter, non suscepisse sacramentum Poenitentiae et in peccato esse. Unde pastor non tenetur cum vitae periculo hoc sacramentum ministrare si habet moralem certitudinem aut, solidam aliquam probabilitatem, infirmum esse in statu gratiae aut posse illum acquirere absque susceptione huius sacramenti; in particulari non tenetur, si infirmus, etiam sensibus destitutus, iam susceperit sacramentum Poenitentiae. Ita *Konings, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Fanjani, Cappello, Kilker,* post S. *Alphonsum* (n. 729), ubi agunt de sacramentis in genere aut de Extrema Unctione. Ceterum et isti vario modo loquuntur, cum agitur de assignando fundamento et gradu praedicti iudicii de stricta necessitate huius sacramenti pro hoc particulari infirmo,[ll*] ratione cuius pastor tenetur administrare cum periculo mortis. Ita quidam cum S. *Alphonso* (n. 729) dicunt sufficere ut pastor de ea necessitate probabiliter iudicet, alii vero potius requirunt veram moralem certitudinem, uti *Vermecrsch* scribens: "Incerta dispositio interior eius qui est sensibus destitutus, hoc etiam efficit, ut ne tunc quidem stricte demonstretur obligatio sacramentum conferendi cum periculo vitae."[20]

Sobrie et apte videtur iudicare *Noldin-Schmitt,* scribens: "Sacramenta necessaria tenentur [pastores] ministrare non solum cum gravi incommodo, sed etiam cum sanitatis vel vitae periculo subditis, qui in extrema, quin etiam iis, qui in gravi necessitate versantur. . . Ad sacramenta necessaria referenda est etiam extrema unctio pro iis, qui sensibus destituti sunt, antequam absolvi poterant."[21] Ceterum, addit idem auctor: "Ut statui possit obligatio gravis administrandi sacramenta eaque cum vitae periculo, sive de pastoribus agitur, sive de iis, qui pastores non sunt, requiritur: *a.* ut ex hac obligatione maiora mala non sequantur, ut si deficiente sacerdote plurium aliorum salus in periculum adduceretur; *b.* ut necessitas proximi sit certa; *c.* spes sit moraliter certa salvandi proximum."[22]

" *Ibid.,* n. 20, p. 877 sq.
" Cf. apud Kilker, *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 108 sq., et Cappello, *op. cit.* (supra, in p. 801) 195 sq.
'*Theologia moralis* III (cd. 4 a Crcuscn recognita, Romae 1948) 393.
n *Summa theologiae moralis* (cd. 26, Ocniponte 1940) III 30.
B *Ibid.* 31.

Pastor sub gravi tenetur non solum ad ministrandum sacramentum, sed etiam ad illud ministrandum *tempore opportuno,* non differendo usque ad tempus quo infirmus sensibus destituatur aut destitui incipiat, nam ita infirmus exponitur periculo moriendi absque perceptione sacramenti et privatur pluribus effectibus illius, fortasse ipso effectu corporalis sanationis. Ad hoc faciunt verba *Catechismi Cone. Trid.:* "Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat" (p. 2, c. 6, q. 9) et *Codicis I.C.,* can. 944: "Omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud [sacramentum] recipiant." Quod repetit *Rituale Romanum,* tit. 5, c. 1, n. 1. Cf. alia documenta in p. 423-425, 432.

Obligatio charitatis in aliis qui pastores non sunt, urget *per se sub levi,* quia per se loquendo ipsa sola charitas non obligat sub gravi cum gravi incommodo et multo minus cum periculo mortis. *Per accidens tamen urget sub gravi;* et quidem, si infirmus sit in gravi sed non extrema necessitate (puta si nonnisi difficulter possit sine hoc sacramento suae saluti consulere) obligatio urget *tantum per se,* i.e. nisi excuset iusta et gravis causa sive grave incommodum; si vero infirmus sit in extrema necessitate urget *etiam simpliciter,* seu etiam cum periculo mortis, in casu nempe quo hoc sacramentum evadat pro infirmo medium stricte necessarium ad salutem, modo supra dicto quoad obligationem ipsorum pastorum (puta si infirmus, nondum absolutus, sensibus destituatur), nam idem casus eandem parit gravem obligationem, quamvis in pastore ea proveniat etiam ex iustitia, in caeteris vero ex sola charitate. De qua charitatis obligatione observat S. Thomas: "Illud magis est ex charitate diligendum quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate. . . Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quae est ratio diligendi proximum, est maior ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quae est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem animae magis debemus diligere quam proprium corpus" (2-2. q. 26, a. 5).

Unde in duplici casu sacerdos, qui non habeat pastoralem curam infirmi, mortaliter peccat non conferendo Extremam Unctionem; primo nempe, si possit commode, seu sine gravi incommodo, illud conferre infirmo sensibus non destituto qui sit in magna spirituali necessitate; secundo, si cum gravi incommodo, seu etiam cum periculo mortis, illud non conferat infirmo sensibus destituto qui, ante statum inconscientiae, sacramentalem absolutionem non susceperit. In his ceteroquin concordant doctores supra relati aliique moderni communiter.

3. *EXTENSIO OBLIGATIONIS.*

Obligatio conferendi sacramentum, quae est propria ministri extenditur quodammodo *in secundariam ac derivatam obligationem procurandi ut a ministro sacramentum infirmo conjeratur,* quae quidem attingit non solum pastores sed etiam, quotquod habent infirmi curam vel multiplici vinculo cum eo connectuntur. Quod quidem videtur contineri modo indistincto ac generali in can. 944 nuper citato.

Ad rem *Cappello:* "1. Qui ex peculiari titulo pietatis vel officii spiritualem aegroti curam habent, ut Superiores, parentes, coniuges, *per se* tenentur sub gravi *monere* infirmum de periculo et procurare administrationem sacramenti, si hoc petat. Interdum eadem obligatione tenentur alii quoque consanguinei.

"2. Qui aegroti curam spiritualem non habent, ut medici, domestici, infirmarii, sub gravi ad id non tenentur, nisi infirmo hoc sacramentum ad salutem necessarium sit; quia praeceptum caritatis obligat sub gravi tantum in casu necessitatis.

"3. Graviter peccant, qui quovis sub praetextu prohibent aut impediunt administrationem huius sacramenti; qui curant, ut sacramentum tunc ministretur, cum aegrotus ratione et sensibus sit iam destitutus.

"4. Medicus, qui non monet aegrotum *de probabili mortis periculo,* peccat graviter contra caritatem, si censet, saltem probabiliter, monitionem hanc esse necessariam ad gravia damna vitanda sive in bonum spirituale ipsius infirmi sive in bonum temporale magni momenti familiae aliorumque. Quae monitio profecto efficacior erit, quando fiat ab ipso medico; tamen fieri potest etiam per alios v.g. per consanguineos, amicos etc. Obligatio personalis manet, si alii monitionem facere nolint, vel non possint, aut si ceteris de mortis periculo monentibus infirmus non credat. Cavendum maxime est medicis ne aegrotum periculose decumbentem in errorem invincibilem inducant, falso eidem testantes morbum non esse periculosum.

"5. Si medicus et consanguinei aut familiares nolint significare infirmo adesse necessitatem suscipiendi ultima sacramenta, quia timent ne huiusmodi nuntio perturbetur, parochus vel confessarius istud onus libenter in se suscipere debent. Atque ita se gerant, ut infirmus nullatenus gravetur, sed e contra solatium et fiduciam maximam concipiat."[23]

[23] *Op. cit.* (supra, in p. 801) 198 sq. Cf. inter alios Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiae moralis* (ed. 10, Bruxellis 1922) II 21; Noldin-Schmitt, *Summa theologiae moralis* (ed. 26, Oeniponte 1940) III 460; G. Payen, *Déontologie médicale* (Paris 1922) 138-145; Kilker, *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 284-297; W. Schaefers, "Catholic

Notandum tamen est obligationem illam per se gravem, quam *Cappello* (necnon Lehmkuhl, Noldin-Schmitt, Aertnys-Damen) urget sub n. 1 quoad omnes curam spiritualem infirmi habentes, denegari ab aliis doctoribus, ut Suarez, Laymann, Elbel-Bierbaum et Ballerini-Palmieri, qui eam restringunt ad solos pastores qui ex officio talem curam habent. *Suarez,* supponens susceptionem huius sacramenti ex parte subiecti non esse stricte necessariam seu praeceptam (ut et nos defendimus in art. 25, p. 387 sqq., contra Cappello et alios) adeoque ejus omissionem non esse per se peccatum, etsi per accidens peccatum possit committi ratione contemptus sacramenti, scribit: "Oportet ergo ut quis parvi pendat sacramentum et fructus ejus, qui modus contemptus vix potest in aliquo reperiri, nisi laboret aliquo errore vel haeresi circa tale sacramentum. Et juxta haec intelligendum puto, quod Navarrus supra dicit, peccare graviter eum, qui hoc sacramentum non petit filio, aut servo, famulo, pupillo, aut alii suae curae commisso. Nam videtur hoc intelligendum, quando id petere omittit ex contemptu. Quem sensum indicat ipse Navarrus; nam dixerat peccare eum, qui sibi non petit, quando id omittit ex contemptu; et subdit: 'Idem si non petit filio'; ergo eodem modo intelligendum hoc est, vel in universum, quando filius,, vel subditus omittendo peccat mortaliter; alioqui *non apparet cur debeat hoc esse peccatum grave in superiori, si m ipsomet, qui sumpturus est, non est grave peccatum;* nam ille non tenetur cum tanto rigore procurare alteri spiritualia commoda, quae praecepta non sunt, ut ex eodem Navar. sumi potest, c. 21, n. 57. Secus vero esset in superiore religionis, vel etiam in parocho, qui speciali obligatione officii sui ad hoc tenentur."[24]

Praeterea, quidam, ut *Kilker,*[2"] urgent obligationem parochi monendi infirmum de gravitate sui status ac ideo de necessitate suscipiendi ultima sacramenta, de qua mitius loquitur Cappello sub n. 5. Ceterum ipsum *Rituale Romanum* praescribit: "Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit aegrotum, ne daemonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat, quo minus ea, quae ad animae salutem pertinent, opportune procuret, et, qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam pro-

Physicians and the Sacrament of Extreme Unction," *The* [.4wencan] *Ecclesiastical Review* 91 (1934) 469-474; "Some Reflexions on the Sacrament of Extreme Unction," *ibid.* 94 (1936) 173-177; A. Gougnard, *Tractatus de Extrema Unctione* (ed. 6, Mechliniae 193S) 74-77; L. Kendduy, "Le médecin et l'extrême-onction," *Bull. Soc. S. Luc, S. Côme et S. Damien* 44 (1938) 242-268.

uOp. cit. (supra, in p. 804), s. 1, n. 6, p. 865.

n Extreme Unction (St. Louis 1927) 284-286.

crastinationem, quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit, in diesque, fallente diabolo, perducit" (tit. 5, c. 4, n. 10; cf. n. 11-17).

III. DE MODO MINISTRANDI.

Quae respiciunt modum et conditiones licitae administrationis iam hic vel illic, pro necessitate aut opportunitate discursus, in toto tractatu exposita sunt. Satis erit ea sub quibusdam titulis breviter recolere, remittendo ad praecipuos locos:

1. *Quoad materiam remotam.*

De alia substantia oleo infirmorum non admiscenda, TOM. I, p. 351.

De adhibendo oleo benedicto eodem anno in Coena Domini, *ibid.* p. 361 sq.

De non benedicendo oleo a presbytero latino absque licentia S. Sedis, *ibid.* p. 384 sq.

De non adhibendo oleo Catechumenorum aut Confirmandorum in hoc sacramento, *ibid.* p. 394 sq.

De non conferendo hoc sacramentum fidelibus alterius ritus (latini vel orientalis), excepto casu necessitatis, *ibid.* p. 385 sq. (item in hoc torn. 2, p. 802).

2. *Quoad materiam proximam.*

De modo faciendi unctiones, *ibid.* p. 454-459.

De instrumento in unctione non adhibendo, *ibid.* p. 432-434.

De facienda unica unctione in casu necessitatis, *ibid.,* p. 405, 425–427, 476 sq.

De supplendis omissis unctionibus, *ibid.* p. 456 sq., 476 sq.

3. *Quoad jormam.*

De licita forma et de modo eam unctionibus coniungenda, necnon de aliis orationibus quae formam praecedunt aut sequuntur, *ibid.* p. 580–582.

4. *Quoad subiectum.*

De apparenter mortuis, conditionate inungendis, *hic TOM. II,* p. 461-463.

De pueris et amentibus, *ibid.* p. 497-500.

De infirmis dubie in periculo mortis existentibus, *ibid.* p. 670. Quomodo aestimandum sit periculum mortis in senibus, vulneratis, operationi chirurgicae subiectis, difficulter parturientibus et aliis, *ibid.* p. 664-674. An in dubio de existentia novi periculi liceat aut etiam oporteat sacramentum iterare, *ibid.* p. 363-365.

De peccatoribus; an quaestio de necessitate, vel secus, praeteriti peccati ad valorem sacramenti habeat influxum in praxim sacramentalem, *ibid.* p. 52 7-529.

De recenter baptizatis, an possint inungi, *ibid.* p. 523-525.

De dubie dispositis, *ibid.* p. 259 sq.

De acatholicis et impoenitentibus, an possint licite inungi, *ibid.* p. 710-712, 716 sqq., 730-732.

5. *Quoad caeremonias.*

De illiceitate concelebrationis in ecclesia latina, excepto casu necessitatis, *ibid.* p. 790 sq., 795 sq.

De illiceitate ministrandi fidelibus diversi ritus, extra casum necessitatis, *ibid.* p. 802 (cf. tom. 1, p. 385).

De praemittendo Viatico Extremae Unctioni, *ibid.* p. 694.

De caeremoniis respicientibus ipsam materiam et formam, dictum est nuper (n. 1, 2, 3), ubi de materia et forma. De aliis vero prorsus accidentalibus et secundariis caeremoniis dicetur in Capite sequenti.

6. *Quoad conditwnatam administrationem.*

De qualitate conditionis apponendae, i.e. "Si capax es" (non vero "Si es dispositus"), *ibid.* p. 259 sq., 450.

De modo eam proferendi, quod nempe sufficiat ut interius exprimatur, *ibid.* p. 450.

De casibus in quibus adhiberi possit. Codex I.C. in can. 941, tres tantum casus enumerat, inquiens: "Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione"; in can. 942 addit quartum casum dubii de dispositione sive impoenitentia infirmi (nam ut dictum est supra, p. 701, in hoc canone non agitur directe de defectu intentionis, sed dispositionis). Ceterum haec quadruplex enumeratio non est completa aut exclusiva, quin possint saltem quinque alii casus addi. Unde novem saltem casus enumerari possunt, quod fere omnes consideravimus in superioribus; scilicet: *dubium dc morte,* de quo *ibid.* p. 453, 461–463; *dubium de baptismo* (in unctione acatholicorum), de quo *ibid.* p. 712: *dubium dc usu rationis,* de quo *ibid.* p. 497; dubium *dc dispositione* in acatholico, impoenitente vel peccatore, de quo *ibid.* 711, 721. 724, 731 (cf. p. 259 sq.); dubium *de existentia periculi mortis,* de quo *ibid.* p. 670 sq.; dubium *dc existentia novi periculi mortis* ut possit sacramentum iterari, de quo *ibid.* p. 364; dubium *dc valida materia olei,* an nempe oleum sit olivarum necnon sufficienter purum seu alia materia non permixtum, de quo quidem valet generalis regula

circa sacramenta necessaria, nempe Baptismum, Viaticum, Poenitentiam, Extremam Unctionem; dubium *de validitate collati sacramenti,* de quo pariter valet eadem generalis regula; dubium *de iam administrato sacramento in eodem periculo mortis,* quod fere reducitur ad praecedens.

CAPUT VIII

DE CAEREMONIIS

Cum essentia sacramenti consistat in sola materia et forma, seu in unctione et formula deprecatoria, caetera quae in celebratione Extremae Unctionis sive ante, sive post, sive in ipsa unctione iuxta praescriptionem Ritualium ecclesiarum perficiuntur, constituunt merum apparatum caeremonialem, quo ipsa sacramenti essentia vestitur et extollitur.

Porro, quam solemni rituum copia hanc sacramentalem Unctionem Ecclesia iugiter exornare voluerit, facile constat sive ex antiquis Sacramentariis et Ordinibus sive etiam ex ipsa abbreviata illorum forma quae hodie pro rerum circumstantiis ac necessitatibus observatur; ipsa enim materia sacramenti, cui proprium est ut per plures partes sive unctiones distribui possit, necnon ipsa deprecativa indoles

| Alphonsus Liguori, Theologia moralis (ed. L. Gaudé, Romae 1909) **III** 735-738, n. 724-728.

Andrieu, M., *Le Pontifical romain au Moyen-Age* I (Città dei Vaticano 1938) 266-277; JI *(ibid.* 1940) 490-492.

Borella, P., "Gli csorcismi ncl battcsimo e nell' Estrema Unzione," *Ambrosius 20* (1944) 40-45.

Botte, B., "L'onction des malades," *"La liturgie des malades"* ("La Maison-Dieu," n. 15, Paris 1948) 91-97.

Cappello, F. M., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* III: *De Extrema Unctione* (cd. 2, Taurini 1942) 226-234.

Chardon, C., *Histoire des sacrements. — Du sacrement d'Extrême Onction,* chap. 5 ct Appendice, in Migne, *Theologiae cursus completus* XX (Parisiis 1841) 76S-782.

Dauvillier, J., "Extrême-Onction dans les Eglises Orientales," *Dictionnaire de Droit Canonique* 5 (fasc. 27-28, a. 1951-1952) 725-789.

De Clercq, C., "Ordines unctionis infirmi des IX et X siècles," *Ephemerides liturgicae* 44 (1930) 100-122; *Ordre, Mariage, Extrême Onction* [Paris 1939] 156-172.

De Meester, P., *Studi sui sacramenti amministrali secondo il rito bizantino* (Roma 119471) 191-226.

De Sainte-Beuve, J., *Tractatus de sacramento Unctionis Infirmorum Extremae,* disp. 8, in Migne, *Theologiae cursus completus* XXIV (Parisiis 1841) 126-132.

Deshusses, J., "Extrême-Onction en droit occidental," *"Dictionnaire de Droit Canonique S* (fasc. 27, a. 1951) 721-725.

DmitrievskïJ, A., *Descriptio liturgicorum manuscriptorum quae asservantur in bibliothecis Orientis separati* [russice], II: Ευχολόγια, Kijev 1901.

Goar, J., Ευχολόγιου *sive Rituale Graecorum* (Lutetiae Parisiorum: S. Piget 1647) 408-441.

Golubcev, A., "De liturgico aspectu sacramenti Benedictionis Olei [i.e. Extremae Unctionis]," *Supplementum ad editionem Operum SS. Patrum* [russice] ***XLII*** (Mosquae 1888) 113-130.

sacramentalis formae, quamdam caeremonialem amplitudinem connaturaliter appellare videntur, quo factum est ut "nullum sit aliud sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur".[2]

Ad historiam quod attinet, inter antiquiores ritus latinos, qui noscantur, referri debent illi qui describuntur in *Libro Ordinum* mozarabico et in codice manuscripto vaticano, *palatino latino* n. 485, quique vix non certe dicuntur anteriores saec. 9. Iuxta priorem ritum, sacerdos, accedens ad infirmum, facit super caput eius signum crucis cum oleo benedicto, dicens: "In nomine Patris et Filii et Spiritus S. regnantis in saecula saeculorum. Arnen," ac subinde dicit tres antiphonas, recitat prolixam orationem et dat benedictionem;[3] iuxta alterum, sacerdos recitat duas orationes, ipse infirmus dicit symbolum apostolorum, sacerdos facit unctiones, dicens: "Ungo te de oleo sanctificato in nomine Trinitatis ut salveris in saecula saeculorum,"[4] infirmus confitetur peccata et accipit communionem sub utraque specie, tandem sacerdos recitat aliquas orationes.

Sacramcntaria ct Ordines saec. 9-11 hunc ritum amplificant, determinando tres praecipuas eius partes, scilicet reconciliationem peccatoris, unctionem et viaticum; ad primam referuntur psalmi paenitentiales cum litaniis sanctorum et impositio cilicii, ad secundam

Jacquemier, G., "L'Extrêmc-Onction chez les Grecs," *Echos d'Orient* 2 (oct. 1898–oct. 1899) 198-203.

Jugie, M., *Theologia dogmatica Christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium* III (Parisiis 1930) 479-483.

Katanskij, A., "Adumbratio historica ritus Benedictionis Olei [i.e. Extremae Unctionis]," *Lectio Christiana* [russice] (Pctropoli 1880) *II* 92-131.

Kilker, A. J., *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 347–407.

Launoy, J. de, *De sacramento Unctionis Infirmorum liber. — Explicata Ecclesiae Traditio circa ordinem precum ct orationum, quae dum infirmus ungitur, super cum funduntur. — Explicata Ecclesiae Traditio circa usum cineris et cilicii in infirmis, et circa lectum seu stratum cinere respersum in morituris, Opera omnia* I. 1 (Coloniae Allobrogum 1731) 582-594, 608-622.

Martène, E., *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 4 (Rotomagi 1700) 116-257. Ibi eduntur ex integro 30 Ordines (29 latini ct Euchologium Graecum).

Menard, H., *Notae ct observationes in S. Gregorii Magni Librum Sacramentorum, ML* 78. 539 sq.

Petrovskij, A., "Dc historia ritus Benedictionis Olei [i.e. Extremae Unctionis]," *Lectio Christiana* [russice] ***LXXXIII*** (Pctropoli 1903) II 44–49; "Benedictio Olei [i.e. Extrema Unctio] sub aspectu liturgico," *Orthodoxo-theologica encyclopedia* [russice] 5 (1904) 408-415.

Trombelli, J. Cii., *Tractatus dc sacramentis. Dc Extrema Unctione* III (Bononiae 1778) 92 sqq.

Villien, A., *Les sacrements. Histoire et liturgie* (ed. 2, Paris 1931) 256-284. Eamdem sectionem auctor prius ediderat sub titulo "La discipline des sacrements, L'Extrcme-Onction". *Revue du Clergé Français* 70 (1912) 648-667.

[1] *Catechismus Conc. Trid.,* p. 2, c. 6, q. 7.

[2] Cf. art. 1, tom. 1, p. 136.

[3] Ut dictum supra, art. 7, tom. 1, p. 520, hacc forma refertur in tribus *ritualibus Celticis* sacc. 9.

varietas unctionum quae multiplici partium inunctarum numero et qualitate exhibetur, ad tertiam missa pro infirmo quae vel in ecclesia vel quandoque in ipsa infirmi domo celebratur. Multiplicantur praeterea orationes quae ad unam vel alteram ex tribus illis partibus referuntur, et peculiariter ad ipsam unctionem eiusque spirituales et corporales effectus (in variis Ordinibus saepe occurrunt orationes Sacramentariorum Gelasiani et Gregoriani, relatae in art. 1, tom. 1, p. 137-141); quidam Ordines distinguunt inter orationes dicendas ab uno vel alio sacerdote vel a singulis, cum nempe plures ministri ritui participant (cf. supra, p. 778), imo saepe plures assignantur orationes seu formae sacramentales, forte ut ministro optio daretur (cf. varia Sacramentaria et Ordines relatos in art. 7, tom. 1, p. 519 sqq.).

Tanquam typici inter varios ritus huius aetatis assumi possunt duo sequentes. Ritus propositus a *Thcodulpho Aurelianensi* (episcopo ante a. 790, deposito a. 812, defuncto a. 821) in suis *Capitulis ad presbyteros parochiae suae,* haec exhibet: Primo, datur infirmo paenitentia, seu reconciliatur. Secundo, iacente infirmo in cilicio et cinere, tres sacerdotes, accedentes ad domum (si infirmus non potuerit ad ecclesiam deferri), aspergunt eam aqua benedicta et imponunt cinerem super caput infirmi, ac recitant septem psalmos paenitentiales cum litaniis et oratione, dum infirmus, si potest, manet genibus flexis et capite inclinato. Tertio, fiunt duodecim unctiones in forma crucis in variis corporis partibus. Ultimo, infirmus recitat orationem dominicam et symbolum apostolorum, atque, accepto a ministro osculo pacis, suscipit viaticum; absolvitur ritus oratione et notatur sacerdotes debere per septem successivos dies visitare infirmum atque super eum recitare praescriptas orationes (cf. textum, quoad praecipuam cius partem citatum in art. 1, *toni.* 7, p. 147 sqq.). *Ritus Sacramentarii Gregoriani* (additio facta huic Sacramentario probabiliter saec. 9-10, certe ante saec. 12), cui concordat ritus Codicum Rhemensis, Ratoldi et Tiliani (cit. *ibid.,* p. 167-170), exhibet primo aspersionem aquae benedictae super infirmum eiusque domum, cum antiphonis et orationibus. Secundo, sacerdos dicit orationem “Domine Deus” (quae extat etiam in hodierno Rituali Romano), necnon aliam orationem, dum cantantur variae antiphonae et infirmus manet genibus flexis ad dexteram sacerdotis. Tertio, sequitur unctio in collo, in gutture, inter scapulas et in pectore, et inter ungendum dicitur forma sacramentalis, ad modum protractae orationis, quam sequuntur duae aliae orationes. Quarto, administratur viaticum, et terminando additur sic faciendum esse a sacerdotibus per septem dies tam de communione quam de alio officio (cf. textum cit. *ibid.,* p. 140 sq.).

ORDO ROMANUS (Ordo X, inter 15 ordines romanos a Mabillon editos), probabiliter saec. 11, certe anterior saec. 13, continet ritum magis determinatum, qui paulatim aliis praevaluit et ex quo directe descendit hodiernus ipse ritus latinus. *Primo,* sacerdos accedit ad domum infirmi, cum sacris vestibus, ministris, oleo sancto, aqua benedicta, cruce, cinere et candelabris, et ingrediens domum, dicit: "Pax huic domui" et varias orationes continentes exorcismum et benedictionem, atque aspergit aqua infirmum et domum, dirigens ad infirmum ritualem quaestionem: "Ad quid me vocasti, frater?" *Secundo,* sacerdos imponit infirmo cinerem et cilicium, et suscipit confessionem, quam sequuntur septem psalmi paenitentiales cum versiculis et orationibus. *Tertio,* sequuntur septem unctiones in septem corporis partibus (sicut in posteriori Rituali Romano, ita tamen ut primo loco addatur etiam unctio capitis cum impositione manuum, et ultima unctio dirigatur simul ad pedes et lumbos) cum forma deprecativa (ita tamen ut in unctione capitis fiat tantum quaedam invocatio Trinitatis et sanctorum, in caeteris vero dicatur ipsa forma deprecativa hodierna: "Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat [pro: indulgeat] tibi Dominus quidquid oculorum vitio [pro: per visum] deliquisti," et similiter ad alios sensus), quam sequuntur duae orationes (prima, "Respice," est Sacramentarii Gelasiani). *Quarto,* sequitur viaticum sub utraque specie ("Tunc tradat ei sacerdos Eucharistiam dominici corporis intincti vino . . . dicens: Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis Domini nostri"). *Ultimo,* benedictis cilicio et cinere, extenditur infirmus super cilicium et aspergitur cinere, cum benedictione et oratione, et absolvitur ritus, suppressa consueta aliorum Ordinum rubrica, de repetendo officio per septem dies (cf. praecipuam partem textus, cit. in art. 1, toni. 1, p. 171 sq.).

RITUALE ROMANUM Pauli V a. 1614, quod paulatim adoptarunt omnes ecclesiae ritus latini, continet meram adaptationem praefati Ordinis Romani, per suppressionem aliquarum orationum et caeremoniarum (nominatim ritualis interrogationis infirmi, impositionis cineris et cilicii, praeviae unctionis capitis, retenta tamen oratione, depositionis infirmi super cilicium et aspersionis cineris), transpositionem unctionis post viaticum, translationem psalmorum paenitentialium et litaniarum ad separatam appendicem (cap. 3), additionem plurium evangeliorum, psalmorum, orationum et invocationum (per 5 capita distributorum; cap. 4: De visitatione et cura infirmorum; cap. 5: Modus iuvandi morientes; cap. 6: Ritus benedictionis Apostolicae cum indulgentia plenaria in articulo mortis; cap.

7: Ordo commendationis animae; cap. 8: De exspiratione), quibus videtur suppleri antiquus ritus repetendi officium infirmorum per septem continuos dies.

In nova editione eiusdem ritualis, a Pio XI a. 1925 ad normam Codicis luris Canonici accommodata, nonnisi levior introducitur mutatio; prorsus scilicet omissa est unctio ad lumbos et addita est explicita rubrica "Extensa manu dextera super caput infirmi" ad orationem ante unctiones, quo partialiter restitutus est antiquus ritus impositionis manuum.

Ritus igitur ad haec breviter reducitur: *Primo,* sacerdos, cum ministris, cruce, aqua benedicta, libro rituali et oleo, procedit ad domum infirmi et, dicta salutatione "Pax huic domui," porrigit infirmo deosculandam crucem et aspergit cubiculum. *Secundo,* administrat sacramentum Paenitentiae, si aegrotus confiteri velit. *Tertio,* dicit tres orationes quae notantur in ipso Ordine Romano circa initium seu post ingressum in domum, et, facta confessione generali sive Confiteor, addit formulas "Misereatur" et "Indulgentiam." admonens adstantes ut orent et, si commodum sit, recitent septem psalmos paenitentiales cum litaniis. *Quarto,* ministrat viaticum (hoc non notatur in rubrica, sed in praecedenti cap. 1, n. 2 dicitur indeterminate Viaticum esse Unctioni praemittendum). *Quinto,* extensa manu super caput infirmi, recitat orationem invocativam Trinitatis et sanctorum (quae in ipso Ordine Romano ponebatur ad initium unctionum. "Ad caput") et perficit sex unctiones (quarum ultima, ad pedes, dicitur ex rationabili causa omitti posse). *Sexto,* recitat tres orationes, quarum prima (continens allusionem ad textum lacobi) in Ordine Romano praecedit unctiones, ceterae vero eam sequuntur; adduntur quatuor rubricae respicientes continuatam infirmi assistentiam.

ECCLESIAE ORIENTALIS RITUM, quoad sua essentialia et communia elementa, iam transeunter descripsimus supra in p. 783 sq. Ad eius historiam et vicissitudines quod attinet, haec nota.

Antiquissimum fortasse testimonium ritus graeci invenitur apu(^ unum ex ipsis scriptoribus latinis, scilicet *Theodulphum Aurcliancn-sem* supra relatum (p. 815), qui in eisdem suis *Capitulis* (circa a. 789), dum describit ritum latinum, incidenter refert: "Apostoli autem ungentes oleo infirmos non amplius quam tres cruces cum oleo super eos faciebant. Unde Graeci, qui ipsam traditionem apostolorum imitantur, similiter tres tantum cruces cum oleo faciunt, fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum super caput et vestimenta et totum corpus infirmi, incipientes crucem a capite usque ad pedes, in transverso a manu dextera usque ad brachia, et pectus usque ad

sinistram manum, simul dicentes ad ipsas tres cruces: 'Ungo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut oratio fidei salvet te, et alleviet te Dominus, et si in peccatis sis, remitantur tibi' " (cit. in art. 1, tom. 1, p. 148). Agitur de triplici unctione, seu potius de una unctione in forma crucis ter ducta super totum corpus a capite ad pedes et ex transverso a dextera manu per pectus ad sinistram manum, sub indicativa forma referente ipsa verba Iacobi; nulla mentio fit de septem presbyteris, quinimmo paulo ante, saltem in descriptione ritus latini, exhibentur tres ministri.

Haec tria miranda videntur, nam in graeca praxi, quae iam ostenditur in ipso fere coaevo ritu relato a Codice Barberino (supra citato, in p. 784), agitur de multiplici unctione ad varias partes corporis, de forma deprecativa "Pater sancte" et de septem ministris. Dici quidem potest Theodulphum referre praxim alicuius particularis ecclesiae orientalis, sed (ut iam notavimus in art. 4 et 7, tom. 1, p. 446, 516) probabilius est ipsum referre, etsi modo imperfecto, communem ipsam praxim orientalem; et quidem, quod attinet ad numerum presbyterorum nulla est vera difficultas, nam de eo nihil dicitur, nec tres ministri exhibentur nisi initio textus in explicatione ritus latini: unctio totius corporis concordat cum caeremonia descripta a *Codice Sinaitico 960* (saec. 13), in quo dicitur septem sacerdotes ungere aegrotum a pedibus usque ad caput dicentes formulam "Pater sancte," et, utpote simplicior ritus, est fortasse antiquior modus unctionis apud Orientales, cui postmodum successerunt particulares unctiones ad varias corporis partes; ad formam quod attinet, ut omittamus quod non prorsus desint apud Orientales particulares quidam casus formae indicativae, dici potest Theodulphum referre generalem tantum sensum formae deprecativae graecae, eum accommodando ad indolem formae latinae indicativae olim in usu, quod quidem confirmatur ex eo quod reliqua pars formae, in qua exprimitur effectus sacramenti, veluti perfunctorie conficitur ex ipsis verbis textus Iacobi.

Apud ipsos Orientales,[5] antiquissimum documentum est praefatum *EUCHOLOGIUM CODICIS BARBERINI* 336 (olim **III**, 55 [77]), saec. 8 vel 9." Ritus, quem supra exhibuimus (p. 784), satis quidem

---

[5] Loquimur tantum de ritu Graecorum, quippe qui sit praecipuus et communior. De ritu *aliorum Orientalium* quaedam habes apud Trombelli, *loc. cit.* (supra, in p. 814); Dr. Meester, *op. cit.* (supra, in p. 813) 209-226; De Clercq, *Ordre, Mariage, Extrême Onction* (Paris 1939) 167-172. De peculiari ritu *Copiorum,* cf. M. Chaîne, "Le rituel éthiopien. Liber Lampadis," *Bessarione* 29 (1913) 420-451; 30 (1914) 12-41.

Vocatur a Goar Codex Barberini S. Marci, eo quod e bibliotheca conventus florentini S. Marci (Venetiis) ordinis Praedicatorum in bibliothecam Cardinalis Barberini translatum fuit. Ait Goar hunc codicem "a quibusdam octavum etiam [saeculum] antiquitate superare creditum [esse]" (Ει-χολάγωρ *sive Rituale Graecorum* [Parisiis: S. Piget 1647], proemium, circa medium).

confusus et pluribus omissionibus scatens, coniungitur celebrationi divini officii et Missae, ita ut cum ea protrahatur per totam noctem; constat duplici essentiali parte, scilicet benedictione olei, quae fit a septem sacerdotibus durante officio, et unctione infirmi ab eisdem facta quae coniungitur Missae; inter orationes ponitur formula "Pater sancte" quae iugiter in Oriente pro forma sacramentali habita est; ad finem ritus tota quoque domus eodem oleo perungitur.

Inde a saec. 9-10 hic ritus incipit magis evolvi ac determinari, quod attinet imprimis ad numerum et qualitatem partium inunctarum, idque probabiliter sub influxu occidentali. *Codex Coisl. 213* in bibliotheca Parisiensi (a. 1027) refert: frontem, aures, pectus et manus; *Codex Sinaiticus 973* (a. 1153): frontem, nares, mentum, collum, aures et manus; *Codex Sinaiticus 994* (saec. 14): frontem, caput, pectus, manus, genua, et, pro opportunitate, totum corpus; *Simeon Thessalonicensis* (**t** 1429): frontem, vultum et manus. Forma "Pater sancte" ipsis unctionibus, satis intime, inde ab initio, coniuncta fuisse videtur; nihilominus, ut notatum est in art. 7 (tom. 1, p. 517), iuxta Siineonem Thessalonicensem et quosdam Codices, sacerdos eam formam recitabat ante unctiones dum imponebat manus super infirmum, subinde inter ungendum dicens verba: "Adiutorium nostrum in nomine Domini," quod fortasse debebatur prolixitati ipsius formae sacramentalis; ceterum, in posteriori saltem aetate, manifestum est hanc formam fuisse prolatam inter ungendum. Praeterea, caeremonia finalis unctionis domus amplius determinatur; nam, iuxta plures codices antiquiores (ut supradictos Cod. Coisl. 213 a. 1027 et Sinaiticum 973 a. 1153), septem sacerdotes inungunt omnes circunstantes, imo portas, fenestras aliasque domus partes, adhibita etiam ipsa forma "Pater sancte" (cf. supra, art. 30, p. 534 sq.). Tandem apparatus ipse orationum multipliciter ampliatus ac vario modo dispositus est, praecipue inde a saec. 14, cum ritus benedictionis olei et unctionis coepit disiungi a celebratione Missae et tandem ab ipsa recitatione officii; oportuit enim tunc illorum defectum per ampliores orationes, imo et per epistolas et evangelia compensare (ante saec. 13 tamen nulla occurrit mentio septem epistolarum et evangeliorum quae habentur in moderno ritu), ac ita paulatim efformatus est *HODIERNUS RITUS qui non videtur esse antiquior saec. 15.*

Hic ritus, qui caeptus est praelo mandari saec. 16 (Goar refert editiones a. 1544, 1550, 1570, 1600, 1629, et 1638 quam ipse sequitur) quemque supra exhibuimus (p. 784) *iuxta editionem Goar 1647;*

[2] Cf. etiam editionem romanam Euchologii a. 1873, p. 181-204; item, brevem descriptionem ritus datam a *Metrophane Critopulo* (-f- 1639) in sua *Confessione fidei,* c. 13, apud **J**u c ie, *op. cit.* (supra, in p. 814) 479 sq.

ad haec essentialiter reducitur (nam etiam in praefatis editionibus, praeterquam in variis manuscriptis ineditis, plures discrepantiae deteguntur): Prima pars, mere introductoria sed satis diffusa, continet orationes, invocationes et cantica (inter alia Psalmos 50 et 101, et litanias). Secunda pars est ritus benedictionis olei cum orationibus, ab unoquoque ex septem sacerdotibus successive perficiendus. Tertia pars est ipse ritus unctionis eodem modo ab unoquoque ministro explendus post recitatam orationem, epistolam et evangelium, ita ut oratio, epistola et evangelium sint diversa pro unoquoque sacerdote (septem nempe pro numero sacerdotum), unctio vero et forma "Pater sancte" sint eaedem pro unoquoque; ceterum de numero unctionum et qualitate partium ungendarum nihil dicitur in Euchologio, sed id multipliciter determinatur in Confessionibus fidei, Catechismis et operibus recentiorum theologorum, ut expositum est in art. 4 (tom. 1, p. 446-448). Ultima pars brevior et conclusoria, continet impositionem evangelii super caput infirmi per primum ministrum et impositionem manuum per ceteros, necnon orationem, benedictionem et indulgentiam.

ART. 37. Utrum Convenienter Assignentur Caeremoniae Et Sacramentalia Hujus Sacramenti.

CONCLUSIO *affirmativa.*

Exponitur percurrendo varias hodiernas caeremonias, earumque *indolem, obligativam vim,* et *historicas vicissitudines* ostendendo.

Caeremoniae hodiernae praxis latinae, quae assignantur in *Rituali Romano* (tit. 5; praecipuae quidem in c. 2 ubi ritus ipse exponitur, quaedam etiam in c. 1 ubi animadversiones praemittuntur; cf. praeterea c. 3-8 ubi de ulteriori assistentia infirmorum) necnon, etsi partialiter tantum, in *Codice I. C.,* can. 945-947, commode dividuntur, iuxta ordinem celebrationis, in praecedentes, concomitantes et subséquentes ipsam essentiae sacramenti confectionem, quamvis hic quoque facile accommodari possit altera divisio, indicata in tractatu *De Baptismo et Confirmatione* 182, iuxta septem circunstantias actuum moralium, quis nempe, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Iuxta priorem igitur divisionem, sequentes *undeviginti caeremoniae* considerari possunt, quae eodem fere ordine disponuntur in ipso rituali:

CAEREMONIAE PRAECEDENTES ESSENTIAM SACRAMENTI:

I. BENEDICTIO OLEI, seu conjectio ipsius materiae sacramenti.

"Accipit vas sacri Olei infirmorum" (Rituale, t. 5, c. 2, n. 2); *"quod singulis annis, Feria V in Coena Domini* [esi] *benedictum"* (c. 1, n. 3).

De hac benedictione, quae est confectio ipsius materiae sacramenti, sufficienter dictum est in art. 3 *(tom. 1,* p. 317 sqq.). Dedimus ibi documenta Ecclesiae, signanter ipsius Ritualis, Codicis I. C. et Pontificalis (p. 322 sq.); ostendimus discrimen inter praxim latinam et orientaliem sive quoad elementum olei (p. 348-351) sive quoad eius benedictionem (p. 368 sq., 372-376, 382 sq., 386-388; cf. etiam nuper dicta de ritu Graecorum, in hoc *torn. 2,* p. 818-820); resolvimus etiam plures quaestiones de *liceitate,* quas breviter resumpsimus hic in art. praec. (p. 810). Praecipuum discrimen inter Graecos et Latinos in eo est quod apud illos oleum benedicitur a presbytero, et quidem toties quoties ante unctionem, apud Latinos vero benedicitur ab episcopo et quidem semel in anno in Missa Feriae V in Coena Domini.

II. PROCESSIO AD DOMUM INFIRMI.

"Deinde convocatis Clericis seu ministris, vel saltem uno Clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, et librum Ritualem dejerat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute dejerat, ne efjundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum cjjusionis vas Olei sacculo, aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum appendat, ut commodius et securius perjerat. Procedat autem sine sonitu campanulas" (c. 2, n. 2).

Notetur Rituale hanc processionem omni fere expoliare solemnitate quam e converso praescribit pro processione ad deferendum Viaticum (t. 4, n. 10-14); in ea enim sacerdos non induitur sacris vestibus, solos clericos (imo et unum) comites habet, crux sine hasta defertur, non pulsatur campanula, non deferuntur lumina nec ulla oratio praescribitur; in altera vero sacerdos induit vestes sacras, comites habet plures clericos, aut etiam presbyteros et confraternitates, pulsatur iugiter campana, deferuntur lucerna et cerei, dicuntur psalmi et cantica.

Plura ex antiquis Sacramentariis et Ordinibus, etiam cum exhibent plures sacerdotes convenientes ad ritum Extremae Unctionis (cf. supra, p. 776-779), nullam peculiarem solemnitatem huius accessus praescribunt aut significant. Aliquam tamen solemnitatem adhiberi consuevisse supponi potest ex ipso facto quod simul cum oleo defere-

batur Viaticum, et ceteroquin explicite significant aliqui inter Ordines a Martène editis.[8] *Ordo 1* (Anglicani Pontificalis, circa a. 800) exhibet processionem cum sacerdote induto vestibus sacris, diacono ferente oleum ac librum, ceroferariis quorum unus defert etiam thuribulum et incensum.[9] *Ordo 21* (Floriacensis, circa a. 1200): "Post expletionem Missae, exuat se presbyter casulam, ferens Eucharistiam, pergat domum infirmorum; et praecedat eum diaconus cum textu, et ministri cum candelabris, et thuribulo, cum cruce quoque, et aqua benedicta: Quem omnis congregatio subsequitur cantantes psalmos 'Miserere mei Deus' et 'alios' "[10] *Ordo 22* (ex Rituali monasterii B. Mariae de Pontelevio, circa a. 1200) iubet sacerdotem procedere ad domum infirmi, indutum vestibus sacris, cum oleo, cruce et aqua benedicta.[11] *Ordo 24* (ex Pontificali Ambiensi) praescribit ut conveniant sacerdotes et clerici et alii fideles cum cruce et cereis et aqua benedicta.[12] *Ordo 27* (ex Rituali Catalaunensi, circa a. 1500): "Conveniat igitur sacerdos cum clericis, saltem cum clerico ad hoc perito et idoneo, cum cruce, igne in lucerna, et aqua benedicta, et pergendo de ecclesia ad domum infirmi, indutus superpelliceo et stola, deferendo oleum sanctum, dicat ipse sacerdos cum clericis septem psalmos paenitentiales submissa voce."[13] *Ordo 29* (ex Rituali Ambrosiano, edito a. 1645): "Parochus vocatus ad ministrandum sacramentum Extremae Unctionis . . . convocet suae parochiae sacerdotes alios clericosve, quorum ministerio, ut supra dictum est, in administratione utatur; campanae signum statim dandum curabit, quod a signo communionis distinguatur. Mox vero indutus superpelliceo et stola violacea, accipit vas olei sacri. Clericus indutus superpelliceo vas feret aquae benedictae, cum aspersorio, et librum hunc sacramentalem. Curabit etiam crucifixi imaginem afferri, si forte aegroto ea desit. Item cereum lanterna inclusum; idque per clericum, si adsit. Tintinnabulum vero non adhibebitur. Dum in via est, et ad aegrotum accedit, psal. dicet: 'Miserere mei Deus,' etc. et alias pias preces."[14] Ceterum, ipse *Ordo Romanus* (saec. 11-12), pater nostri Ritualis, de quo supra (p. 816), habebat: "Sacerdos sit indutus sacris vestibus, et ministri accipiant oleum sanctum pro infirmo, et aquam benedictam, et crucem, et cinerem sanctum vitis, et duo candelabra; et pergant ad domum infirmi, cantantes hunc Psalmum: 'Miserere mei, Deus'" *{ML* 78. 1020).

[1] *De antiquis Ecclesiae ritibus,* l. 1, p. 2, c. 7, a. 4 (Rotomagi 1700) 116sqq.
[9] *Ibid.* 116.
[10] *Ibid.* 203.
[11] *Ibid.* 209.
[12] *Ibid.* 219.
[13] *Ibid.* 225 sq.
[14] *Ibid.* 237.

///. INGRESSUS IN DOMUM INFIRMI.

"Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: V. 'Pax huic domui'. R. 'Et omnibus habitantibus in ea'. Deinde deposito oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea indutus, aegroto crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis aqua benedicta eum, ct cubiculum, et circumstantes aspergit dicens Aniiphonam: 'Asperge me, Domine, etc.'"

Tres caeremoniae hic indicantur, quae ceteroquin *non obligant sub peccato: evangelica salutatio* ("Pax huic domui"), *osculum crucis* ex parte infirmi, et *aspersio aquae benedictae* super infirmum, adstantes et cubiculum.

Prima et tertia caeremonia constanter inveniuntur in omnibus Ritualibus et Ordinibus, inde a saec. 8 (cf. Capitula Theodulphi Aurelianensis supra cit., p. 776). Secunda vero, seu osculum crucis, nonnisi in quibusdam Ordinibus explicite exhibetur; ita *in Ordine 21* (Ex codice Floriacensi, circa a. 1200) post Symbolum seu professionem fidei, notatur: "Porrigatur ei a Priore crux, ut osculetur eam";[15] in *Ordine 22* (ex rituali B. Mariae de Pontelevio, circa a. 1200), ea caeremonia valde signanter exprimitur sed post absolutas unctiones, ut praeparatio ad confessionem et Communionem: "Accipiat crucem et dicat. 'Ecce vultum Salvatoris. . . Adora, et oscula. Recognosce te culpabilem.' Osculataque cruce, dicat confessionem. Post absolvat eum Abbas et ceteri fratres";[16] in *Ordine 28 (ex* Rituali Leodiensi, edito a. 1553) notatur: "Tunc sacerdos finitis collectis adhibeat imaginem crucifixi, ut eam osculetur [infirmus] cum salubri confidentia in Christum crucifixum."[17] Ceterum ad hanc crucis et Crucifixi peculiarem venerationem implicite ordinabatur ipse communis usus deferendi crucem ad domum infirmi (cf. Ordines 22, 24, 27, 29) vel etiam procurandi ut crux infirmo exhiberetur vel apud eum asservaretur, ut constat ex *Ordine 27:* "Sacerdos praesentet crucem infirmo [post unctiones], et loquatur ei repraesentando memoriam Passionis Christi,"[18] ex *Ordine 29* (Ambrosiano): "Curabit etiam crucifixi parvam imaginem afferri, si forte aegroto ea desit. . . Aspersione peracta [i.e. ad ipsum ingressum in domum], et crucifixi etiam imagine ante oculos aegroti collocata, parochus ab illo quaerit an . . . confiteri velit,"[10] necnon ex ipso *Rituali Romano* quod, post absolutam sacramenti administrationem notat: "Denique [sacerdos] aquam benedictam, et crucem nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplec-

[11] *Ibid.* 206.
[15] *Ibid.* 216.
[16] *Ibid.* 228.
[17] *Ibid.* 229.
[18] *Ibid.* 237, 238.

tatur" (n. 14). *Ordo Romanus,* ex quo descendit nostrum Rituale, osculum Crucifixi explicite exhibet, non tamen in ipso "Ordine ad visitandum infirmum" sed in immediate sequenti "Ordine ad communicandum infirmum," ubi legitur: "Tunc [sacerdos] facit aegrum adorare et osculari crucem, et ait. . ." *(ML* 78. 1022).

In antiquis Ordinibus ac Ritualibus, haec tota caeremonia in domus ingressu multo prolixior erat, atque frequenter *sequentes etiam particulares ritus* comprehendebat (etsi non omnes et singuli, nec eodem ordine, in unoquoque rituali exhibeantur):

Psalmi paenitentiales cum litaniis.

Psalmi quandoque dicebantur in ipso processu ad domum infirmi (cf. Ordines 21, 27 et 29), saepius, una cum litaniis, in ipso ingressu post aspersionem aquae (ita iam apud Theodulphum Aurelianensem supra cit., p. 776), aliquando vero paulo post, inter varias orationes, aut in connexione cum impositione cineris et cilicii cum qua constituebant veluti quemdam paenitentialem ritum, praeparatorium vel connexum cum sacramento Poenitentiae (cf. varios Ordines). Rituale Romanum hanc caeremoniam reducit ad meram commendationem, a sacerdote directam ad fideles circumstantes, ut recitent psalmos et litanias durante ipsa unctione (cf. infra, p. 832).

Impositio cineris et cilicii.[20]

Haec caeremonia invenitur vel supponitur in pluribus Sacramentariis et Ordinibus, inde a rituali Theodulphi Aurelianensis (saec. 8) usque ad rituale ambrosianum seu Ordinem 29 (saec. 17). Consistit in benedictione cineris et cilicii, in eorum impositione infirmo et quandoque in depositione infirmi super cilicium. Quidam Ordines ad eam videntur alludere, aut illius abbreviatam rationem continent, referentes solam aspersionem aquae benedictae, cinere permixtae (cf. Ordinem 16, initio). Theodulphus Aurelianensis: "Primitus autem infirmo poenitentia detur. Deinde, si permiserit infirmitas, abluto corpore, albis vestimentis induatur, et in ecclesiam deportetur, et jaceat in cilicio superiecto cinere. . . [Quando fit in domo] cum venerint ad eum, videlicet tres presbyteri, dicant capitulum: Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea. . . Deinde fundat sacerdos de oleo sacrato in aquam benedictam, et aspergat eum. . . Et data oratione cinerem sacratum imponat capiti et pectori infirmi in crucis modum dicens: In sudore vultus tui. . . Deinde incipiant septem psalmos poenitentiales pro eo" (cf. integrum textum in art. 1, tom. 1, p. 147 sq.).

Codex Ratoldi: "Tunc sacerdos faciet crucem ex cinere cum aqua

[20] De hac caeremonia fuse agunt Launov et Chardon, *loc. cit.* (supra, in p. 813sq.).

super pectus ejus, et imponit cilicium desuper, dicens: Si quis infirmatur, agat poenitentiam. . .” *{ML* 78. 524). *Codex Rhemensis:* “Deinde sacerdos audiat confessionem ejus. . . Tunc facit crucem ex cinere super pectus infirmi, et imponit cilicium super caput ejus. Post haec sequuntur poenitentiales Psalmi septem. . . Incipit litania” *{ML* 78. 530). *Ordo Romanus,* fons hodierni Ritualis: “Intrans domum dicat sacerdos: Pax huic domui [Sequuntur variae orationes]. . . Deinde sacerdos cum aqua benedicta faciat crucem super infirmum, et aspergat per totam domum aquam. . . Tunc sacerdos supra pectus [infirmi] faciat crucem cum aqua et cinere, superimponens cilicium ita dicens. . .” *{ML* 78. 1020 sq.); subinde, in fine totius ritus, post “Ordinem ad communicandum infirmum,” ea caeremonia iterum sequenti vividiori modo refertur: “Benedictio cineris. ‘Deus pietatis.. .’ [Prosequitur oratio benedictionis cineris.] Tunc extendatur in terra cilicium, et de cinere benedicto super illud a sacerdote fiat crux, et aquae benedictae aspersio; et super illud ponatur infirmus; et similiter fiat crux et aspersio super pectus illius, et dicat ei sic: ‘Recordare quia cinis es, et in cinerem reverteris.’ Ait rursus ei sacerdos: ‘Placent tibi cinis, et cilicium ad testimonium poenitentiae tuae ante Dominum in die judicii?’ Resp. ‘Placent’ ” *{ibid.* 1023). *Ordo 2:* “Tunc sacerdos faciet crucem e cinere super pectus ejus, et imponet cilicium super caput ejus.”[21] *Ordo 16* idem prorsus refert.[22] *Ordo 26:* “Sacerdos faciat crucem cineris in pectore dicendo: ‘In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, memento homo quia cinis es, et in cinerem reverteris.’ Postea ungat dicendo: ‘Per istam unctionem. . .’ ”[23] *Ordo 29* (Ambrosianus, editus saec. 17) hanc caeremoniam ponit tantum inter ea “quae parochus aget post ministrationem” seu post absolutum sacramentum eamque relinquit piae optioni ipsius infirmi: “Parochus ministrato sacramento Extremae-unctionis, si videt spatium vitae esse, antequam discedat aegrotum alloquetur. . . [Inter alia commendabit ut] velit in cinere et cilicio ut poenitentem mori. . . Quod si infirmus ita velle mori dixerit, tunc parochus cinerem et cilicium benedicet, ut infra suo loco.”’[24]

Interrogatio infirmi.

De hac rituali interrogatione, fundata in verbis Apostoli “Inducat presbyteros Ecclesiae” et consistente in verbis: “Quid me vocasti, frater? Ille ait: Ut mihi unctionem tradas” *{Codex Ratoldi, ML* 78. 524) vel similibus, satis dictum est in art. 32 (p. 677-679), ubi de necessitate intentionis in subiecto huius sacramenti.

[21] Apud Martène, *op. cit.* (supra, in p. 822) 122.
[22] *Ibid.* 187. [23] *Ibid.* 225. [24] *Ibid.* 240 sq.

Symbolum et Oratio Dominica.

Haec etiam est antiquissima et frequentissima caeremonia, inde a saec. 8. Fidei professio, quae Symbolo continetur, quandoque refertur una cum recitatione Orationis Dominicae, quandoque sola; aliquando exhibetur non solum sub forma recitationis Symboli sed etiam ut distincta interrogatio ad infirmum directa ejusque responsio; quandoque refertur post unctiones (apud Theodulphum Aurei.), communiter vero ante unctiones.

Iuxta *Codicem palatinum latinum n. 485* (ante saec. 9), antiquissimum fortasse inter testimonia ritus unctionis, hic ritus totus consistit in duabus orationibus sacerdotis, recitatione Symboli per infirmum et unctione cum forma sacramentali (cf. supra, p. 814). *Theodulphus Aurei,* refert recitationem Symboli et Orationis Dominicae post unctiones. *Codex Rhemensis,* post litanias variasque orationes, habet: "Tunc Symbolum palam dicitur. . . Deinde a sacerdote dicatur ad infirmum: 'Credis, frater, quod diximus Symbolum.' Cum responderit, aut nutu significaverit 'Credo,' unguatur a sacerdote" *(ML,* 78. 535). *Ordo 2:* "Tunc [i.e. post impositionem cineris et cilicii] infirmus dicat orationem Dominicam et symbolum cum signaculo sanctae Trinitatis."[25] *Ordo 8* idem omnino repetit.[20] *Ordo 14:* "Postea interroga eum de credulitate sua. 'Credis in Dominum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum? Credo. Credis quod illae tres personae. . .' "[27] *Ordo 21:* "Cantetur ab omnibus 'Credo in unum Deum.' Quo perdicto, interroget eum Prior: 'Credis hoc quod dicimus?' Quo respondente: 'Credo,' porrigatur ei a Priore crux, ut osculetur eam. . . Confessione vero dicta ab infirmo, detur ei Corpus Domini [Unctiones subsequuntur]."[2"] *Ordo 27* post litanias et ante unctiones habet: "Quaerat sacerdos ab infirmo vel infirma, si sciret dicere symbolum an non. Et si non potest dicere, tunc sacerdos dicat: 'Credo in unum Deum, etc.' Symbolo dicto, . . . sacerdos . . . dicat ei: 'Credis ea quae sunt fidei christianae contenta in symbolo: puta articulos fidei, et ea quae sunt determinata ab Ecclesia esse vera?' Respondeat aut signum faciat, 'Credo.' "[ze]

Orationes variae.

In antiquis ritualibus (ut sileamus de prolixiori ritu Graecorum) satis ampla habetur varietas orationum (praeterquam antiphonarum et hymnorum), quarum plures ad ipsum initium ritus dicuntur.

[25] *Ibid.* 122.
[20] *Ibid.* 141.
[27] *Ibid.* 176.
[2"] *Ibid.* 206.
[ze] *Ibid.* 226.

Ordo I (ex Pontificali Anglicano) praebet "orationem quam sacerdos, cum intra januam fuerit, dicere debet," immediate post salutationem "Pax huic domui," et subinde, post aspersionem aquae cum secunda oratione, addit: "Sequitur et alia oratio, quam sacerdos stans ante lectum aegroti, antequam ei quidquam loquatur, dicere debet."[30] *Ordo Romanus* ipse plures refert orationes ante aquae aspersionem *(ML* 78. 1020); ceterum probabile est sacerdotes non omnes et singulas orationes, recitasse sed ex eis aliquam vel aliquas, pro libito aut opportunitate, elegisse. *Ordo 14 (ex* Missali Romaricensi, ante a. 1100) refert etiam epistolam et evangelium, circa initium immediate post benedictionem domus et aquae benedictae; [1] etiam *Ordo 9* refert epistolam et evangelium, sed inter orationes post unctionem;[32] ut dictum est supra (p. 820), in *ritu graeco* septem epistolae et evangelia leguntur sed immediate ante unctiones, ita ut unamquamque unctionem praecederet una epistola et unum evangelium. *Rituale Romanum* nonnisi tres praecipuas ex antiquis orationibus retinuit easque post administrationem Poenitentiae collocavit, fere immediate ante unctiones. Inter hymnos valde notabilis est ille quem integre refert *Ordo 14* (Romaricensis, ante a. 1100) quique incipit verso "Christe, caelestis medicina Patris";[33] ad eumdem hymnum remittunt etiam Ordines 16 et 19.

IV. *SACRAMENTUM POENITENTIAE.*

"Quod si aegrotus velit confiteri, audiat illum, et absolvat" (n. 4). Haec rubrica, qua sacramentum Poenitentiae copulatur et praemittitur sacramento Extremae Unctionis, est frequentissima in antiquis Sacramentariis, Ordinibus et Ritualibus. *Theodulphus Aureliancnsis:* "Admonendi etiam sunt sacerdotes de unctione infirmorum et poenitentia et viatico. . . Primitus autem infirmo poenitentia datur" (cit. in art. 1, tom. 1, p. 147). *Codex Tilianus:* "Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnibus modis Deo et sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, et reconciliationem ab eo percipiat plenam" *(ML* 78. 526). *Codex Rhemensis:* "Deinde sacerdos audiat confessionem ejus, sicut melius inquirere poterit, scriptis, aut verbis" *(ibid.* 530). *Ordo 1:* "Tunc ejus accipiat confessionem."[34] Idemque repetunt Ordines 2, 4, 7, 9, 14, aliique.[35] *Ordo 24:* "Deinde si voluerit confiteri, confitetur, et confessione facta, et data poenitentia, dicat sacerdos. . ."[36]

[30] *Ibid.* 117.
[31] *Ibid.* 176.
[32] *Ibid.* 152.
[33] *Ibid.* 183.
[34] *Ibid.* 117.
[35] *Ibid.* 122, 133, 141, 142, 176, etc.
[36] *Ibid. 220.*

Ordo 28 (Leodiensis, saec. 16) : "Hic suggeratur aegroto memoria confessionis; et si opus fuerit, absolvatur secundum formam absolutionis".[37] *Ordo 29* (Ambrosianus, saec. 17) utitur fere eisdem verbis ac Rituale Romanum: "Aspersione facta . . . parochus ab illo quaerit an aliquid habeat recordeturve, quod confiteri velit."[38] *Ordo Romanus:* "Deinde dicat: 'Ad quid me vocasti, frater?' Respondet infirmus: 'Ut confitear Deo et tibi peccata mea, et ut vice Dei tu illa mihi condones, et des mihi poenitentiam, et infundas sancti Spiritus unctionem'. . . . Tunc, suscepta confessione, et indicta poenitentia, sequantur septem psalmi poenitentiales et litania" *{ML* 78. 1020 sq.).

Ut constat ex ipsis verbis tum Ritualis Romani tum aliorum Ordinum, praemittere sacramentum poenitentiae non est necessarium neque ad validitatem neque ad liceitatem Extremae Unctionis (cf. dicta in art. 32, p. 684-686).

V. *VIATICUM.*

Rituale in expositione ritus Extremae Unctionis nihil dicit de Viatico conferendo; tamen in praeviis animadversionibus (cap. 1, n. 2) generaliter praescribit: *"In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus, et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur."* Ratio praedictae omissionis est quia Rituale distinguit solemnem ritum conferendi Viaticum a solemni ritu conferendi Unctionem atque illum minute exhibet et explicat in speciali cap. 4 *"De communione infirmorum";* ceterum, quando uterque ritus simul confertur, sive in frequenti casu urgentis necessitatis sive in aliis casibus, oportet res ita disponere ut Viaticum, sicut et Poenitentia, praecedat Unctionem, nisi rationabilis causa aliud suadeat.

De hac consuetudine praemittendi Viaticum, eiusque *vi obligativa* sicut et de contraria ac frequentiori praxi observata in antiquiori aevo, sufficienter dictum est in art. 32 (p. 687-694).

Notandum est, iuxta *Sacramentaria et Ordines,* Viaticum olim consuevisse ministrari sub *utraque specie.* Id frequenter significatur verbis "Communicet cum corpore et sanguine Domini" (Sacramentarium Gregorianum, Codex Tilianus, Ordines 3, 4, 11, 12), vel "Hic communicet. Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam te perducat" (Codex Ratoldi, Ordines 2, 21, 22, 23, 24). *Codex Rhemensis* magis explicite rem exhibet distinguens duas formulas: "Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam aeternam"

[37] *Ibid.* 229.
[38] *Ibid.* 238.

(Λ/L 78. 537). Unus vel alter ordo implicite testatur praxim conferendi quandoque utramque simul speciem, intinta nempe specie panis in specie vini, cuius manifesta ratio est quia, ob extremam infirmi debilitatem, contingere poterat ut vel ipse speciem panis facile deglutire non posset vel periculum adesset ne species vini effunderetur; ita Ordo 13 (ex Pontificali Suessionensi, ante a. 1100): "Postea communicet cum his verbis: 'Corpus Domini nostri Jesu Christi sanguine suo tinctum conservet animam tuam in vitam aeternam. Arnen'";[39] item ac explicitius *Ordo Romanus* (saec. 11-12): "Tunc tradat ei sacerdos Eucharistiam dominici corporis intincti vino, et vinum tali intinctione sanctificatum in Christi sanguinem transmutatum, dicens: 'Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat te ad vitam aeternam'" *(ML* 78. 1022).

VI. *TRES PRAEVIAE ORATIONES: "Introeat" "Oremus et deprecemur," "Exaudi nos."*

"Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus jerat, breviter admoneat: et quantum opus sit, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae. Postea dicit [Sequuntur versiculi: Adjutorium nostrum et Dominus vobiscum, et tres orationes]. . . *Quae Orationes, si tempus non patiatur ex parte, vel in totum poterunt omitti"* (n. 4-6).

De vi obligativa harum orationum dictum est in art. 8 (tom. 1, p. 582).

Versiculus "Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum et terram" nonnisi raro invenitur in antiquioribus *Sacramentariis ct Ordinibus.* Ut diximus supra (p. 819) in *ritu graeco,* iuxta Simonem Thessalonicensem, haec verba dicebantur a ministro inter ungendum, dum forma ipsa sacramentalis "Pater sancte" proferebatur immediate ante unctionem.

Ut nuper notatum est (p. 827), Rituale nonnisi tres retinet ex plurimis ac prolixis orationibus quae in antiquioribus Ritualibus exhibebantur. Istae tres preces proveniunt ex *Ordine Romano* (saec. 11-12), in quo extant, in eodem successivo ordine, circa initium ritus, seu post ingressum in domum infirmi et ante aspersionem domus per aquam benedictam. Ceterum ipsae non aliud continent quam domus benedictionem et indirectum eius exorcismum ab infestatione daemonum. *Prima oratio* "Introeat" invenitur etiam in *Ordinibus 4* (sub forma quadam abbreviata), 10, 22 et 23;[40] *secunda oratio* 'Oremus

[39] *Ibid.* 157.
[40] *Ibid.* 131, 153, 209, 217.

et deprecemur" invenitur in *Ordinibus* 10 (in forma abbreviata) et 22;[41] *tertia oratio* "Exaudi nos, Domine" est communis oratio comitans aspersionem aquae benedictae, quae hodie adhibetur etiam in aspersione dominicali et in ritu communionis infirmorum; unde a *Sacramentario Gregoriano* refertur extra ritum unctionis sub titulo "Oratio quando aqua spargitur in domo" *(ML* 78. 232) et in variis *Ordinibus* semper iungitur cum aquae aspersione (cf. Ordines 2, 3. 8, 10, 19, 21, 22).[42]

Symbolica illa oratio "Deus qui famulo tuo Ezechiae ter quinos annos potenter ad vitam donasti, quaesumus ut hunc famulum a lecto aegritudinis misericorditer erigas ad salutem. Per Dominum" *(Ordo Romanus, ML* 78. 1020), quae communissime invenitur in Ordinibus, simpliciter praetermissa est a Rituali Romano.

Notandum est in secunda oratione "Oremus et deprecemur" contineri implicitum *exorcismum,* verbis "Avertat ab eis omnes contrarias potestates." Huiusmodi exorcismus continetur in pluribus aliis orationibus Sacramentariorum et Ordinum, imo in ipsis antiquioribus formis sacramentalibus, ut constat ex relatis in art. 7 (tom. 1, p. 519 sqq.). Explicitus autem exorcismus, per directam nempe diaboli adiurationem (ut "Exorcizo te, inmunde spiritus, etc."), ideo in administratione huius sacramenti non fit, quia iam ipsum oleum, sacramenti materia, est exorcizatum in ipsa eius confectione seu benedictione (cf. v.g. exorcismum olei in Sacramentario Gallicano, *ML* 78. 231, et in hodierno Pontificali Romano).

VII. *CONFITEOR, SEU CONFESSIO GENERALIS.*

"Tunc de more jacta conjcssione generali, latino vel vulgari sermone, Sacerdos dicit in singidari numero: 'Misereatur tui, etc., Indulgentiam . . . tuorum tribuat tibi, etc.'" (n. 6).

Observatio huius caeremoniae *obligat sub levi.* Nec per se sufficit semel tantum eam adhibere in casu quo Extrema Unctio administratur immediate post Viaticum et impertitur benedictio cum indulgentia in articulo mortis; ad quod peculiariter facit responsum S. *Officii* 1 sept. 1851: proposito enim dubio: "Si l'on peut se tenir au Confiteor récité une fois dans l'administration du saint Viatique et de l'extrême onction données de suite a un malade, et aussi dans l'application de l'indugence 'in articulo mortis' quand celle-ci a lieu en même temps que l'administration de l'un et de l'autre de ces deux sacrements," respondit: "Si immineat necessitas conferendi unum post aliud immediate, licere semel in casu; secus repetatur."

° *Ibid.* 153, 211.
" *Ibid.* 122, 126, 140, 153, 195, 203, 210.

Non apparet ratio quare haec caeremonia ponatur hic post praefatas tres orationes; videretur potius coniungenda cum rubrica de confessione sacramentali, et praescribenda quidem tantum disiunctive, seu in casu quo aegrotus non instituat sacramentalem confessionem, quod quidem explicite significat *Ordo 28* (Leodiensis) mox citandus.

Ceterum, ipsa prout constat ex "Confiteor" et duabus illis formulis absolutionis, non apparet in antiquioribus *Ordinibus,* sed est recentioris originis. *Ordo 11* (circa a. 1000) notat: "Deinde roget sacerdos confessor infirmi alios sacerdotes, ut dicant orationes super ipsum, quae sunt de reconciliatione poenitentium ad mortem descriptae,"[43] sed non significat quae essent illae orationes, an nempe ageretur de formulis "Misereatur" et "Indulgentiam," et multo minus an eas praecederet aliqua confessio generalis de genere eius quam "Confiteor" appellamus, imo ex Ordinibus 7, 8, et 9, constat praefatas orationes quae vocantur "de reconciliatione poenitentis ad mortem" alias omnino fuisse.[44] *Ordo 20* (ex pontificali Apaniensi in Syria, incertae aetatis): "Hic admoneatur ut faciat confessionem, et dicat ita: 'Confiteor Deo omnipotenti, etc.' "[45] *Ordines 21 et 25* referunt aliquam formam absolutionis,[46] sed incertum est an lata fuerit ut mera absolutio caeremonialis, nam ipsa est una ex formis absolutionis sacramentalibus quae occurrunt in antiquis Ordinibus, ubi agitur de administratione Poenitentiae. *Ordo 26* (ex rituali S. Mariae Magdalenae prope Cenomanos, circa a. 1400): "Deinde faciat confessionem, et abolvatur dicendo: [Indulgentiam] Absolutionem et remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Arnen,"[47] ubi vix probabile est agi de ipsa confessione et absolutione sacramentali, quae alia forma, eaque indicativa, iam inde a medio aevo conferri solebat. *Ordo 28* (Leodiensis, saec. 16): "Hic suggeratur aegroto memoria confessionis; et si opus fuerit, absolvatur secundum formam sacramenti absolutionis; si autem in genere coram populo confiteatur, adhibeatur subscripta generalis deprecatoria absolutio. 'Misereatur tui. Indulgentiam, etc.' "[48] *Ordo 29* (Ambrosianus, saec. 17): "Et manibus junctis, [parochus] confessionem generalem dicit; aegroto, si potest, cum eo saltem submissa voce pronunciante, aut saltem attente audiente, percutitque ter pectus ad ea verba: 'mea culpa. Confiteor Deo omnipotenti, etc.' Deinde signum crucis dextera formans versus aegrotum dicit: 'Indulgentiam, absolutionem ☧ et remissionem, etc.' "[49]

[43] *Ibid.* 157.
[44] *Ibid.* 140, 141, 142.
[45] *Ibid.* 200.
[46] *Ibid.* 206, 222.
[47] *Ibid.* 224.
[48] *Ibid.* 229.
[49] *Ibid.* 238.

Videtur igitur dicendum in antiquis Ordinibus consuevisse fieri caeremonialem absolutionem seu reconciliationem peccatoris ad mortem, distinctam a libera reconciliatione sacramentali (ut signanter apparet ex Ordine 9 Moisacensi, circa a. 900),[50] quae subinde ita determinata est, ut ipsae formulae "Misereatur" et "Indulgentiam" adhiberentur eisque etiam confessio generalis ex parte poenitentis adderetur ex quodam parallélisme cum ipsa sacramentali reconciliatione.

VIII. *PSALMI POENITENTIALES ET LITANIAE.*

"Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat astantes, ut pro illo orent, et, ubi commodum sit, pro loco et tempore, et astantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum litaniis Sanctorum, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administret" (n. 7; in seq. cap. 3, referuntur ex integro psalmi et litaniae).

Ut dictum est supra (p. 824), haec caeremonia quae olim solemniter ab ipsis praecipue ministris inde ab initio ritus celebrabatur atque una cum impositione cineris et cilicii constituebat peculiarem quemdam ritum poenitentiae, in hodierno Rituali reducitur ad meram commendationem precum ab ipsis fidelibus recitandarum, et quidem dum sacerdos exequitur unctionem ipsam sacramentalem. Ceterum, etsi quidam antiquiores, ut Bonacina, Palaus, Escobar et Elbel, hanc recitationem, urgerent sub poena peccati venialis, moderni communissime, ut Génicot-Salsmans, Aertnys-Damen, Vermeersch, Prümmer, Merkelbach, Gougnard, Cappello, post ipsum S. Alphonsum, dicunt eam esse *de mero consilio*. Ex quo etiam explicatur quare tam frequenter omitti soleat.

IX. *IMPOSITIO MANUUM CUM ORATIONE.*

"Mox, extensa manu dextera super caput infirmi, dicit: 'In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lit, et Spiritus ✠ Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem 'manuum nostrarum . . " (n. 7).

De caeremonia impositionis manuum in hoc sacramento, tam apud Latinos quam apud Orientales, fuse dictum est in art. 4 (tom. 1, p. 434-441), ubi notavimus quod in Rituali Romano prius legebatur tantum: "Mox dicat," nec nisi in ultima editione Pii XI a. 1925 additum est incisum "Extensa manu dextera super caput infirmi" ut ita rubrica consonaret verbis concomitantis orationis "Per impositionem manuum nostrarum" et partialiter restitueretur antiquus ritus impositionis manuum.

[50] *Ibid.* 142.

CAEREMONIAE CONCOMITANTES ESSENTIAM SACRAMENTI.

X. *MODUS UNCTIONIS.*

"Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum [Sequuntur sex particulares unctiones ad quinque sensus et pedes, cum propriis formis]" (n. 8-11). Rubrica etiam notat: *"Et adverte quod Sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interius, sed exterius. . . Haec autem unctio ad pedes, ut dictum est, ex qualibet rationabili causa omitti potest"* (n. 10 sq.).

Praeterea, Rituale in praecedenti cap. 1. n. 12-22 varia praemittit quae hanc rubricam de modo administrandi explanant et complent; quaedam ex his etiam in Codice I. C. (can. 947) referuntur. Peculiariter prescribitur: *"Unctiones autem, extra casum gravis necessitatis, ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento pant"* (cap. 1, η. 16; Codex, can. 947, § 4). *"Quando pluribus simul infirmis hoc Sacramentum ministratur, Sacerdos singulis aegrotis crucem pie deosculandam porrigat, omnes preces quae unctiones praecedunt, plurali numero semel recitet, unctiones cum respectivis formis super singulos aegrotos efficiat, omnes vero preces, quae unctiones subsequuntur, plurali numero semel dicat"* (ibid., n. 22).

Ceterum haec omnia sufficienter explicavimus in art. 4 (tom. 1. p. 453-459) agentes de materia proxima huius sacramenti. Manet tantum aliquid observandum de historia duplicis praxis faciendi unctionem in forma crucis et cum pollice oleo intincto, de cujus *obligatione* diximus in art. 4 (tom. 1, p. 457).

In forma crucis unctiones esse faciendas praescribunt communissime Sacramentaria, Ordines et Ritualia, inde ab antiquissimo *Libro Ordinis* liturgiae Mozarabicae (cf. in art. 1, *tom. 1,* p. 136). *Theodulphus Aurelianensis:* "Faciat de oleo super eum duodecim signa crucis" (cf. integrum textum *ibid.,p.* 147 sq.). *Sacramentarium Gregorianum:* "Perungat infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo et gutture, et inter scapulas, et in pectore" *(ibid.,* p. 140). *Codex Rhemensis:* "Unguatur a sacerdote, vel pluribus sacerdotibus de oleo sanctificato, facientibus cruces . . ." *(ibid.,* p. 167). *Codex Titianus:* "Et sic perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo, et gutture, et pectore, et inter scapulas . . . , et in quinque sensibus" *(ibid.,* p. 170). *Ordo Romanus:* "Intincto namque pollice in oleo infirmorum sacerdos in aegri corpore signum crucis faciat in septem, vel in aliquantis locis" *(ibid.,* p. 171). *Ordo 1:* "Et sic perun-

gat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo."[51] Cf. alios Ordines, ut 10, 11, 12, 15, 16, 17, 18, 21, 22, 23, 27, 28, 29, qui eamdem expressionem "Ungat cruces faciendo" frequenter repetunt.

Pollice oleo intincto unctiones faciendas esse, satis communiter asserunt Ordines, saltem inde a saec. 10. *Ordo Romanns* (saec. 11-12) nuper citatus eadem fere Ritualis verba adhibet. *Ordo 10* (Noviomensis, circa a. 900) duas adhibet expressiones,[52] quas repetunt posteriores Ordines: *"Intincto pollice in oleo,* cruces faciat [ungendo]," quae invenitur etiam in Ordinibus 17, 18, 22, 23, 29, Ordine Romano et hodierno Rituali; "Inungens eum, cruces faciendo *de pollice,"* quae extat etiam in *Ordine 21* et *Ordine 2'I* ("Ungat cum pollice").

Ordo 28 (Leodiensis, a. 1553) peculiarem hanc formam habet: "Et pollicem vel virgulam intingat in oleum,"[53] in qua fortasse contemplatur exceptionalem casum administrationis *per instrumentum* in morbo contagioso, ut suadet subsequens rubrica circa numerum unctionis: "Sed in multum contagiosis morbis creditur sufficere unctio quinque sensuum externorum."[54] Ceterum talis praxis adhibendi virgulam satis communis fuit in quibusdam ecclesiis belgicis, ut dictum est in art. 4 *{ibid.,* p. 432, in nota), ubi supradictam praescriptionem Ritualis de non adhibendo instrumento exposuimus.

Ordo 29 (Ambrosianus, a. 1645), sicut Rituale Romanum, notat debere "partem inunctam *tergi bombacio."*™

XI. *TEMPUS.*

Rituale nullum tempus assignat pro administratione huius sacramenti, adeoque omni tempore, die et hora conferri potest. Quidam addunt melius esse sacramentum administrare diurno quam nocturno tempore, ut possint accuratius observari caeremoniae et praescriptiones Ritualis; quae tamen animadversio in modernis circumstantiis nonnisi valde relativum habet valorem.

XII. *LOCUS.*

"Cum perventum jucrit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: 'Pax huic domui?" (n. 3).

luxta modernam igitur praxim, locus proprius pro administratione huius sacramenti non est ecclesia, sed domus sive cubiculum infirmi, et. in casu urgentis necessitatis, quicumque locus, ubi

"*Ibid.* 118.
"*Ibid.* 154.
"*Ibid.* 229.
"*Ibid.* 229.
" *Ibid.* 239.

jacet infirmus, etiam via, platea, etc. In prioribus tamen Ecclesiae temporibus, praxis viguit, tam apud Graecos quam apud Latinos, sacramentum administrandi etiam in ecclesia, quando infirmi potuerint in eam commode deferri. De qua praxi satis dictum est in art. 30 (p. 632 et 634); eam transeunter testatur *Theodulphus Aurelianensis:* "Si permiserit infirmitas, abluto corpore, albis vestimentis induatur [infirmus], et in ecclesiam deportetur, et jaceat in cilicio superjecto cinere" (cit. in art. 1, tom. 1, p. 147); posteriora vero Sacramentaria et Ordines latini de ea prorsus tacent, sed mere referunt processum et ingressum ministri in domum infirmi cum rituali salutatione "Pax huic domui," de qua dictum est supra (p. 823); nec Missa pro infirmo, de qua sermo est in pluribus Ordinibus (cf. infra p. 841) contrariam praxim ostendit, nam haec Missa poterat dici in ipso cubiculo infirmi.

XIII. PzlS/1 *ET INSTRUMENTA.*

"Sacerdos Sacramentum Extremae Unctionis ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in sex globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos; et aquam ad abluendas Sacerdotis manus, ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur. Deinde . . . accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute dejerat, ne effundi possit" (n. 1 sq.). *"Habeat igitur Parochus in ecclesia loco nitido et decenter ornato, in vaso argenteo seu stanneo, sub clavi diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum"* (c. 1, n. 3).

Obligativa vis huius rubricae relativa est, pro varietate requisitorum, et, quoad aliqua, nulla; in particulari, *usus candelae,* iuxta aliquos modernos, ut Gury-Ballerini, Génicot-Salsmans et Cappello, non praescribitur sub peccato quia finis, qui a Rituali assignatur, est ut "ipsi ungenti lumen praebeat," etsi communius dicatur praecipi sub poena peccati venialis ab auctoribus tam antiquioribus quam modernis, ut Leandro, Escobar, Diana, Busenbaum, S. Alphonse, Noldin, Prümmer, Piscetta.

Antiquiores *Ordines* nihil specificant de vasis aut instrumentis ad unctionem deservientibus. *Ordo 27* (Catalaunensis, circa a. 1500) loquitur de stuppa seu de ("aliqua persona ad detergendum dictas cruces cum stuppis").[226] *Ordo 28* (Leodiensis, a. 1553) loquitur de "lino aut stuppa parata ad detergendum oleum membris inunctis," et prae-

226 sq.

terea, ut notatum est supra (p. 834), exhibet etiam "virgulam" per quam fiant unctiones.[57] *Ordo 29* (Ambrosianus, a. 1645) loquitur de "bombacio, quod in vase mundo ponitur, ad eum usum parato, quod [sacerdos] secum portandum curabit," de "medulla panis" qua sacerdos digitum oleo unctum abstergit, et de "vaso olei sacri [quod sacerdos] reponit in mensa praeparata, ubi candela accensa sit."[58] Mentio autem luminis sive candelae fit quidem in quibusdam Ordinibus, sed non videtur habere peculiare momentum liturgicum aut symbolicum; *Ordo 1* loquitur de ceroferariis, *Ordo 21* de candelabris, *Ordo 24* de cereis, *Ordo 27* de igne in lucerna et candelis accensis, *Ordo 29* de cereo lanterna incluso. E converso, in liturgia orientali, ritualis usus lucernae sive candelae est magni momenti, ut constat ex ritu benedictionis olei in duplici *Euchologio Graecorum* (cf. supra, p. 784, 785) et peculiariter ex ritu *Syrorum et Coptorum,* apud quos Extrema Unctio nomen ipsum accepit "mysterii seu sacramenti lampadis vel candelae" (cf. dicta in art. 1, p. 3, 107, 178).

XIV. *VESTES.*

"Superpelliceo stolaque violacea indutus" (n. 4).

De obligativa vi hujus rubricae dissentiunt auctores. Nullum imprimis est dubium eam esse obligativam saltem sub veniali, ut constat etiam ex quibusdam S. Sedis declarationibus; ita *C. SS. Rituum* declaravit superpelliceum et stolam adhibendas esse, non obstante consuetudine contraria,[59] et *S. C. de Propaganda Fide* ac S. *Officium* eamdem obligationem supponunt in duplici responso Missionariis dato a. 1820 et 1850.[60] Quidam antiquiores, ut Suarez (Disp. 44, s. 2, n. 7), Palaus et Bonacina, docuerunt ne in casu quidem necessitatis licere, et quidem sub gravi, hoc sacramentum ministrare sine vestibus, quia ex una parte consulendum est reverentiae sacramenti et ex alia parte illud non est stricte necessarium ad salutem. Alii, ac communius dicunt, extra casum necessitatis grave peccatum esse sacramentum ministrare sine ulla veste (seu sive sine stola sive sine superpelliceo), leve vero peccatum si alterutra vestis omittatur, praecipue si agatur de superpelliceo: ita Leander, Escobar, Diana, Lacroix, S. Alphonsus, Aertnys-Damen, Vermeersch, Priimmer, Merkelbach, Gougnard. Quidam tandem pauci inter modernos, ut Cappello et Piscetta-Gennaro, merito dubitant de gravi obligatione non omittendi utramque vestem, imo

[57] *Ibid.* 229.
[58] *Ibid.* 237, 239, 240.
[59] *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum* II (Romae: Ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1898) 219.
[60] Cf. *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide* (Romae: Ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide 1907) I 434, 570.

hic ultimus auctor levem tantum obligationem contra alios explicite proponit, inquiens: "Leve est (quamquam aliqui contra sentiunt) administrare sine stola et superpelliceo."[0']

Pauci inter *Ordines* loquuntur de vestibus quas minister induere debeat. *Ordo 1* loquitur de amicto, alba, stola et planeta, notans non esse adhibendam casulam; sed, ut patet, ibi agitur de solemniori quadam administratione, cui intervenit etiam diaconus. *Ordo 21* requirit casulam, sed agit de simultanea delatione Eucharistiae. *Ordo 22* loquitur generaliter de sacris vestibus. Recentiores *Ordines 27 et 29* loquuntur de "superpelliceo et stola," imo Ordo 29 exhibet "stolam violaceam."

XV. *MINISTER SEU CLERICUS.*

"Deinde convocatis Clericis, seu ministris, vel saltem uno Clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspcrsorio, et librum Ritualem dejerat, [parochus procedit ad domum infirmi]. . . Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet Unctionem, tergat loca inuncta novo globzdo bombacii" (n. 2 et 9).

Rituale requirit saltem unum clericum, addens quod, si ipse sit in sacris seu saltem subdiaconus, potest abstergere bombacio loca inuncta. Praeterea, Rituale praevidet casum solemnioris delationis Olei sancti per diaconum, superpelliceo indutum, una cum sacerdote deferente Viaticum (c. 1, n. 15).

De *vi obligativa* praescriptionis adhibendi aliquem ministrum, non prorsus conveniunt auctores nisi in hoc quod omnes excludunt gravem obligationem; communius admittunt esse veniale peccatum nullum adhibere ministrum, ita, praeter antiquiores cum S. Alphonso, Aertnys-Damen, Priimmer, Merkelbach, Piscetta-Gennaro, Gougnard; quidam tamen, ut Bonacina, Escobar et Possevino (apud S. Alphonsum), Noldin-Schmitt et Cappello, probabilius dicunt id nullum esse peccatum nec posse ostendi verum adesse praeceptum de hac re. quod quidem convenientius explicat quare in quibusdam regionibus, ut in Statibus Federatis Americae, mos invaluit nullum ministrum adhibendi. Plures auctores hic quaerunt utrum sacerdos possit, pro utilitate et convenientia, uti etiam ministerio mulieris. Quidam, ut Busenbaum cui consentit S. Alphonsus, Gury et alii, negant, dicentes id fore peccatum veniale; alii, ut Ballerini-Palmieri et Génicot, admittunt saltem ut mulier, deficiente alio ministro, respondeat sacerdoti, sicut licet in Missa; alii tandem, ut Cappello et Conte a Coronata, admittunt praeterea ut mulier, cum debita modestia et reverentia, porrigat vasculum sacri olei sacerdoti ministranti.

[0'] *Elementa theologiae moralis* V (ed. 4 et 5, Torino [1938]) 879.

Antiqui *Ordines* vario modo loquuntur de ministris, quod quidem provenit sive ex frequenti assistentia plurium sacerdotum (cf. dicta in art. praec., p. 775-779), sive ex solemniori administratione quae exigebat praesentiam diaconi, sive ex maiori vel minori difficultate, pro diversis locis et circumstantiis, procurandi concursum plurium ministrorum; ceterum quidam Ordines satis clare significant sufficientiam unius ministri seu clerici, post ipsum *Alexandrum III* declarantem: "Sacerdos uno praesente clerico et etiam solus potest infirmum ungere" (cf. supra, in p. 743), imo *Ordo 27* videtur admittere etiam ministerium foeminae. *Ordines 3, 16, 24, et 29* loquuntur de sacerdotibus et aliis ministris seu clericis; *Ordines 1 ct 21* de diacono et aliis ministris; *Ordo 29* de "clerico sacris initiatio" qui possit partes inunctas abstergere bombacio; *Ordo 9* de omnibus clericis; *Ordo 28* de "ministro" in singulari, imo *Ordo 29* de "clerico induto superpelliceo"; *Ordo 2I* de "sacerdote cum clericis, saltem cum clerico ad hoc perito et idoneo," imo de "aliqua persona ad abstergendum cruces cum stuppis," i.e. de "illo vel illa, qui vel quae extergit cruces de stuppis."

CAEREMONIAE SUBSEQUENTES ESSENTIAM SACRAMENTI.

XVI. *ABSTERSIO PARTIUM INUNCTARUM ET DIGITI INUNGENTIS.*

"Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet Unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea dejerat, comburat, cineresque projiciat in sacrarium. . . Quibus omnibus [unctionibus] peractis, Sacerdos pollicem fricat cum medulla panis, manus lavat linteoque abstergit; aqua vero lotionis cum pane, suo tempore, mittatur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem" (n. 9 et 12).

Quidam auctores practici notant non adesse strictam *obligationem* deferendi et comburendi bombacium ac panem in ipsa ecclesia sed posse id committi familiaribus infirmi, imo aliqui addunt non requiri ut cineres subinde deferantur et proiciantur in sacrarium, adeoque tuta conscientia sacerdotem posse totum hoc negotium committere familiaribus sive ministris infirmi, si moraliter certum sit eos id exeeuturos.[82]

In *Ordinibus,* praecipue antiquioribus, pauca reperiuntur de hac re, cum sit minoris momenti et aliunde connaturaliter exigi intelligatur. *Theodulphus Aureliancnsis* loquitur de abstersione vestium infirmi: "Illa autem vestimenta oleo superfusa quibus infirmandus [sic] non

[82] Cf. apud Kilker, *Extreme Unction* (St. Louis 1927) 365.

sepeliuntur, et si convaluerit, abluuntur in loco mundo, et iterum utitur eis" (cit. in art. 1, tom. 1, p. 148). *Ordo Romanus* (saec. 11-12) loquitur tantum de ablutione manuum sacerdotis: "Lavat sacerdos manus suas, et lavaturam projicit in piscinam, vel ignem" *(ML* 78. 1022). Similiter *Ordo 22* (circa a. 1200): "Inuncto fratre, lavet manus suas, sacerdos, et jactet in piscinam."[81] Tres Ordines recentiores magis appropinquant ad praescriptiones Ritualis Romani. *Ordo 27* (Catalaunensis, circa 1500): "Et debet esse aliqua persona ad detergendum dictas cruces cum stuppis, et in qualibet cruce accipiat stuppas novas, candelis accensis. . . Lavat sacerdos unctione peracta manus suas cum sale et aqua. Similiter ille vel illa, qui vel quae extersit cruces de stuppis, quae debent custodiri et reservari inter duas scutellas ligneas, et reponi in quodam armariolo in ecclesia, et de eisdem facere cineres pro die cinerum, vel recondi in terra sancta."[01] *Ordo 28* (Leodiensis, a. 1553: "[Sacerdos] linum aut stuppam habeat paratam ad detergendum oleum membris inunctis. . . Post haec [i.e. post unctiones] sacerdos exusta stuppa, manus abluat adhibito sale, et aqua ablutionis, cum cineribus stuppae jubeantur projici in ignem et aquam fluentem."[05] *Ordo 29* (Ambrosianus, a. 1645): "Ubi vero [parochus] unamquamque partem unxit: ipsemet aut sacerdos alius, si adest, aut clericus sacris initiatus partem inunctam continuo tergit bombacio, quod in vase mundo ponitur, ad eum usum parato, quod secum portandum curabit, quodque deinde peracta tota unctione ad ecclesiam defertur et ibi comburitur: cineres vero projiciuntur in sacrarium. . . Postea parochus digitum pollicem, quo unxit, medulla panis bene fricat, et aqua abluit in vase supradicto, tum manutergio abstergit. Ablutionis vero aquam cum micis refert in sacrarium."[00]

XVII. *TRES FINALES ORATIONES: "Domine Deus, qui per Apostolum tuum," "Respice quaesumus" et "Domine sancte," quas praecedunt Kyrie eleison, Pater noster ct plures versiculi* (n. 12).

De *obligativa vi* harum Orationum dictum est in art. 8 (tom. 1, p. 582).

Hae tres orationes inveniuntur etiam in *Ordine Romano* (saec. 11-12) ex quo Rituale hodiernum descendit, sed prima praecedit immediate ipsam unctionem, ceterae vero eam subsequuntur, una cum tertia ac finali oratione. Etiam in aliis Sacramentariis et Ordinibus prima oratio, in qua fit directa allusio ad textum Iacobi, praecedit unctiones (si excipiantur Ordo 13, ex Pontificali Suessionensi ante a.

"Apud Martène, *op. cit.* (supra, in p. S22) 214.
"*Ibid.* 227.
" *Ibid.* 229 sq.
Mlbid. 239, 240.

1100, et Ordo 29, ex Rituali Ambrosiano a. 1645)[07] estque valde frequens (Sacramentarium Gregorianum, Codex Tilianus, Codex Rhemensis, Ordines 1, 3, 4, 9, 10, 13, 14, 16, 19, 20, 21, 25, 28, 29). Secunda oratio (quae provenit ex Sacramentario Gregoriano) est adhuc frequentior et vix non semper praecedit unctiones (si forte nempe accipiatur Ordo 508). Tertia oratio (quae provenit ex Sacramentario Gelasiano, ubi exhibetur ut oratio "pro reddita sanitate") est multo minus frequens, et quandoque praecedit, quandoque subsequitur unctiones.

XVIII. *MONITA.*

"Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur et ad jugandas daemonum tentationes roboretur. . . Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi ... ut morientem adjuvent . . ." (n. 13-16; cf. c. 3-8).

Similia monita continent quidam pauci *Ordines, ut 27, 28, et praecipue 29* (Ambrosianus).[00]

XIX. *SUPPLETIO OMISSARUM ORATIONUM ET UNCTIONUM.*

"Si quis aiitem laboret in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur Unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: 'Per istam sanctam Unctionem, etc.' ... ; deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae. . . In casu autem necessitatis sufficit unica unctio. . . Salva tamen manet obligatio singulas unctiones supplendi. . . cessante periculo" (c. 1, n. 12 et 21).

De cuius *obligationis* vi et ratione, fuse dictum est in art. 4 (tom. 1, p. 404-406, 456 sq.; cf. 474-476).

In *ritu Graecorum* et in antiquis *Ordinibus* ritus latini, plura alia post unctionem observabantur. Praetermissis quibusdam ex caeremoniis supra relatis ante unctionem (ut osculo crucis, benedictione et usu cilicii, recitatione symboli et Orationis Dominicae, Viatico), quae in aliquibus Ordinibus notantur post unctionem, praecipue nota sequentes peculiares observantias. Apud Latinos habebatur *iteratio officii infirmorum per septem continuos dies,* de cuius indole et ratione fuse disputatum est in art. 24 (p. 305-318). Apud Graecos *imponitur liber evangelii super caput infirmi* (cf. supra, in p. 784 et 820). Apud utrosque quandoque administratio huius sacramenti coniunge-

[07] *Ibid.* 174, 240.
[00] *Ibid.* 139.
[00] *Ibid.* 228, 231, 240 sq.

batur Missae, celebratae in ecclesia aut in ipsa domo infirmi; hoc testantur quoad Graecos antiquissimum *Euchologium Codicis Barberini* (cit. in p. 784 sq., 819; cf. tamen dicta in p. 819 de posteriori separatione Euchelaei a Missa et Officio) et quoad Latinos quidam ex antiquioribus Ordinibus: *Sacramentarium Gregorianum* refert quidem "Missam pro infirmo" sed eius coniunctionem cum hoc sacramento non significat. E converso, *Codex Rhemensis,* post descriptionem ritus unctionis, refert duas Missas, i.e. "Missam pro infirmo" et "Missam pro infirmo qui proximus est morti" et intra hanc, ante Communionem, notat: "Tunc unguatur oleo. 'Ungo te de oleo sanctificato, ut salveris aeternaliter in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen' " *(ML* 78. 539). Pariter *Ordo 2* (ex Pontificali Prudentii Trecensis, ante a. 850) in fine ritus unctionis notat: "Sequitur missa pro infirmo. Item alia missa pro infirmo qui proximus est morti."[70] *Ordo 12* (Salisburgensis, a. 1100) refert compendiose totam "missam pro infirmo" intra ipsum 'Ordinem ad visitandum vel unguendum infirmum" ante ipsam unctionem, et in fine ritus unctionis refert peculiares orationes dicendas in "Missa pro infirmo de cujus salute desperatur."[71] *In Missali Romano* retinetur Missa pro infirmo, quae tamen nullam habet peculiarem connexionem cum hoc sacramento.

Haec dicenda erant de mirabili hoc et arcano sacramento, tam exiguo in aspectu et tam fecundo in veritate, quo nempe Christiana hominis vita, Baptismo incoepta et Poenitentia reparata, miro modo perficitur ac feliciter consummatur, veluti per ultimam quamdam poenitentiam antiqua vulnera occludentem et novum quemdam baptismum futuram vitam generantem.

[70] *Ibid.* 128.
[71] *Ibid.* 165 sq., 171.

INDEX BIBLICUS[1]

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

GENESIS
3. 15 9

III REGUM
19. 8 *686*

IOB
4. 18 *527*

PSALM 1
77. 25 *686*

PROVERB IA
11. 14 404

MATTHAEUS
2. 20 *768*
7. 6 *696*
9. 8 *768*
10. 3 620
25. 36, 39 620
27. 44 *768*
27. 4S 768

MARCUS
2. 5 225
6. 12-13 19, 79 sq., 562, 617, 620. 752
6. 56 620
15. 36 768

LUCAS
4. 40 620
7. 10 620
9. 2 620
17. 14 *768,* 760
23. 36 *768*
23. 39 76S

IOANNES
4. 46 620
6. 2 620
6. 52, 55, 57 59 *566*
6. 54 *565*
9. 4 *642*
11. 2, 3, 6 620
20. 22-23 *444*

ACTUS APOSTOLORUM
9. 12 620
9. 37 620
20. 35 620

AD ROMANOS
5. 6 609
7 *84*

1 AD CORINTHIOS
4. 4 *130*
4. 10 600
11. 30 620

II AD CORINTHIOS
10. 10 600

AD PHILIPPENSES
2. 26 620

I AD TIMOTHEUM
4. 14 *744*
5. 19 *755*

II AD TIMOTHEUM
4. 20 620

AD HEBRAEOS
4. 12 *527*

IACOBI
3. 2 SS
5. 13 *609*
5. 14 15 6. 7. 9, 10 sq.. 23, 26, - _▮ 30. 80. 83. SS, 95, 12 Λ 128, 225, 305·, 337. 373, 391, 302, 467 sq., 4SI. 504. 516, 520 sq., 562, 563, 565. 566, 587, 609 sq., 620 sq.. 642, 650, 676, 683, 735 sq.. 743 sq.. 745. 752. 755. 758, 759. 762. 767-770, 774 sq., 792

I PETRI
5. S *9*

[1] In indicibus ordinandis collaboravit *E.* .1. B rz/rr ex Typographia Bruce.

INDEX EXEGETICUS

(Textus citantur iuxta ordinem quo occurrunt in hoc tractatu)

EFFECTUS

In Mare. 6.12 sq. effectus E. U. exhibetur generice ut infirmi sanatio (p. 19, 79), dum in lac. 5.14-15 exhibetur sub triplici conceptu salvationis, alleviationis et remissionis peccatorum (p. 19 sq., 42, 53, 80, 83).

Effectus alleviationis animi (p. 73, 74, 83).

Effectus corporalis sanitatis (p. 76, 77, 79 sq.).

Effectus remissionis peccatorum (p. 53, 62, 83, 128). Proponitur conditionate tantum ac ideo nequit esse principalis effectus (p. 83).

PROPRIETATES

Iterabilitas. Verba lacobi "Infirmatur quis in vobis" favent doctrinae de initerabilitate E. U. (p. 305).

Necessitas. An implicetur in verbis "Inducat presbyteros ecclesiae" (p. 373, 391).

SUBIECTUM

Ex verbis lacobi non necessario deducitur subiectum E. U. esse solum adultum (p. 467 sq., 481).

In verbis lacobi fundari potest doctrina quae tenet solum hominem, qui aliquando peccaverit, esse capacem E. U. (p. 511, 520).

Solum infirmum esse capacem E. U. innuitur in Mare. 6.12 sq. et certe colligitur ex verbis lacobi, attentis simul textu et contextu (p. 562-566). Unde vim verborum lacobi non satis perpendunt tum Schismatici Orientales tum aliqui theologi catholici (p. 563-566, 620sq.).

In utroque textu Marci et lacobi fundatur etiam necessitas proprie dictae infirmitatis (p. 609 sq.), et quidem gravis (p. 620), et suadetur ipsa necessitas periculi mortis (p. 642; cf. 650sq.).

Ex verbis lacobi nihil deduci potest sive pro sive contra sufficientiam habitualis intentionis in subiecto E. U. (p. 676sq.).

Cum eisdem verbis consonat necessitas Baptismi in subiecto E. U. (p. 683).

MINISTER

Iuxta lacobum solus et omnis sacerdos est minister E. U. (p. 745, 755, 758).

Sacerdos nequit sibimetipsi E. U. ministrare (p. 759).

E. U. valide ministratur sive ab uno sive a pluribus sacerdotibus (p. 767, 774 sq., 792).

INDEX THOMISTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, Italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

(Vide: INDEX ANALYTICUS: Thomas Aquinas)

3, 12, 17, 51, 52, 53, 64, 72, 73, 97, 104-107, 119, 161, 167-169, 174, 184-186, 191, 194, 200, 206, 209, 232, 265, 266, 273, 274, 276, 285, 288, 325, 333 »q„ 337, 369, 388, 389, 397, 398, 404-412, 413, 417, 428, 439, 469, 474-478, *480,* 488-490, 494, 499, 500, 507, 522, 564, 568, 574, 598, 601 »q., 606, 612, *663,* 791, 795

SUMMA THEOLOGICA

Prima Secundae (1-2)

q· 81,	a. 3,	ad 2	*104*
q.82,	a. 1		*104*
q. 85,	a. 1		*105*
	a. 3		104, *105*
q.?1,	a. 6		*104*
q. 102,	a. 5,	ad 3	1, 177, *185*
q. 109,	a. 2,	ad 3	*106*

Secunda Secundae (2-2)

q.26,	a. S		*807*

Tertia Pars (3 p.)

q.30,	a. 1,	ad 2	*175*
q. 64,	a. 9		475
q.65,	a. 1		1, *48, 66,* 106, 177, 185, 275, *445*
	a. 1,	ad 4	1, 177, *185*
	a. 1,	ad 8	1, *66, 89,* 136, 141
	a. 3		*686, 691*
	a. 4		365, 366, 385, *404*
	a. 4,	ad 3	*365,405,427 sq*
q.66,	a. 5,	ad 4	*793*
	a. 9		*332*
q.67,	a. 2		147, *169*
	a. 2,	ad 3	147
	a. 6		761, 764, 789, 792
	a. 6,	ad 3	*793,* 794
q. 68,	a. 1,	ad 3	*515*
	a. 2		410
	a. 2,	adi	410
	a. 2,	ad 3	410
	a. 5		169
	a. 7,	ad 3	676
	a. 8		475
	a. 9,	adi	676
q. 69,	a. 2		169
	a. 8		160
	a. 10		250
q. 70,	a. 3		404, *405*
	a. 3,	ad 3	*404*
	a. 3,	ad 4	*404*
	a. 4		*404*
	a. 4,	ad 3	*404*
q. 71,	a. 1		404, *405*
	a. 1,	ad 3	*404*
	a. 2		*404*
	a. 2,	ad 3	*404*
q. 72,	a. 1,	ad 3	*404,* 405, 406
	a. 3		*412*
	a. 6,	ad 1	410
	a. 6,	ad 3	410
	a. 8,	ad 4	406
q. 73,	a. 2		281
	a. 3		405, 410
q. 78,	a. 8		475
q. 79,	a. 3		*130 sq.*
	a. 5		*168*
	a. 5,	ad 1	169
q.80,	a. 9		463, *476, 489,* 680
	a. 9,	ad 1	463, *489*
	a. 9,	ad 3	*482*
	a. 11		405, 409, 410
q.82,	a. 2		761
	a. 2,	ad 2	780
	a. 2,	ad 3	789
q. 84,	a. 1,	ad 1	1, *66,* 147, *169*
	a. 3		*85*
q. 86,	a. 4,	ad 3	169
	a. 5		49, 106
q.87,	a. 3,	ad 1	*141*

Supplementum Tertiae Partis

q· 6,	a. 5		365, *391, 409, 427, 434 sq.*
q.9,	a. 1		250
q. 29,	a. 1,	ad 2	1, 177, *185 sq.*
	a. 2		1, 68, 281, *283,* 284, 286, *312*
	a. 2,	ad 1	283
	a. 2,	ad 2	*246,* 283
	a. 2,	ad 3	*284,* 761, 766, *783,* 789, *796*
	a. 2,	ob.3	*783*
	a. 3,	ad 1	365, 405, *406*
	a. 4		1, 177, *186*
	a. 5		1, 48, 68, 177, *186*
	a. 6,	ad 2	*757*
	a. 8		*267*
q.30,	a. 1		1. 4, 5, *46, 47, 48, 63, 67 sq.,* *87, 88,* 98, *99,* *102,* 103, *104,* *106,* 109, 111, *113,* 136, *140,* 186, 187, 252, 275, 444
	a. 1,	ad 1	365, 410
	a. 1,	ad 2	S, *48,* 64, *68,*

S4, 101, 106, 109, 136, 147, *168*
a. 1, ob. 2 5, *48,* 84, *168*
a. 1, ad 3 *247*
a. 2 1, 4, 5, *14,* 46, *92,199,212sq* , *219, 228*
a. 3 1, 4, 261, 273
a. 3, ad 1 273
a. 3, ad 2 273
a. 3, ad 3 261, *267,* 268, 273
a. 3, ob. 3 *267*
a. 4 *482*
q.31 734
a. 1, ad 2 *747*
a. 3 *756*
a. 3, ad 1 *757*
a. 3, ad 2 *758*
a. 3, Sed contra *756*
q.32, a.1 532, *575*
a. 2 177, *186,* 332, 578, *601, 642, 647, 690*
a. 2, ad 1 *644*
a. 2, ad 2 *601*
a. 3 463, *474 sq., 489 sq.*
a. 3, Sed contra *474 sq.*
a. 3, ad 1 *474 sq.*
a. 3, ad 2 *406, 474 sq., 675 sq.*
a. 4 463, *474*
a. 4, Sed contra 501, *508*
a. 4, ad 1 1, *49,* 108, 192, *224*
a. 4, ad 2 1, 48, *68, 105,* 478, 501, *508, 519, 683*
a. 7 *521*
q. 33, a. 1 109, 286, 326, 332, *350,* 352
a. 1, ad 2 332, 351, 578. *601*
a. 2 1. 286, *328, 332*
a. 2, Sed contra 1, 48, 68
a. 3 578, *601*
q.35, a.4 *332*
â. 5 *332*
q. 37, a. 1, ad 2 *246*
q. 63, a. 2, ad 1 *353*

COMMENTARIUS IN 4 LIBROS SENTENTIARUM

In 4 Sent.:
dist. 1, q. 1, a. 4, q. 1 261, *266 sq.*
dist. 2, q. 1, a. 2 1, *186*
dist. 5, q. 2, a. 1, q. 1 147, *169*
q.2, a. 1, q. 1, ad 2 147
dist. 6, q. 1, a. 1, q. 3 *515*
q. 1. a. 1, q.3, ad 1 515
q. 1, a. 1, q.3, ad 2 515
dist. 7, q. L a. 1, q.2 *405,* 406
q.3, a. 2, q. 1 365, *408*
dist. 8, q· 1, a. 2, q· 1 365, 405, *407*
q- L a. 2, q. L ad 2 365, 405. *407*
q. L a. 3, q-2, ad 3 182, *184 sq.*
dist. 12, q.3, a. 2, q· 1 405, 409
q.3, a. 2, q· 1, ad 1 405, 409
q.3, a. 2, q. 1, ad 2 406, 409
dist. 14, q. 2, a. 1, q-3, ad 2 106
q· 2, a. 1, q.3, ob. *148 sq., 107*
dist. 17, q.3, a. 1, q· 1 410
q-3, a. 1, q· 1, ad 1 410
q.3, a. 1, q.2 *367*
dist. 23 365, *406*
q· L a. 1, q.3, ad 1 365, *406*
q. L a. 2, q-3, ad 3 *267*
q. 1, a! 2, q-3, ob. *3267*
q. L a. 3, q. 1, ad 3 406
q· 1› a. 4, q-2 *267*
q.2, a. 1, q.2, ad 2 406
q-2, a. 4 326, *328*
dist. 24, q. 1, a. 2, q-3, ad 2 410

SUMMA CONTRA GENTILES

2.56 284
4.58 1, *67,* 192, *212, 229*
4.72 *105,* 106, *107,* 410
4.73 1, 4, 5, 44, 46, *49, 66 sq.,* 98, 106, *108,* 109, 111, 113, *166, 167, 185,* 192, *199, 212, 222, 223, 224, 226, 228,* 275, 2S6, 326, 352, *444,* 532, *576,* 578. 580, *601 sq.,* 618, 630, 734, *756,* 761, *774, 779 sq., 790*

QUAESTIONES DISPUTATAE

Dc Malo

q. 7, a. 11 *141*
a. 11, ad 14 1, *90,* 136
a. 11, ob. 14 1
a. 12 *141*

APOCRYPHA

Opusculum dc officiis sacerdotis *489, 602,* 656, *658,* 680, 761, 780, 781, *792, 793*

OPUSCULUM

De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis 5, 365, 405, *406, 602*

QUODLIBETUM

4, a. 10 410

INDEX ONOMASTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ANALYTICUS)

ABAELARDUS, *32,* 37, 38, *42,* 517, *518*
ABAELARDUS (Pseudo), 319, *320,* 323, 324, 325, 341, *630*
ABARZUZA, 158, 159, 252, 253, 263, *265,* 304, 380
ADALHARDI (Vita S.),3P7, *518,* 528, *628,* 759
AEFRICUS (Cantuariensis), 395, *397, 432, 630, 677,* 772
AERTNYS-DAMEN, 73, 116, 159, 252. 253, 260,293, *298,* 303, 305, 359, *377,* 380, *415,*508, 607, *648,* 668, 702, *703, 709,* 716,*718,* 722, *723,* 724, 727, *728,* 729, 809, 832, 836, 837
AGOBARDUS LUGDUNENSIS, *396, 632, 634,* 640
ALANUS DE INSULIS, *6, 322, 325, 398*
ALBA IULIENSE ET FOGARENSE CONC. (a. 1S72), *787,* 792, 798
ALBERTI, 455, 462
♦ALBERTUS MAGNUS, 1, *47, 49 sq., 64-66,* 107, 167, 174, *182-184,* 191, 206, 223, *224,* 226, 228, *229,233,* 268, *269,* 273, *276, 285,* 287,*325,* 326, *327,* 331, 333, 335, 337, 342,359, 365, 369. 397, 399-401, 402, 409, 410, 412 sq., 463, 469, 474, 475, *481, 484,* 4S8, *490 sq.,* 494, 499. *502, 503, 519,* 531, 598, *601,* 612, *680, 690*
ALEXANDER III, *743, 762, 773, 779,* 780. *838. Vide:* ROLANDUS BANDINELLI
ALEXANDER HALENSIS (Pseudo), 52, 55 sq., 167, 174, 266, 469, *599*
♦ALEXANDER HALENSIS (Pseudo), 52,
ALEXANDRINUM COPTORUM CONC. (a. 1898), *788*
ALLATIUS (L.), 532, 541, 573
♦ALPHONSUS (Liguori), 53, 73, 115, *116, 173,* 174, 252, 260, 292, *295 sq.,* 359, 364, 365, 372, 376, 377, 379, *387, 391,* 418, 434, *436, 437,* 439, 463, *498, 499, 500, 503, 528,* 578, 580. 581, 588, *589,* 591, *592,* 601, 603 sq., 606, 612, 622, *647 sq., 663,* 668, *670, 673,* 712, *716,* 729, *730, 731,* 764, 791, 795, 799, *801,* 806, 813, 832, 835, 836, 837
AMALARIUS METENSIS, *30,* 36, 40, *42,* 43, 44, 223, 305, 395, *517, 567,* 568, 614. *617*
AMBROSIANA LITURGIA, 33, 34, 36, 37, 39, *42,* 43, 517, *520,* 613, 616, *633, 638,* 691, *822, 823, 825, 828, 831, 834, 836, 839, 840*
AMBROSIUS, *21, 22, 40,* 206, 325, 326
AMI (L') DU CLERGÉ, 267, 373, 374. *375, 376, 439, 451,* 462, 578
AMICUS, 508, 591, 668
AMULO LUGDUNENSIS, *396*
ANDEGAVENSE CONC. (a. 1293), *599, 650,* 653
ANDRIEUX (L.). 463, 813
ANDRUTSUS (Ch.), 7, 76, 77, 225, 382, 541, 548, 587
ANONYMUS *DE SACRAMENTIS MORIENTIUM INFANTUM, 469*
ANTONELLI (J.), 451, 455, 462
ANTONINUS (Sanctus), 502, *503,* 531, 679, 680
AQUENSE CONC. (a. 1850), 600, *650,* 652, 653
AQUISGRANENSE CONC. (a. 836), *31.* 36, 395, 444. 560. *627, 631, 653, 662,* 688, *746,* 756, *772,* 800
ARAUSICANUM CONC. I (a. 441), *492, 677*
\RCHANGELSKIJ (M.), 532, 534, 540. 572, 573, 584. 613. 619, 655, 763, 773, 790
ARCUDIUS (P.), 140. 287, 300. *315,* 317. 532. 536. 540, 543, *544,* 558, 560, *564,* 655, 766
♦ARMENORUM CONC. (a. 1911), *788,* 792, 798, 802
ARREGUI, *387, 60S,* 703, *705,* 711. *719.* 722, 725, 727, 728, 731, *732*
ARRIAGA, 300. 508
ATHANASIUS, *21, 22,* 41. 80, 81. 393, *624, 771*
ATHANASIUS PARIENSIS. 763. 785
AUGUSTINUS, *De consensu evangelistarum* 3.16, *768; Serm.* 324, *768*
AUGUSTINUS (Pseudo), *30,* 36, 44
AUREOLUS, 72, *73*
AUSSITANUM CONC. (a. 1S51), 472, *486 sq.,* 523
AVENIONENSE CONC. (a. 1594), 600, 650, *653*

BAIOCENSE CONC. (a. 1300), *657,* 659
BALLERINI-PALMIERI, 73. 115. *173,* 174, *198 sq.,* 201. 214, 233, 237. *238,* 304, 380, 508, 601, *604, 725, 728,* 809, 837
BALTIMORENSE CONC. II (a. 1866), *424,* 430, 432

BANDINUS, 268, 319, *321,* 323, 324, 325, 341
♦BARRY (D.), 1, 61, 287, 451, 799
BEDA, 22, 26, 29 sq., 37, 40, 223, 305, *392,* 395, *396,* 517, *567, 614, 616 sq.,* 625, 635, 636, 637, 639, *640, 747,* 748, *775*
♦BELLARMINUS, 50, 52, 61 sq., 78, *114,* 171, 174, 198, 214, *444,* 508, 574, 601, *606,* 612, *619,* 736, 737
♦BENEDICTUS XIV, *46,* 92, 287, 292, *295, 320, 331, 332, 336, 343, 359, 364, 365, 423, 428,* 432, *440,* 463, *465, 466, 483,* 485, *486, 492,* 498, *529 sq.,* 532, 536, 540, 541, 542, 543, 544, 547, 548, 551, *552, 554 sq.,* 557-560, *561, 569 sq.,* 571, 575, 578, 583, *592, 606,* 612, *613,* 621, 633, *647, 649, 652, 654 sq.,* 658, 659, 660, *662, 663, 672,* 687, *694,* 734, 742, *744, 753,* 761, *762, 773 sq., 782, 788, 790,* 792, 798, 799, 801, 805
BENEVENTANUM CONC. (a. 1374),*233, 329 sq.,* 335, *494,* 499, *613, 649 sq.,* 652, *678,* 679
BERARDI (A.), 451, 455, 456, 669
BERNARDUS, *32,* 37, 517, 688
BERTI (L.), *78,* 99, 199, 564, *737,* 742, *748 sq.,* 768
BIEL (Gabriel), S3, 413, 805
♦BILLOT (L.), 8, 64, 115, *116 sq., 124 sq., 127,* 158, 201, *202,* 204, 226, 228, 229, 252, 253, *263,* 289, *301, 356,* 380, 508
BILLUART, 1, 64, 110, 115, *116,* 140, *172 sq.,* 174, 199, 200, 217, 233, *277,* 292, *295,* 343, 369, 379, 380, *381 sq., 486,* 508, 529, *577,* 601, *606,* 612, 622, 764, 768, 780, 791
BITURICENSE CONC. (a. 1584), *649*
BJELJAEV, 7, 298, 540, 572, 587, 594, *595,* 655
BOBBIENSE MISSALE, *24,* 25, 26, 27, 36, 37, *41,* 517
BONACINA, 359, 668, 791, 832, 836, 837
♦BONAVENTURA, 1, *47, 50,* 51, 53, 56-58, 67, 113, 137, 140, *141, 167,* 174, *186 sq.,* 199, 206, *212,* 226, *227,* 228, *229 sq.,* 268, *269,* 273, *276,* 287, 325, 326, *327 sq.,* 331, 333, 337, *351,* 358, 365, 369, 397, 398, 401-404, 417, 439, 445, 463, 469, 475, *481 sq.,* 488, *491,* 502, *567, 599,* 612, *690*
BONIFACII (Statuta S.), 30, 36, 736, 746, 772, 800
BORD (L), *392,* 467, *468,* 503, *564,* 734, 768
♦BOTTE (B.), *583, 596,* 597, 598, *599,* 621, *693,* 813
♦BOUDINHON (A.), 734, 738 sq., 740, 743, 755, 759
BOYER (C.), 64, 119, *122,* 158, 289, *302,* 310, 380, 508, 523, 529, 607, 622, 766, 767
BRANCATUS, 503, 532
BUCCERONI (L), 116, 127, 158, 252, 305, 380, 415, 607, 703
BULGARIS (N.), 548, 549, 565
BURCHARDUS WORMATIENSIS, 677, 688
BURDIGALENSE CONC. (a. 1583), *649, 659*
BUSENBAUM, 73, *173,* 498, 500, 601, 612, 791, 801, 835

CABILLONENSE CONC. (a. 813), 31, 37, 395, *432,* 569, *746,* 756
♦CAESARIUS ARELATENSIS, *23,* 25, 26, 28, 29, 37, 40, 206, *305,* 394, 395, 396, 517, *624,* 629, *632, 634, 635,* 636, 637, 639, *688,* 738, *747 sq.,* 759
CAIETANUS, 268, 413, 587
CALVINUS, 6, *585, 586, 736,* 762
CAMERACENSE CONC., *494 sq.,* 499
CAMPANIAS (Th.), 225, 763, 786
CANONES HIPPOLYTI, *21,* 22, 36, 38, 40, 206, *305, 393, 632,* 634, *637, 756, 771*
CAPELLMAN (C.), 451, 462, 668
♦CAPPELLO (F. M.), 1, 51, 52, *71,* 73, 115, *118,* 124, 125, 136, 137, *139,* 140, 143, 148, 149, 150, 164, 201, *205,*218, 226, 228, 233, 234, 243, 248, 250, 252, *253,* 260, 263, *278,* 286, 287, 289, 293, *298,* 303, 309, 312, *324,* 334, *336,* 345, 346, 357, 358, 359, 360, 371, 372, 373, *374, 375 sq.,* 379, 387, *390,* 398, 409, *410,* 411, 415, 421, *439,* 451, 455, 456, *457 sq.,* 462, 463, 467, 468, *472, 488 sq., 500,* 501, 503, 506, 507, 523, 551, 563, 578, 580, *582,* 584, 588, *590,* 592, *593,* 596, 597, *598 sq., 608,* 622, *646,* 654, 667, *670, 694,* 695, 702, *703, 708,* 716, *718,* 719, 722, 724, *725 sq.,* 727, 728, *729,* 730, 731, *732,* 734, *741, 742,* 761, 762, 764, 766, 769, 790, 799, *801, 802, 803,* 806, *808,* 809, 813, 832, 835, 836, 837
CAPREOLUS, 64, *68,* 114, 170, *189 sq.,* 264, 266, 328, *490,* 680
CARBONEANO (Ph. de), 532, 558, 559
CAROLI MAGNI CAPITULARE, 395, 568, *627,* 653, *689,* 746, 772, 800
CAROLUS BORROMEO, *450, 493 sq.,* 495, 499, 500, *649,* 668, 679, 680, *681,* 691, 791
CASSELIENSE CONC. (a. 1853), 472, *487,* 523
CASSIANUS, 23, 25, 29, 37, 40, 517
CASSIODORUS, 26, 29, *394, 611, 625,* 637, *640, 771*
CATALANUS (J.), 233, 292
♦CATECHISMUS CONC. TRID., 5,11,12, *13 sq.,* 15 sq., *16 sq.,* 18, 50, 54, *58,* 72, 84, *87,* 89, 92, *96,* 128, 165, *166, 182,* 197, 206, 216, 221, 281, *282,* 285, *290,* 339, 340, 347, *421 sq., 432,* 444, *465, 470,* 472, 473, 485, *522,* 527, *556 sq.,* 568, 575, 580, *592,* 597, 598, *600,* 601, *610 sq., 618,* 621, *623, 643, 648,* 650, *651,* 652, 653, *662, 691 sq., 744,* 753, 773, *800, 807*
CAVALLERA (F.), 13, *335*
CELTICA LITURGIA, 33, 36
CHAINE (J.), 392, *564,* 768, *769,* 818

CHARDON (C.), 301, 532, 543, 578, 654, 656, 687, 813, 824
♦CHAVASSE (A.), 25, 26-29, 578, 613, *614 sq.*, 635-637, 639, 734, *739 sq.*, 743, 755, *775 sq.*
CHRÉTIEN (P.), 695, 702, 716, 722
♦CHRYSOSTOMUS, *21*, 22, 37, 40, 43, 80, 393, 517, 539, 567, 746
CICERO, *579, 619*
♦CLEMENS VI, *289 sq.*, 301, 335-337, 339, 340, 342, *553 sq., 610*, 621, <543, *651*, 662
CLERICATUS (J.), *46*, 136, *138*, 142, 143, 532, 543, 571, 578, 612, 740, 759, 760
♦CODEX I. C., 289, 302, 339, 340, 342, 360, 362, 485, 601, *610*, 612, 621, *750, 756, 758*, 773, 800, *804*
Can.12 464
Can. 87 708
Can.397 801
Can. 397, η. 3 *801*, 803
Can. 464, §2 *802*, 803
Can. 465, § 6 708
Can. 467, § 1 708
Can. 467, §2 708
Can.471 803
Can.472, n.2 803
Can. 475, §2 803
Can. 476, §6 803
Can. 483, §2 708
Can.514 801
Can.514, § 1 *801*, 803
Can. 514, §2 *802*, 803
Can. 514, §3 *802*
Can.523 *561*, 580, 643
Can.684 708
Can.687 70S
Can.731 703, 704
Can. 731, §2 *700*, 708 sq.
Can.740 *703*
Can.754, § 1 464
Can.787 417
Can. 854, § 2 *498*
Can. 864, § 1 672
Can.865 672
Can.882 *709*, 715
Can.938 734
Can. 938, § 1 *745*
Can. 938, § 2 *745, 801*, 803
Can. 938, n. 2 803
Can.939 *803*
Can. 940, § 1 *465, 470*, 487, *560 sq., 582*, 583, *606, 613, 646, 665*, 669, 672, *683, 700 sq., 708*
Can. 940, § 2 *256, 291, 561, 643, 646 sq., 652, 662*
Can.941 *450, 470*, 487, *497*, 498, *561, 670*
Can.942 *259*, 686, *701*, 704, 708, *715*, 724, 725, 726
Can. 943 *470 sq., 495*, 498, *682*
Can.944 *369, 370*, 378, 379, *384*, 417,425-428,429, *561, 648 sq.*, 672, *807*
Can.945 820
Can.946 820
Can.947 820
Can. 947, § 4 833
Can.1213 *461*
Can. 1240, §1 701
Can.1254 664
Can.1368 803
Can. 2260, §1 708
Can. 2270, 5 1 *415*
Can. 2314, $ 1, n. 1 708
CODEX RATOLDI, 520, 568, 626, *677 sq.*, 688, 815, *824 sq.*, 828
CODEX RHEMENSIS, 34, *42, 306*, 309, 315, 520, 568, *618, 626*, 653, *678*, 772, *777 sq.*, 781, 789, 792, 815, 825, *826, 827, 828, 833, 841*
CODEX TILIANUS, 34. *42, 306, 314*, 315, 316, 520, 568, 626, *631*, 688, 772, 777, *778*, 779, 781, 789, 792, 815, *827*, 828, 833
COLOCENSE CONC. (a. 1863), *424*, 430, 432
COLONIENSE CONC. (a. 1549), *212, 216, 374, 418 sq.*
CONCINA, 372, 373, *378 sq.*, 430
CONFESSIO ORTHODOXA. *Vide:* MOGHILA
CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE, *422, 523, 561 sq., 606 sq.*, 621, 652, 662, 665, 671, 672, 682, 685, 699, 742, *744, 759*, 773, 836
CONGREGATIO DE SACRAMENTIS. 465, 470, 485, *487*
CONGREGATIO S. OFFICII, *422 sq., 523*, 682, 685, *699 sq.*, 703, 704, 708, 709 sq., 715, 723, 830, 836
CONINCK, 115, 239, 380, 503, *588*, 591. 621, 791
CONNELL (F. J.), 267, 695
CONSTITUTIONES .APOSTOLORUM, *22*, 38, 39, 40, 568, *611*, 616, *617*
♦COPTI, 308, 317, *535*, 537, 788, 836
CORNELIUS A LAPIDE, 372, 373, *391*, 564
CORONATA (M. Conte a), 73, 116, 127, 233, 235, 252, 253, 287, 293, 303, 357, *358*, 360, 361, 363, 378, 380, 426, 503, 580, *581*, 588, *590*, 592, *60S sq.*, 666, 667. 668, *669*, 701, 703, 716, *718*, 722, 727, 728, 790, 837
CRITOPULUS (Metrophanes), *278, 299*, 382, 572, *612*, 763, *772*, 786, 819
CUSANUS (Nicolaus), 465, *466*
CUTHBERTI (Vita S.), 23, *628, 640*, 756, 771
CYRILLUS ALEXANDRINUS, 23, 25, 40, 129, *611, 639 sq.*

DAFFARA, 64, 110, 115, 148, 150, 155, 164, 205, 252, 267, 304, 373, 374, 426, 508, 552, 582, 607, 742

DAMASCENUS (Pseudo), 534
D'ANGELO (S.), 451, *462*
D'ANNIBALE, 359, 380, *580, 722*
DE AMBROGGI, 392, *564*
DE AUGUSTINIS, 115, *173,* 174, 304, 358, 369, 373, 376, 552, 601, *604*
DE CLERCQ (C.), *306,* 307, *462 sq., 539, 583,* 596, 621, 734, *739,* 743, 751, 764, 777, 813, 818
♦DE LA TAILLE, 265, *266*
DE LETTER (P.), 1, 115, 122, 123
DE MEESTER (P.), 532, 540, 542, 813, 818
DENS (P.), 362, 372, 376, 669
DENZINGER (H.), *308,* 532, *535,* 537, 543, *786*
DE SAINTE-BEUVE, 1, 50, 53, 61-63, 100, 101, 110, *114,* 172, 174, 300, 380. *430, 492,* 499, 501, 508, *527 sq.,* 529, 532, 537, *539,* 540, 541, 543, 544, 549, *550,* 551, 553, 554, *556,* 558, 565, 567, 578, 584, 587, 601, *603, 621 sq.,* 687, 734, 761, 813
DIANA, 361, 380, 498, 500, 503, 668, 835, 836
DICASTILLO (J.), 252, 361, 415
DIDASCALIA APOSTOLORUM, 21, 22, 36, 616
DIEKAMP (F.), 64, 110, 110, *122,* 140, *150 sq.,* 158, 159 sq., 177, 201, *206,* 226, 241, *242,* 244, 252, 253, *267 sq.,* 274, 293, *297,* 372, 373, *374, 375,* 425, 426, 465, 508, 552, 582, 607, 742, 762, 768
DIONYSIUS CARTHUSIANUS, 53, 64, 140, *236,* 502
DMITRIEVSKIJ (A.), *307,* 532, 540, *655,* 785 813
DONDAINE (H.-F.), 122sq.
DROUIN (R. H.), 197, 292, 372, 532, 541, 543, 563, 587
DURANDUS (a S. Porciano), 53, *59 sq.,* 72, 73, 103, 113, 140, 141, *169, 188, 329, 413,* 577
DYOVUNIOTIS (K. I.), 7, 76, 77, 81, 298, 382, 467, 541, 548, 549, 584, 587, 611

EGBERTUS EBORACENSIS, *30, 41,* 42, *166,* 395, *396,* 430, *517, 625,* 627, *629,* 688, 746, *776,* 800
EINIG, 503, 506, 515
ELBEL. 361, 809, 832
ELIGIUS NOVIOMENSIS, 23, 25, 26. 28, 37, 40, 206. *394,* 395, 396, *625,* 620. *634,* 635, 637, 640, 688
ESCOBAR, 498, 591, 668, 832, 835. 836, 837
ESTIUS. 11, 13, *78,* 196, *197,* 359, 379, 485, 564, 768
♦EUCHOLOGIUM GRAECUM, *35 sq.,* 307, 520, 534, 536, 558, 571, 583, *627, 631 sq.. 633, 784 sq.,* 818-820, 836, 841
EUGENII (Vita S.), *628,* 688, 750, *776*
EUSEBIUS CAESARIENSIS. *21,* 22, 41, 80. 81. *624*
EUSEBIUS R P. (Pseudo), 688. *772*
EUTYCHI1 (Vita S.), *395,* 756, 772
EVANGELIUM NI COD EM I (Apocry. phum), *20, 22*
EXONIENSE CONC. (a. 1287). *656 sq., 659*

FEIJ0O, 451, *453*
FELD (W. F.), 1, 148, *150, 156 sq.,* 15S, 164
♦FERRERES (J.), 305, 373, 425, *451 sq.,* 454 sq., *456,* 461, 462, 508, 592, 607, 695, 703, 705, 711, *719, 722, 72S, 728 sq.,* 804
FERRARIENSIS, 1, 64, *68 sq.,* 114, 168, *170,* 174, 266
FILLIUCCIUS, 503, 668
FIRMILIJAN, 587, 763, 773
♦FLORENTINUM CONC., *5,* 8, *9,* 14, 15, 18, *95 sq., 102, 195,* 206, 209, *212,* 289, *290, 336,* 340, *471,* 504, 511, *521,* 551. *554, 569,* 581, 582, 583, *592, 602, 606, 610,* 621, *643, 651,* 662, *743, 752, 756,* 758 773
FRASSEN, 1, 44, *45,* 53, 60, 72, 90, *93,* 119, *121,* 239, *240 sq.,* 242, *248,* 380, *381, 437,* 508, 597, 600, 601

GALENUS (M.), 300, 310, 343, 766
GALLICANA LITURGIA, 33 sq., 43. Fide: SACRAMENTARIUM GALLICANUM
GARRIGOU-LAGRANGE, 64, 119, 122. *130,* 380
GASPARRI (P.), *339, 432 sq.*
GENICOT-SALSMANS, *79,* 100, 150, 201, 305, *358, 359,* 360, 380, 425, *426,* 452, 456, *458,* 462, 508, *510, 580, 591, 607, 667 sq., 669, 673, 703, 704 sq., 711, 722,* 725, 727, *728,* 729, 731, *732,* 799, 804. 806. 808, 832, 835, 837
GENIESSE (I. B.), 451, 452, 454, 455
GENNARI, 452, 454, 455, 719, 728
GEORGOPULUS (D.), 541, 763, 786
GERBAUDUS LEODIENSIS, 395, *629,* 746, 800
GERSON. *169,* 174
GITS (A.), 1, 148
♦GOAR. 35, 287, 300, 310, 313, 317, 532, *534,* 536, 543, *544 sq.,* 547, 558, 560, *632, 633,* 761, 767, 784, 813, 818, 819
GOBAT. 361, 612
GODEFROY (L.), 287, *303, 373, 376, 377 sq.*
♦GOFFRIDUS VINDOCENSIS, 273, 291, 310, 316. 318-320, 324, 341, 352, 397, 568
GOLUBCEV (A.), 298, 540, 587, 813
GONET, 1, *69 sq.,* 110. *119,* 140, *141 sq.,* 174, 177, 190, 200, 217, 233, 252, *269 sq., 277, 300,* 501, 508, *510,* 529, 601, *606,* 612, 764
GORSKIJ (Th.), 373, *383,* 572, 586
GOTTI, 198, 310, 543, 549, 767
GOUGNARD (A.), 115, *278,* 287, 293, 303, 357, 359, 362, *363, 365,* 369, 372, 373, 374, *376,* 378, *379,* 425, 452, 462, 592, *593,* 608, 622, *725,* 728, *731 sq.,* 734,

742, 761, 766, 791, 799, 809, 832, 836, 837
GRAECA LITURGIA, *35,* 36, 37, 38, 39, *41, 42,* 43, 81, 445, *518, 520, 627,* 632, 817-820, 827, 829, 840 sq. *Vide:* EUCHOLOGIUM. SCHISMATICI ORIENTALES
GREGORIUS CHIENSIS, *573,* 585, 588, 600, 763, 785
GREGORIUS IX, *414 sq.*
GUILELMUS ALTISSIODORENSIS, 53, 273, *326*
GUILELMUS DURANDUS, *328,* 331, *482*
GUILELMUS PARISIENSIS, *329*
GUMILEVSKIJ (Ph.), 572, 585
GURY, 703, *704,* 722, 837
GURY-BALLERINI, *173,* 174, 305, 508. *510,* 591 sq., 835
GURY-FERRERES, 668
GUTBERLET, 310, 767

HABERT, 372, 373, 378
HAYMO HALBERSTADIENSIS, 395,396, *617*
HAYNAL, 267, 274
HENRIQUEZ (H.), 269, 379, 503
HERARDUS TURONENSIS, 395, *627, 689,* 746, 800
HERMANN (A.), *78 sq.,* 99, 115. 373, 376, 377, 508
HERVÉ, 115, 158, 252, 253, *255,* 304, 369, 380, 465, 508, *552,* 582, 608, 742, 791
HESYCHIUS, *23,* 25, 37, 38, 43, 80, 81, 517
HEYLEN (V.), 452, 462
HINCMARUS RHEMENSIS, 395, *397, 625, 627, 629,* 688, *746, 748,* 772, 800
HIPPOLYTUS. *Vide:* CANONES HIPPOLYTI. TRADITIO APOSTOLICA
HOLZMANN, 119, 591
HONORIUS AUGUSTODUNENSIS. *31 sq.,* 38, *42*
HUGO ARGENTINENSIS, *328*
HUGO A S. VICTORE, *32 sq.,* 37, *38,* 39, *40 sq.,* 43, 44, 47, 209, *211, 319, 320 sq., 325, 402,* 412, 413, *444,* 517, 568
HUGON, 04, 115, *118, 127,* 140, 158, 159, 200, *221 sq., 233 sq.,* 265, 269, *270,* 289, *302,* 380, 451, 452, 455, 456, *460 sq.,* 508, 523, 529, 607, *742,* 764, 766, 768
HURTER, 252, 380
HYPATII (Vita S.), 23, *395, 628, 746, 771 sq.*
HYQUAEUS, 53, *60, 72, 90,* 93, *94,* 119, *120 sq.,* 137, *138,* 172, 174, *190, 239 sq. 247,* 508, 515, 597, 600

IEREMIAS (patr. const.), *540*
IGNATIJ (cpisc. russus), *299, 565, 594 sq.,* 763, *772 sq..* 786
INNOCENTIUS I, 20, 22, *23,* 27, 29, 44, 305, 318, *393,* 395, 415, 416, *552, 562, 566 sq.,* 610, *611,* 637, *638,* 651, *683 sq.* 686, 698, 738, 739, *743,* 747, 748, 750, 751, 753, 755, 756, 758, 75«, *771,* 773
INNOCENTIUS III, *414 sq.,* 568
INNOCENTIUS IV, 535, 537, 547, *553*
IOANNES NATHANAEL, 535, *536,* 559, *573,* 585, 588, 600
IOANNES OZNIENSIS (patr. Armcnorum), 567, 571
IOANNES XXII, *417*
IOB MONACHUS, *537, 573,* 585, 588, 60;
IONAS AURELIANENSIS, 30, 37, 40, 223, 395, *396, 432,* 517, 614, 617, *629, 634, 640,* 746
IOSEPHUS (patr. nest.), *538*
1PRENSE CONC., *332*
IRENAEUS, *20,* 22, 39, 41, 80, 81, *624*
ISAAC ANTIOCHENUS, *394,* 395, *432, 444, 632,* 634, *640, 746,* 771
ISAAC LINGOLNENSIS, *627, 689*
IVO CARNOTENSIS, *31,* 37, 44, 273, 291, 310, 316. 318-320, 324. 341. 352, 397. *444, 517 sq., 567,* 568, 677, 688

JACQUEM1ER (G.), *39 sq.,* 532, *541,* 543. *546,* 573, *583, 595 sq.,* 761, 785, 814
JASTREBOV, 1, 76, 77, 225, 572, 585
JORIO (D), 373, 378, *379,* 425, *433 sq.*
JUÉNIN, *172,* 174, 197, 292, 372, 373, 543. 549, 551, 558, 584, 587, 621
JUGIE (M.), 532, 543, *546,* 572, 761, *767,* 785, *786,* 814, 819

KATANSKIJ (A.), 76, 77. 532, 814
KEFALAS (N.), 548, 549, 565
KENRICK, 669, *722 sq.*
KERN (I). 2, *51, 52, 71, 73, 75 sq* , 100, 115, *117,* 123, 124, *134 sq.,* 136, 137. *138 sq.,* 140, 143, 144, 146, *148,* 150, 152-154, 164, *171 sq.,* 178 sq., 180, *181,* 182, 190, 104, 201, *202 sq.,* 205, 216, *217 sq.,* 224, *226 sq.,* 228, 229, 233, 235-237, 242, *243,* 248, 250, 252, *253,* 258, 259, 260. *263 sq.,* 271, 286, 287, 288, *289,* 293, *296,* 299, 301, *304 sq.,* 307, *310, 312, 315, 323,* 332, 333 sq., *337, 338 sq., 340,* 343, *345-347,* 349. *351 sq., 355, 356,* 357, 358, *359,* 364, 365, 369-372, 374, 375, 379, 3S4. 385, 386, 387, *388, 389 sq.,* 409, *410, 411 sq., 415 sq., 421,* 463, *467, 472,* 473, 474,478, 479, 480, 503, *506,* 526, 532. 543, *546, 552, 563,* 575, 578, 580, 582, 588, *590,* 591, *592 sq.,* 595, 596, 597, 5PS, *600,* 605, 606, 608, *619 sq.,* 622, 630, *654,* 655, *658, 660 sq., 663 sq., 666 sq.,* 670, *671,* 695, 701, 702, 703, *716 sq., 722,* 723, *724, 727,* 734, 742, *749, 750,* 761, 764. *765,* 766, *769,* 773, *780 sq., 782 sq.,* 790
KILKER (A. J.), 2, 8. 52, *71,* 73, 137, 140, 143, 148, 140, 250. 252, 287. 293, *297,* 299, 315, 334, *339,* 346, 357, 361, *362,* 363, 365, *371 sq.,* 378, 380, *387,* 392, 398, 418, *426,* 451. *453,* 455, *462,* 463, 465, 467, *468, 472, 473,* 475, *500, 528,* 533, *551 sq.,* 563, 570, 582, *589 sq., 591 sq.. 593,* 597. *>98, 608,* 654, 666. 667, 668, 660. *671 sq..* 673, 605, 701, 703, *710, 729.* 730,

734, 742, 761, 764, 766, 769, 791, 799, 802, 804, 806, 808, 809, 814
KING (J. I.), 695, 698, 703, 719, *720,* 722
KISELSTEIN (G.), 259, 287, 357, 452
KNITIS, 763, 773
KOERPERICH (G.), 463, 578, 695, 734, 799
KONINGS, 668, 729, 806

LACROIX, 380, 453, *462,* 498, *530,* 836
LAHITTON, 8, 119, *122,* 304, 380, 462
LARNICOL, 252, 269, *270,* 380
LATERANENSE CONC. IV, 748, *800*
LAUNOMARI (Vita S.), 23, *628, 634,* 771
◆LAUNOY (J. de), 287, 292, *293 sq.,* 300, 301, 307, *324, 326, 330,* 331, 343, 463, 483–185, *488,* 500, 508, *509, S2Z,* 533, 536, 540, 541, 543, 544, *549 sq.,* 551, 584, 587, 677, 687, 688, 689, *690, 691, 693,* 734, 737 sq., 749, 761, 814, 824
LAUREATUS, 137, 142
LAYMANN, 51, 174, 239, 358, 379, 380, 601, *602 sq.,* 809
LEANDER, 498, 835, 836
LEBEDINSKIJ (S.), 382, *572,* 585, 588
LEDESMA, 233, 508
LEHMKUHL, 8, 73, 116, *127, 173,* 174, 241, 244, 260, 305, 359, 380, 415, 601, *604 sq., 722,* 724, *725,* 730, 809
LEOBINI (Vita S.), 23, 24, *40, 41,* 628, 756, 759, 771
◆LEPICIER, 73, 119, *121,* 140, *142,* 158, 217, 219, *241 sq., 244,* 252, 269, *270,* 304, 365, 373, 376, *378,* 390, 425, *439,* 451, 452, 455, 456, *458-460,* 467, 503, *506 sq., 531,* 607, 741
LERCHER, 73, 115, *127,* 148, 150, *154 sq.,* 164, *205,* 226, 228, 253, 263, 271, *298,* 303, 304, 365, 369, 371, 373, 378, *379,* 465, 503, *507,* 742
LESSIUS, 587, 588, *589*
LIBANENSE CONC. (a. 1736), *787,* 792, 798, 802
LIBER ORDINUM, *24,* 25, 28, 37, 38, 40, *42,* 43, 84, 217, 517, 568, *613 sq., 626, 638,* 653, 814, 833
LIEBERMANN, 101, 110
LUGDUNENSE CONC. II, *553,* 610
◆LUGO, *79,* 115, *116,* 136, *138,* 143, 144, 243, 252, 253 sq„ 265, 269, 498, 501, 508, *509 sq., 525,* 668
LUTHERUS, 6, *585 sq., 735,* 762

MABILLON (J.), 300, 654, 656, 687, 690, 816
MACARIUS BULGAKOV, 7, 39, 76, *77, 565, 573,* 585, 594, *595,* 763, *773,* 786
MACDONALD (A.), 287, 315, 601, *605,* 766
MACGUINNESS, 380, 503
MAJOR (loannes), S3, 439, 465, *466 sq.*
MALDONATUS (I.), 53, 61, 465, 466, 587, 621
MALINOVSKIJ (N.), 7, 76, 77, 81, 298, 382, 540, 549, 572, 584, 585, 594
MALTZEW (A. V.), 81, 308, 317, 533, 540, 586
MALVY (A.), 81, *542 sq.,* 786
MANDAKUNI (I.), 23, 36, 80, 394, 395, 567, 568, *571, 611, 640*
MANNAERT (V.), 287, 357, 578
MANSAE (Vita S.), *628*
MARC-GESTERMANN, 305, 376, *377,* 425, 508, 588, *590*
MARII (Vita S.), 23, *628,* 771
MARIN SOLA, 267, 274
◆MARONITAE, 786, 787, 790, 802
◆MARTÈNE (E.), 287, 292, *294 sq.,* 299, 300, 301, 307, 310, *331 sq.,* 343, 463, *470,* 482, *483,* 485, 508, *509,* 528, 533, 541, 543, *544,* 569, 570, 578, *585,* 626, 631, 632, 633, 654, 656, 678, 687, *688, 689,* 734, 761, 766, 772, 778, *780,* 785, 814, 822, 825, 839
MARTINUS V, *418*
MASTRIUS, 53, 60, 93, 119, 137, 142, 143, 239, *240,* 591, 597, 600, 601, *606*
MAZZELLA (H.), 115, 252, 380
McCarthy (J.), 2, 148, 287, 360, 363, *364*
McDonald (w.), 239,287,*303,*310,313, 361, 578, 767
MECHLINIENSE CONC. (a. 1607), *659*
MEDIOLANENSE CONC. IV, *649, 668*
MELCHITAE, 542, 548
◆MENARD (H.), 287, 292, *293,* 299, 300, 301, 305, *306,* 307, 310, 343, 764, *765,* 766, *777,* 780, 814
MERBESIUS, 372, 418, 439
MERKELBACH, 116, 159, 252, 253, 263, *264,* 272, 305, 425, 426, *428,* 452, 455, 456, *458,* 508, *510 sq.,* 523, 529, 607, 668, *669,* 702, *703,* 716, *717 sq.,* 722, 724, 727, *728, 729 sq.,* 730, 832, 836, 837
MESOLORAS (I. E.), 7, 76, 77, 298, 382, 541, 548, 549, 565, 584, 594, 595, 763, 773
MICHAUD (H.), 452, 799
MICHEL (A.), 267, 287, 451, 452, 461
MOGHILA (P.), 81, 572, 584, 585, 588, *612,* 613, 786
MOGUNTINUM CONC. (a. 847), 395, 569, *627 sq.,* 653, *662,* 688
◆MONOPHYSITAE, 630, 702, 722, 731, 786. *Vide:* ARMENORUM CONC. COPTI
MONTEFORTINO (Hieronymus de), 53, 60, 119, *121,* 137, *138,* 142, 143, 239, *241,* 242, 276, 300, 508, *510,* 515, 529, *600*

NAUSEA (Fedcricus), *331, 482, 494,* 499
NAVARRUS, S3, 379, *491 sq.,* 499, *681*
NEOGRANATENSE CONC. (a. 1868), *699*
NEOKOSMOS, 7, 298, 586
◆NESTORIANI, *538,* 702, 722, 731, 786

NICEPHORUS II (patr. const.), *785*
NIKON (patr. russus), 539, 540, 571
NOLDIN-SCHMITT, *79,* 100, 116, *148 sq.,* 159,201, *233,* 241, *242,* 252, 287, 293, 304, 357, 358, 359, 362, 363, 380, *382, 387,* 392, 452, 455, 456, *457,* 462, 508, 591, *593, 607, 668,* 669, *673,* 695, 701, 703, *705,* 711, *723, 724,* 727, 728, 729, 799, 804, *806,* 808, 809, 835, 837
NUGNUS, 252, 508, *527*

ODO DE SULLY, *483, 612, 656, 779*
O'KANE (J.), 287, 358, 359, 361
ORDINES LITURGICI (a Martène editi), 34, 38, 39, 42, 306, 309, 315, 341, *626,* 631, 678, 688, 689, 772, 778 sq., 789, 792, 814 sq., 822, 823, 824, 825, 827 sq., 829, 830, 831 sq., 833 sq., 835 sq., 838, 839 sq., 841
ORDO ROMANUS X, *816, 822, 824, 825, 828, 829,* 830, *833, 834,* 839
ORIENTALES. *Vide:* EUCHOLOGIUM GRAECA LITURGIA. SCHISMATICI ORIENTALES
♦ORIGENES, 21, 22, 37, 40, 43, 80, 293, 517, 539, 567, 746, *771*
OSWALD (H.), 101, 110, 196, 204, 266, 587
OTTEN, 8, 73, 115, *117,* 143, 148, 205, 233, *235,* 243, 289, *302, 372,* 373, 374, 375, 425, 503, *506,* 588, 608, 766

PAISIOS, 539, 540
PALAUS, 174, 591, 791, 832, 836
PALUDANUS, *68,* 140, 170, *188 sq.,* 233, 266, 413, 508, 529, 679, *680 sq.*
PAQUET, 115, 124, 304, 380, 529
PARISIENSE CONC. (a. 1528), *418*
PASCHASIUS RADBERTUS, *30 sq.,* 37, *396 sq.,* 517, 528
PEFANIS, 541, 586
PÈGUES, 64, *70,* 119, *121 sq.,* 304
PESCH, 8, 71, 73, *76,* 115, 149, 201, 233, *234,* 243, *263, 277 sq., 304,* 380, 465, *503 sq.,* 507, 508, 529, *551,* 584, 591, *593,* 607, 622, 728, 742, 764, 766, 768
PETROVSKIJ (A.), 533, 814
♦PETRUS CLUNIACENSIS, *31,* 37, 44, 291, 310, 319, *323, 325,* 341, 397, *398,* 517, *518,* 568
PETRUS DAMIANUS (Pseudo), 31, 37, 38. 44, 397, 517, 568
♦PETRUS LOMBARDUS, 29, *33,* 36, 37, 40, 43, 44, 104, 209, 268, *319, 320, 321 sq.,* 323, 324, 325, 341, *398,* 444, 517, 567, 568
PETRUS PICTAVIENSIS, *445,* 568
PHAEDRIUS (S.), *556, 752*
PHILARETUS (Drodzov), 7, 76, 77, *278 sq.,* 572, 584
PIDALION, 763, 773
PIOLANTI (A.), 8, 64, *70 sq.,* 115, 140, 149, 201, *206,* 226, 269, *270,* 380, 508, 607
PISCETTA-GENNARO, 8, 73, 119, 158, 201, 252, 304, 358, 360, 380, 462, 503, 607, *668,* 669, *673 sq.,* 719, *720,* 725, 728, 729, 835, 836, 837
PIUS XI, 92, *561,* 584, *592,* 621, *649,* 652, 660, *662, 673,* 800, *817, 832*
PONTIUS, 239, 502, 503, 529
POSSIDIUS, *394,* 396, 771
PRAGENSE CONC. (a. 1860), *423 sq.,* 432, 472, *487,* 495, 523, *698 sq.*
PROCOPIUS GAZAEUS, 23, 25, 80, 640
PROSPER AQUITANUS (Pseudo), *23,* 25, 29, 39, 41, 44, *624,* 629
♦PROTESTANTES, 6, 585 sq., 594, 702, 735 sq., 744, 745, 747, 762 sq. *Vide:* CALVINUS. LUTHERUS
PRUDENTIUS TRECENSIS, 30, 39, 568, *625, 628,* 679, *689*
PRÜMMER, 116, 127, 159, 233, 252, 260, *304,* 358, 359, 380, 463, 508, 523, 529, 578, 607, 695, 762, 832, 835, 836, 837

QUEBECENSE CONC. (a. 1854), 472, *487,* 523
QUINN (A.), 287, 315, 667, 766
QUINTANADVENAS, 587, 621, 744

RABANUS MAURUS, 30, 36, *396,* 568
RALLIS (C. M.), 298, 382, 383, 541, 548, 549, 565, 655, 763, 773
RATHERIUS VERONENSIS, 395, 688
RAVESTEYN (J.), *556, 752*
RAYNALDUS (O.), 290, 554
RAYNAUD (Th.), *540,* 543, *544*
REGATILLO, 73, 116, 159, 241, *242, 244,* 252, *253, 303,* 359, 362, 364, 378, 380, *426,* 503, *582,* 588, *591,* 592, *593, 609, 646,* 667, 703, *706 sq.,* 710, 716, *719,* 722, *726, 727*
REGINALDUS, 591, 668
REGINO PRUMENSIS, 395, 772
REMBERTI BREMENSIS (Vita S.), *306 sq.,* 309, 316, 677
RENAUDOT, 308, 543
REUTER, 593, 703, *704, 708*
REYNERIUS, *657,* 764, 782
RHEMENSE CONC. (a. 1583), *649* (a. 1849), *417,* 430, 472, *486,* 495, 523
RICHARDS (H. T. H.), 2, 148, 150, 158, 164
RICHARDUS (F.), 536, 537, 541
RICHARDUS A MEDIAVILLA, 53, *59,* 113, *188,* 199, *328 sq.,* 333, 502, *599 sq.*
RICHARDUS POORE, *612 sq., 656, 658*
♦RITUALE ROMANUM, *18,* 38, *92, 256,* 289, *290 sq.,* 339, 340, 342, 347, *370, 424 sq.,* 432, *450, 461,* 470, 485, 487, *495, 499 sq., 560,* 583, *592,* 597, 598, <500, 601, *610, 613,* 621, *648,* 650, *651, f>$2,* 653, *662, 664,* 677, *681, 682, 692,* 694, *700,* 701, *745,* 773, 790, 791, *801, 803,* 807, *809 sq.,* 816 sq., *820, 823,* 824, *827, 828,*

829, 830, 832, 833, 834, 835, 836, 837, 838, 839, 840
RITUALIA (a Launoy edita), *330, 332,* 334 sq., 359, 430, 472, 483-486, 493 sq., 523, 678 sq., 689 sq., 691, 698
ROBERTUS DE CORCEON, 324, 331
ROBERTUS PAULULUS, 320, *322, 398*
RODULPHUS BITURICENSIS, *31,* 37, 395, 432, 746, 748, 800
ROLANDUS BANDINELLI, *32, 184, 518. Vide:* ALEXANDER III
ROMANA LITURGIA, 33 sq., 37, 38, *41, 42,* 43, 517, *520,* 815
RONCAGLIA, 372, 376, 549
ROTH, 304, 766
RUCH (C.), 287, *297, 316*
♦RUMENI, 542, 548, 787
♦RUTHENI, 542, 548, 787, 788

SABETTI-BARRET, 380, 722
SACRAMENTARIUM GALLICAM, *617 sq. Vide:* BOBBIENSE MISSALE
♦SACRAMENTARIUM GELASIANUM, *24,* 25, 28, 34, 37, 38, 39, 40, 43, 206, 217, 568, *611,* 616, *626,* 653, 815, 840
♦SACRAMENTARIUM GREGORIANUM, 19, *24 sq.,* 28, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 43, 206, 217, 305 sq., *309,* 314, 315, 343, 517, 520, 568, 616, *626,* 653, 688, 772, *777,* 781, 789, 792, 815, *830, 833,* 840, 841
♦SACRAMENTARIUM SERAPIONIS, 21 sq., 36, 37, 38, 39, 43, 80, 511, 517, 568, *611,* 616, *617*
SALMANTICENSES, 64, *70, 119 sq.,* 140, *172,* 174, 233, 251, 262, 380, 791
SCAVINI, 373, 668
SCHANZ, 204, 293, 766
♦SCHELL (IL), 115, 123, 133-135
♦SCHISMATICI ORIENTALES, 6-8, 39, 52, 76-78, 81, 198, 212, 225, 251, 262, 278 sq., 298 sq., 307 sq., 317, 382 sq., 448 sq., 467, 533 sq., 565, 571-573, 584, 585, 586 sq., 588, 594-596, 600 sq., 630. 655, 675, 722, 723, 731, 763 sq., 766, 772 sq., 774, 783-786, 790
SCHMID, 286, 303, 310, 767
SCHMIDT (F.), 287, 293
SCHMITZ (I.). 2, 8, *71,* 73, *74 sq.,* 115, *173,* 174, 200, 250, *252 sq.*
SCIARFENSE CONC. (a. 1888), *787 sq.,* 798
♦SCOTUS, 50, 52, 53, 58 sq., 113, 169, 174, *187,* 232, 238, *239, 276 sq.,* 285, *328,* 413, *414,* 469, *491,* 495, 501, 507, *508,* 515, 529, *579,* 580. *591,* 597, <500, 612, *618,* 643, *680*
SERARIUS, 119, 198, 199
SILVESTER MAURUS, 197, 200, *201,* 216, 252, 503
SILVIUS, 136, 142, 196, *197,* 508, 532
SIMEON THESSALONICENSIS, *298 sq., 535, 536, 538, 539,* 547, 567, 573, *594, 763 sq.,* 785, 786, 819, 829
SLATER (T.), 286, 287, 289, *297,* 300, 349
SMIRNOV, 586, 594, 655
SOLA, 73, 115, *118 sq.,* 252, 253, *255,* 263, 289, 302, 380, *463,* 465, 742
SONNATI1 (Statuta S.), 23, 25, *41,* 44, *305, 395,* 568, *625,* 627, *629, 772,* 800
SOTO (Dominicus), 1, *44 sq.,* 53, 64, *69, 114, 170 sq.,* 174, 194, *195 sq.,* 198, 207-209, 233, 234 sq., 251, *265,* 268, 272, 413, *485, 491,* 499, 575, *577,* 601, *602,* 612, 681, 736, 737
♦SOTO (Petrus), 140, 372,374,375,379,389
SPÂCIL (Th.), 2, *7,* 8, 73, *76 sq., 82,* 115, *117 sq.,* 137, *139 sq.,* 143, 158, *160,* 178, *190,* 200, *204, 225, 251, 203, 264,* 271. *279,* 286, 287, 280, 293, *298,* 300, 303, 315, *317, 323* sq., *337, 339, 340, 345, 346,* 347, *356,* 365, 382, 464, 467, *488,* 501, 503, 506, *518,* 523, 532, 533, 543, *546sq., 551, 564 sq.,* 579, 582, 591, *608,* 622, 761. 766, 768, 769
SPORER, 119, 239, 380, 408, 591, 791
STATKUS (F. J.), 695, 799
STATUTA SYNODOLIA (variarum ecclesiarum), *330,* 334 sq., *416 sq.,* 430, 470, 483-485, 493 sq., 627, 629, 656 sq., 658, 659, 678 sq., 714, 772, 800
STEPHANUS (episc. russus), 76, *77 sq.,* 548
STRABO (Walafridus), 396, 614, 617
STRAUB (A.), 2, 158. *159,* 160, 177, *191,* 286, 287, 289. *301,* 310, 313, 315, *316 sq., 335,* 337, *343,* 356, 365, 380, 601, *605,* 766, 767
STRIGONIENSE CONC., 472, *487,* 495, 523, *698*
STÏTRD7AS 7 20R
♦SUAREZ, 1, 8, 51, 52, 63, 64, 71,72,73 sq., 78, 94, 97, 98, 700, *103,* 104, 110, 111, *115, 124,* 136, *137,* 142, 143, 146, *171,* 174, 190, 194, *200, 207, 208 sq., 216,* 217, *222,* 233, *234, 237 sq., 243, 248 sq.,* 250, *252,* 254, *258,* 260, *262, 265 sq.,* 268, *277,* 287, 289, *359, 36S,* 372, 379, *380 sq., 389,* 390, *392,* 398, 402, 434, *436, 437, 438, 439 sq., 450,* 464, 465, 467, *468,* 473, 478, 480, 488, 491, 496, 499, *500,* 501, 502, 503, 504-506, 511, 512, *519,* 520, 521. *524 sq.,* 526, *531 sq., 551,* 564, 574, 575, 579, *580,* 582, *588,* 591, 592, 596, *606,* 607, *612, 618,* 621, 647, *663, 665 sq.,* 670, *681,* 687, *692 sq., 694,* 702, 734, 736, *742,* 761, 762, 764, 768, *791,* 793, 795, 799, 800, *804, 805 sq., 809,* 836
SUMMA SENTENTIARUM, *33,* 37, 43, 44. 268, *319,* 320, *321,* 325, *398,* 517
♦SVRI, 786, 787, 790, 836

TANNER, *13,* 73, 119, 136, 197, 200, *201,* 216, 485, 502, 503, 529, 791
TANQUEREY, 8, 115, 158, 159, 252, *303,* 369, 380, 508, *581,* 607, 668, 703, 724, 728, 762, 791
TAPPER (R.), *171,* 174

TECKLENBURG (F.), 2, 148, 150, 155 sq., 158, 164
TELCH, 359, 703, 722, 724, 729
TERTULLIANUS, *20 sq., 22, 36, 325; Dc poenitentia* 7, *325*
TESTAMENTUM D.N.I.C., *22,* 568, 616
THEINER (A.), *6, 10,* 13, 15, 290, 419 sq., 556, 684, 752, 785
THEODORI STUDITAE (Vita), *628*
THEODULPHUS AURELIANENSIS, 305, 395, *481, 493,* 567, 568, *627, 629, 632, 634, 653, 684,* 746, 748, 772, *776,* 815, *817 sq., 824,* 826, *827, 833, 835, 838 sq.*
THEOPHYLACTUS, *31,* 39, 81, 397
'THOMAS AQUINAS. *Vide:* INDEX THOMISTICUS.
TICINENSE CONC. (a. 850), *31,* 37, 40, 44, 223, 395, *397,* 430, *432,* 517, 569, *628, 629 sq.,* 653, *656, 662,* 686, *689,* 698, 746, 756, *776 sq.,* 800
TOLOSANUM CONC. (a. 1590), *649*
TONER (P. J.), 2, 148, 286, 287, 293, *296,* 299, 334, 359, *364,* 579, *607 sq.,* 663
TOURNELY, 1, S3, 61, *63, 114 sq., 201, 203,* 216, 217, 292, *295,* 343, 365, 369, 372, *373 sq.,* 378, *391, 430,* 541, 543, 544, *545 sq.,* 553, 564, 601, *603,* 687
TRADITIO APOSTOLICA, *21,* 22, 36, 568, 616
TRESANI (Vita S.), 23, 25, 38, 445, 517, 628, 68S, 776
♦TRIDENTINUM CONC., 3, 8-16, 38, 43, 44, 47, 50, 51, 53, 88, 102, 127, 128, 165, *181 sq., 197,* 206, 209, *211, 212,* 213, *214,* 215, 216, 221, 226, 227, 228, 281, 289, 335, *336,* 337-340, 342, 347, 370, 390, 391, 419-421, *438 sq.,* 445, 471, 504, *517,*551, 565, 568,574, 581, 582, 583, *587, 592,* 600, *606,609, 618,* 621, *643,* 646, 647, *651,* 652,662, *673,* 751-753, *756, 758, 770,* 773

Textus:
Sessio 5, de peccato originali,
can. 3 383
can. 4 383
can. 5 *84,* 166
Sessio 6, de iustificatione,
cap. 7 384
cap. 14 383
can. 29 *166,* 383
.Sessio 7, de sacr. in genere,
prologus 448
can. 4 *383*
can. 9 *290*
Sessio 7, de Baptismo,
can. 5 383
Sessio 7, de Confirmatione,
can. 3 *752*
Sessio 13, de Eucharistia,
cap. 2 *421*
cap. S *421*
cap. 8 182
can. 5 *129*
Sessio 14, de Poenitentia,
cap. 1 383, 685
cap. 2 383, 384
cap. 4 132 sq., 384, 685
cap. 5 11, 384
cap. 7 *416*
cap. 8 *11 sq.,* 116, *522,* 685
can. 6 384
can. 7 384
Sessio 14, de Extrema Unctione,
prologus *9,* 10, 72, *151, 345, 384, 419, 444, 469 sq , 522, 555, 623, 642,* 664, *682, 683, 685, 686*
cap. 1 *85, 87, 96,* 516
cap. 2 4, 5, 8, *9,* 10, 11, 12, 13, 72, 388, 516, *522, 555, 623*
cap. 3 *290, 337, 373, 384, 419 sq., 555,* 621-623, 742, *743 sq.*
can. 1 420
can. 2 6, 8, 9, *10*
can. 3 *420, 762*
can. 4 *74,* 419, 742
Sessio 21, de Communione,
cap. 1 *421,* 742
can. 1 421
can. 2 742
Sessio 23, de Ordine,
cap. 1 742
cap. 4 742

TROMBELLI (J. Ch.), 287, *329, 330,* 464. *499,* 508, *529, 530 sq.,* 533, 571, 601, *606,* 612, 814, 818
TRULLENCHI, 359, 668

UMBERG (J. B.), 205, 263, 293, 304, 365, 369, *370 sq.,* 372, 409, 465, 503, 695, 742

VAFIDES, 565, 595
VALENTIA (Gregorius de), 64, *69,* 107, 194, *198,* 213
VALENTINUM CONC. (a. 1255), *656*
VAN ESPEN (Z. B.), 288, 292, *294, 330, 364 sq.*
VAN GRINSVEN (M.), 259, 452, 579, 799
VAN NOORT-VERHAAR, 8, 115, *117, 124,* 125, 149, 252, 253, *255, 263,* 264, *278, 304,* 310, 356, 380, 581, *607,* 742, 766, 791
VASQUEZ, *119,* 136, 143, 144, 197, 251, 501, *508 sq.,* 529
VERHAMME (A.), 2, 8, 73, 115, 148, 157 sq., 201, 204, 250, 252, 253, *262,* 288, 357, 365, 464, 579, 734, 761, 799
VERMEERSCH, *79,* 100, 116, 241, *242,* 244 sq., 259, 2S8, 293, *297,* 380, 452, 455, 456, *458,* 462, 508, 588, *590,* 592, 593, *608, 667,* 669, 695, 703, *705, 708,* 710, 711, *714, 719, 720, 722, 724 sq.,* 727, 801, *806,* 832, 836
VICTOR ANTIOCHENUS, 25, 38, 40, 80

VICTORIA, 413, 529
VILLADA (P.), 452, 462
VILLIEN (A.), *740,* 814
VIVA, 359, 593

WALDENSES, 657, 764, 779, 782
WALDENSIS (Thomas), *736,* 737, 750
WEINHART, *372,* 373, *301*
WESTMONASTERIENSE CONC. (a. 1852), *650,* 652
WIGORNIENSE CONC. (a. 1240), *658 sq.*
WIRCEBURGENSES, 8, 73, 115, *127, 292, 296,* 343, 380, *428*

ZAMBRANUS (M.), 497 sq., 500
ZAMOSTENUM CONC. (a. 1720), *787,* 788 792
ZUBIZARRETA, 64, 115, 158, 159, 233, 251, 262, 263, *264 sq., 272,* 289, *302,* 380, *SOS,* 523

INDEX ANALYTICUS

(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ONOMASTICUS)

ADULTUS, solus ac omnis, est capax subiectum E. U. *Vide:* SUBIECTUM.

♦ALBERTUS MAGNUS.
Quo sensu accipit reliquias peccati, 49 sq.
Quo sensu docet E. U. esse quandam praeparationem ad gloriam, 182-184
Principalis effectus E. U. est abstersio spiritualis debilitatis, non tantum moralis sed etiam physicae, 64-66
Definitio E. U., 276
De iterabilitate E. U., 325, 326, 327, 331, 333
De necessitate E. U., 397, 399-401, 410, 412 sq.
Solus et omnis adultus est subiectum capax E. U., 474, 481, 488
S. Doctor non negat temporanee amentes esse subiectum capax E. U., 488, 489, 490 sq.
Videtur docere necessitatem periculi mortis proximi ad valorem E. U., 601
Immerito dicitur docere ad susceptionem E. U. non requiri praecedens peccatum sed sufficere potentiam peccandi ac ideo B. Virginem suscepisse E. U„ 502 sq., 531

♦ALEXANDER HALENSIS (Pseudo) docet principalem effectum E. U. esse remissionem peccatorum venialium, 52, 55 sq.

ALLEVIATIO ANIMI.
Ambiguitas vocis, 47
Est effectus E. U., 8, 12 sq., 38 sq.
Mera sive moralis alleviatio animi non est principalis effectus E. U., 94-98
Alleviatio animi per E. U. fit tantummodo mediate, 176 sq.

♦ALPHONSUS (Liguori).
Docet E. U. reviviscere etiam post recuperatam sanitatem, 252
Favet sententiae de iterabilitate E. U. in eodem periculo mortis, 292, 295 sq.
Tribuit E. U. necessitatem indirecti praecepti, sub gravi obligantis, 373, 376, 377, 387, 391, 418
Casus in quibus E. U. evadit per accidens stricte necessaria, 434-440
In dubio de perpetua amentia E. U. conditionaliter administratur, 499
Immerito S. Doctor dicitur docere ad susceptionem E. U. non requiri praecedens peccatum sed sufficere potentiam peccandi, 503
Ad E. U. non requiritur periculum mortis actuale sed sufficit virtuale seu in causa, 588, 589 sq.; pariter sufficit periculum putativum, 591, 592, 647 sq.
Ambigue quidem loquens, S. Doctor docere videtur necessitatem periculi proximi mortis ad valorem E. U.. 603 sq.; nihilominus impulsum dedit modernae sententiae de sufficientia periculi remoti, 606, 663
Influxus S. Doctoris in modernam plurium sententiam de liceitate ministrandi E. U. et Poenitentiam cuilibet moribundo sensibus destituto, 712 sq., 729 sq., 731
De gravitate obligationis ministrandi E. U., 806

AMENTES.
Perpetuo amentes (pariter ac infantes) non sunt subiectum capax E. U., 467-480
Temporanee amentes sunt subiectum capax E. U., 487-495, 526, 675-682
In dubio de perpetua amentia, E. U. sub conditione administratur, 498 sq., et ita quidem ut irreverentia sacramenti amoveatur, 499 sq.

♦ARMENI.
Loco Poenitentiae conferebant E. U., imo hanc cum ipsa Poenitentia confundebant, 537
Concelebratio E. U., 78S, 792, 798
Vide: COPTI. MONOPHYSITAE. SYRI.

ATTRITIO.
Requiritur, una cum bona fide, ad hoc ut E. U. remittat per accidens peccata mortalia, 132-135, 136
Ad remissionem peccatorum venialium non requiritur proprie attritio sed· sufficit absentia complacentiae in peccato, 142; quo sensu id intelligendum sit, 142 sq., 145-147

BAPTISMUS.
Specificus effectus Baptismi proprie ac formaliter non est ablatio peccati originalis sed gratia rcgencrativa, 513-515
Baptismus non aufert peccata venialia de quibus non adsit displicentia, 524
Quo sensu et ûne datur E. U. moribundo recenter baptizato, 8o, 88
Quare in Baptismo, et in eo tantum, non

requiratur intentio ipsius subiecti suscipientis, 675 sq.
Comparatif Baptismi cum E. U.:
Quoad remissionem peccati, 2, 54, 88, 102, 133, 135, 444 sq., 642
Quoad remissionem poenae temporalis, 161-163
Quoad unitatem sacramenti, 284, 286, 311
Quoad initerabilitatem, 342
Quoad necessitatem, 385, 386
Quoad quaestionem an potuerit suscipi a B. Virgine, 512 sq.
Quoad necessitatem intentionis in subiecto sacramenti, 675 sq.
Quoad administrationem moribundo sensibus destituto, 677
Sub ratione praerequisiti ad E. U., 682 sq.
Prout E. U., secus ac Baptismus, nonnisi a sacerdote administrari potest, 754 sq.

BEATA VIRGO.
Ob absentiam omnis peccati, non potuit suscipere E. U., 511 sq., 513 sq., 526 sq., 529-532
An potuerit suscipere Baptismum, 512 sq., 515 sq.
Non potuit suscipere sacramentum Poenitentiae, etsi habuerit virtutem Poenitentiae, 513

BEATITUDO. *Vide:* GLORIA.
♦BEDA.
De effectu E. U., 22, 29 sq.
De eius necessitate, 395 sq.
De necessitate corporalis infirmitatis in subiecto capaci E. U., 567
De necessitate gravis infirmitatis, 625, 635, 636, 640 sq.
Quomodo intelligenda sunt verba Bedae de E. U. administranda energumenis, 614, 616 sq.
Quod solus sacerdos sit minister E. U., 747 sq.
S. Doctor nequaquam loquitur de administratione E. U. per laicos, 775 sq.

♦BELLARM1NUS.
Quo sensu accipiuntur reliquiae peccati, 50
Principalis effectus E. U. est remissio ■peccatorum, 52, 61 sq., 114
Solus qui aliquando peccaverit, potest valide suscipere E. U., 508

♦BENEDICTUS XIV.
Favet sententiae de iterabilitate E. U. in eodem periculo mortis, 292, 295, 320, 331, 336, ꝑ, 364
De necessitate E. U., 433
Solus adultus est subiectum E. U., 466
Reprobatur praxis Orientalium ungendi poenitentes, 542, 548
Subiectum capax E. U. est solus infirmus, 557-560, 575, et quidem graviter talis, 621, imo in periculo mortis saltem remoto constitutus, 583 sq., 663
Senes sunt capaces E. U., 613
De abusu differendi administrationem E. U., 654 sq.
E. U. ministranda est jxist Viaticum, 694
Minister E. U. est sacerdos, 744, 753
E. U. potest valide celebrari sive per unum sive per plures ministros, 773 sq., 792, 798
Concelebratio E. U. olim fuit in communi usu in ecclesia latina, 780
Ratio quare nunc concelebratio non adhibeatur in eadem ecclesia, 782, 790
De gravitate obligationis ministrandi E. U., 805

BIBLIOGRAPHIA.
De effectibus E. U., 1 sq.
De iterabilitate E. U., 286-288
De necessitate E. U., 365
De morte reali et morte apparenti, 451 sq.
De aetate requisita ad suscipiendam E. U., 463 sq.
De necessitate infirmitatis ad susceptionem E. U., 532 sq.
De necessitate gravis ac mortalis infirmitatis, 578 sq.
De administratione E. U. acatholicis et impoenitentibus, 695
De ministro E. U., 734
De concelebratione E. U., 761
De licita ac convenienti administratione E. U., 799
De caeremoniis E. U., 813 sq.

♦BILLOT.
Ambigue loquitur in quaestione an requiratur bona fides in suscipiente E. U. in statu peccati, 124 sq.
De conditione sub qua E. U. confert sanitatem corporalem, 201 sq.
De modo quo hanc sanitatem producit, 204 sq.
Res-et-sacramentum E. U. est aliquid intentionale, seu titulus iuridicus, 263

BONA FIDES.
Non valet supplere defectum alicuius requisiti ad valorem sacramenti, 645
Moribundo sui compoti, qui nonnisi materialiter et bona fide est acatholicus, sacramenta probabiliter conferri possunt, 702–712
Connexio bonae fidei cum intentione suscipiendi sacramentum, 707, 723

♦BONAVENTURA.
Quo sensu accipiuntur reliquiae peccati, 50
Principalis effectus E. U. est remissio peccatorum venialium, 53, 56-58
Peccata venialia remittuntur immediate

non per ipsum sacramentum sed per actum charitatis, 140 sq.
De remissione poenae temporalis per E. U., 167
De iterabilitate E. U., 325, 326, 327 sq., 333, 351
De necessitate E. U., 397, 401-404
Omnis adultus est subiectum capax E. U., 481 sq.
S. Doctor non negat temporanee amentes esse subiectum capax E. U., 488, 489, 491
Immerito dicitur docere ad susceptionem E. U. non requiri praecedens peccatum sed sufficere potentiam peccandi, 502
Ita ambigue loquitur ut videatur docere necessitatem articuli mortis ad valorem E. U., 599

♦BOTTE.
Inepte putat non requiri periculum mortis ad valide suscipiendam E. U., 583, 596, 621
Advocatur praxim administrandi E. U. ante Viaticum, 693

♦BOUDINHON inepte putat laicum in casu necessitatis posse administrare E. U. et infirmum in eodem casu posse eam sibimetipsi ministrare, 738 sq., 740, 759

CAEREMONIAE E. U.
Historia, 814-820
Explicantur hodiernae caeremoniae ritus latini, carumque historia, sensus et vis, 820-841

♦CAESARIUS ARELATENSIS, de effectu E. U., 23, 27 sq., 37

♦CAPPELLO.
Tribuit E. U. necessitatem praecepti divini sub gravi obligantis, 373, 374, 375 sq., 387, 409, 410, 415, 421, 439
Negat valorem argumentorum quibus theologi probare solent quod infanti invalide ministratur E. U., 472
Ad hoc ut possit suscipi E. U. non requiritur ut praecesserit peccatum sed sufficit potentia peccandi, 503, 506
Non satis firmiter hic doctor tenet necessitatem periculi mortis in subiecto capaci E. U., 582
Ad E. U. non requiritur periculum mortis actuale, sed sufficit virtuale seu in causa, 588, 590, 670; pariter sufficit periculum putativum, 591, 593, 646
Moribundo sui compoti, qui, utut bona fide, sit acatholicus, sacramenta conferri nequeunt, 702, 703
Moribundo sensibus destituto, qui sit acatholicus formalis, aut acatholicus materialis cuius secta negat sacramenta, aut peccator obstinatus, aut catholicus pagane vivens, sacramenta conferri nequeunt, 716, 718, 719, 722, 724, 727
Valida est ea E. U. concelebratio in qua unus minister ponat materiam et alter formam, 764
De obligatione ministrandi E. U., 803, 806, 808, 809

♦CATECHISMUS CONC. TRID.
De effectu E. U., 5, 11, 12, 16-18
De effectu principali, quod non sit remissio peccatorum mortalium, 84. 87, nec remissio peccatorum venialium, 89, nec mera extrinseca alleviatio animi. 96
E. U. remittit peccata mortalia non per se sed per accidens, 128
Secus ac Cone. Trid., Catechismus loquitur distincte de remissione peccatorum venialium per E. U., 11, 17, 54, 89
E. U. est quaedam praeparatio ad gloriam, 182
De conditionato effectu sanitatis corporalis in E. U„ 197, 211, 212, 221
E. U. est unum sacramentum. 282
De iterabilitate aut initerabilitate E. U., 290, 339, 340, 342, 347
Catechismus nullatenus docet strictam necessitatem E. U., 421 sq.
Solus adultus est validum subiectum E. U., 470
Solus peccator est capax subiectum E. U., 522 sq.
Ad valide suscipiendam E. U. requiritur infirmitas, 556 sq., 575, 610 sq., et quidem gravis, 621, imo periculum mortis, 601, 643; sufficit tamen periculum remotum, 584, 597, 648, 651 sq., 662
E. U. administranda est post Viaticum, 691 sq.
Minister E. U. est sacerdos, 744, 753 sq.; licitus tamen minister est pastor, 800
Dc gravitate obligationis administrandi E. U., 807

CHARITAS, cuius actus est immediata causa remissionis peccatorum venialium, 89-91, 140-142, 143, 144 sq.

♦CHAVASSE.
Inepte sustinet maiorem partem documentorum latinorum ante saec. 9 solum corporalem effectum saninatis proponere, 26-29
Inepte docet E. U. olim ministratam fuisse non tantum infirmis sed etiam aliis quibuslibet corporis defectibus laborantibus, 614 sq.; item non tantum graviter infirmis sed quibuslibet, utut leviter, aegrotantibus, 634-641
Inde suggerit non esse contra Christi institutionem ut laicus administret E. U., 739 sq.
Putat in textu Bcdac agi de administratione E. U. per laicos, 775 sq.

♦CHRYSOSTOMUS.
Testimonium de E. U., 567
Dc effectu E. U., 21, 22, 37-44, 80
Minister E. U. est sacerdos, 746

♦CLEMENS VI.
Dc sensu declarationis Clementis circa initcrabilitatem E. U. in codcm mortis periculo, 335-337, 342
Ad valorem E. U. requiritur infirmitas in subiecto, 553 sq., 610, et quidem gravis, 621
Requiritur pariter periculum mortis, 643, non tamen periculum proximum seu articulus mortis, sed sufficit periculum remotum, 651, 662

♦CODEX T.C.
De iterabilitate aut initerabilitate E. U., 291, 339, 340, 342, 347
E. U. non est dc necessitate medii ad salutem, 384, 386, 388
Codex nequaquam imponit aut declarat veram seu directam necessitatem sive obligationem suscipiendi E. U., 378, 379, 417, 425-428, 429
Solus et omnis adultus est capax subiectum E. U., 470 sq., 487
Dc conditionata administratione E. U., 497 ; casus conditionatae administrationis, 811
Ad valorem E. U. requiritur infirmitas, 560 sq., 582, 610, et quidem gravis, 582, 583, 621, imo ct periculum mortis, 606, 643, 646, non tamen proximum, 648 sq., 652, 662
Infirmitati autem assimilatur senectus, 613, 665
Codex eodem modo loquitur de E. U. ac de Viatico quod attinet necessitatem periculi mortis pro valida administratione, 672
Ad E. U. suscipiendam sufficit intentio habitualis implicita, 682
De denegandis sacramentis haereticis, schismaticis et peccatoribus impoenitentibus, 700 sq., 703, 708-710, 715
Minister E. U. est omnis et solus sacerdos, 745, 750, 756, 758
Ordinarius minister E. U. est parochus, 801 sq.
De obligatione ministrandi E. U., 803 sq., 807
Caeremoniae E. U., 820, 821

CONCELEBRATIO.
E. U. valide celebratur ab unico ministro, 770-774
Potest tamen a pluribus ministris valide et convenienter celebrari, 762 sq., 774–791
Quadruplex modus quo concelebratio fieri dici potest, 764-767, 791-799
Unicus certus casus concelebrationis in ecclesia latina, 783, 790 sq., 795, 802
Praxis concelebrationis in ecclesia orientali, tam schismatica quam catholica, 784-789
Ad proprie dictam ac validam concclebrationem requiritur ut omnes et singuli ministri ponant sive materiam sive formam, saltem partialiter et simultate saltem morali, 791-799
Quomodo explicari possit concelebratio in usu apud Orientales, 798 sq.

CONDITIO.
Conditionatus effectus non opponitur rationi sacramenti seu eius efficaciae absolutae et infallibili, 210 sq.
E. U. confert effectum sanitatis corporalis conditionate tantum, 212 sq.
Quae sit ea conditio, 213-225
De conditionata administratione E. U., 259 sq., 811sq., et conditionata eius iteratione, 362 sq.
Dc conditionata administratione E. U. in dubio de morte, 463, dc adulta aetate, 497, de perpetua amentia, 498, de existentia periculi mortis, 670, 671, 673
Dubie baptizatis prius confertur Baptismus conditionate, subinde vero E. U. absolute, 683
De conditionata administratione sacramentorum moribundis acatholicis aut impoenitentibus, 711, 712, 714, 721, 731

CONFIRMATIO comparatur E. U. quoad necessitatem, 408, quoad materiam, 441, et quoad hoc quod omnis sacerdos, nec tantum episcopus, est proprius minister E. U., 757 sq.

CONTRITIO, sive charitas, est immediata causa remissionis peccatorum venialium, 89-91, 140-142, 143, 144sq.
Vide: ATTRITIO.

♦COPTI.
Praxis ungendi adstantes in domo infirmi, 535, necnon poenitentes, 537
Concelebratio E. U., 788
lidc: ARMENI. MONOPHYSITAE. SYRI.

♦DE LA TAILLE docet rem ct sacramentum E. U. esse effectum sanitatis corporalis, 265 sq.

DIACONUS nequit, etiam in casu necessitatis, esse minister E. U., 741 sq., 749 sq., quidquid in contrarium senserit unus vel alius eruditus, 737 sq.

ECCLESIAE DOCUMENTA.
Dc effectu E. U., 9-19
De iterabilitate vel initerabilitate E. U., 289-291, 335-341

Dc necessitate E. U., 414-428
De necessitate peccati personalis in subiecto E. U., 521-525
Dc necessitate infirmitatis in eodem, 552-562
De sufficientia periculi remoti, 92, 648-650, 651 sq., 661 sq.
Dc necessitate ordinis sacerdotalis in ministro, seu quod solus et omnis sacerdos sit validus minister E. U., 743-745, 750-754, 756, 758

EFFECTUS E. U.
Varietas ac multiplicitas effectuum, 2, 4 sqq., 46, 443-445
Eorum coordinatio sub uno specifico ac principali, 2 sq., 44
Eorum divisio ct classificatio, 3
Gcncricc ct complexive effectus E. U. est gratia tum spiritualiter tum corporaliter sanativa, 4, 19 sqq.
Varius modus quo effectus E. U. proponitur a Cone. Trid., Catechismo Cone. Trid. et S. Thoma, 4-6
Quo modo varii effectus E. U. indicantur in documentis Traditionis, 37-44
Quid intclligatur pro effectu principali alicuius sacramenti, 47
Effectus per se sacramenti est effectus primarius ac specificativus, nec ideo tenet distinctio in effectum per se primarium ct effectum per se secundarium, 125 sq.
Principalis ac specificus effectus E. U. est gratia abstergens reliquias peccatorum, seu sanatio interioris debilitatis animi, 98-110, 111, 472 496
Remissio peccatorum mortalium ab E. U. fit non per se sed per accidens, 125-132
Effectus E. U. confertur post absolutas omnes unctiones, 313 sq.
Confertur autem simul ac totus in ipso momento quo terminantur omnes unctiones, 243-250
Determinatio ultimae unctionis, qua perficitur sacramentum ct confertur effectus pendet ab intentione ministri, 234-237, 248 sq.

EUCHARISTIA comparatur E. U.:
Quoad effectum, 2
Quoad unitatem sacramenti, non obstante pluralitate partium seu specierum, 245, 280 sq., 282, 285, 286, 312, 442
Quoad necessitatem, 385, 409, 415 sq.
Quoad actualem devotionem requisitam in susceptione sacramenti, 474-478
Quoad aetatem in qua primo suscipi potest, 498
Quoad necessitatem periculi mortis pro administratione Viatici, 672
Quoad simultancam administrationem sub ratione Viatici, 620, 631, 653 sq.
Quoad hoc quod ad E. U. suscipiendam Eucharistia non praerequiritur, 686 sq ; dc duplici praxi praemittendi vel postponendi Viaticum Extremae Unctioni, 687-694
Quoad hoc quod Eucharistia, secus ac E. U., in necessitate a laico ministrari potest, 755
Quoad casum concelebrationis, 796

♦EUCHOLOGIUM sive Rituale Graecorum
Forma sacramenti E. U., 35
Praxis ungendi adstantes in domo infirmi, 534 sq.
Euchologium favet sententiae catholicae, a Schismaticis derelictae, de necessitate infirmitatis in subiecto E. U., 571
Dc concelebratione E. U., 784 sq.
Caeremoniae E. U., 818-820, 827, 836, 840, 841
Vide: SCHISMATICI ORIENTALES.

EXTREMA UNCTIO.
Variae theologorum definitiones. 275-279
Varii effectus, specificus effectus. *Vide:* EFFECTUS E. U.
E. U. est sacramentum vivorum, nullatenus vero sacramentum mortuorum, etsi per accidens remittat peccata mortalia, 88, 127, 129 sq.
Est unicum certum remedium salutis pro moribundo sensibus destituto, 345 sq.
Proprietates E. U. *Vide:* ITERABILITAS. NECESSITAS. UNITAS.
Deprecativa indoles E. U. probabiliter permittit iterationem unctionum per plures dies, salva ipsa unitate sacramenti, 310-315
E. U. comparatur:
Cum ceteris sacramentis:
Quoad effectum, ISO
Quoad reviviscendam, 257
Quoad initerabilitatem, 354
Quoad utilitatem relate ad moribundum sensibus destitutum. 345 sq.
Ouoad necessitatem, 385, 40S sq.
Quoad hoc quod omnis sacerdos, nec tantum episcopus, est minister E. U., 757
Quoad hoc quod in omni sacramento verificatur distinctio ministri a subiecto, 760 sq.
Quoad concelebrationem plurium ministrorum. 761, 797
Cum Baptismo:
Quoad effectum, et peculiariter quoad remissionem peccatorum, 54, 102, 133, 135, 444 sq., 642
Quoad remissionem poenae temporalis, 161-163
Quoad rationem sacramenti vivorum, 88
Quoad unitatem sacramenti, non obstante pluralitate unctionum, 284, 286, 311
Quoad initerabilitatem, 342

Quoad necessitatem, 385, 386
Quoad quaestionem an potuerit suscipi a B. Virgine, 512 sq.
Quoad necessitatem intentionis in subiecto, 675 sq.
Quatenus Baptismi susceptio pracrequiritur ad E. U., 682 sq.
Quoad administrationem moribundo sensibus destituto, 677
Quatenus E. U., secus ac Baptismus, nonnisi a sacerdote ministrari potest, 754 sq.
Cum Confirmatione:
Quoad materiam, 441
Quoad necessitatem, 408
Quoad hoc quod omnis sacerdos, nec tantum episcopus, est proprius minister E. U., 757 sq.
Cum Eucharistia:
Quoad accidentalem remissionem peccatorum mortalium, 113, 129-132
Quoad unitatem sacramenti, non obstante pluralitate partium, seu unctionum, 245, 280 sq., 282, 285, 286, 312, 442
Quoad necessitatem, 385, 409, 415 sq.
Quoad actualem devotionem requisitam in susceptione sacramenti, 474-478
Quoad aetatem in qua primo suscipi queit, 498
Quoad simultancam administrationem sub ratione Viatici, 629, 631, 653 sq.
Quoad necessitatem periculi mortis pro administratione sub ratione Viatici, 672
Quatenus Eucharistia ad E. U. susceptionem non praerequiritur, 686 sq.; de duplici praxi praemittendi vel postponendi Viaticum Extremae Unctioni, 687-694
Quatenus Eucharistia, secus ac E. U., a laico in necessitate administrari potest, 755
Quoad casum concelcbrationis, 796
Cum Poenitentia:
Quoad effectum, 54, 444 sq., 642
Quoad poenitcntialem indolem, 542 sq.
Prout est complementum Poenitentiae, 151, 442, 685
Quoad remissionem peccatorum, 102, 642
Quoad remissionem peccatorum mortalium, 54, 85 sq., 88, 126-129, 131, 133, 135, 136
Quoad remissionem peccatorum venialium, 54, 89-91
Quoad remissionem poenae temporalis, 161 sq.
Quoad unitatem, sacramenti, non obstante pluralitate partium seu unctionum, 286, 442
Quoad initerabilitatem, 342
Quoad necessitatem, 345, 385, 386, 415
Quoad administrationem moribundo sensibus destituto, 677
Quatenus Poenitentia ad susceptionem E. U. non praerequiritur, 684-686
Quoad casum concelcbrationis, 793 sq.
Quoad revivisccntiam, 257
Cum Ordine:
Quoad unitatem, sacramenti, non obstante pluralitate partium seu unctionum, 246, 286, 311, 442
Quoad initerabilitatem, 354, 355
Quoad necessitatem intentionis in subiccto, 675 sq.
Quatenus Ordo ad susceptionem E. U. non praerequiritur, 684
Quatenus est sacramentum stricte sacerdotale, 754 sq.
Cum Matrimonio:
Quoad revivisccntiam, 257
Quoad initerabilitatem, 353, 354
Quatenus E. U., secus ac Matrimonium, a solo sacerdote ministrari potest, 754
Quatenus etiam in Matrimonio verificatur distinctio ministri a subiecto, 760 sq.
Quoad casum concelcbrationis, 793 sq.

♦FERRERES est praecipuus defensor theoriae de morte apparenti ac consequenti liceitate administrationis E. U. recenter mortuis, 454—163

FICTIO. *Vide:* OBEX.

♦FLORENTINUM CONC.
Effectus E. U., 5, 9, 14, 15, 95 sq.
Principalis effectus, 95 sq.
Iterabilitas E. U., 290
Solus infirmus est subiectum capax E. U., 554 sq., 581, 610; et quidem graviter talis, 582, 621; imo in periculo mortis constitutus, 606, 643; sufficit tamen periculum remotum, 651, 662
Minister E. U. est solus et omnis sacerdos, 743, 756, 758

FORMA.
Ex forma dignoscitur propria ratio et effectus sacramenti, 519
Variae formae E. U. prout diversimode exprimunt eius effectum, 33-36
Forma E. U. in variis Ritualibus constanter exprimit abstersionem reliquiarum peccati personalis, non vero originalis, 519-521
Forma latina videtur referre solum effectum remissionis peccatorum, sed inde non sequitur hunc esse principalem et specificum effectum, 84 sq.
In sola E. U. forma est essentialiter dcprecativa, 442

GLORIA.
Praeparatio ad gloriam est effectus E. U., iuxta Traditionem, 16, 41
Id negatur a Schismaticis Orientalibus, 7
Quo sensu E. U. dici potest immediata

quaedam praeparatio ad gloriam, 191 sq.
Praeparatio ad gloriam non est effectus E. U. nisi modo indirecto et indeterminato, 179-192
Conditio sub qua E. U. confert effectum sanitatis corporalis non est proprie ac directe relatio ad gloriam, seu si ea sanitas expediat ad finalem salutem animae, 213-215

♦GOAR excusat praxim Orientalium ungendi sanos, dicens eos non intendisse ministrare ipsum sacramentum, sed merum sacramentalc, 543-545, 547

♦GOFFRIDUS VINDOCENSIS negavit simpliciter iterabilitatem E. U., 291, 300, 310, 318 sq., 324, 341, 352

GRAECI. *Vide:* EUCHOLOGIUM. SCHISMATICI ORIENTALES.

GRATIA SACRAMENTALIS.
Nequit obtineri nisi per proprium sacramentum, 389, 411, 431
Nullum aliud sacramentum, praeter E. U., ordinatur ad corporalem etiam effectum, 443
Vide: EFFECTUS E. U.

♦HUGO A S. VICTORE.
De effectu E. U., 32, 37-44
De iterabilitate E. U., 319, 320 sq., 323 sq., 325

♦HUGON impugnat recentiorum theoriam de morte apparenti et de liceitate administrationis E. U. recenter mortuis, 455, 456, 460 sq.

INFANS non est subiectum capax E. U. *Vide:* SUBIECTUM.

INFIRMUS.
Quid et quotuplex sit proprie dicta infirmitas, 578 sq.
Connexio corporalis infirmitatis cum peccato, 223-225, 226
Convenientia institutionis alicuius peculiaris sacramenti pro corporaliter infirmis, 108, 574, 641, 642
Solus infirmus est subiectum capax E. U., 551-578
Item solus proprie, graviter et mortaliter infirmus, 581-584, 609-664
Vide: SANITAS CORPORALIS. SUBIECTUM.

INFORMITAS, seu sacramentum validum et informe, datur etiam in E. U., 255 sq.

♦INNOCENTIUS I.
Effectus E. U., 22 sq., 29
Necessitas E. U., 393
Subiectum capax E. U. est solus infirmus, 552, 611, et quidem graviter talis, 638; non tamen requiritur proximum periculum mortis, 651
Publice adhuc poenitentibus nequit E. U. ministrari, 698
Solus et omnis sacerdos est minister E. U., 743, 747 sq., 756, 758
E. U. valide celebratur ab unico sacerdote, 771, 773

INTENTIO.
De usu rationis requisito ad susceptionem E. U„ *vide:* ADULTUS. INFANS.
Ad validam susceptionem E. U. requiritur et sufficit intentio habitualis implicita, adeoque E. U. administrari potest etiam temporanee amentibus et sensibus destitutis, 675-682
Quaestio de licita administratione E. U. moribundis acatholicis aut impoenitentibus intime connectitur cum ipsa quaestione de intentione subiecti requisita ad valorem sacramenti, 696, 699, 701, 702, 704, 707, 713, 714, 723, 727
Determinatio ultimae unctionis, qua perficitur sacramentum et confertur eius effectus pendet ab intentione ministri. 234-237, 248sq.
Intentio ministri quatenus potest influere in unitatem sacramenti, ubi conferatur per pluries repetitum integrum ritum, 313

ITERABILITAS.
E. U. est iterabilis, etiam in eadem infirmitate, non tamen in eodem periculo mortis, 305-357
Quomodo explicari possit antiqua praxis iterandi E. U. per septem continuos dies. 309-318, 631-633
Quidam vident iterationem E. U. in concelebratione quae ftt apud Orientales, 766 sq.
De modo licitae iterationis E. U., 357-365
De modo aestimandi existentiam novi periculi mortis, 357-362
De conditionata iteratione, 362 sq.
De obligatione iterandi, 363-365
Logicus nexus in praxi sacramentali inter initerabilitatem E. U. et necessitatem periculi mortis, 672 sq.

♦IVO CARNOTENSIS.
De effectu E. U., 31, 37-44
Negat simpliciter iterabilitatem E. U., 291, 300, 310, 318 sq., 324, 341, 352

♦KERN.
Quo sensu accipiantur reliquiae peccati, 51
Principalis effectus E. U. est ablatio spiritualis infirmitatis, ordinis tantum moralis, 71, 74 sq.

E. U. remittit peccata venialia immediate, 137-139
Ad remissionem venialium requiritur proprie attritio saltem habitualis, 143 sq., 146
Kern peregrinam sententiam induxit iuxta quam E. U. ordinatur ad remittendam totam poenam temporalem, 148-154, 164 sq.
Inde descendit in aliam exaggeratam opinionem iuxta quam E. U. directe ac determinate ordinatur ad immediatam dispositionem ad gloriam, 177-179, 190
De conditione sub qua E. U. confert sanitatem corporalem, 201-203, 216 sq.
Dc modo quo E. U. hanc sanitatem producit, seu per meram naturalem redundantiam ipsius alleviationis spiritualis, 204 sq., 226 sq., 228
Determinatio ultimae unctionis, qua perficitur sacramentum ct confertur eius effectus pendet ab intentione ministri, 235-237, 248
E. U. reviviscit tantum durante eodem periculo mortis, 253
Kern peregrinam sententiam sustinet iuxta quam E. U. iterari potest etiam durante eodem periculo mortis, 293, 296, 301, 304 sq., 310, 312-315, 323, 332, 333 sq., 335, 337, 338 sq., 340, 342, 346 sq., 349, 351, 355 sq.
Peregrine quoque sustinet E. U. habere quandam relativam necessitatem medii, 369-372, 384, 385-387, 388, 389 sq., 409 sq., 415, 416, 421
Negat valorem argumentorum quibus theologi solent probare quod infanti E. U. invalide ministratur, 472-480, 526
Ad hoc ut possit valide suscipi E. U. non requiritur quod praecesserit peccatum sed sufficit potentia peccandi, 503, 506
Kern plus aequo deprimit vim textus Iacobi ab probandam necessitatem infirmitatis in subiecto E. U., 562-564
Ad valorem E. U. sufficit periculum mortis remotum, 606 sq., 663 sq.
Non requiritur periculum mortis actuale sed sufficit virtualc seu in causa, 588, 590, 670; pariter sufficit periculum putativum. 591, 592
Moribundo sui compoti qui, utut bona fide, sit acatholicus, sacramenta conferri nequeunt, 702, 703
Moribundo sensibus destituto, qui sit acatholicus formalis, aut acatholicus materialis cuius secta negat sacramenta, aut peccator obstinatus, aut catholicus pagane vivens, sacramenta ministrari nequeunt, 716 sq., 722, 723, 724, 727
Kern putat validam esse eam E. U. concelebrationem, in qua unus minister ponat materiam ct alter formam, 764 sq.
Docet in concclebratione E. U., prout fit apud Orientales, unumquemque ministrum conficere distinctum sacramentum, ita ut habeatur iteratio sacramenti, 766 sq., 798
Putat concelebrationem olim fuisse in communi usu in ipsa ecclesia latina, 780 sq.

LAUNOY sequentes peregrinas opiniones sustinuit:
E U. est iterabilis in eodem periculo mortis, 292, 293 sq., 300, 301, 343
E. U. etiam sanis valide conferri potest, 549 sq., 584, 587
Probabiliter etiam laicus est validus minister E. U., 737
Diaconus in casu necessitatis potest administrare E. U., 737 sq.
In concclebratione E. U., prout fit apud Orientales, unusquisque minister conficit distinctum sacramentum, ita ut habeatur iteratio sacramenti, 766 sq., 798

LEPICIER.
Tribuit E. U. necessitatem praecepti divini indirecti, sub gravi obligantis, 373, 376, 378, 390, 425, 439
Impugnat rccentiorum theoriam de morte apparenti et dc liceitate administrationis E. U. recenter mortuis 455, 456, 458 sq.
Peregrine docet infantes esse validum subiectum E. U., 467
Ad hoc ut possit suscipi E. U. non requiritur quod praecesserit ipsum peccatum sed sufficit potentia peccandi, 503, 506 sq.
B. Virgo non suscepit E. U., 531
Videtur peregrinam opinionem docere iuxta quam sacerdos in casu necessitatis valide sibimetipsi E. U. ministret, 741

LUGO.
De effectu E. U., 79
Docet E. U. causalitatem sese extendere etiam ultra mortem quoad effectum remissionis venialium, 253 sq.
Solus qui aliquando peccaverit potest valide suscipere E. U., 508, 509 sq.

MARONITAE de concclebratione E. U., 787, 790, 792, 798

MARTENE docet E. U. esse iterabilem in eodem periculo mortis, 292, 294 sq., 300, 301

MATERIA E. U. plures ostendit peculiaritates, 441 sq.

MATRIMONIUM comparatur cum E. U.:
Quoad reviviscentiam, 257
Quoad initerabilitatem, 353, 354
Quatenus E. U., secus ac Matrimonium, a solo sacerdote ministrari potest, 754
Quatenus etiam in Matrimonio, sicut in E. U., formaliter verificatur distinctio ministri a subiecto, 760 sq.
Quoad rationem concelebrationis, 793 sq.

♦MENARDUS primus docuit iterabilitatem E. U. in eodem periculo mortis, 292 sq., 299, 300, 301, 343

MINISTER.
Solus sacerdos, ad exclusionem sive laici sive diaconi aut alterius clerici, est validus minister E. U., 741-755
Omnis sacerdos, sive presbyter sive episcopus, est validus minister E. U., 741-745, 755-761
Minister E. U. debet esse distinctus a subiecto, ita ut nec ipse sacerdos possit sibimetipsi eam ministrare, 759-761
Sacramentum in penore non necessario perfici debet ab unico ministro, 283 sq.
E. U. valide celebratur ab unico ministro, 770-774
Potest tamen a pluribus ministris valide celebrari. *Vide:* CONCELEBRATIO.
Dc licita ac convenienti administrationc E. U., 799-812; dc licito ministro, 800-802; de obligatione ministrandi, 803-810; de modo ministrandi, 810-812

MIRACULUM differt a modo quo E. U. confert sanitatem corporalem, 216-219

♦MONOPHYSITAE in usu habent concclebrationem E. U., 786
Vide: ARMENI. COPTI. SYRI.

MORS.
Moribundus sensibus destitutus securius iuvatur per E. U. quam per alia sacramenta, 435
Quotuplex distinguatur periculum mortis in quaestione dc administrationc E. U., 580 sq., 597
Ad validam susceptionem E. U. requiritur periculum mortis, 582 sq., 641–648, quod quidem non uno modo ab auctoribus intelligitur, 588-593, 661
Sufficit tamen periculum remotum, 583 sq., 605-609, 64S-674; dc abusu, olim diffuso, differendi E. U. ad extremum mortis periculum, 654-660
Dubie mortuis E. U. potest ac debet, sub conditione tamen, ministrari, 449-463; celebris quaestio de morte rcali et morte apparenti, 451-463
De abusu ungendi mortuos apud Schismaticos Orientales, 448 sq., 533, 569, 630

MULIER in partu periculoso an sit E. U. ungenda, 667-669

NECESSITAS.
Notio et divisio necessitatis, 366-368, 384, 385, 387 sq., 431, 435
Necessitas medii sccum trahit necessitatem praecepti divini, 384, 387 sq.
Non est confundenda necessitas ad gratiam sacramentalem obtinendam cum necessitate ad ipsam salutem, 389, 411, 431
E. U. non est per se stricte necessaria ad salutem, neque necessitate medii, 383-387, neque necessitate praecepti tam divini quam ecclesiastici, 387-430
Est tamen moraliter necessaria, 431–434, et praeterea potest per accidens esse stricte necessaria, 434–440

♦NESTORIANI in usu habent concclebrationem E. U., 786
Vide: SYRI.

OBEX, seu fictio, quomodo removeatur ut E. U. reviviscere queat, 260 sq.

OFFICIUM (Congregatio S.).
De necessitate E. U., 422 sq.
De conferenda E. U. recenter baptizato, 523 sq.
Dc absolvendo moribundo haeretico aut schismatico, 699 sq., 703, 704, 709 sq., 715

ORDO comparatur cum E. U.:
Quoad reviviscentiam 257
Quoad unitatem sacramenti, non obstante pluralitate partium seu ordinationum, 246, 286, 311, 442
Quoad initerabilitatem, 354, 355
Quoad necessitatem intentionis in subiecto 675 sq.
Quatenus ad E. U. susceptionem Ordo non pracrequiritur, 683 sq.
Quatenus etiam E. U. est sacramentum stricte sacerdotale, quod nempe a solo sacerdote ministrari potest, 754

ORDO ROMANUS X (a Mabillon editus) varias exhibet caeremonias E. U., 816, 822, 824, 825, 828, 829, 830, 833, 834, 839

♦ORIGENES.
Testimonium de E. U., 567
Effectus E. U., 21, 22, 37-44, 80
Minister E. U est sacerdos, 746

PATRES. *Vide:* TRADITIO.

PECCATUM.
Ex utroque peccato, originali et actuali, relinquitur in anima quidam fomes et debilitas, 104-107
Connexio peccati cum corporali infirmitate, 223-225, 226

Remissio peccatorum ut effectus E. U., 8, 10 sq., 37 sq.
Remissio peccatorum non est principalis effectus E. U., 83-94
Quomodo peccatorum remissio connectatur cum abstersione reliquiarum peccati, 87
Remissio peccatorum mortalium per E. U. fit tantum per accidens, 87, 125-132
Remissio peccatorum venialium:
Catechismus Cone. Trid., secus ac ipsum Concilium, loquitur explicite de remissione venialium per E. U., 11, 17, 54, 89
Estius inepte putat Cone. Trid. loqui de abstersione solorum peccatorum venialium, 11
Non constat an in textu lacobi agatur etiam de venialibus, 20; pariter remissio venialium per E. U. non satis clare indicatur in testimoniis antiquae Traditionis, 22, 41 sq.
Iuxta Scotistas remissio venialium est principalis effectus E. U., 52-60; haec sententia refutatur, 88-94
Peccata venialia non remittuntur directe per sacramenta sed per actum contritionis sive charitatis, 89-91, 140-142, 143, 144 sq.

PERICULUM MORTIS. *Vide:* MORS.

♦PETRUS CLUNIACENSIS.
De effectu E. U., 31, 36, 37
Primus, contra Goffridum Vindocenscm et Ivoncm Camotensem, sustinuit iterabilitatem E. U., ita ut dici possit testis seu interpres Traditionis in hac re, 319, 325, 341
Dc necessitate E. U., 398

♦PETRUS LOMBARDUS.
Dc effectu E. U., 33, 36, 37-44
Dc iterabilitate E. U., 319, 320, 321 sq., 323, 324, 325, 341
Dc necessitate E. U., 398

POENA TEMPORALIS.
An dici possit reliquia peccati, 49-51
Remissio poenae temporalis est effectus E. U., 8, 42
Nequit tamen esse principalis effectus ullius sacramenti, 99 sq.
E. U. non ordinatur ad remittendam totam poenam temporalem, quidquid in contrarium senserint quidam moderni, 158-160, 161-174
E.U. remittit poenam temporalem mediate tantum, 161, 174-176

POENITENTIAE SACRAMENTUM.
Praxis Schismaticorum imponendi susceptionem E. U. in sacramcntalcm satisfactionem, 535 sq., necnon ungendi pocnitentcs, 536-549
De licita administratione Poenitentiae moribundis acatholicis aut impoenitentibus, 695-732
Poenitentia comparatur cum E. U.:
Quoad effectum, 54, 444 sq., 642
Quoad pocnitentialem indolem, 542 sq.
Prout E. U. est complementum Poenitentiae, 151, 442, 685
Quoad remissionem peccatorum, 102, 642
Quoad remissionem peccatorum mortalium, 54, 85 sq., 88, 126-129, 131, 133, 135, 136
Quoad remissionem peccatorum venialium, 54, 89-91
Quoad remissionem poenae temporalis, 161 sq.
Quoad unitatem sacramenti, non obstante pluralitate partium, 286, 442
Quoad initerabilitatem, 342
Quoad necessitatem, 345, 385, 386, 415
Quoad administrationem moribundo sensibus destituto, 677
Quatenus Poenitentia ad susceptionem E. U. non praerequiritur, 684-686
Quoad casum concelebrationis, 793 sq.
Quoad reviviscendam, 257

PRAECEPTUM divinum sedudo distinguendum est in positivum et naturale, nec hoc praeceptum divinum naturale confundendum est cum lege naturali prout opponitur legi supernatural!, 367 sq., 371, 374, 387
Vide: NECESSITAS.

♦PROTESTANTES.
Negant necessitatem sive convenientiam omnium sacramentorum, 383
Negant peculiariter spirituales effectus E. U., 6, 20
Negant necessitatem gravis infirmitatis pro administratione E. U., 585 sq., et a fortiori necessitatem periculi mortis, 594
Dicunt morem catholicum conferendi E. U. per unicum ministrum repugnare verbis lacobi, 762 sq.
Docent ministrum E. U. esse quemlibet christianum, 735 sq., 747, 748

PURGATORIUM ad quid expiandum ordinetur, 192

RELIQUIAE PECCATI.
Variae sequelae peccati, 102
Quid sint reliquiae peccati, 11
Vario modo intclliguntur a theologis, 48-51
Proprie intclligcndae sunt ut reliquiae peccati personalis, non vero originalis, 519
Quomodo earum abstersio connectatur cum remissione ipsorum peccatorum, 87
Abstersio reliquiarum peccati, quatenus est effectus E. U., 11 sq.

Abstersio reliquiarum peccati in Traditione, 25, 38
Quomodo concipienda sit haec reliquia peccati seu animi debilitas quae abstergitur seu sanatur per E. U., 102-108

RES-ET-SACRAMENTUM.
Etiam in E. U. datur res-et-sacramentum, 1 sq., 3, 270 sq.
Difficile tamen est illud praecise assignare, 261-263, 443
Consistit in spirituali quadam unctione, 268-270, 271-275
Non satis solide quis probaret initerabilitatem E. U. ex existentia rei-et-sacramenti, 257 sq., 351 sq., 355-357

REVIVISCENTIA.
E. U. probabiliter reviviscit, saltem durante eadem infirmitate seu periculo mortis, 256-259
Inepte quidam docent E. U. pluries reviviscere in eadem infirmitate, 254 sq.
Ex reviviscentia E. U. potest confirmari eius initerabilitas, 357

RITUALE ROMANUM.
De effectibus E. U., 18
Dubie mortuis E. U. potest sub conditione ministrari, 450
Solus et omnis adultus est subiectum capax E. U., 470, 487
De iterabilitate aut initerabilitate E. U., 290 sq., 339, 340, 342, 347
De necessitate E. U., 424
Subiectum capax E. U. est solus infirmus, 560, 610, et quidem graviter talis, 583, 621, imo in periculo mortis constitutus, 598; non tamen requiritur articulus mortis sed sufficit periculum mortis remotum, 648, 651 sq., 662
Inde a prima editione Rituale fecit explicitant mentionem senum ut subiecti E. U., 612 sq., 665
Ad E. U. suscipiendam sufficit intentio habitualis implicita, 681
Minister E. U. est omnis et solus sacerdos, 745
De obligatione ministrandi E. U., 807
Caeremoniae E. U., 816 sq., 820-841

RUMENI de concelebratione E. U., 787 sq., 792, 798

RUTHENI de concelebratione E. U., 787, 792, 798

SACRAMENTARIUM GELASIANUM dc effectu E. U., 24 sq., 28, 36, 37-44

SACRAMENTARIUM GREGORIANUM.
De effectu E. U., 24 sq., 2S, 36, 37-44
Discussus textus de iteratione E. U. per septem continuos dies, 305 sqq.
De concelebratione E. U., 777, 781, 792
Caeremoniae E. U., 815

SACRAMENTARIUM SERAPIONIS de effectu E. U., 21 sq., 25, 36, 37-44

SACRAMENTUM.
Influit semper ex opere operato, 82 sq.
Operatur certe et infallibiliter, 97
Item illico et immediate, 97
Est essentialiter ordinatum ad gratiam, 82
Eius effectus est intrinsecus quidam modus gratiae communis, 97
Quid intclligatur pro principali effectu sacramenti, 47
Nequit unum et idem sacramentum ordinari directe et principaliter ad plures effectus, 98 sq., 181
Non necessario sacramentum perfici debet ab unico ministro, 283 sq.

SANITAS CORPORALIS.
Est effectus E. U., 92, 206-209, 346, 568, 575, 660
Id signanter proponitur in Traditione, 13-16, 25, 40 sq., non tamen ad exclusionem effectus spiritualis sanitatis, 26-29
Talis corporalis effectus est necessarius ad complendam ipsam sacramentalem significationem E. U., 575-577, 618, 641, 642, 660
Confertur infallibiliter et ex opere operato, 209-211, etsi conditionate tantum, 212-225
Confertur autem non immediate sed mediante ipso principali effectu sanationis spiritualis, 225-231
Inepte quidam reponunt rem-et-sacramentum E. U. in hac sanitate corporali, 265 sq., 272
Iuxta Schismaticos Orientales corporalis sanitas est principalis effectus E. U., 7, 51 sq., 76-78, 81 sq., 193, 198; reicitur haec opinio, 79-83

SCHELL docet ad suscipiendum effectum E. U. attritionem non requiri in moribundo incapaci, 123 sq., 133 sq.

SCHISMATICI ORIENTALES.
Definitio E. U., 278 sq.
Privati doctores fluctuant in assignandis effectibus E. U., peculiariter negantes effectum praeparationis ad gloriam, 6 sq.
Corroborationis quoque ac alleviationis effectum reiciunt, 39 sq.
Communiter docent principalem effectum E. U. esse sanitatem corporalem, 7, 51 sq,, 76-78, 81 sq., 193, 198. Reicitur haec opinio, 79-83
De forma graeca prout exprimit effectum E. U., 35 sq.

Validum sacramentum, susceptum sine congrua dispositione, confert gratiam, etsi non in salutem sed in detrimentum, 251
E. U. est iterabilis in eodem periculo mortis, 298 sq.
Theologi schismatici docent ad valorem sacramenti non requiri infirmitatem, adeoque in praxi inungunt etiam sanos, 533-549, 565, 566, 584, 585, 675
Nihilominus ipsa eorum doctrina et praxis aliunde non uno modo confirmat contrariam doctrinam et praxim catholicam, 571-573, 584, 587 sq., 600 sq., 612
Quidam doctores negant tantum necessitatem gravis infirmitatis, 586 sq., 632, 633, et a fortiori necessitatem periculi mortis, 594-596
De praxi ungendi mortuos, 448 sq., 533, 569, 630
Praxis ungendi adstantes in domo infirmi, 534 sq.
Praxis imponendi susceptionem unctionis in satisfactionem sacramentalcm, 535 sq.
Praxis ungendi poenitentes, 536-543, eiusque interpretatio, 543-549
Concclebratio E. U. per septem presbyteros non importat iterationem sacramenti, 307, 317
Quidam dixerunt necessariam esse concelebrationem in E. U., reprobantes contrariam praxim occidentalis ecclesiae, 763 sq.
Plures tamen, praecipue inter modernos, fatentur validitatem et liccitatem celebrationis per unicum ministrum in casu necessitatis, 772 sq.
Praxis concelebrationis E. U. in ecclesia orientali, tam schismatica quam catholica, 783-789
Vide: EUCHOLOGIUM.

◆SCOTUS.
Definitio E. U., 276 sq.
Quo sensu accipiantur reliquiae peccati, 50
Principalis effectus E. U. est remissio peccatorum venialium, 51, 53-55, 58 sq., 83, 85, 92, 93, 187, 238 sq., 247, 643
Effectus E. U. confertur partialiter per unamquamque unctionem, 238 sq., 246
De iterabilitate E. U., 328
E. U. non est stricte necessaria, 414
Temporanee amentes sunt subiectum capax E. U., 491, 495, 680
Solus qui aliquando peccaverit, potest valide suscipere E. U., 508
B. Virgo potuit suscipere Baptismum, 515 sq., etsi non susceperit, 529
Ad valorem E. U. requiritur periculum mortis imminens, seu articulus mortis, 597, 600, 601

SENES.
Senium pro vera infirmitate reputatur, 579, 612, 619
Senes sunt validum subiectum E. U., 612 sq., 619 sq.
De praxi ungendi senes, 664 sq.

◆SOTO (Dominicus).
Principalis effectus E. U. est abstersio spiritualis debilitatis, non tantum moralis set et physicae, 64, 69
Hic doctor peregrinam opinionem sustinuit iuxta quam effectus E. U. non est ipsa sanitas corporalis sed quaedam virtus sanativa, 194-196, 198, 200, 206-209
Determinatio ultimae unctionis, qua perficitur sacramentum et confertur effectus, pendet ab intentione ministri, 234 sq., 248
Ad valorem E. U. requiritur proximum periculum mortis, 602
Ad E. U. suscipiendam sufficit intentio habitualis implicita, 681

◆SUAREZ.
Definitio E. U., 277
Principalis effectus E. U. est mera alleviatio animi seu ablatio spiritualis debilitatis animi, ordinis tantum moralis, 32, 63 sq., 71-74, 98 sq., 110, 504, 505, 525, 618
Haec sententia non est confundenda cum sententia S. Thomae, 63, 64, 71 sq.
E. U. remittit peccatum mortale per se, etsi secundario, 115
E. U. remittit peccatum veniale immediate, 136 sq.
Suarez ambigue loquitur in quaestione an E. U. ordinetur ad remittendam totam poenam temporalem, 171 sq.
De conditione sub qua E. U. confert sanitatem corporalem, 200, 216, 222
Determinatio ultimae unctionis, qua perficitur sacramentum ct confertur eius effectus non pendet ab intentione ministri, 234
E. U. reviviscit etiam post recuperatam sanitatem, 252
Susceptio E. U. non obligat, saltem sub gravi, 380 sq., 389 sq.
Casus in quibus E. U. evadit per accidens stricte necessaria, 434-440
Dubie mortuis E. U. potest sub conditione ministrari, 450
Solus et omnis adultus est subiectum capax E. U,, 473, 479, 496
Ad hoc ut possit suscipi E. U. non requiritur quod praecesserit peccatum sed sufficit potentia peccandi, etiam

remota, utut ligata, 501 sq., 503, 504-506, 512, 520 sq., 524, 525, 526
Unde etiam B. Virgo potuit suscipere ac dc facto suscepit E. U., 502, 505, 512, 531 sq.
Ad E. U. valide suscipiendam non requiritur periculum mortis actuale sed sufficit virtualc seu in causa, 588, 643, 670, vel saltem sufficit periculum putativum, 591 sq., 647
Suarez praecipuum impulsum dedit modernae sententiae de sufficientia periculi mortis remoti ad valorem E. U., 606, 663
Ad E. U. suscipiendam sufficit intentio habitualis implicita, 681
De praxi administrandi E. U. post Viaticum, 692 sq., 694
De gravitate obligationis ministrandi E. U., 805 sq.

SUBIECTUM.
In subiecto sacramentorum distinguendum est inter capacitatem, conditionem et dispositionem, 446
Subiectum E. U. est solus homo viator, 448 sq.
Dubie mortuis E. U. potest ac debet sub conditione ministrari, 449-463. *Vide:* MORS.
Subiectum capax E. U. est solus et omnis adultus, 465-500
Inepte quidam, ut Kern et Cappello, negant valorem argumentorum quibus theologi probare solent quod infanti invalide administratur E. U., 472—480
De triplici abusu, qui olim inolevit, remittendi ad tardiorem aetatem susceptionem E. U., 481-487
Subiectum capax E. U. est solus peccator, seu qui aliquando actualiter peccaverit, 511-527
Utrum practicum valorem habere possit quaestio: an possit conferri E. U. homini qui nullas habeat reliquias peccati, 527-529
Subiectum capax E. U. est solus infirmus, 551-578
Item solus proprie, graviter et mortaliter infirmus, 581-584, 609-664
Speciosa difficultas desumpta ex quibusdam documentis agentibus de usu olei ad curationem aliorum defectuum corporis qui infirmitas non sunt, 613-618, aut cuiuslibet, utut levis, infirmitatis, 634-641
Ad susceptionem E. U. non requiritur proximum mortis periculum seu articulus mortis, sed sufficit periculum remotum, 583 sq., 605-609, 648-674
De abusu, olim diffuso, differendi E. U. ad extremum mortis periculum, 654—674
Praxis in aestimatione periculi mortis, in quo infirmi ungi possunt, 664—474
Ad valorem E. U. requiritur et sufficit intentio habitualis implicita, 675-682
Non pracrequiritur susceptio alterius sacramenti praeter Baptismum, 682-694
De licita administratione E. U. (necnon Poenitentiae) moribundis acatholicis aut impoenitentibus, 695-732
Moribundo, sui compoti, qui sit formaliter acatholicus vel contumaciter impoenitens, nequeunt sacramenta E. U. vel Poenitentiae ministrari, 698-702
Moribundo, sui compoti, qui nonnisi materialiter et bona fide sit acatholicus, sacramenta E. U. et Poenitentiae probabiliter conferri possunt, 702-712
Probabiliter E. U. et Poenitentia possunt licite administrari sub conditione cuilibet moribundo baptizato qui sit sensibus destitutus, 712-732; in quo fundetur probabilitas huius sententiae, 713 sq., 721, 723, 725, 727, 729

SYRI nestoriani inungebant poenitentes, 538
Vide: ARMENI. COPTI. MONOPHYSITAE. NESTORIANI.

THEOLOGI disputant ac dissentiunt praecipue quoad sequentes quaestiones:
De principali sive specifico effectu E. U., 51-79
De modo quo E. U. remittit peccata mortalia, utrum per se an tantum per accidens, 112-122
De modo quo remittit peccata venialia, utrum immediate an tantum mediate, 136-142
De remissione poenae temporalis per E. U., utrum fiat totaliter an tantum partialiter, 148-161
Dc modo quo E. U. confert sanitatem corporalem, 194-206
De praeciso momento quo E. U. causât suos effectus, 232-242
De natura rei-et-sacramenti E. U., 262-270
De iterabilitate aut initerabilitate E. U., 291-305
De eius necessitate, 369-383
De necessitate conditionis peccatoris, seu an solus qui aliquando peccaverit possit valide E. U. suscipere, 501-511
De necessitate gravis ac mortalis infirmitatis ad valorem E. U., 584-609
De liceitate ministrandi E. U. et Poenitendam moribundo sui compoti qui nonnisi materialiter et bona fide sit acatholicus, 702-707
De liceitate eadem sacramenta ministrandi cuilibet moribundo baptizato qui sit sensibus destitutus, 712 sqq.

*THOMAS AQUINAS.
Definitio E. U., 275 sq.
Effectus E. U., 4-6
S. Doctor hunc effectum proponit generaliter sub duplici aspectu spiritualis et corporalis sanationis, 5 ; particulariter autem indicat quatuor effectus, i.e. remissionem peccati, extinctionem poenae, abstersionem reliquiarum peccati et sanitatem corporalem, 5
Principalis effectus E. U. est abstersio spiritualis debilitatis, non tantum moralis sed et physicae, 47 sq., 51, 52, 63 sq., 66-68
Quomodo S. Doctor concipiat internam animi debilitatem cuius sanatio est principalis effectus E. U., 5, 12, 48 sq., 104-110
Reliquiae peccati, quae per E. U. absterguntur, intelligendae sunt de rcreliquiis peccati personalis, non vero originalis, 519
Principalis effectus E. U. non est remissio peccatorum, 87, 88
Remissio peccati mortalis per E. U. fit non per se sed per accidens, 113
Nullum sacramentum est directe institutum ad remittenda peccata venialia, 89 sq.
Peccata venialia remittuntur immediate non per ipsum sacramentum sed per actum charitatis sive contritionis, 140 sq.
S. Doctor nequaquam docet E. U. ordinari ad tollendam totam poenam temporalem, 167-169
Quo sensu doceat E. U. esse praeparationem ad gloriam, 184-187
De conditione sub qua E. U. confert sanitatem corporalem, 199, 200, 212 sq., 219, 221, 222
Haec corporalis sanitas producitur mediante ipso principali effectu spiritualis sanitatis 228 sq.
De modo quo E. U. producit sanitatem corporalem, 206
Effectus E. U. confertur post absolutas omnes unctiones, 233
De re-ct-sacramento E. U., 266 sq., 268
E. U. est unum sacramentum, non obstante multiplicitate partium seu unctionum, 284 sq., 312
De iterabilitate E. U., 325, 326, 327, 328, 333 sq., 350, 351, 353
De necessitate E. U., 365 sq., 385, 388, 390, 397, 404-412, 427
Inepte quidam theologi moderni conantur trahere S. Thomam ad suam sententiam de stricta necessitate E. U., 409-412
Casus in quo E. U. evadit per accidens stricte necessaria, 434
Solus adultus est subiectum capax E. U., 474-480
Omnis adultus est subiectum capax E. U., 482
S. Doctor nequaquam negat temporanee amentes esse subiectum capax E. U., 488 sq.
Solus qui aliquando peccaverit potest valide suscipere E. U., 507, 508
S. Doctor aptam assignat rationem quare solus infirmus inungi possit, quam quidam moderni non satis ponderant, 574-578
Explicitam mentionem senum non facit, cum loquitur de subiecto E. U., 612
Ad valorem E. U. requiritur periculum mortis, 642, 647
S. Doctor videtur docere necessitatem periculi proximi mortis, etsi assignet ipsum principium ex quo logice deducitur moderna sententia de sufficientia periculi remoti, 601 sq., 606, 663
Non sibi explicite proponit casum administrationis E. U. moribundo sensibus destituto, 680
De praxi postponendi E. U. Viatico, 690 sq.
Omnis sacerdos, nec solus episcopus, est minister E. U., 756
De validitate concelcbrationis in E. U., 764, 766, 774, 779 sq., 783, 789, 790, 792, 793, 795

TRADITIO.
De variis effectibus E. U., 20–44
De principali eius effectu, 80 sq., 84 sq.
Principalis effectus E. U. non est mera extrinseca alleviatio animi sed ipsa intrinseca sanatio animi, 95 sq.
E. U. non ordinatur ad remissionem totius poenae temporalis, 165-174
De E. U. prout dicitur quaedam dispositio et praeparatio ad gloriam, 181-191
Documenta et praxis de iterabilitate E. U., 305-344
De necessitate E. U., 392-397
Solus peccator est subiectum capax E. U., 511-527
Subiectum capax E. U. est solus infirmus, 566-573, et quidem graviter talis, 623–641
De intentione sive consensu requisito ad susceptionem E. U., 677-680
Solus et omnis sacerdos est minister E. U., 745-750, 756, 758
Validitas celebrationis E. U. per unicum ministrum, 770-774
De concclcbrationc E. U. tam in ecclesia latina quam orientali, 775-789, 792

♦TRIDENTINUM CONC.
Varii effectus E. U., 4 sq., 8-16, 19, 53

Concilium proponit explicite tres effectus, i.e. gratiam, remissionem peccatorum et alleviationem animi, 5
Quid intelligal pro peccati reliquiis quae absterguntur per E. U., 11 sq., 50
De principali effectu E. U., quod non sit mera animi alleviatio sed intrinseca eius sanatio, 84, 96, 517
De remissione poenae temporalis per E. U., 165 sq.
E. U. est quaedam praeparatio ad gloriam, 181 sq.
De conditionato effectu sanitatis corporalis per E. U. ac de sensu incisi "Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur," 13 sq., 197, 208 sq., 211, 212, 213-215, 221
E. U. est unum sacramentum, 282
De iterabilitate aut initerabilitate E. U., 290, 342. 347
De sensu declarationis tridentinae circa relativam initerabilitatem E. U., 337-34°
Concilium nullatenus docet aut innuit strictam necessitatem E. U., 383 sq., 388, 419-421
Solus peccator est capax subiectum E. U., 522
Subiectum capax E. U. est pariter solus infirmus, 555 sq., 581, 610, et quidem graviter talis, 583, 621, imo in periculo mortis constitutus, 606, 646 sq. In hac re quidam theologi non satis ponderant vim declarationis tridentinae, 621-623
Attamen non requiritur periculum proximum seu articulus mortis sed sufficit periculum remotum, 651, 662
Solus adultus est capax subiectum E. U., 469 sq.
Solus et omnis sacerdos est minister validus E. U., 741, 742, 743 sq., 751-753, 756, 758

UNITAS specifica sacramenti servatur etiam in E. U., 282, et ita quidem ut habeatur unitas non tantum integritatis sed etiam indivisibilitatis, 284-286

VITIA.
Pravi habitus relicti ex peccato quo sensu dicantur reliquiae peccati, 100
Eorum remotio non est effectus E. U., 100 sq.